R. P. GABRIELIS DE HENAO VALLISOLETANI SOCIETATIS IESU...

Gabriel : de Henao

Digitized by Google

Digitized by Google



ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. LAVRENTIO RAMIREZ DE PRADO, EQVITI IACOBÆO, A CONSILIIS CATHOLICÆ MAIESTATIS, ET IN SVPREMO TRIBVNALI CASTELLÆ, CRVCIATÆQVE SANCTÆ DIGNISSIMO SENATORI, &c.

S. P. D.

ALTERA hæc ingenij mei ſoboles, INCLYTE HEROS, ad Humanitatis Tuæ aram ſe aduoluit tanti nominis auſpiciis ſuę velut vitæ telam exorſura: Cæleſtis aulæ ſcientia terreſtris Regiæ Apollinem ſupplice voto adorat: intentatus hactenùs, vel ſaltem delibatus tantummodò eruditionis trames, viæ ducem poſtulat, cui in fortunatis Muſarum viridariis nihil imperuium, nihil non exploratum reperitur. Empyreologia, inquam, boni luminis haud parùm indiga, ſub Tui Nominis ſydere in lucem prodit; quam nobilitatis, ſapientiæ, doctrinæ, dignitatíſque potentiſſimis illecebris adeò permulſiſti, adeò deliniiſti, vt minimè illi integrum fuerit, alterius inſignia huic operi præfigere, vnáque cum libertate eligendi, electionis laudem omnem, ac gloriam amiſerit. Nam generis tui famam iamdudùm ſublimè efferunt, quæ Valdetuejar antiquam Maiorum tuorum ſedem in

Digitized by Google

Legionenſi Regno conditam, inuicto præſidio coronant, prærupta montium cacumina; tantæ familiæ amplitudine, quàm rupium mole celſiora. Hinc velut ex fœcundiſſima ſtirpe complures inſignes propagines enatæ ad Extrema Durij traductæ ſunt; inter quas, tanquam inter viburna cupreſſus, eminet Pradanæ tuæ Gentis Arbor. Etverò non ſine ſingulari Dei munere contigiſſe arbitror, vt qui honorum culmina occupaturus erat, in ipſis Gentis ſuæ primordiis terrarum faſtigia teneret, & quem eximiæ animi dotes cœlo proximum ſtatuerant, in mundi apicibus originis felicitas collocaret. Iſtis ſaxis inſculpta Pradanæ originis facinora egregia, multò ſecuriùs, quàm ſi Apellæo penicillo de picta forent, nomen tuum æternitati conſecrabunt, nullâ temporum morâ; nulla fatorum inclementiâ eradenda. Nam quid ego hîc in Auorum tuorum encomiis colligendis moras texam, cum vberrimam mihi laudum ſegetem ſuppeditent virtutes tuæ?

S. Sidonius in Panegyrico Auiti.

Sunt alij, per quos ſe poſthuma iactet origo,
Et priſcum titulis numeret genus alter. ——
Nobilitas Tu ſolus Auos.

Patrem quidem nactus es Dominum, D. Alfonſum Ramirez de Prado, Matrem verò Dominam, D. Mariam Velazquez, vtrumque religione, prudentia, dignitate, & honoribus apprimè pollentem, atque hoc vno inter cæteros ferè omnes genitores palmam ſibi vendicantes, quòd gloriæ tuæ tyrocinia in ſe ipſi iecerint, ſtruxerintque fundamenta, quibus tu deinceps faſtigium, ac manum vltimam impoſiturus eras. Horum genio effectum eſt, vt ſimul vitalem lucem haurire, ſimul præſagis famæ ſplendoribus effulgere inciperes, primáque ætatulæ infantilis veſtigia locares, vbi Parentes tui honorum metam defixerant. Reliqui fiunt, Tu natus eſſe videris dignitatis iubare conſpicuus, atque in verno annorum flore Autumni fructus oſtentas. *Quod quidem mihi Dei immortalis munus, & primum videtur, & maximum, in lucem ſtatim Te felicem venire, & ea, quæ vix alij totius vitæ laboribus conſequuntur, iam domi parta ſuſcipere.* Atque hinc ſuſpicari licet, quàm excelſum gloriæ verticem adultâ iam ætate attigeris, cùm eorum beneficio, qui Te huius auræ vſurâ donarunt, vitæ limen in interioriore famæ velut aulâ auſpicatus ſis. Et ſanè in Parentum moribus arcanas quaſdam notas diſpicere plerumque licet, quæ longè veriùs, quàm vana ſtellarum coniunctio puerorum indolem denuntiant; Neque enim, quod ait ille,

In Panegyr. Conſtantini Magni ab oratore quodam Belga apud Treuiros recitatur.

Horat. lib. 4. Ode 4.

——— Imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Nec à veritate abhorret, quod ſagaciſſimus veritatis indagator Ariſtoteles

lib. 3. Polit. cap. 8.

Ariſtoteles ſcitè locutus eſt: εἰκὸς βελτίους τῶν ἐκ βελτιόνων. Quid quæris? Accipe verba Hyblæo melle potiora, quæ, eruditorum hominum deliciæ, Caſſiodorus aureo quondam ſtylo exarauit: *Oportet ex Parentum virtutibus, prolis iudicare ſucceſſum; quia bona certa ſunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo neſcit deficere, quæ conſueuit radicitus pullulare. Fertur etiam curſu perenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem ſuſtinent cuncta manantia, vt ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit vitiatus, neſciat riuulis abnegari.* Nulla autem pernicies, nulla lues profundum virtutum tuarum veluti torrentem infecit, qui ex circumfluentibus tantæ Familiæ domicilium ſcopulis eliſus, tot indigenas amnes illimi gurgite excipit, quot honorum incrementa; vicináſque regiones, quas præterlabitur, mirificè fæcundans, in Hiſpanica Aula immenſo gloriæ Oceano ſe admiſcet, inter ſcelerum quaſi ſalſuginem, inter vitiorum colluuiem, ſummam morum dulcedinem, quam à fonte traxit, illæſam ſeruaturus. Facem Tibi prætulit Pater tuus ad ampliſſimum Senatoris officium, quo in ſanctiore Caſtellæ conſilio ſingulari cum laude perfunctus eſt. Tantus ſcilicet eſſe debuit qui LAVRENTIO viam ad honores muniret, & qui ſui æui Sol habitus eſt, tecum comparatus Phoſphori vices geſſit. Quo circa nemini mirum eſſe debet, quòd ſimilem deinceps prouinciam ſuſtinueris, cùm in cunis etiamnum poſitus Inſignia Prætoria tanquam hæreditario iure Tibi tradenda teneris manibus prehendiſſe videaris, & ab Statij ſuaui plectro audire, lib. 1. var. ep. 15.

——— Non te ſeries inhonora Parentum Idem Orator Belga vbi ſuprà.
Obſcurum Proauis, & priſca lucis egentem
Plebeia de ſtirpe tulit, non ſanguine cretus
Turmali, trabéque ac remis, & paupere clauo,
Auguſtam ſedem, Hiſpani penetrale Senatus,
Aduena pulſaſti, ſed præcedente Tuorum
Agmine ———————————

Certè *Tanta eſt nobilitas originis tuæ, vt nihil tibi addiderit honoris imperium, nec poſſit fortuna numini ſuo imputare, quod tuum eſt, omiſſo ambitu, ac ſuffragatione. Non fortuita hominum conuentio, non repentinus aliquis fauoris euentus te Principem fecit, imperium naſcendo meruiſti.* Quanquam rectiùs dicerem, etiam antequam in lucem edereris, admirandâ virtutum anticipatione, Te imperium promeruiſſe: neque enim tam Paternæ induſtriæ dignitas illa præmium fuit, quàm fælicitatis tuæ prænuntia, dignúſque fuiſti, cui etiam Ille, à quo omnia accepturus eras, plurimum ſe debere fateretur. Nimirùm ea eſt indolis, ac virtutis tuæ l. 5. Syluar. in Protreptico ad Criſpinum.

præſtantia , vt ſegnes naſcendi vices anteuertens, vltra annorum, vitæque veſtibulum ſe porrigat, exiguóque ætatis ambitu multorum merita ſæculorum circumſcribat. Leuia hactenùs dixi , ad maiora propero. Enimuerò tua ſibi dona detrimento ſunt, mutuíſque quaſi ſplendoribus alterum álterius lucem obruit. Eximia eſt (nemo non videt) Nobilitas tua , egregia , præclariſſimis Auorum ceris cohoneſtata ; ſed in Te nullius nitoris eſſe videtur, quem adeò fæcundus ingenij, ac doctrinæ fulgor circumueſtit, vt à nullo mutuari, omnibus impertiri radios, ac ſplendorem poſſis. Calcar eſt Nobilitas ; ſed virtus tua in gloriæ verticem ſuis velut alis euecta, calcari non indiget. Iubar eſt ex ſuperni luminis fonte delibatum; ſed nequicquam exilis flamma Soli additur: enitet, elucet , effulget, ſed tanquam pulchritudo alienis pigmentis delibata, quibus natiua indoles , ac animi venuſtas oblini potiùs ſolet, quàm ornari. Iactent alij , per Te licet , obſoleta Maiorum ſuorum ſtem-

In Panegyr. mata , oſtentent fumoſas imagines ſitu , & vetuſtate exeſas. *Tu verò* (vt cum Ennodio loquar) *quamuis de ſplendore natalium iubar hauſeris, vincens decorem ſanguinis ingenij claritate, dum coruſcantem germinis tui lampadem actuum ſerenitate tranſcendis, factus es ſtemmatis victor tui , per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperaſti.* In mentis tuæ arce delegit ſibi à teneris annis pulcherrimam ſedem virtutum, ac litterarum chorus , vt ambigeret poſteritas , accepiſſéſne à natura ipſa tot , ac tanta munera , an labore , & ſtudio comparaſſes. Admiſſus in interius Muſarum conclaue priùs eſſe videris , quàm eas à limine ſalutaſſes, commixtumque nutricis lacti Helicona totum ſuxiſſe. Nam quid hîc in medium proferam non affectatum , ſed innatum , atque

tom. 3. Orationum contra imitantes quod non declamaret. ingenitum cum libris commercium ? Tibi *litteræ omnes appellationes, ac facultates continent* , vt de ſe Ariſtides aiebat. Eo ingenio præditus es , vt ſine ſtudio honoris apicem promereri videaris ; id verò ſtudij adhibuiſti , vt vel ignauiſſimum ad gloriæ culmen eueheret, ita vt cui primas deferam , ſtudio, an indoli, hercle dubitem ; niſi quòd ſumma tua eruditio efficiat, vt ſtudio, ſumma autem felicitas , vt indoli, omnem laudem , ac famam addicere velim. Non Te iuuentutis ardor fræni impatiens, non diſciplinæ litterariæ ſpecies , primo aſpectu torua , à ſtudiorum curriculo auocauit; ſed ingruente difficultatum caterua, etiam erectior arduum Parnaſſi iter capeſſis, non induſtriâ magis, quàm genio de euentus felicitate ſecurior. De Te potiori iure affirmare poſſum, quod de Heluidio Priſco ingeniorũ μυροθήκιον Cornelius Tacitus olim

Historiarum 4. c. 5. loquutus eſt, *Ingenium illuſtre altioribus ſtudiis iuuenis admodum dedit, non vt plerique, vt nomine magnifico ſegne otium velaret; ſed quò firmior aduerſus fortuita rempublicam capeſſeret.* Nimirùm à primis vſq; ætatis incunabulis conſignatas animo circũferebas diuinas illas Caſ-

ſiodori

Digitized by Google

ſiodori voces, *Deſiderabilis eruditio litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam. Ibi prudens inuenit vnde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quẽadmodùm populos ſub æqualitate componat. Nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa notitia.* Atque ne diu ſola ingenij ſpe orbem aleres, nondum elapſo vitæ anno decimoſeptimo S. Orientium vnà cum notis P. Martini del Rio à te adauctis prelo ſubdendum curaſti. Imò virente etiam num ætate geminum eruditionis fætum luci publicæ dediſti. O ſingularem indolis felicitatem! O velocitatem admirabilem! vix dum genas exoptata iuuentutis vmbra veſtiuerat, cum Palladia Laurus tempora præcingit, vix dum ſtudiorum ſtudium ſubiueras, cum metã præterueheris; & quando adhuc in adoleſcentiæ velut cliuo hærebas, eruditionis culmen exuperas. Sileat deinceps fabularum opifex vetuſtas, in cunis iacentem Herculem irruentium Draconum capita contudiſſe; neque ampliùs glorietur ſuperba Thetis Achillem ſuum virili toga nondum indutum in denſis Theſſaliæ ſaltibus Leones, ac Tygridas Chyrone duce dilaniaſſe; cunctis Martis heroibus Te vnum opponet noſtra Minerua, qui ſub prima ingenij tanquam crepuſcula denſiſſimas errorũ tenebras diſcutis, quibus Martialis Thalia circumfuſa iacebat. Rudimenta tua documenta ſunt cæterorum, tua tyrocinia aliorum triumphi; neque alia Tibi puero crepundia fuiſſe arbitror, quàm Virtutum ſtemmata, Oratorum inſignia, Muſarum citharas. Iam tum Tibi canere licebat cum Horatio, lib. 1. Ode 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis : me gelidum nemus
Nympharúmque leues cum Satyris chori
Secernunt populo ———————

Effecit eruditio tua, VIR Eruditiſſime, vt vitã Hiſpaniẹ iterùm deberet Bilbilitanus olor; qui in tam ſpiſſa ignorantiæ caligine ſepultus iacebat. Illius ſales, ac ioci doctrinæ tuæ ſale conditi nunc demùm iucũdiſſima voluptate oblectant huius æui palatum, cui iamdudùm nauſeam mouerant. Quòd ſi in ſuperas oras remigraret Martialis, te Mæcenatẽ nuncuparet, te Apollinẽ, cui ingenij venam acceptã referret. Imò iam voti compos factus eſſe videtur, quod hiſce verſibus olim expreſſerat, lib. 11. epigram. 3.

At quàm victuras poteramus pangere chartas;
Quantáque Pieriâ prælia flare tubâ,
Cum pia reddiderint Auguſtum Numina terris,
Et Mæcenatem ſi mihi Roma daret.

Quis enim inficias eat reſtitutum Martiali in te Auguſtum, redditum Mæcenatem, cuius genio, à ſitu vindicata eius carmina, nulla obliuione, nullâ ſæculorum iniuriâ conterentur? Iam vero Πεντηκόνταρχος tuus quantæ lectionis, quantæ vtilitatis opus! Ne longiùs abeam, audi te ipſum, Fratrem tuum alloquentem de hoc *Libello*,

 Theolo

Epiſt. dedic. ad fratr. *Theologos reperies, Iureconſultos leges, Philoſophos intelliges: Denique omnis menſæ ferculum exhibetur.* Addis autem, quæ tua eſt modeſtia, *O vtinam ſuauiſſimum epulum!* Eſt profectò, ne dubita, LAVRENTI, Virorum Optime, liber iſte tuus exquiſitiſſimis dapibus inſtructum epulum, ad quod omnes omnis litteraturæ Principes, humaniſſimè à Te vocati, cœleſtis doctrinæ Ambroſiâ ac Nectare reficiuntur. Hiſce quinquaginta militibus feliciter ſtipatus *Pentecontarchus* ipſe, longè ſecurius, quàm ſi numeroſis Xerxis manipulis cingerêre, imperuias difficultatum quaſi arces propiciâ Mineruâ expugnas, quas tot iam ſæculis perſpicaciſſimi acuminis viri nequicquam obſederant. Taceo *Notas* lucis, antiquitatiſque plenas, quibus *Luitprandum*, & *Iulianum* illuſtraſti. De Te quippe exclamare mihi liceat cum aurea Muſarum propagine Statio, *Vir eruditiſſimus, & qui præcipuè vindicat à ſitu litteras iam penè fugientes.* Ad Stellam. Prætermitto *Conſilium*, & *Conſiliarium*, in quo luculentiſſimis coloribus Te ipſe inſcius depingis, vt vbi in æthereas oras tranſcriptus fueris, doctis omnibus fauſtum ſydus futurus, expreſſam aliquam, & ſpirantem indolis tuæ imaginem in terris relinqueres. Silentium ago de illa non tam *Legum*, quàm ingenij, ac eruditionis *Teſſera*, quâ qui munitus fuerit, æquitatis, ac virtutis velut vrbem adamantino muro circumdatam incolumis ſubibit. Prætereo *Schediaſma Epiſtolare*, in quo humaniorum litterarum cauſam ſecundiſſimis alitibus agis. Miſſa facio alia quamplurima monimenta quà Latino, quà materno idiomate concinnata, quæ vel iam cupido orbi impendiſti, vel mox impenſurus es. Obuerſabatur procul dubiò animo tuo, quod Romanæ eloquentiæ Coryphæus olim dixerat. Cic. Orat. pro Arch. *Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, aduerſis perfugium, & ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Rectiùs in Te quadrat, quod ait Eumenius Rhetor ad Præſidem Galliæ, *Tanto ſtudium litterarum fauore proſequitur, vt non minus ad prouidentiam Numinis exiſtimet pertinere benè dicendi, quàm rectè faciendi diſciplinam: & pro diuina intelligentia mentis æternæ ſentiat litteras omnium fundamenta eſſe virtutum; vtpotè continentiæ, modeſtiæ, vigilantiæ, patientiæ magiſtras.* Tu verò non modò menti tibi inſitam penitùs geris hanc tam ſpecioſam de Muſis opinionem, verùm etiam vt in reliquorum animis eadem exiſtimatio radices agat, omnibus neruis, ac ſanguine conaris. Et quanquam

Claud. panegyr. Theodoſij.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſoláque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi.

Nil

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen inuitam blandè veſtigat, & vltrò
Ambit honor. ——————

Teſtes ſunt acclamationes publicæ Tibi haberi ſolitæ; teſtes laudes, ac præconia, quibus Te doctiſſimus quiſque maximè effert, ſapientiam, & doctrinam tuam, vt prouirili parte enitaris, non magis occultari poſſe, quàm ſuffocari flammas, aut intra vnius fluminis alueum coerceri Oceanum. Nemo eſt ex omnibus quotquot hoc æuo vllius notæ monumenta prælis tradiderunt, exterus ſit, aut popularis, hoſtis, vel ſocius, qui à tuis libris tanquam à communi litterarum panoplia validiſſima ſubſidia non mutuetur. Te Theologus, Te Iuriſperitus, Te humanioris litteraturæ alumnus, Te hiſtoriarum indagator in Athæneis publicis, in priuatis ædibus cum ſummo omnium applauſu inuocat, appellat, implorat. Hic eruditionis veneres admiratur, ille facundiæ illecebras, alius felicitatem indolis, alius velocitatem, alter iudicij limam, alter indefeſſam ſtudendi cupidinem, non curis infractam, non intermiſſam negotiis: denique cum omnes Te collaudant, ſua cuique diuerſa laudandi materies, & argumentum ſuppeditat. Achati enimverò quàm ſimillimum dixerim Genium tuum, VIR donis omnibus cumulatiſſime; lapillus is eſt, in quo quicquid amœnitate figurarum conſpicuum, quicquid artificij venuſtate inſigne in ſpectabili hac mundi ſcena reperitur ſingulari luxuriantis naturæ ludo expreſſum cernes. Quid enim? Sunt cordi flumina? Profluit in Eridanum. Arrident fontes? In Helicona ebullit. Placent montium conuexa? Aſſurgit in Parnaſſum. Mauis camporum planitiem? Diffunditur in Tempe. Suauis eſt nemorum vmbra? Frondeſcit in Dodonęam ſyluam. Deſiderantur flores? Hybla eſt. Optantur fructus? Amaltheę cornu eſt. Expetuntur arbores? Eſt Alcinoi hortus. Denique cùm vnus ſit, fluuios, prata, animalia, lucos, floſculos, & fontes, iucunda planè, atque admirabili colludentium inter ſe colorum varietate repręſentat. Haud aliter omnes omnium Muſarum delicias, ac elegantias ſolus complecteris. Quippe in Te vnum cernere licet ſubtilitatem Dionyſij, grauitatem Platonis, eruditionem Ariſtotelis, eloquentiam Tullij, Iuriſprudentiam Vlpiani, iudicium Maronis, diſperſáque per pręſtantiſſima Reipublicæ litterariæ lumina doctrinæ lenocinia ſingulari naturæ, & induſtriæ beneficio coaluiſſe. Huc accedit Muſæum tuum Apollinis & Themidos verè ſacrarium, in quod ſelectiſſimos libros ſummis laboribus, ac impendiis conquiſitos ad æternum tui Nominis decus congeſſiſti. Huc tanquàm in portum ſecuriſſimum à negotiorum procellis ſemotus auidiſſimè confugis, vt iis

qui

Digitized by Google

qui de longè diſſitis regionibus velut commune Orbis oraculum Te conſulunt,reſponſa ſolatij,ac voluptatis plena reddas.O inexplebilem laborum ſitim! O immenſam de omnibus quàm optimè merendi cupiditatem! vix à forenſium cauſarum turbine ſecedis, cùm variarum de re litterariâ interrogationum fluctibus propemodùm obrueris: in quarum tamen difficultatum ſolutione animi requiem, ac ærumnarū panaceam repoſuiſſe videris. Hinc fit, vt recens à menſa ad libros euoluendos te cōferas; quod factitaſſe olim Hiſpaniæ noſtræ decus Latronem Porcium teſtatur Seneca hiſce verbis, *Poſt cœnam ferè lucubrabat, nec patiebatur alimenta per ſomnum, quietémque æqualiter digeri.* Vſque adeò Te delectat,& quaſi præſtigiis quibuſdam demulcet Muſarum Societas, quódque alios tædio, & dolore torquet, ſingulari

Pacat. Tibi mentem iucunditate perfundit. *Quid ni ego tuum otium aliorum negotiis anteuerto? Audio etiam, etiam credo ſæpe aliqua Te laborum tibi iniunxiſſe, & ne cōtraheres corporis veternum huiuſcemodi ſemper opere inſidiantis otij terſiſſe rubiginem. Sic agreſtes Curij, ſic nomina reuerentia Fabricij cum induciæ bella ſuſpendebant, inter aratra viuebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iouis Laureis triumphales viri ruſticabantur.* Nimirùm non aliud certius indicium reperiri poteſt ingenij propemodùm diuini, atque ad ſumma omnia nati, quàm laborum contemptor animus, & negotiorum turbini cedere neſcius.

Idem. *Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt: vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, vt maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit, ita tu continuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* Iam verò de forma tua imperio digna quid attinet dicere? Eximia eſt lineamentorum conformatio, colorum temperies egregia, & tantæ animæ par domicilium. Excubat in fronte maieſtas; ſedent in oculis geminæ amoris ſirenulæ, diffuſúſque per membra omnia virilis quidam, nec mollis decor, cunctorum in ſe animos, ac ora conuertit. Incubuiſſe mihi quidem videtur ſcientiſſimus ille rerum machinator politiore pollice ad corporis tui pulchritudinem, & omnibus artis quaſi calamiſtris luxuriaſſe:

Virg. lib. 1. Æneid.

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum Pariúſve lapis circumdatur auro.

Sed hactenùs præſtantiſſimas dotes, quibus tua Te quà indoles benigna, quà ſingularis induſtria excoluit, ſumma cum admiratione aſpeximus; nunc qui Tibi honores, quæ dignitates collatæ ſint, paucis videamus. Miſſus es Orator ad Ludouicum XIII. Galliæ Regem Chriſtianiſſimum; vt cum eo de grauiſſimis vtriuſque Regni negotiis pro tuâ prudentiâ tranſigeres. Credo equidem, Philippum noſtrum Hiſpaniarum Monarcham eiſdem verbis hanc Tibi prouinciā demandaſſe, quibus Theodoricus olim Gemelium in eaſdem terras delegauit:

Explo

Digitized by Google

Explorauimus efficaciam tuam per diuerſos induſtriæ gradus, ſed non imparem meruiſti gratiam, variis actionibus æqualiter approbatus. Caſſiod. var. lib. 3. ep. 16. *Hinc eſt, quòd præſenti tempore in Gallias Vicarium te* noſtrum *noſtra mittit authoritas: vnde perpende qualia de te videamur habere iudicia, quando ad tantos populos mitteris* componendos. *Læta eſt Principi gloria, & neceſſe eſt de illis ampliùs eſſe ſolicitum, vnde tibi triumphorum ſentit veniſſe augmentum. Age igitur mandata, ſi cupis in te proficere noſtra iudicia: turbulenta non ames, auara declina: vt talem te* Legatum *Prouincia ſuſcipiat, qualem* Hiſpanum *Principem tranſmiſiſſe cognoſcat.* Quis tibi tunc, ô Gallia, ſenſus, cum tantum, & talem virum per tuum Regnum ingredientem conſpexiſti! Hæſiſti, opinor, ſtupore, & admiratione defixa, quando eloquentiæ flumen, rationum pondera, ac momenta expendiſti, magíſque Hiſpaniæ hunc vnum Senatorem inuidiſſe te arbitror, quàm fœtas auro, & argento innumeras Indiæ venas. Atque vt adeò ſplendidum munus debito cum nitore, gloriáque obires, quatuordecim ampliùs aureorum millia ex propriis ſumptibus erogaſti. O inauditum continentiæ exemplar! Vnde alij argento, & auro onuſti reuertuntur, tu ære alieno oppreſſus redis. O incredibilem fidelitatem! vt magnificum apud exteram Gentem Regi nomen comparares, tot nomina in tabulas refers. O virum! *quem in ſumma eruditione, benignitate, honoribus, nulla in hanc diem hamarunt munera, nulla viſcauit gratia, vt neſcias humanior, doctior, prudentior, integrior in illa fortuna ſit.* Scribanius in Epiſtola Dedicatoria Politici Chriſtiani ad Reg. Philippum IV. Quid multa? Electus quoque es, vt in ſummo S. Claræ Conſilio Neapoli præſideres; ſed noluit Hiſpania ſuo damno experiri, quantopere præſentiâ tuâ indigeret. Manſiſti ergo totius regni votis, & propitio nobis Numine coactus. Quæ verò deinde munera, quantáque cum prudentia domi geſſiſti? Aliquoties ad publica omnium ciuitatum comitia deputatus acceſſiſti. Mox in Regij ærarij Senatu Conſiliarij, & Rationalis Maioris officio egregiè defunctus, in Indiarum, Cameræque earum & Belli conſilium cooptatus es: hinc ad ſupremum Caſtellæ, & Cruciatæ Senatum ſingulari omnium acclamatione euectus, & ad Conſilia de Millionibus, & Claſſe Indica, de Operibus publicis, & ſyluis admiſſus, eximium prudentiæ, & æquitatis ſpecimen exhibuiſti. Nimirùm dicta Tibi videntur à Magno Philippo noſtro aurea verba, *Curarum omnium pulcherrimam molem (quod proſperum Nobis, vtile Reipublicæ ſit) tuis humeris decenter imponimus, quam tu & ingenij virtute ſuſtineas, & ſumma fide tractare contendas.* Caſſiod. lib. 6. var. Ep. 3. *Quæ quantùm diuerſis ſolicitudinibus conſtringitur, tantò magis laudes ampliſſimas dignitas hæc triumphat: & ideò tantùm lumen gloriæ ſit actionibus veſtris, vt & in palatio noſtro fulgeat, & in Prouinciarum longinquitate reluceat.* Ecquis autem pro dignitate explicare queat prudentiam tuam admirabilem, ſummam æquitatem, ſingularem clementiam, integritatem

eximiam

Digitized by Google

eximiam, cæteráſque animi dotes, ac virtutes, quarum luculentiſſimo ſplendore non modò Europam totam, verùm orbem etiam vniuerſum colluſtras? Enimverò ſi Reſpublica noſtra Templum eſt, tu Ara; ſi annulus eſt, tu gemma; ſi oculus eſt, tu pupilla; ſi corpus eſt, tu anima; denique ſi Reſpublica Lyra eſt (vt de mundo Sineſius ait,) tu chordas temperas, moderaris pollicem, ſuauiſſimum melos, ac dulciſſimam harmoniam elicis. Non veſana honoris cupido, non inexplebilis diuitiarum fames, non adulatio, non timor à veritatis ſemita Te auertit, ſed quà religio, ac æquitas, quà ratio, & ſuſcepti muneris officium ire ſuadet, animoſus viam carpis, tam blanditiis flecti indocilis, quàm minis infringi ignarus. Ad Te confugiunt tanquam ad præſentiſſimum quoddam Numen ſummi pariter, ac infimi, opulenti iuxta, & egeni, vt vel rebus afflictis ſolatium quærant, vel ſecundis, & proſperis firmamentum. Si quid negotij incidat, ad quod peragendum eruditione, ac litteris opus ſit, eæ partes Lavrentio protinus deferuntur. Miratur etiamnum Hiſpania tota arcus illos Pyramidum faſtu ſuperbiores tua induſtria, & labore nuper erectos, cum Sereniſſima Regina noſtra Marianna Auſtriaca per Matritenſia compita ad Palatium Regium deduceretur, quo tempore mihi quidem videris de priſca Romanorum arrogantia, ac pompa triumphum quendam egiſſe. Atque ne quis fortè exiſtimet, Te vnum eſſe ex Ramireſia, Pradanáque Familia, qui tot, ac tantis ſiue naturę dotibus, ſiue donis fortunæ inter mortales emines, gemini tibi ſunt Fratres, alter quidem Dominus D. Fr. Marcus Ramirez de Prado in noua Hiſpania Antiſtes Mechoacenſis, alter verò Dominus D. Alfonſus Ramirez de Prado in Patrimonij regij Conſilio Senator, ambo prudentia, ac pietate inſignes, & vt ſummatim dicam, Te fratre digni; Atque vt cum Claudiano.

In panegyri de Conſulatu Probini, & Olybrij.

His neque per dubium pendet fortuna pauorem,
Nec nouit mutare vices, ſed fixus in omnes
Cognatos procedit honos, quemcumque requires
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci.

Quæ cum ita ſint, Illvstrissime heros, cumque tantis eruditionis, & honoris ornamentis præditus ſis; perfrictæ frontis videbatur opellam hanc Tibi dedicare. Cæterùm cùm apud animum reputarem meum, quantâ beneuolentiâ Societatem noſtram amplectaris, ingrati animi notam mihi inurendam eſſe putabam, ſi librum hunc in bono lumine poſiturus, tui Nominis lucem illi non præfigerem. Adde huc ſingularem amorem, quo tum fratres meos, tum colendiſſimum mihi Parentem proſequutus es, quem tanto Phœbo tam familiariter vtentem neutiquam ſanè miror, quà eximia eruditione, ac bonis litteris, quà variarum linguarum notitia enituiſſe;

cuius

Digitized by Google

cuius rei ſpecimen non obſcurum exhibet vernacula eius Thalia, qua feliciter aſpirante poëmata nonnulla in lucem edidit. Et quanquam me ſeueriores Theologiæ leges per amæna humaniorum litterarum vireta diuagari plerumque non ſinunt, ne dum Theologis morem gerere velim, incultam ipſorum penulam aſpernari videar: paſſim tamen nonnulla orationis pigmenta, ac floſculos aſpergo, quorum virore ingratus ſtyli horror miteſcat: Tu verò, qui & ſublimiores iſtas facultates pleno ore deguſtaſti, & cuncta eruditionis blandimenta apprimè calles, vtriuſque generis dapes in hoc volumine offendes, vti ſpero, non inſipidas, aut iniucundas. Accipe igitur, ô Hiſpaniæ Apollo, in obſequij teſſeram, in venerationis pignus haſce lucubrationes meas, memor illorum Carminum, quibus Papinius olim Gallicum admonuit,

Syluar. l. 1. in Soteriis pro Rutilio Gallico.

——— *Nec tu, quando tibi, Gallice, maius*
Eloquium, fandíque opibus ſublimis abundas;
Sperne coli tenuiore lyra; vaga cingitur aſtris
Luna, & in Oceanum riui cecidere minores.

Viue inter mortales diutiſſimè; & in Empyreo æternùm, immortalibus additus Cælicolis.

Dominationi tuæ,

Deditiſſimus ſeruus, & diſcipulus

GABRIEL DE HENAO.

Facultas R. P. Prouincialis Caſtellanæ Prouinciæ.

EGO Franciſcus Antonius Cabezon Prouincialis Societatis Ieſu in Prouincia Caſtellana, poteſtate ad id mihi facta à R. admodùm P. N. Vincentio Carrafa Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt Tomus, cui inſcriptio *Empyreologia ſeu Philoſophia Chriſtiana de Cœlo Empyreo*; compoſitus à P. GABRIELE DE HENAO noſtræ Societatis, Sacræque Theologiæ Profeſſore, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu & ſigillo noſtro munitas dedimus. Oueti, in Collegio noſtro S. Mathiæ, die vigeſimaquinta Maij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIONES DOCTORVM.

REVERENDI PATRIS GABRIELIS DE HENAO Societatis IESV perluſtratam à nobis inſcriptis Doctoribus Almæ Facultatis Pariſienſis *Empyreologiam* tamquam bonis moribus & Doctrinæ Ortodoxæ conſonam probauimus Lugduni die 31. Ianuarij 1652.

Fr. PAVLVS LOMBARD. *Prouinc. Carmel.*

Fr. CYRILLVS MOREL, *Carmel. Lud. Prior.*

Approbatio Provicarij Generalis.

ANNVIMVS Nos etiam cum prædictis Magiſtris vt *Empyreologia* R. P. GABRIELIS DE HENAO typis prodeat, Lugduni prima Februarij 1652.

DE-VILLE *Vic. Gen. Subſtit.*

Conſenſus

Digitized by Google

Conſenſus Procuratoris Regij.

VISA Doctorum approbatione, Ego infraſcriptus Regio nomine non impedio quin hic liber à PHILIPPO BORDE, LAVRENTIO ARNAVD, & CLAVDIO RIGAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus excuſus in lucem prodeat, cum defenſione tali caſu requiſita & ſolida. Actum Lugduni die prima Februarij 1652.

LORIN.

PERMISSIO.

ITA & me non diſſentiente fiat, Lugduni die prima Februarij 1652.

SEVE.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM

Exercitationum, & Sectionum; quæ in ſecunda Empyreologiæ parte continentur.

LIB.V. EXERC. XVI. DE Influentiis Empyrei. pag. 3
De Influentiis Empyrei in alia corpora cæleſtia; & ſublunaria. ibid.
Sect. 1. Recenſentur patroni, & proponuntur argumenta ſententiæ negantis influxum Empyreo in alia corpora cæleſtia, & ſublunaria, ibid.
2. Recitantur Authores, & in medium producuntur fundamenta ſententiæ concedentis influxum, p. 4
3. Prioris ſententiæ exarmantur rationes, p. 6
4. Poſterioris ſententiæ informantur argumenta, & tam poſterior, quàm prior relinquitur in medio, p. 7
5. Refutantur variæ opinationes de influxu Empyrei in alia corpora cæleſtia, pag. 8.
6. Repudiantur variæ opinationes de influxu Empyrei in res ſublunares, pag. 10
7. Profertur exploratoria quædam, & tentabunda cogitatio de influxu Empyrei in alia corpora cæleſtia, & ſublunaria, p. 12
8. Opponuntur, & enodantur quinque argumenta contra præcedentem cogitationem. p. 13
9. Soluitur aliud argumentum ordine ſextum. Et diſcutitur, an idem effectus poſſit ſimul produci à duplici cauſa adæquata in actu ſecũdo? p. 14
10. Iudicium de prætentato influxu Empyrei ex abundanti? p. 23
LIB. VI. De Incolis Cœli Empyrei? p. 24
Ex. XVII. De Deo Optimo, & Maximo, vt Empyrei nobiliſſimo Incola, & Imperatore. p. 24
Sect. 1. Oſtenditur ex ſacris Litteris, & prophanis, Cœlum eſſe præcipuum Dei domicilium, p. 25
2. Qua ratione ſit Deus peculiariter incola cœli Empyrei p. 25
3. Obiectionum quarundam nubeculæ diſpelluntur, p. 27
4. An Deus ex tam peculiari titulo ſit præſens Empyreo, vt ſi fingeretur, non eſſe immenſum, neque intimè adſtare telluri v.g. deberet tamen Empyreo non abeſſe. p. 28
Ex. XVIII. De Chriſto IESV Humani Generis Vindice vt Empyrei Incola, & Rege, p. 28
Sect. 1. An Chriſtus ſit prætergreſſus Solis ſphæram, dum aſcendit in cœlum? pag. 29
2. An Chriſtus aſcenderit, & exiſtat ſupra Empyrei conuexam ſuperficiem, an ſupra eminentiorem partem regionis mediæ? Vbi de Beatis aliis hominibus, p. 30
3. An Chriſtus exiſtat intra cœlum aliquod deputatum ſingulariter ſibi? An ſaltem in vero aliquo throno Cœli Empyrei? p. 37
4. An Chriſtus receſſerit aliquando, & an recedet poſthac per breue aliquod tempus ab Empyreo ante diem extremi Iudicij? p. 39
5. Superioris doctrinæ occaſione tractatur, num idem corpus poſſit diuinitus exiſtere circumſcriptiuè in duobus, aut pluribus locis adæquatis. p. 42
6. An Chriſtus ante ſolemnem Aſcenſionem

ſionem in Empyreum aſcenderit latenter in ipſum duodecimo ætatis anno? p.47
7. An Chriſtus aſcenderit priuatim in Empyreum ſimul cum bono Latrone? p.48
8. An Chriſtus ante ſolemnem Aſcenſionem in Empyreum aſcenderit occultè in ipſum iam rediuiuus? pag.52
9. Fueritne Chriſtus ex hominibus primus empyrei incola, p.52
10. Expeditur Obiectio petita ex tranſlatione Henochi,& Eliæ, p.56
11. Diluitur alia obiectio deſumpta ex Moyſis anima,& corpore. p.61
12. Soluuntur variæ aliæ obiectiones ex ſacris Litteris, p.63
13. Explicantur Scriptores aliqui Eccleſiaſtici,& referuntur hæretici, qui à veritate Catholica in præcedentibus ſtabilita deuiarunt. p.65
14. Satisfit nonnullis argumentis à ratione, p.67
15. An ſi Deipara Virgo priùs, quàm Chriſtus, obiiſſet, aſcendiſſet in empyreum anima ipſius? p.67
Ex. XIX. De Virgine Deipara, vt empyrei incola,& Regina, p.71
1. Deiparæ Virginis anima incolit empyreum? An ad illud aſcenderit mox, vt ſeparata eſt à corpore? p.72
2. Virgineum corpus rediuiuum, ac glorificatum exiſtit iam in cœlo, p.73
3. Virgineum corpus non eſt tranſlatum ad paradiſum terreſtrem, p.77
4. An Virgo Deipara reſurrexerit anticipatè ex merito perſonæ, vel ex mera prærogatiua ſingulari, p.78
5. An Deiparæ corpus reuixerit in ſepulchro, vel in empyreo? p.80
6. An quoties celebratur Anniuerſaria dies Aſſumptionis ſubleuentur pœnis damnatæ animæ? p.84
7. De materiali throno Deiparæ in empyreo, & de eminentiſſimo loco, quem poſt Filium occupat, p.85
8. De Regio Diademate Virginis in Empyreo, p.86
Ex. XX. De Angelis vt Empyrei incolis, p.89
Sect. 1. Comprobatur ex ſacris, & prophanis monumentis, nec non ex rationibus, cœlum eſſe beatorum Angelorum domicilium, p.89
2. An Angeli omnes fuerint à ſua creatióne incolæ cœli Empyrei? p.90
3 Argumenta pro Angelorum in Empyreo creatione enodantur. p.92.
4. Quandonam Angeli fideles conſulerint ſe in empyreum? pagin. 95
5. An Dæmonibus patuerit aliquando aditus ad Empyreum? p.95
6. An beati Spiritus Angelici,& Animaſtici habitent intra regionem mediam Empyrei, vel ſuprà eius conuexam ſuperficiem? p.97
7. Infertur ex proxima doctrina, beatos ſpiritus Angelicos, & Animaſticos nunquam exiſtere abſolutos ab omni loco extrinſeco imaginario. Quæritur, an ipſi, quantùm ex ſe eſt, poſſent naturaliter ſe abſoluere; vel an ſaltem Deus poſſet miraculosè id præſtare? p.100
8. An Angeli beati, qui ſunt motores cæleſtium ſphærarum, habitent intra, vel infra Empyreum? p.106
9. An aliquis ex Angelicis Incolis ſit cuſtos Empyrei? p.108
10. An Angeli beati commorantes in Empyreo operentur aliquid erga illud? ibid.
11. An Angeli beati habeant gloriam accidentalem, ſeu quaſi ſenſus, à cœlo Empyreo, vel ab eius luce, ſicut Dæmones patiuntur ab Inferno, vel ab eius igne? Vbi de pœna Dæmonum ab igne. p.119
12. Quotus ſit Angelorum Empyreum incolentium numerus? p.131
Ex. XXI. De animabus vt Empyrei incolis ante generalem corporum reſurrectionem. p.133
Sect. 1. Statuitur ex ſacris Litteris exiſtentia beatarum animarum in cœlo ante generalem corporum reſurrectionem, p.134
2. Teſtimoniorum Scripturæ Sanctæ, quæ obſtare videntur, explicatio. pag.136
3. Comprobatur ex Conciliis, & ſummorum Pontificum decretis eadem doctrina Catholica. p.137
4. Eccleſiaſticæ aliæ Authoritates afferuntur. p.139
5. Exiſtentia beatarum animarum in cœlo, eóque Empyreo, ſuadetur rationibus. p.140
6. Diluuntur rationes, quæ videntur poſſe obiici. p.143
7. Elucidatur ex prophanis litteris exiſtentia beatarum animarum in cœlo. ibid.
8. Prima claſſis Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui cùm Sanctorum animas exiſtere iam in cœlo affirment, de viſione Dei iam habita iudicant, aut indicant

ſecùs. Præmittitur ad Lectorem monitio de iis, quæ in Patribus nonnullis minus benè ſonantia aliquando deprehenduntur. p.145

9. Secunda claſſis eorum, qui cùm tradant, Sanctorum animas ante diem Iudicij donari cœleſti ſede, & beata viſione; exprimunt tamen, aut innuunt, commorari aliquandiu in aliis locis, & ſine beata viſione. p.147

10. Tertia claſſis eorum, qui inſinuant, Sanctorum animas pergere in cœlum, ſed diuertendo ad paradiſum terreſtrem. Tractatur de earum celeritate in motu ad cœlum, & de inſtanti, quo beatam obtinent viſionem. p.149

11. Quarta claſſis eorum, qui ſignificare videntur, ineuitabilem eſſe Sanctorum animabus digreſſionem ad ignem Purgatorij, p.150

12 Quinta claſſis eorum, qui tradere videntur, Iuſtorum aliquorum animas detineri in loco quodam ſine cruciatu ab igne, antequam perueniant ad cœlum. Agitur de Purgatorio Deſiderij. ibid.

13. Sexta claſſis eorum, qui Sanctorum animas vſque ad diem Iudicij ſine viſione beata intra paradiſum terreſtrem commoraturas ſignificant. p.151

14. Septima claſſis eorum, qui Sanctorum animas aut in Inferis, aut in alio ſubcæleſti loco ſine viſione beata cuſtodiendas vſque ad diem Iudicij pronuntiant. p.155

15. Octaua claſſis eorum, qui cùm ſileant de loco, in quo exiſtunt ſanctorum animæ, videntur denotare, eas non beari ante diem Iudicij. p.158

16. Recenſentur qui ante, & poſt definitionem Benedicti Papæ XII. à veritate deuiarunt, & in hæreſim ſunt lapſi, cùm in aliis materiis eſſent Hæretici, p.159

17. Quî ſe geſſerit Ioannes Papa XXII. in Controuerſia de beatitudine, & habitatione ſanctarum animarum in cœlo ante diem Iudicij? p.160

18. An præter beatas animas aliæ ad tempus exiſtant aliquando in Empyreo. p.162

19. Quotus erit numerus animarum inhabitantium Empyreum? An plures illud incolent, quàm Infernum, & Limbum puerorum? Num tot fœminarum, quot virorum animæ manebunt in Empyreo? p.163

Ex.XXII. De nonnullis, præter Chriſtum, & Deiparam, incolis Empyrei, in corporibus glorificatis ante generalem reſurrectionem, p.164

Sect.1. An ſancti, qui Chriſto reſurgente reſurrexerunt, incolant Empyreum in corporibus glorificatis? ibid.

2. Quinam ſint ſancti, qui Chriſto reſurgente reſurrexerint, & aſcendente aſcenderint in Empyreum, maneántque ibi cum corporibus glorificatis, p.168

3. An S. Ioannes Euangeliſta in corpore glorioſo incolat Empyreum? p.177

4. An alij in corpore glorioſo incolant iam Empyreum? p.179

5. An de cætero Henoch, & Elias ante generalem reſurrectionem incolent Empyreum in corporibus glorificatis? Et an in non glorificato raptum eſſe in illud ad tempus S. Paulum, colligatur ex ſacra Scriptura? p.180

6. Num Deipara Virgo poſt aſcenſionem Chriſti in Empyreum rapta ſit illuc aliquando cum corpore mortali? Num ſpecies Sacramentales Euchariſticæ illuc etiam transferantur interdum? p.181

Ex.XXIII. De hominibus vt Empyrei incolis in anima, & corpore glorioſis poſt generalem reſurrectionem, p.182

Sect.1. Firmatur ex ſacris Litteris Catholica veritas de hominum beatorum in cœlo habitatione poſt generalem reſurrectionem. p.182

2. Firmatur ex rationibus eadem Catholica veritas. p.183

3. Subinfertur habitatio beatorum hominum in Empyreo: & errores aliqui contra eam notantur, p.184

4. Patres aliqui neſcio quid indicantes de exiſtentia omnium Iuſtorum, vel quorundam poſt reſurrectionem in alio loco, quàm cœleſti, & empyreo, referuntur. p.185

5. Recenſentur Patres alij, qui ſimile quid innuunt, p.186

6. Memorantur incidenter Scriptores, qui adultis nonnullis Gentilibus rediuiuis habitationem concedunt in loco diuerſo ab Empyreo, & Inferno. Firmatur ampliùs ex ſacris Litteris, & Patribus, ac rationibus exiſtentia rediuiuorum hominum vel in Empyreo, vel Inferno. ibid.

7. Huma

Digitized by Google

7. Humanorum corporum in cœlo exiſtentia comprobatur ex prophanis litteris. p.188
8. Quem ſitum habebunt in Empyreo homines glorificati? p.190
9. An locorum ordinem ſeruabunt in Empyreo homines glorificati? pag.192
10. De particulari locorum ordine, quem glorificati homines habebunt in Empyreo. p.195
11. De amplitudine ſpatij, in quo exiſtent frequenter glorificati homines? pag.199
12. Occurritur tribus difficultatibus circa amplitudinem theatri Beatorum in Empyreo. Tractatur de amplitudine Inferni, & Paradiſi Adamici. p.200
LIBER VII. De aliis corporibus, præter humana, exituris in Empyreo, pag.202
Ex.XXIV. An Euchariſtia aſſeruanda ſit in Empyreo poſt mundi conſummationem? ibid.
Sect.1. Proponuntur dubitandi rationes. ibidem.
2. Præponitur negatiua pars, p.203
3. Occurritur dubitandi rationibus. pag.205
Ex.XXV. An Chriſti Domini Crux, & alia Paſſionis inſtrumenta ſint in Empyreo conſeruanda poſt magni Iudicij diem? p.207
Sect.1. An Crux ipſa in qua Chriſtus obiit, manifeſtanda ſit in magni Iudicij die. ibid.
2. Statuitur, ipſam Crucem, in qua Chriſtus obiit, conſeruandam in Empyreo poſt magni Iudicij diem. pag. 208
3. Paſſionis Dominicæ alia inſtrumenta conſeruanda in Empyreo poſt magni Iudicij diem, firmo caret fundamento, p.209
Ex.XXVI. An Angeli in Empyreum inferant extranea corpora aſſumpta quandoque ab ipſis? p.210
1. An Angeli in Empyreo aſſument quandoque corpora? ibid.
2. Corpora in Empyreo aſſumpta ab Angelis non erunt ex materia extranea, ſed ex Empyrea. p.211
Ex.XIX. An Beati homines in Empyreo inferent veſtes corporeas ex materia extranea confectas? p.212
Sect.1. An beati homines vtentur veſtibus in Empyreo? ibid.
2. An beatorum hominum veſtes in Empyreo erunt ex materia extranea? p.214
LIB.VIII. De externis, & internis materialibus actionibus incolarum Empyrei? p.216
Ex XXVIII. De viſu corporeo glorificatorum hominum. ibid.
Sect.1. An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum per viſionem corpoream à glorificato viſu, ſi hic ſit futurus idem omninò, ac modò? p.217
2. An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum à glorificato viſu per ſpiritualem perceptionem? p.223
3. An ſi ſit futurus diuerſus à mortali viſus glorificatus percipiet Deum in ſe ipſo? p.224
4. Occurritur ſex obiectionibus à ratione contra viſionem Dei ab oculo glorificato, qui ſit diuerſus à mortali? p.227
5. Diluuntur ſex aliæ obiectiones. p.230
6. Eneruantur aliæ ſex. p.235
7. Aliæ ſex infirmantur. p.237
8. Sacræ Scripturæ, Patrum Eccleſiæ, & Theologorum authoritas expenditur; & dirimitur quæſtio. p.241
9. Præſtantiſſimum obiectum viſionis corporeæ erit Chriſtus, vbi de pulchritudine corporis Chriſti. p.244
10. An cuncti beati homines conſpicient ſemper humanitatē Chriſti? p.247
11. An Beatis, ſi præditi ſupponantur ſpeciebus impreſſis, quibus ſemper intueri valeant Chriſti humanitatem, liberum adhuc ſit continuare, vel non continuare eius viſionem? p.248
12. Nobilius obiectum viſionis corporeæ erit poſt Chriſtum Deipara Virgo. Vbi de pulchritudine Virginis. p.251
13. Viſionis corporeæ obiecta Angeli in aſſumptis corporibus, & conciues Empyrei in propriis. p.254
14. Viſionis corporeæ obiecta cæleſtes ſphæræ, p.257
15. Viſionis corporeæ obiecta elementa. An fortè aliqua mixta in terra. Agitur etiam de rediuiuis pueris, qui cum peccato originali obierunt. pag.261
16. Eruntne viſionis corporeæ obiecta Damnati exiſtentes in Inferno? pag.265
Ex.XXIX. De auditu glorificatorum hominum, p.271
Sect.1. An beati homines audient in Empyreo alios loquentes? p.271

2. Oble

Digitized by Google

2. Oblectamentum ex auditu captum agnouere in Beatis antiqui Poëtæ, & Philoſophi. p.274
3. Quanam lingua loquentes audient ſe mutuò Beati? p.275
4. An Beati erunt in continuo audiendi exercitio? Et an audient concentus Muſicos, aliósque ſonos præter vocales? p.279
5. Occurritur duplici obiectioni. p.280
Ex.XXX. De olfactu glorificatorum hominum, p.281
Ex.XXXI. De guſtu glorificatorum hominum. p.283
Ex.XXXII. De tactu glorificatorum hominum, & nonnullis difficultatibus communibus ipſi, aliiſque ſenſibus. p.286
*Sect.*1. Adſtruitur exercitium tactus in Empyreo, & multiplex eius obiectum, ibid.
2. An Beati inuariatis actibus, & ſimul ac ſemper percipient omnia ſua obiecta per ſenſus externos? p.289
3. An Beati per ſpecies infuſas externis ſenſibus percipient obiecta non exiſtentia? ibid.
4. An Beatorum externi ſenſus elicient actus intrinſecè ſupernaturales? Vbi de luce glorificatorum corporum. p.293
5. Difficultates confertæ circa ſenſuum externorum operationes proponuntur, & examinantur. p.298
Ex.XXXIII. De motu locali glorificatorum hominum. p.306
*Sect.*1. An Beati mouebunt ſe localiter intra Empyreum? An etiam extra? ibid.
2. An Beati agent choreas in Empyreo? p.309
3. Breuiariæ rationes quæſtionum de motu locali beatorum hominum in Empyreo, p.315
Ex.XXXIV. De internis actionibus materialibus glorificatorum hominum. p.333
*Sect.*1. Beatorum hominum interni ſenſus non manebunt otioſi. ibid.
2. Beati homines non carebunt appetitu ſenſitiuo. Explicantur eius actus. p.335
Clauſula Empyreologiæ. ibid.

PARS

Digitized by Google

PARS SECVNDA
EMPYREOLOGIÆ,
SEV PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
DE COELO EMPYREO.

ABSOLVTA iam primà parte; in qua ad amuſſim examinaui ea, quæ pertinent ad Empyreum intrinſecè, vt eſt in ſe, ſecundùm eſſe ſubſtantiale, & accidentale, progredior ad ſecundam; in qua exactè diſcutiam ea, ad quæ ſe habet extrinſecè, tum quà eſt operatiuum tranſeunter, tum quà eſt locus corporeus. Et quia, vt inquit Tullius libr. 5. de finibus, *in ipſis illis rebus, quæ diſcuntur, & enarrantur, inuitamenta ſunt, quibus ad ea, quæ ſuperſunt, diſcenda, & cognoſcenda mouemur*, ſubit animum ſpes, priori operis parte inuitatum Lectorem acceſſurum ad poſteriorem hanc, vt quæ de Empyreo reſtant, diſcat, & cognoſcat ex monumentis ſacræ Scripturæ, Patrum, ac Theologorum à me conquiſitis. Id enim tantum mihi tribuere in hoc opere & res ipſa cogit, & iuſtus timor, ne quod in Origenem iactauit Antipater Boſtrenſis apud S. Damaſcenum in Eclogis lit. A. titul. 75. quiſpiam in me contorqueat, *Quiſnam Moſes, aut Paulus, ſiue quis alius Prophetarum, & Apoſtolorum tam accuratè de omnibus, quæ :::: ſuprà cælum* (ſydereum) *ſunt, cum omni autkoritate diſputare, ac docere potuit*? Et ſanè vel monumenta illa indagare, *tótque Authorum diſperſa volumina vno codici indita oſtendere : : : res nobis difficillima, imò magis impoſſibilis videbatur. Sed manibus ad cælum erectis, & æterno auxilio inuocato, eam quoque curam noſtris repoſuimus animis, Deo freti, qui & res penitus deſperatas donare, & conſummare ſuæ virtutis magnitudine poteſt.* Quæ ſunt verba à Iuſtiniano Imperatore in leg. 1. §. *Hócque opere* 2. Cod. de veter. iur. enuc. mutuata. S. Auguſtinus lib. 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 21. carpit Philoſophos Gentiles, quòd *deſertis virtutibus, & neſcientes, quid ſit Deus, & quanta maieſtas ſemper eodem modo manentis na-*

Digitized by Google

turæ , magnum aliquid ſe agere putant , ſi vniuerſam iſtam corporis molem , quam Mundum nuncupamus , curioſiſſimè , intentiſſiméque perquirant. Vnde tanta etiam ſuperbia gignitur, vt in ipſo cœlo, de quo ſæpe diſputant , ſibimet habitare videantur. At nos in primis Dei Optimi, ac Maximi venerantes Maieſtatem , & Virtutum colentes decorem , quà ratio naturalis , multóque potiùs quà Chriſtiana fides facem præfert , proſequimur magna animi ſummiſſione inceptas de cœlo Empyreo diſſertationes , non vana curiſiotate ducti , ſed ſincero affectu explorandi eminùs, vt qui noſcamus humi nos ſerpere , Cœleſtem locum deſtinatum eis, quos æquus amauit Deus,

Aut ardens euexit ad æthera virtus.

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

DE INFLVENTIIS EMPYREI.

CVM Eſſe dictitetur, putetúrque communiter directum ad Operari, & à nobis fuerit diligenter conſideratum Empyreum penes eſſe ſubſtantiale, & accidentale; ſcrutari modò oportet, ſitne verè vtrumque eſſe Empyrei propter operari? & quo pacto? Horum indagatio erit opus, & labor totius libri quinti, ſed quem vnica Exercitatione abſoluemus.

EXERCITATIO DECIMASEXTA.

De influentiis Empyrei in alia corpora cæleſtia, & ſublunaria.

VIRTVS operatiua Empyrei poteſt eſſe vel erga corpora cæleſtia, vel erga ſublunaria, vel erga vtraque. Agam in primis de virtute tranſeunter operatiua erga vtraque. Deinde decernam, quid ſit illud, quod erga vtraque fit ab Empyreo.

SECTIO PRIMA.

Recenſentur Patroni, & proponuntur argumenta ſententiæ negantis influxum Empyreo in alia corpora cæleſtia, & ſublunaria.

1 DVPLEX eſt ſententia extremè oppoſita circa influxum Empyrei: alia namque negat; alia affirmat. Pro negante ſtant Autiſiodorenſis lib. 1. ſummæ cap. 16. q. 3. Alenſis 2. p. q. 47. membro 1. Aureolus in 2. diſt. & art. 3. Gabriel ibidem diſt. 14. q. vnica art. 3. dub. 1. Albertus in 2. etiam diſt. 2. art. 5. licèt lib. de quatuor coæuis q. 4. art. 14. aliter ſenſerit. Abulenſis in Paradoxo 5. cap. 167. & in cap. 23. Exodi q. 53. Spiera in Quadrageſimali de floribus ſapientiæ, ſermon. 41. part. 3. concluſ. 2. Ioannes Rusbrochius de vera contemplatione cap. 30. Etſi contrarium innuat lib. 2. de Nuptiis ſpiritualibus cap. 52. Malonius in 2. diſput. 7. ſect. 6. Eſcalante in Clypeo Concionatorum lib. 8. cap. 3. Parauiſinus in ſermone de Viſitatione Virginis §. 1. Peſantius in 1. 2. q. 4. art. 8. d. 1. Libertus Fromundus in Veſta tract. 6. cap. 2. Ioannes Baptiſta Perſona Noctium ſolitariarum in Odyſſea Homeri colloquio 23. Petrus Hurtadus diſp. 2. de cœlo ſect. 6. §. 66. Auerſa q. 35. Philoſophiæ ſect. 5. Arriaga tomo 2. in 1. p diſp. 29. ſect. 2. ſubſect. 3. De S. Thoma poſteà dicetur in ſect. ſequenti.

2 In iſtius ſententiæ fulcimentum conficiuntur hæc argumẽta. Primum: Non eſt factum Empyreum propter productionem, & conſeruationẽ rerum cœleſtium, ac ſublunarium; ſed propter beatitudinem ſupernaturalem corporum præcipuè glorificandorum[1]: atque adeò ſi Deus non eleuaſſet naturas creatas rationales ad ſtatum ſupernaturalis beatitudinis, non condidiſſet illud, ſine quo tamen maneret perfecta machina mundialis. Quapropter illud fuit incognitum Philoſophis antiquis, quibus

diuinarum literarum nullus radius affulſit. Ergo Chriſtiana Philoſophia nullam ei operationem debet tribuere in cæleſtia, & ſublunaria; cùm neque ex parte ipſius, neque ex parte cæleſtium, & ſublunarium appareat neceſſitas influxus ab ipſo præſtiti. Et videtur eſſe magis è dignitate Empyrei, ſi ſe non immiſceat in gubernatione mundialis machinæ ſibi ſubiectæ. Confirmatur à ſimili ſupercæleſtium aquarum, quibus Chriſtiani Philoſophi (loquor de cenſentibus eas eſſe veras, & naturales aquas ob ſynceram ſacrarum literarum interpretationem, pro qua vehementer dimicat Franciſcus Feuardentius in Appendice aduerſùs hæreſes, libr. 1.) nullam tribuunt operationem in cælos mobiles, neque in elementa. Confirmatur iterùm exemplo ignis Tartarei deſignati in ſupplicium Damnatorum, ideóque ad nullum alium vſum deſeruientis in Vniuerſo. Ergo cum Empyreum ſit deſtinatum in præmium, & gloriam Beatorum, neutiquam conducet ad alios vſus in Vniuerſo.

La prouidentia che cotanto aſſetta Del ſulume fa'l ciel ſempre quieto, Nelqual ſi volge quel c'ha maggior fretta. Sic *Florentinus Poëta inſignis, qui edidit opus egregium, cui ſimile in vulgari non habetur, eximia ſcientia, & eloquentia maternalis.* Hoc elogio cōmendatur à S. Antonino 3. p. Hiſt. tit. 21. c. 5. §. 2. florebat Dātes circa annum 1322.

3 Secundum; Nullum corpus non motum, mouet, vt docet Ariſtoteles libr. 7. Phyſicorum cap. 1. à textu 3. Sed Empyreum eſt immotum vt cecinit Dantes Aligerius in Cantu 1. de Paradiſo: ergo Empyreum non mouet alia corpora per influentiam ab ipſo exhibitam. Confirmatur, ex cælo ſydereo, ſeu ex aſtris, quæ ſi ceſſent à motu, non influent in tranſmutationem ſubſtantialem, aut accidentalem corporum inferiorum: Ita S. Thomas 2. de cælo lectione 4. l. 3. contra Gentes cap. 82. Quodlibeto 7. artic. 11. in 1. diſtinct. 8. quæſt. 3. art. 1. ad 3. in 2. diſtinct. 11. quæſt. vnica artic. 6. ad 3. quæſt. 5. de Potentia, artic. 8. quæſt. 3. de Malo artic. 2. nec non 1. part. q. 115. artic. 3. quem Thomiſtæ denſo ſequuntur agmine. Confirmationem hanc adeò robuſtam cenſet Auerſa, vt dicat, *Illi, qui volunt cælos ita operari per motum, vt ceſſante motu nihil operari valerent, debebant ex hoc capite negare omnem operationem cælo Empyreo; & alioquin non conſequenter philoſophati ſunt.* Conimbricenſes lib. 2. de cælo cap. 3. quæſt. 4. artic. 2. vtuntur exemplo Empyrei influentis, etſi immotum ſit, vt probent, poſſe aſtra agere formas ſubſtantiales, & accidentales, quantumuis ceſſent à motu. Petrus Hurtadus ſuprà ſect. 4. §. 55. inquit, ferri poſſe idem iudicium de influxu cæli ſyderei immoti, ac de influxu Empyrei immoti, congruè ad opinionem S. Thomæ. Ferrarienſis in 2. contra Gentes cap. 65. vt vitet contradictionem in Angelico Magiſtro, vult ab eo conceſſam ſolùm Empyreo actionem diffuſiuam ſuæ ſimilitudinis; ſed ille quidem aliam actionem intendit, vt perſpicuè conſtabit in numer. 32. & 41.

4 Tertium: Modò non ſe habet aliter Empyreum quoad defectum motus, ac ſe geret cælum ſydereum poſt diem Iudicij: Ergo ſimiliter non ſe habet nunc aliter quoad influentiam, ac ſe geret cælum ſydereum poſt diem Iudicij. Sed cælum ſydereum carebit tunc influxu deſeruiente generationibus corruptionibúſque rerum: Ergo & nunc eius expers erit Empyreum. Confirmatur, quia ſi empyreum modò influat in cælos, & elementa, influet etiam poſt diem Iudicij æquè neceſſariò, niſi à Deo violenter, & miraculosè impediatur. Vtrumque autem videtur abſonum.

5 Quartum: Eſto, Aſtra, & Planetæ ſint actiua, non tamen cæleſtes orbes, in quibus includuntur; tum quia omnes effectus, quos cælitus experimur proueniunt ab aſtris, & Planetis, tum quia alioquin cæleſtium orbium quæuis partes, quæ omnes ſunt homogeneæ, poſſent influere in eoſdem prorſus effectus. Ex quo fieret, cæleſtes orbes eſſe perfectiores aſtris, & Planetis non habentibus niſi virtutem determinatam. Abſurdum autem eſt, hæc excedi ab illis in perfectione, ſi ſint corpora diuerſa. Ergo cælum Empyreum, quod aſtris, & Planetis non variegatur, expers omninò erit actiuitatis.

6 Quintum: Empyreum nihil influit; non lucem, vt probabitur in ſect. 5. & prætereà emiſſioni lucis erit impedimentum raritas Empyrei ex S. Thomæ ſententia, cui præter alios in tempore citatos adhæret Ioannes de S. Thoma tract. 1. de Metheoris cap. 2. vbi immeritò tradit abſolutè, credi, quòd Empyreum ſit quadratum in parte ſuperiori, propter locum Apocalypſis 21. verſ. 16. *Ciuitas in quadro poſita eſt*; quaſi hæc verba ſic ab omnibus intelligerentur, vt quadrata Empyrei figura conſtantem, perpetuámque omnium fidem diuinam, aut humanam ſibi adſciuerit. Non quatuor primas qualitates. Nam earum cæli ſyderei ſunt incapaces; multóque magis ipſum Empyreum; de quo perperam ait Marſilius Ficinus in l. Plotini Enneadis ſecundæ 3. cap. 6. habere calorem, & humorem abſorptos in ſe ipſum. Tunc ſic: Nullum agens creatum poteſt naturaliter agere in diſtans, quin agat per medium; vt fert commune Philoſophorum placitum, licet Auerſa q. 14. Philoſophiæ ſect. 8. excipiat, non ſine ſingularitate, agentia cæleſtia. Confirmatur, cæleſtes operationes fiunt virtute lucis, vt ſentiunt plures allegati à Conimbricenſibus ſuprà quæſt. 3. artic. 1. & à Mendoza in viridario libr. 4. Problemate 43. Ergo, cùm lux Empyrea non ſe diffundat modò extra Empyreum, nihil eâ mediâ, vt organo operabitur. Confirmatur rurſus, quia influxus orti ab Empyreo nulla poteſt aſſignari neceſſitas ex parte ſiue cælorum, ſiue elementorum: neque item oſtendi poteſt, qualis ille ſit. Ergo parùm philoſophicè excogitatur.

SECTIO II.

Recitantur Authores, & in medium producuntur fundamenta ſententiæ concedentis Empyreo influxum in alia corpora cæleſtia, ac ſublunaria.

7 AVthores ſunt S. Thomas 1. part. quæſt. 66. artic. 3. ad 2. & quodlibeto 6. quæſt. 11. artic. 19. palam fatetur mutaſſe ſententiam, re diligentiùs conſiderata. Nam in 2. diſtinct. & quæſt. 2. artic. 3. & in ſcripto ad Anibaldum artic. 2. negarat influxum. Ideò prudenter dixit Durandus in 2. diſtinct. 2. quæſt. 2. numer. 3. *Hic eſt duplex modus dicendi non ſolùm diuerſorum Doctorum, ſed vnius, & eiuſdem* (alludit ad S. Thomam) *in diuerſis locis. Nec mirum, quia cùm nihil ſciamus de illo cælo, an ſit, niſi per authoritatem, vt dictum fuit in præcedente quæſtione, parum poſſumus ſcire, ſi agat, vel non agat, cùm nullus effectus eius nobis appareat, neque authoritates aliqua de hoc expreſſè loquantur.* Hactenus Durandus: qui tamen adhæret.

Digitized by Google

adhæret affirmanti ſententiæ, vt & S. Bonauentura, Richardus, Ægidius, Romanus, Palatius, Carthuſianus ibidem, & hic iterum in ſumma fidei Orthodoxæ lib. 1. artic. 90. Mayro in 2. diſt. 14. quæſt. 4. Argentinas in eadem diſtinct. artic. 4. Albertus memoratus in num. 1. Macrobius Theologus apud Rubium inf. à, Hiſpalenſis in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. artic. 3. Ioannes Nider, Præcepto decimo Decalogi cap 5. Ioannes de S. Geminiano in ſumma de exemplis lib. 1. cap. 32. Ferrarienſis in 2. contra Gentes cap. 20. ac 65. Pelbartus in 2. libro Roſarij Theologici verbo *cœlum* §. 28. Anglez in 2. diſtinct. 12. quæſt. 3. in 3. difficultate. Franciſcanus Pineda lib. 1. Eccleſiaſticæ Monarchiæ cap. 3. §. 4. Ludouicus Diaz in doctrina Philoſophica tract. 2. quæſt. 4. cap. 2. Franciſcus Patritius lib. 14. & 21. Pancoſmiæ, Paulus Scaliger de rerum cauſis, & ſucceſſibus lib. 2. cap. 16. lib. 5. cap. 4. Iacobus de Valentia Chriſtopolitanus Epiſcopus in Canticum trium puerorum, Caietanus, Bañez, & Zumel in 1. part. quæſt. 66. artic. 3. Flandria 8. Metaphyſicæ artic. & quæſt. 1. Franciſcus Iunctinus in ſphæram Ioannis Sacroboſco pag. 548. Murcia lib. 1. de cœlo cap. 2. in dubiis circa literam, Ioannes de S. Thoma in 1. part. diſputat. 20. artic. 2. num. 10. Conimbricenſes lib. 2. de cœlo cap. 3. quæſtio. 2. Suarez lib. 1. de opere ſex dierum. cap. 5. Clauius in cap. 1. ſphæræ §. de numero orbium cœleſtium, Poza in Elucidario Deiparæ lib. 2. tract. 16. cap. 1. Bernardus Cæſius lib. 1. de Mineralibus. cap. 5. ſect. 1. num. 8. Vincentius Regius lib. cap. digreſſ. 4. Elucidationum Euangelicarum num. 8. Montepiloſus tomo 2. partis 2. Theologiæ diſp. 32. artic. 2. in fine. Emanuel de Valle de Moura opuſculo 1. de Incantationibus ſect. 2. cap. 12. n. 13. cum Cardinali Cameracenſi quæſt. 2. ſuper ſphæram Ioannis de Sacroboſco. P. Bartholomæus Amicus tract. 4. in libros de Cœlo, & Mundo, quæſt. & dub. 6. rurſus tract. 6. quæſt. 3. art. 2. & 3. Allatus eſt ad me (quod non niſi dolenter dixerim) is tomus P. Barth. Amici ſeriùs, quàm vt potuerit eſſe adiumento ad opus Empyreologicum, vti fuerunt alij eiuſdem Authoris, viri quidem admirandæ eruditionis, & inſtructiſſimæ copiæ.

8 Pro hac opinione arguitur primò: Partes Vniuerſi debent habere inter ſe ordinem, & connexionem, vt adſtruit Ariſtoteles lib. & cap. 10. Metaphyſicæ textu 52. Quare ſi Empyreum non eſt extraneum, & alienum ab Vniuerſo, debet vt pars conſtituere ordinem, & connexionem cum reliquis partibus. Aſt ordo, & connexio in eo præcipuè conſiſtit, quòd inferiora regantur per ſuperiora, ſeu in eo, quòd ſuperiora influant in inferiora: Ita S. Dionyſius cap. 5. de cæleſti Hierarchia, & cap. 8. de diuinis nominibus, S. Auguſtinus lib. 3. de Trinitate cap. 4. S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 5. & S. Parens Ignatius in aurea, nunquámque ſatis laudata epiſtola de Obedientiæ virtute ad Patres Luſitanos, *Nam vt in corporibus (inquit) globiſque cæleſtibus, vt alius alium afficiat, moueátque, requiritur, vt certa quadam conuenientia, & ordine, inferior orbis ſuperiori ſubiiciatur; ſic in hominibus, cùm alter alterius authoritate mouetur, oportet, vt is, qui ab alterius nutu pendet, ſubſeruiat, & obſecundet, vt virtus ab imperante ad eum deriuetur, & influat.*

9 Secundò: Supremi Angeli, etſi non mittantur, habent influentiam ſuper medios, & vltimos, qui mittuntur. Ergo ſupremum cœlum, quamuis non moueatur, habebit influentiam ſuper alios cœlos, & elementa, quæ mouentur.

10 Tertiò: Sicut ponitur corpus mobile, & influens per motum; ita oportet ponere corpus aliud ſuperius influens per quietem, vt ſic difformitatem motus præcedat vniformitas quietis, ſicque vnitas multitudine prior.

11 Quartò: Empyreum poteſt pati rarefactionem, & condenſationem: Ergo & influere in inferiora corpora; alioqui eſſet ignobilius cœlo ſydereo; cùm eſſet paſſiuum, non verò actiuum.

12 Quintò: Eſt inconueniens ponere aliquam ſubſtantiam, quæ omninò ſit otioſa, ſeu deſtituta omni operatione tranſeunte. Hinc Ariſtoteles lib. 2. de cœlo cap. 3. textu 17. ait, *eorum quodque, quorum eſt opus, operis ipſius gratiâ eſſe conſtat.* S. Dionyſius cap. 11. §. 2. Cæleſtis Hierarchiæ, cuilibet rei tribuit ſubſtantiam, virtutem, & operationem: cap 8. de diuinis nominibus §. 5. inquit, *Quod vniuerſaliter habet nullam virtutem, neque eſt, neque erit aliqua ipſius omninò poſitio*, id eſt, interprete S. Thoma lect. 2. *Non habet ordinem in Vniuerſo, ſeu firmitatem.* S. Damaſcenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 23. pronunciat, *Impoſſibile eſſe, ſubſtantiam expertem eſſe naturalis actus*, ſeu, vt alij vertunt, *fieri non poſſe, vt res vlla actionis naturalis ſit expers.* S. Maximus Martyr oratione de duabus Chriſti voluntatibus apud Euthymium in Panoplia parte 2. tit. 18. ſcribit, *Quæ porrò natura ſit illa, quæ nihil agat, aut quæ naturali careat actione? Sicut enim nullo modo eſt expers eſſentia, ita nec naturalis poteſtatis; hac enim ſi careat, & eſſentiâ careat omnino. Quod enim nullam habet poteſtatem, quódque nihil efficit, id ſolum non eſt.* Colludunt S. Nyſſenus apud Nicetam lib. 3. theſauri cap. 22. S. Anaſtaſius Sinayta in viæ duce cap. 2. Addit Hugo Etherianus lib. 3. de hæreſibus, quas in latinos Græci deuoluunt cap. 6. *Quibuſcumque ſubſtantia qualibet adeſt, & eius actio; ſed non quibuſcumque actio, & ſubſtantia.* Prætereà Geneſis 2. verſ. 4. dicitur, *Ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret.* Quæ verba ſic ex Hebræo transferunt aliqui, teſte Hypon ano in Catena, *Quod creauit Deus ad faciendum, id eſt, vt de cætero ipſa opera ex ſe producerent alia, & non eſſet neceſſarium nouas creaturas producere.* Similia habent Caietanus, Catharinus, & Honcala. Adicio ex Ruperto lib. 1. in Geneſim cap. 26. *Dei aſpectus nullam in Republica ſua otiari naturam patitur*: & ex S. Gregorio Nazianzeno oratione 1. de Theologia. *Neque à Deo factum eſt quicquam, cuius nullus ſit vſus.* Tandem ex Aſterio homilia aduerſus auaritiam, *Quis ignorat propter ſeipſum, exceptis virtutibus nihil fieri, ſed vt aliud ex alio procedat, & ſequatur.*

13 Confirmatur primò: Omnis forma ſubſtantialis habet aliquam virtutem actiuam per actionem ſiue immanentem, ſiue tranſeuntem: Ergo forma Empyrea, quæ eſt perfectiſſima inter inanimatas, habet virtutem actiuam per actionem tranſeuntem; imò ex hac debet reputari eius perfectio, ſiquidem ex operationibus inducimus nobilitatem formarum. Quòd ſi forma Empyrea gaudet virtute præfata, influet procul dubiò; tum quia, cùm ſit agens neceſſarium, non poterit ſuſpendere exercitium influendi; tum quia incredibile eſt, impediendam ob incapacitatem medij;

Digitized by Google

non enim id congruit optimæ diſpoſitioni corporum Vniuerſi, neque Dei ſapientiſſimæ prouidentiæ. Confirmatur ſecundò: Omnia corpora ſunt à Deo facta propter humanum obſequium; corpus autem Empyreum nullatenus homini ſeruiret, niſi in inferiora influeret. Confirmatur tertiò: Quò aliquod corpus eſt ſuperius, eò eſt nobilius, & perfectius; rurſus quò perfectius eſt, eò eſt potentius, & efficacius in operando: ſed Empyreum eſt ſupremum inter omnia corpora: Ergo omnia ſuperat in virtute operandi.

SECTIO III.

Prioris ſententiæ exarmantur rationes.

14 AD primam reſponderi poteſt, ex ſuppoſitione condendi Empyrei ob eleuationem creaturæ rationalis ad beatitudinem ſupernaturalem, par fuiſſe tribui illi vim operandi, vt ſic eſſet vndequaque perfectiſſimum corpus. Neque ſe immiſcere in gubernatione machinæ mundialis, eſt contra ipſius dignitatem, ſiquidem ex tali gubernatione nullum ei detrimentum accedat; quemadmodùm nec Deo prouenit ex concurſu in res creatas, neque Angelis ex motione cæleſtium globorùm. Confirmationes deſumptæ ex aquis ſupercœleſtibus, & igne Tartareo non admodùm vrgent, cùm hæc corpora habeant, quantùm ex ſe eſt, virtutem operatiuam in elementa, & mixta Vniuerſi, impeditam tamen ob locum, in quo ſunt à Deo locata. Et vlteriùs non defuerunt, qui in ſupercœleſtibus aquis expeditam etiam virtutem operatiuam admiſerint, igniſque Tartareus agit naturaliter ſiue per actionem ſolam intentionalem, ſiue per intentionalem ſimul, & realem in corpora humana, ſi aliqua iam ſint in Orco, vt de corporibus Dathan, & Abiron cenſent nonnulli.

15 Ad ſecundam reſponderi poteſt primò, nullum corpus mouere, non motum à Cauſa prima, & vniuerſali, per concurſum ſimultaneum cum ipſo: Empyreum autem, etſi ſit immotum localiter, non tamen fore immotum à Cauſa prima, & vniuerſali, ſi ageret. Secundò, nullum corpus mouere localiter de nouo aliud, quin & ipſum moueatur localiter, præſertim ſi anteà non erat debitè coniunctum, & applicatum; vel nullum corpus mouere aliud etiam per alterationem, quin & ipſum moueatur actu, aut potentia, ratione capacitatis ad patiendum in ſe mutationem aliquam. Tertiò, nullum corpus per actionem, quæ ſibi non ſit coæua, mouere aliud ſine ſui motu, actionem verò Empyrei eſſe ipſi coæuam. Quartò, nullum immotum corpus mouere aliud per actionem propriam corporis, ſeu tranſmutatiuam materiæ de forma ad formam; & talem non eſſe actionem Empyrei; ſed potiùs aliquatenus attingere modum, quem in operando ſeruant ſubſtantiæ ſeparatæ. Videantur Ferrarienſis ad cap. 20. lib. 2. contra Gentes. Capreolus in 2. diſtinct. 14. quæſt. vnica. artic. 3. Connimbricenſes lib. 2. Phyſicorum cap. 4. quæſt. 1. art. 4. lib. 2. de cœlo cap. 3. quæſt. & art. 2. Rubius lib. 2. de cœlo cap. 5. quæſt. 3.

16 Ad confirmationem dici valet cum Serario in c. 10. Ioſue, quæſt. 28. (vt vulgatos rubricem) ceſſante motu aſtrorum, ceſſaturas ſolummodò actiones, quæ modò diſtribuuntur per varias mundi plagas, quæque dependent ex vario adſpectu, concurſúque aſtrorum. Hanc fuiſſe S. Thomæ mentem ſuſpicatur inter alios, P. Franciſcus Alfonſus diſput. de cœlo ſect. 9. num. 118. Quod ægrè crediderim; nam S. Thomas in 4. diſtinct. 44. ea de cauſa docet, corpora damnatorum fore incorruptibilia, & ab igne in ipſa nullam actionem realem exercendam, quia ceſſante motu cœli poſt diem iudicij nequit vlla eſſe in corporibus alteratio ordinata ſiue ad generationem, ſiue ad corruptionem; & quia nec ignis, nec alia agentia poterunt realiter operari. Granadus 3. part. controuerſ. 13. de Nouiſſimis tract. 4. diſput. & n. 2. ait, S. Thomam reuocaſſe tacitè in lib. 4. contra Gentes cap. 81. & 89. rationem incorruptibilitatis corporum damnatorum præſtitam in 4. nam eius non meminit cap. illo 81. & 89. vbi rem iam ſenior diſcuſſit ex profeſſo. Mihi tamen videtur, S. Thomam 1. part. quæſt. 115. art. 3. & lib. 3. contra Gentes cap. 82. perſtitiſſe in opinione de ſublunarium corporum à motu Cœleſtium dependentia in omnibus ſuis realibus operationibus. Soncinas 12. Metaphyſicæ quæſt. 13. exponit S. Doctorem, quatenus tantùm voluerit, ceſſante motu aſtrorum, defecturas actiones productiuas formarum ſubſtantialium; non verò accidentalium. Sed in animum, non inducam meum, non producendam tunc formam igneam ab igne applicato ſtupæ. Huc facit articulus Pariſienſis, iam olim oppoſitum improbans, imò & erroris inſimulans; cuius articuli authoritas allegatur à Carthuſiano in 4. diſtinct. 44. quæſt. 8. Durando in 2. diſtinct. 15. quæſt. 3. num. 11. ab aliiſque Theologis priſcis, & recentibus. Neque item perſuadeo mihi, non generanda tunc animalia, quæ ex aliis ſimilibus non propagantur, ſi materia ſit rectè diſpoſita per calorem; qui ſi Sol ſtaret in noſtro hemiſphærio, eſſet intenſior; neque enim ab ſtante Sole continuatio lucis ſuſpenderetur, vt S. Thomas non negat. Idem Soncinas in 2. diſtinct. 14. concluſione 1. inquit, Empyreum non agere tranſmutando ſubſtantialiter materiam; ſecùs alia; ideóque mirum non eſſe, ſi illud immotum agat. Verùm etſi eo pacto ageret, non obſtaret eius quies, vt ex prælibatis apparet. Ex quibus identidem colligitur, nullam eſſe in S. Thoma contradictionem; nam Empyrei influentiæ ſunt per ipſum vniformes, & ſtabiles.

17 Aduertendum eſt, Angelicum Doctorem, cuius authoritas potiores habet partes in confirmatione, ſcripſiſſe variè circa dependentiam actionum corporum ſublunarium à motu cœleſtium. Sic optimus eius Interpres Didacus Deza Archiepiſcopus Hiſpalenſis in 4. diſtinct. 44. quæſt. 4. ad 2. Durandi; & latiùs in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. artic. 1. concluſione 3. artic. etiam 3. notabili 4. vbi collatis multis teſtimoniis S. Thomæ, concludit, ſenſiſſe tandem, id, quod nos diximus, reſponderi poſſe ad confirmationem. Ægidius Romanus in correctorio corruptorij 9. S. Thomæ art. 3. putat, ceſſationem motus localis in orbe ſublunari prouenientis à principio voluntario, vt motus rotæ à figulo, & motus locutionis à quolibet homine, ſi ſtaret cœlum, non eſſe è ſententia S. Thomæ; quem ſic conciliat cum S. Auguſtino dicente lib. 11. Confeſſionum cap. 23. *An verò ſi ceſſarent cœli lumina, & moueretur rota figuli, non eſſet tempus, quo metiremur eos gyros, & diceremus*

aut

Digitized by Google

aut equalibus morulis, aut ſi aliàs tardiùs, aliàs velocius moueretur, alios magis diuturnos eſſe, alios minus? Aut cùm hæc diceremus, non & nos in tempore loqueremur, aut non eſſent in verbis noſtris aliæ longæ ſyllabæ, aliæ breues, niſi quia illæ longiore tempore ſonuiſſent, iſtæ breuiore. Explicatio hæc Ægidij fundatiſſimi Doctoris, fidiſſimique diſcipuli Sancti Thomæ, & cenſura illa Dezæ antiqui, probatiſſimique Thomiſtæ depretiandæ non ſunt; ſed potiùs magni habendæ: colligitur tamen ex eis, quàm nouum non ſit Aſſeclas Sancti Thomæ diſcordare in eius interpretanda mente, & quàm non indignanter à Modernis Thomiſtis debeant audiri, qui ſecus, ac ipſi, explicent aliquando Præceptoris ſenſa. Excepit Ægidius à dependentia ex motu cælorum motus locales prouenientes in ſublunaribus à principio voluntario. Videntúrque etiam eximendi motus alij conuenienter ad mentem Angelici Magiſtri. Nam ſi fieret diuina virtute vacuum infra Lunam, tunc iuxta S. Thomam, lapis connaturaliter deſcenderet ex aëris regione verbi gratia, vbi anteà extitiſſet, & in qua inductum fuiſſet vacuum; reſpectu autem motus lapidis, perinde ſe tunc haberet cœlum, ac ſi deſtitiſſet à ſua circumuolutione. Præterea ſi hæc breuiſſimo tempore ſuſpenderetur, non ideo animalia deſinerent moueri, reſpirare, decoquere cibum. Sed de præſenti puncto agunt copiosè Suarez diſput. 22. Metaphyſicæ ſect. 5. Auerſa quæſt. 35. Philoſophiæ ſect. 9. Connimbricenſes libr. 2. de cœlo cap. 3. artic. 2 quæſt. 4. artic. 2. & 3. Rubius ibidem, quæſt 4. Franciſcus Alphonſus ſuprà à numer. 112. Granadus ſuprà poſt Alexandrum, Scotum, Richardum, Durandum, Argentinenſem nobis adſtipulantes.

18 Ad tertiam reſponderi poteſt, rationes, quæ pro quiete Empyrei, tam in ſtatu præſenti, quam futuro faciunt, nullatenus incommodare ipſius influentiis pro ſtatu præſenti. Confirmatio peccat ab exceſſu: facit enim etiam ad probandum ſydereos cœlos non influere modò; ſi quidem neque hi poſt diem Iudicij influxuri ſint. Impedimentum autem, ne tunc influant, cùm certiſſimum ſit, modò influere, extendi æquè valet ad Empyreum, ſi modò influat. Et illud impedimentum erit ſubtractio concurſus diuini ob incorruptionis ſtatum, quem habebunt poſt diem Iudicij ſublunaria omnia, videlicet elementa, nam mixta alia non ſuperfutura in elementis, communis eſt Doctorum exiſtimatio. Legeſſis Arriagam n. 17. act. 18.

19 Ad quartam, quicquid ſit de antecedenti, debere Empyreo ratione ſui competere actiuitatem, vt & lucem, quæ ſydereo cœlo tribuuntur ratione aſtrorum, & Planetarum.

20 Ad quintam reſponderi poteſt, Empyreum etiam operari per alias occultas qualitates diſtinctas à luce, diffuſaſque in medium, vti de aſtris tenet acceptior Philoſophorum, ac Theologorum ſententia apud Cæſium lib. 1. de Mineralibus c. 5. ſect. 4. num. 3. atque Cabeum lib. 1. de Meteorologicis textu 5. q. 2. Hinc prima eneruatur confirmatio, & meliùs in ſequentibus debilitabitur.

SECTIO IV.

Poſterioris ſententiæ argumenta infirmantur, & tam poſterior, quàm prior relinquitur in medio.

21 AD argumentum primum reſpondebitur, tum per inſtantiam ex ſtatu Vniuerſi poſt diem Iudicij; nam, ceſſantibus influentiis, perſeuerabit adhuc ordo Vniuerſi: tum ſatis eſſe ad præfatum ordinem, & connexionem, quòd Empyreum proximæ ſibi ſphæræ coniungatur, & mediante illa reliquis corporibus tanquam pulcherrimum tectum, terminus, ac complexio totius Vniuerſi. Sic aquæ ſupercæleſtes ſunt pars Vniuerſi, etſi actu non habeant influentiam in alia corpora. Neque Patres ex eo præcisè, quòd Angeli, & aſtra pertineant ad illud, probant ipſorum influxus. Demum Angeli ſunt ſuperiores Empyreo quoad dignitatem; nec tamen influunt in hoc cœlum. Si ergo ordo inter Angelos, & corpora omnia Vniuerſi non debet attendi ſecundùm influentiam Angelorum in omnia corpora, multò minus ordo inter ipſa corpora. Adi Suarium num. 10.

22 Secundum argumentum non probat influxum, ſed aliquali proportione explicat, quo pacto Empyreum, etſi non moueatur, poſſet per influxum mouere alia. Neque congruentia omnibus numeris eſt abſoluta, quandoquidem Angelorum, qui aſſiſtunt, influxus in alios, qui legantur, (permitto aliquos Angelos nunquam mitti) ſit intentionalis, conſiſténſque in reuelatione veritatis alicuius, vel voluntatis diuinæ in ordine ad miniſterium aliquod. Inde verò non niſi nimis temerè peti poteſt exemplum ad actionem phyſicam Empyream. S. Thomas eo quidem eſt vſus, non vt probaret influxum phyſicum, ſed vt oſtenderet, quo pacto cum immobilitate Empyrei componatur operatio phyſica in reliquos orbes mobiles.

23 Tertium non conuincit vniformitatem quietis debere præcedere difformitatem motus; & licèt id poſſet monſtrari, ſatis eſſet, vniformitas quietis diuinæ, vel Angelicæ.

24 Pro quarto argumento concedetur, Empyreum, quà parte non eſt actiuum, ſuperari ſecundùm quid ab aliis cœlis; hos tamen ſimpliciter, & abſolutè præcelli ab ipſo in aliis conditionibus.

25 Ad quintum dicetur primò, Empyreum non omninò otiari in efficiendo, cum producat effectiuè ſuas proprietates, & paſſiones. Neque inuenio repugnantiam ſubſtantiæ, quæ in proprio ſuppoſito, & alieno, nullatenus ſit operatiua. Nam in primis actiuam non eſſe ratione materiæ, non repugnat, imò id à pluribus admittitur de facto. Deinde nec ratione formæ in proprio ſuppoſito; qualitates enim, quæ proprietates ſunt, producuntur penes multos à generante formam; aliæ autem qualitates reperiuntur ſolummodò in formis viuentibus. Rurſus neque in alieno ſuppoſito, ſiquidem nonnullæ formæ, exempli cauſa rationales, & cæleſtes, non ſunt neque mediatè actiuæ aliarum eiuſdem ſpeciei. Eſſe verò formas ſubſtantiales neceſſariò actiuas, vel mediatè accidentalium formarum, vnde oſtendetur? Et compoſitio erit non propter

Digitized by Google

aliquam operationem, ſed propter complementum matriæ, ac formæ. Licet autem ſubſtantia debeat eſſe propter aliud, & id debeat eſſe perfectio ſui comparanda per operationem, non oſtendit Bartholomæus Amicus, cuius eſt hæc ratio in tractat. 6. Phyſicorum quæſt. 6. dub. 8. artic. 2. numer. 4. neceſſe eſſe, quòd operatio oriatur efficienter ab ipſamet ſubſtantia. Dicetur ſecundò, Empyreum, tametſi nihil efficiat, non otiari, dummodò adimpleat functionem, cuius gratia conditum eſt. Eam autem functionem, quæ latè vocabitur operatio, adimplet continendo Beatos.

26 Ariſtoteles abs re adducitur; nam in loco citato nihil aliud docet, quàm ea, quæ habent virtutem operatiuam, ordinari ad opus. Si recurras ad 3. de cælo cap. 8. textu 77. vbi Philoſophus ait, *vniuſcuiuſque eorum, quæ naturâ conſtant, eſſe opera, & paſſiones.* Contra, quia attento contextu, & explicatione Sancti Thomæ, non aliud ibi tradit Ariſtoteles, quàm virtutes, operationes, & paſſiones vniuſcuiuſque entis eſſe ſecundùm eius naturam; ſeu, quod breuiùs dici conſueuit, modum operandi ſequi modum eſſendi. S. Dionyſius in priori teſtimonio loquitur de ſolis ſubſtantiis Angelicis, quin declaret, an in eis diſtinguantur realiter eſſentia, virtus, & operatio: & aliqui nomine virtutis intelligunt ibi eſſentiam Angelicam completam per ſpeciem impreſſam obiecti: Alij etiam nomine operationis, intelligunt voluntatem Angelicam, eo quòd reliquis potentiis ſibi ſubditis imperet. Sed adhuc permiſſo S. Dionyſium loqui de omnibus ſubſtantiis creatis, quæ gaudent virtute operatiua, nihil inde deducitur; ſolùm namque affirmat, omnes ſubſtantias creatas, quæ ſunt operatiuæ, habere virtutem, & actionem. Difficilior eſt declaratio poſterioris teſtimonij ſed ex paraphraſi Georgij Pachimeræ colligitur is ſenſus, nempe, nihil eſſe in rerum natura, quod non ſit effectus diuinæ omnipotentiæ, & virtutis: quo cum ſenſu concordant antecedentia. S. Damaſcenus explicari poteſt, imo & debet de actu entitatiuo; iam ibi non ſumit actum pro actione, vt liquet ex contextu, cum poſteà tractet de actu, quatenus ſignificat actionem. Et quamuis ſumeret pro actione, ſufficienter explicaretur de ea, quæ terminatur ad proprietates, ac paſſiones. Non abſimili modo accipi valet, dum libr. 3. cap. 15. inquit, *Vbi naturam quis vidit immotricem, aut inefficacem omnino?* S. Maximus, S. Nyſſenus, S. Sinayta, & Hugo. Etherianus eandem interpretationem non recuſant. De tranſlatione illius loci Geneſeos curandum non eſt, cùm non ſit genuina; niſi fortè accipiatur de operibus, quæ ex ſe ſint propagabilia. Rupertus, & S. Gregorius Nazianzenus ſufficienter explicantur, ſi nulla ſit creatura, quæ ad aliquid in Vniuerſi Republica non deſeruiat, licet non omnis debeat deſeruire ad operandum. Aſterius præſcribit rebus omnibus creatis, diſtinctis à virtutibus, finem ſecundarium diuerſum à primariò qui eſt Deus: & ab eo fine ſecundario ait procedere res eo modo, quo à cauſa finali ſuus procedit effectus.

27 Ad primam confirmationem dicetur, ſupponere gratis omnem formam ſubſtantialem inanimatam debere eſſe tranſeunter actiuam etiam mediatè. Quin & falsò ſupponere ex operationibus tranſeuntibus formarum induci ſemper nobilitatem ipſarum. Etenim forma rationalis non eſt effectiua nec mediatè alterius formæ rationalis, cùm tamen forma ignea, quæ à rationali facilè ſuperatur in nobilitate, ſit actiua alterius formæ igneæ. Præterea perfectio maior formæ Empyreæ præ aliis inanimatis ſufficienter reputatur ex nobilioribus proprietatibus lucis, immobilitatis, incorruptibilitatis, &c. quibus gaudet, vt pote pertinentibus ad finem, cuius gratia eſt producta, & conſeruatur. Vnde diminutè perfectio ſubſtantiæ omnis corporeæ cenſetur ex potentia, & efficacia in operando. Ex quo hebetatur vis tertiæ confirmationis. Ad ſecundam dicetur requirere ab Empyreo plura obſequia, quàm par ſit. Nonne ſatis famulabitur homini, ſi ipſum immortalitate donatum ſuſcipiat, & contineat? Anne opus eſt palatium influere in Regem, vt huic miniſterium exhibere affirmetur: O quantùm deſeruiuit primis parentibus humani generis paradiſus terreſtris quin tamen ille influxerit, aut modò influat (ſi exiſtat) in alia corpora extra ipſum.

28 En vtriuſque opinionis partes actas ſatis probabiliter. Nullus non (ſi iuſto examine vtatur) ancipitem ſe fatebitur. Apud me quidem nondum conſtitutum eſt, quam ad partem præ alia accedam. Angelici tamen Doctoris authoritas in re, quam ipſe diligentiùs ſe conſideraſſe aſſeuerat, faceret, vt magis propenderem in poſteriorem, ſi qualis ſit Empyrei influxus, & ad quid neceſſarius, aut conducens, modo aliquo expedito declarari poſſit; de quo in ſectionibus ſuccedentibus. Liberum itaque per me lectori ſit, vtramlibet ſententiam eligere, vti & arbitrarium fuit per Becanum 1. part. tract. 4. cap. 2. n. 9. Tellez p. 2. Philoſophiæ diſp. 43. ſect. ac n. 2. Rubium lib. 2. de cælo cap. 5. quæſt. 3.

SECTIO V.

Refutantur variæ opinationes de influxu Empyrei in alia corpora cæleſtia.

29 IN re adeò ſeiuncta à ſenſibus fuere variæ opinationes non parum remotæ à veritate. Refutabo in primis eas, quas de influxu in corpora cœleſtia reperi; deinde eas, quas de influxu circa ſublunaria: & poſtremò quid veroſimiliter poſſit excogitari, proponam. Et hæc eò tendunt, vt exploretur, qualis ſit Empyrei influxus, & ad quid neceſſarius, aut conducens, ſi admittatur, vt iam per me licuit.

30 Authores nonnulli antiqui videntur denotare Empyreum eatenus operari in ſphæram proximam, quatenus ipſam conſeruat, vt locus. Audiendi non ſunt, tum quia locus, quà præcisè locus extrinſecus eſt, non influit in locatum: alioqui locus violentus conſeruaret per influxum à ſe præſtitum rem extractam è ſuo centro, cùm tamen frequenter eam interimat. Tum quia ignis, & ſi ſit locus naturalis immediatus aëris, non influit in aërem, vt ipſum conſeruet, quin potiùs ſi influat, producet aliquid contrarium conſeruationi aëris, niſi hæc reagendo defendat ſeſe. Tum quia vt inquit Ariſtoteles libr. 4. Phyſicorum cap. 1. textu 11. *Cuius rei cauſam locum eſſe quis poſuerit? Nulla enim cauſarum quatuor ei congruit. Neque enim vt materia rerum eſt cauſa, cum ex eo nihil conſtet: neque vt ſpecies, & ratio: neque vt finis, neque vt*

mouens

Digitized by Google

mouens cauſa. Loco quidem naturali tribuitur ab eodem Philoſopho vis conſeruandi; aſt non quia debeat influere efficienter in rem locatam; ſed quia dum ſuo complexu eam continet, ſecurior eſt a contrariorum oppugnatione, & conſeruatrices qualitates melius retinet, cælorúmque mobilium influxus commodiùs recipit, vt declarant Conimbricenſes lib. 4. Phyſicorum cap. 5. artic. 1. act. 3. Bartholomæus Amicus tract. 20. Phyſicorum q. 1. dub. 8. n. 6. Et reuera neque hoc pacto opus eſt conſeruari ab Empyreo ſphæram proximam, ſi hæc ſit corpus ſuapte natura incorruptibile.

31 Hinc obiter impugnandi ſunt, qui referente Suario in num. 17. dixerunt, Empyreum habiturum influentiam ſpecialem in corpora glorificata, quæ in eo erunt, aut iam ſunt. Etenim titulo loci extrinſeci realis non debet concedi talis influentia; & aliunde titulo incorruptibilitatis glorificatorum corporum reſpuenda eſt, cùm ad indemnem eorum conſeruationem ſufficiat, ſiue intra Empyreum, ſiue extra, vel qualitas, per quam reddentur intrinſecè impaſſibilia, vel extrinſeca Dei prouidentia arcens, quicquid eis officere queat. Emittet quidem Empyreum, & tranſmittet ſpecies intentionales ſui in ſenſus glorificatorum corporum: de factoque id præſtat erga ſenſus corporum Chriſti Domini, & Virginis Matris, aliorúmque, ſi qui alij degant iam cum corporibus in Empyreo: ſed hæc influentia ſpecialis non eſt, nec deſeruiens conſeruationi.

32 S. Thomas 1. part. quæſt 66. art. 3. ad 2. inquit, *Empyreum influere in primum cælum, quod mouetur, non aliquid tranſiens, & aduenient per motum, ſed aliquid fixum, & ſtabile, puta virtutem continendi, & cauſandi.* Vnde Palatius in 2. diſt. 2. diſp. 1. credit, S. Thomam alludere ad Auerroëm, qui contra Algazelem putat, Deum in Vniuerſum influere quandam virtutem nectentem omnia perpetuo, & indiſſolubili nexu. Quicquid ſit de diuinatione Palatij, mens S. Doctoris clariùs expreſſa in quodlibet. 6. quæſt. 11. art. 19. hæc videtur eſſe: viciſſitudo, & varietas in generationibus, & corruptionibus rerum ſublunarium refertur vt in cauſam in motum cæli difformem, vt & continuatio motuum inferiorum in motum eiuſdem vniformem. Ergo permanentia rerum inferiorum, perpetuitaſque referenda eſt in cælum Empyreum, quod eſt immobile, & fixum. Diſcurſus hic approbatur à Bañez, nec diſplicuit Conimbricenſibus lib. 2. de cælo c. 3. q. .. & art. 2. Ioanni de Rada 2. p. controuerſiæ 6. concluſ. 2. in explanatione opinionis Doctoris ſubtilis v. *ſed hæc ſolutio,* pag. 227. Franciſco Iunctino in ſphæram Ioannis de Sacrobosco pag. 548.

33 In eo multa mihi apparent difficilia. Nam primò, ſi Empyreum influit in primum Mobile virtutem continendi, & cauſandi permanentiam rerum ſublunarium, hæc non reduceret immediatè in Empyreum, ſed in primum Mobile: vti etſi aſtra moueantur ab Intelligentiis, non in has, ſed immediatè in illa reuocantur effectus ſublunares dependentes ab aſtrorum motu. Secundò, permanentia rerum nihil aliud eſt, quàm connexa cauſarum, & effectuum ſeries. Hæc autem ſeries nullam aliam cauſam ſpecialem requirit præter eas, quæ efficiunt ipſas cauſas ſeorſim, & effectus. Non enim fit inter cauſas, & effectus aliquis nexus medius. Tertiò, permanentia cauſata ab Empyreo, vel eſt rerum ſecundùm indiuiduũ, vel ſecundùm ſpeciem? Prima permanentia non conuenit rebus ſublunaribus; & præterea forma ignea v. g. quandiù perſeuerat, non conſeruatur vero, & poſitiuo influxu à corpore aliquo cæleſti, vt multis oſtendit Auerſa q. 35. Philoſophiæ ſect. 2. Secunda permanentia prouenit ex acceſſu, & receſſu aſtrorum, & præcipuè Solis, acceſſu enim huius generantur mixta, & receſſu corrumpuntur. Quartò, permanentia illa vel eſt aliquid ſubſtantiale ſuperadditum rebus ſublunaribus ex influxu Empyrei, vel eſt accidentale aliquid: Neutrum congruenter dici poteſt, vt ex ſe elucefcit. Quintò, Cæli Mobiles habent ex ſe virtutem continendi eminenter, vel virtualiter, necnon & cauſandi ſublunaria: Ergo eam non accipiunt ab Empyreo, neque eius indigent iuuamine. Sextò, Empyreum non habet ſibi proximè ſubiectum primum Mobile, ſed aquas ſupercæleſtes. Has forte ob rationes, vel ob alias non definiuit S. Thomas in 1. p. quid eſſet illud cauſatum ab Empyreo: ſed in ſignum dubietatis addidit, *vel aliquid huiuſmodi ad dignitatem pertinens.*

34 Sunt, qui aſſerant, Empyreum producere lucem in cælo ſibi ſubiecto: Ita Bellouacenſis lib. 3. ſpeculi naturalis, cap. 88. Durandus Argentinas, Angles, Zumel, Rubius, & Auerſa. Addunt vlteriùs Pariſienſis in primæ partis de Vniuerſo parte 1. cap. 41. clareſcere ab Empyreo totam ei ſubiacentem habitationem vſque ad nonum cælum. Et Bartholomæus Anglicus libr. 8. de proprietatibus rerum cap. 3. Cryſtallinum cælum recipere ab Empyreo lucem, ſeu luminoſitatis plenitudinem, & receptam ad inferiora diffundere. Id ipſum repetit cap. 4. quod & videtur ſentire Ioannes Picus Mirandulanus in Heptaplo expoſitione 2. de mundo cæleſti cap. 1. act. 2. Suarez numer. 13. non improbat diffundi ab Empyreo lucem in primum Mobile, quæ à nobis non videatur vel ob diſtantiam, vel ob opacitatem ſuperficiei concauæ primi Mobilis. Petrus Hurtadus diſputat. 2. de cælo ſect. 1. §. 5. ſcribit, *Lucem vnicuique corpori cæleſti neceſſariam diſpertitur Sol, aut cælum Empyreum.* Sed quoad diſperſionem lucis ab Empyreo non loquitur ex propria ſententia, vt conſtat ex ſection. 6. §. 66. Auguſtinus Steuchus libr. de mundi exitio non ſolum vult terras implendas fulgore à ſuperſtite Empyreo poſt diem Iudicij, ſed dum Iſaias præcinuit cap. 30. v. 26. *Lucem Solis fore ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum,* intelligendum *de lumine ampliſſimo, largiſſimóque Empyrei cæli, quod ab altiſſimis ſedibus omnia ſurſum, ac deorſum immenſo lumine colluſtrabit.* Bartholomæus etiam Sybilla in ſpeculo quæſtionum peregrinarum decade 1. cap. 3. quæſt. 2. ſic fatur, *Fortè tempore futuri ſæculi Empyreum radiabit vndique per totum mundum inferiorem, ita quòd nulla vmbra, vel obſcuritas remanebit tunc in Elementis.* Attamen hæc lucis ab Empyreo emiſſio adblandiri non poteſt iis, qui cum Sancto Thoma iudicant, tantam eſſe iſtius cæli raritatem, vt nequeat lucem eiaculari: neque placere nobis poteſt, qui Exercitat. 10. ſection. 3. diximus, Empyreum, ne extra effundat lucem prohiberi quodam quaſi velo, & cortina, quæ ſit non in ſuperiori parte alterius cæli proximi, ſed in inferiore ipſius Empyrei: quare neque in ſuperficie cæli ſibi immediatè ſubiecti lucem producet, quicquid velit Auerſa. Et licet poſt diem Iudicij non manebit præfatum impedimentum, vt etiam ſcripſimus in ſectione 10. eiuſdem Exercitationis; tamen neque tunc fortè Empyreum

extra

Digitized by Google

extra ſparget radios, eo quòd tunc omnia corpora cæleſtia,& elementaria tam intenſam habebunt lucem ſiue emanantem ex propriis formis, ſiue inditam à Deo, vt maiorem lucis acceſſionem nequeant accipere ab agente vllo naturali. Ad hæc: ſola nunc lucis ab Empyreo emiſſio in alios cœlos non ſufficeret, vt in mundo ſublunari ageret nunc Empyreum, vti non ſufficit Planetarum,& ſyderum lux, niſi addantur occultæ aliæ qualitates. Sed cùm Authores memorati non indicent, ſe curare de influxu Empyrei in ſublunaria, poſtremæ huic rationi inſiſtendum haud multum eſt.

SECTIO VI.

Repudiantur variæ opinationes de influxu Empyrei in res ſublunares.

35 Veteres aliqui innominati ab Alenſi, SS. Thoma, & Bonauentura, nec non à Richardo affirmarunt, Empyrei influxum medio lumine eſſe in diſpoſitiones ad animam rationalem. Qui prætereà dictitabant, Cryſtallinum cœlum influere in diſpoſitiones ad animam ſenſitiuam; ſyderenm verò in diſpoſitiones ad vegetatiuam. S. Bonauentura, poſt relatam hanc opinationem ait num.44. *Et hoc quidem rationale videtur, non ſolùm ratione ordinis influentiæ, ſed etiam ratione conformitatis naturæ. Cælum enim Empyreum eſt locus ſpiritualium ſubſtantiarum, locus etiam corporum glorificatorum: & quoniam conuenientia eſt loci ad locatum, vel manifeſta, vel occulta; videtur influentia illius cæli eſſe conſona corporibus noſtris, & animabus amica; non ratione ſui, ſed ratione ſuorum corporum, quæ perficiunt, & informant.* Hæc Seraphicus Doctor, quem infeſtum omninò non fuiſſe propoſitæ ſententiæ colligo vlteriùs exinde, quòd num. 47. obuiam it nonnullis obiectionibus contra illam. Arriſit Stephano Bruleſer in 2.diſt.2. q.8. Pelbarro in 2.libro Roſarij Theologici verbo *cælum* §.28. & Guilhelmo de Conchis apud ipſum; nec ingrata fuit Alenſi 3.p.q.23. membro 2.

36 Impugnantur tamen primò, quia cùm in homine eadem anima ſit realiter vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, diſpoſitiones conducentes ad vnionem illius vt vegetatiuæ, deſeruient etiam ad vnionem illius vt ſenſitiuæ; idem de diſpoſitionibus ad illam vt rationalem: ac proinde tres cæli inducuntur ſine neceſſitate cum diuerſis influxibus ad diuerſas diſpoſitiones reſpectu animæ humanæ. Secundò, quia accidentia diſponentia materiam ad receptionem cuiuſuis animæ, reducuntur ſufficienter in cælum ſtellatum, vt in eorum cauſam. Et ſic Ariſtoteles inſcius diuerſorum illorum influxuum dixit lib.& cap.2.Phyſicor. textu 26. *Homo, & Sol generant hominem.* Tertiò, quia confingunt neſcio quod ſpeciale lumen in Empyreo. Quartò, quia cum tale lumen non perueniat ad corpus quod diſponitur, vt vniatur animo rationali, opus eſt, aſſignent alias qualitates tranſmiſſas ab Empyreo. Et hæc ſint ſatis contra antiquatam exiſtimationem, quam nec à ſuis Authoribus vlla firma ratione ſtabiliri, nec etiam aduerſariorum argumentis planè conuinci pronuntiant Connimbricenſes; quamque Angelicus Præceptor 1. part. quæſt. 76. art.7. in corpore, tanquam *fictitiam, & deriſibilem* ſpernit. Sed aduerterim, conuenientiam loci ad locatum non eſſe argumentum vllius influxus, vt S. Bonauentura ſuprà deducere tentabat: Angelis namque conueniens locus eſt Empyreum, neque ideo hoc influit aliquatenus in illos; & in ſect. 2. Exercit.23. conſtabit, ſaluari optimè abſque alicuius influxus veſtigiis conuenientiam Empyrei, vt loci, cum corporibus glorificatis, vt locatis. Quòd ſi naturalis locus, quando actu continet locatum, non debet influere poſitiuè in ipſum, vt tradidi in num.30. multò minùs, quando actu non continet; vt contingit in Empyreo reſpectu corporum, quæ diſponuntur ad vnionem cum anima humana.

37 Quidam, habiti ſapientiſſimi à Cælio Rhodiginio lib.1. lectionum antiquarum cap.4. autumarunt, lucem Empyrei influere in animales, & vitales ſpiritus hominis: Sed opinatio iſta peſſumire debet ex dictis; vt præteream alia, quibus eius futilitatem poſſem patefacere vberiùs.

38 Aureolus, & Richardus proferunt iudicium aliquorum, qui ad influxum Empyrei reuocant peculiares effectus, quos in diuerſis terræ regionibus ſemper experimur. Hinc Maro libr. 2. Georgicorum.

Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt.

Anteà lib. 1.

Et quid quæque ferat regio, quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuæ
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina, nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur: molles ſua thura Sabæi?
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea Eliadum palmas, Epiros equarum.

S. Sydonius in Panegyrico ad Maiorianum,

——— fert Indus ebur, Chaldæus amomum
Aſſyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Athis mel; Phœnix palmas, Lacedæmon oliuam,
Argos equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchũ,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus Caſtoream, blattam Tyrus, æra Corinthus,
Sardinia argentum, naues Hiſpania defert.

Ouidius alicubi,

Nec tellus eadem parit omnia, vitibus illa
Conuenit, hæc oleis, hic benè farra virent.

Horatius libr. 2. Satyra 4. notat idipſum quoad mare,

Sed non omne mare eſt generoſa fertile teſtæ.
Murice Baiano melior lucrina Peloris,
Oſtrea Circeis, Miſeno oriuntur echini,
Pectinibus patulis iactat ſe molle Tarentum.

Iudicium illorum, quorum Richardus meminit, odio ſum ipſi non fuit. Aſſerit namque, *rationi euidentiùs concordare.* Suarez num. 15. notat inconſequentiæ Richardum, qui cum quæſt. 2. adſtruat, Empyreum eſſe homogeneum, in q.3. diuerſas influentias ad partium difformitatem reducat. Sed tamen Richardus in quæſt.2. ſolùm adſtruxit, Empyreum eſſe homogeneum in lumine, proindéque non diſcriminari ſtellis: & in quæſt.3. v. *dicunt tamen*, & v. *alij autem*, innuit, eſſe heterogeneum in aliis diſpoſitionibus diſtinctis à luce. Idem iudicium placidũ fuit Emmanueli de Valle de Moura, & Noſtro Clauio, qui ſciens, *Philoſophos reſpondere diuerſitatem effectuum in eodem climate pendere totam ex varia diſpoſitione terræ,* inſtat ſic, *Cum terra diſponatur variè à variis adſpectibus corporum ſuperiorum, non poterit reddi ſufficiens cauſa, cur in eodem climate eadem non ſit diſpoſitio, quandoquidem omnes partes eiuſdem climatis reſpectu calorum mobilium eoſdem habeant adſpectus ſucciſſiuè.*

39 Nihilo

Digitized by Google

39 Nihilominus non acquieſco; tum quia rectè à Philoſophis diuerſitas effectuum in eodem climate reducitur ad diuerſas diſpoſitiones, & proprietates inditas regionibus ab Authore naturæ, ipſiſque coæuas; necnon ad varias aëris, & aquæ mixtiones intra viſcera terræ: ac denique ad difformem aſtrorũ aſpectum: vt enim animaduertit Auerſa, *Licet aſtra aſſiduè reuoluantur, tamen peculiari quodam reſpectu dici ſolent varia aſtra, & cœli ſigna, variis terræ regionibus præeſſe*. Tum quia Empyreum eſt vniforme, & homogeneum, non ſolùm in luce, ſed etiam in aliis, quibus gaudeat, diſpoſitionibus; ſecundùm totam ſuperficiem concauam, totámque regionẽ mediã, excepta ſoliditate, in qua per me diſcriminatur regio media à ſuperficie concaua, & conuexa. Ergo diuerſitas effectuum in eodem climate inſufficienter reuocatur in ſuperficiei concauæ, aut regionis mediæ influxum. Conſequentia liquet, ſiquidem à partibus omnimodam ſimilitudinem habentibus, non poteſt præciſè oriri diuerſitas operationum. Quare ex vna parte ſuperficiei concauæ non poterit præciſè deriuari operatio diuerſa ab ea, quæ deriuetur ex alia. Idémque eſt de partibus regionis mediæ, ſi eas dicatur influere. Antecedens indubiũ eſt apud Theologos tam antiquos, quàm recentes, dempto vno Richardo, vt reſtatur Auerſa: & Albertus in ſumma de quatuor coæquæuis, q.4. art.14 ait *communem eſſe Magiſtrorum ſententiam quòd omninò ſit vniforme Empyreum*, addens in art.15. vniformitatem, immobilitatémque eius *ſub opinione eſſe, & non de his quæ ponit fides*. Non diſſimiliter arguendum eſt contra eos, qui diuerſas hominum inclinationes pro diuerſis mundi plagis reducunt ad Empyrei influentias. Et quidem, vt opportunè notat Arriaga in n. 19. diuerſarum inclinationum ſufficientiſſima cauſa eſt diſtantia maior, vel minor Planetis, & aſtris, vicinitas maris, ac lacuum, varietas ciborum, &c.

40 Fuit nonnemo, qui deſpectis ventorum variis cauſis, quas iam hi, iam illi defenſant, recurrit ad Empyreum, quaſi iſtud debeat eſſe aſylum, quò confugiendum ſit, dum ſublunaris alicuius effectus ignoratur cauſa. Sed ventoſę imaginationis nullum firmũ, nullũ ſolidum affert fundamentũ, quinpotiùs viam patat ad illudendũ magnæ parti Philoſophiæ.

41 Dominicus Bañez vult, Empyreum cauſare diffuſionem intentionalem cæterorum corporum in Vniuerſo. Cùm enim ſit primum corpus cauſans ſui ſimilitudinem in medio, erit etiam cauſa diffuſionis aliorum corporum; & cùm hæc diffuſio cauſetur primariò ab Angelis in inferioribus, efficietur mediante aliquo ſuperiori corpore, vt ſic coniungantur infima ſupremis ex interuentu intermediorum. Huic dicendi modo anſam præbuit Ferrara, dum loco citato in n.3. ait, S.Thom. non tribuiſſe Empyreo aliam actionem, quàm diffuſiuam ſuæ ſimilitudinis Sed ſi expendantur Angelici Doctoris verba exarata in n.32. haud quaquam arridebit interpretatio. Nam Empyreum influere virtutem cõtinẽdi, & cauſandi, non eſt efficere diffuſionem ſuæ ſimilitudinis, ſeu ſpecies ſui. Reuertor ad Dominicum Bañez. Si intendat perdoctus Theologus, Empyreum in ordine corporum eſſe quaſi cauſam exemplarem diffuſionis aliorum corporum cæleſtium, & ſublunarium, non renuam. Aſt hæc non eſt phyſica influentia, ſed moralis. Si intendat, reliqua corpora diffundere ſui ſpecies ex coëfficiẽtia phyſica Empyrei, refragabor, dum iſtius coefficiẽtiæ efficaciora non videam fundamenta. Neque ipſũ Empyreũ diffũdit lucẽ, & ſpecies ſui ex iuuamine actiuo Angelorũ. Vnde ruit ratiocinatio Dominici Bañez; vt omittã, Empyreũ, cùm ſit tã diſtãs à me, non poſſe coefficere ſpecies, quas emittit meũ corpus, niſi applicetur meo corpori mediis aliquibus qualitatibus ſparſis per ſpatium intetiacens. Et velim, explicetur, quænam illæ ſint?

42 Ioan. de S.Thoma exiſtimat, Empyreũ adiuuari à perfectione lucis Angelicæ, qua decoratur, vt influat aliquid pertinẽs ad dignitatẽ, ſeu permanẽtiã. Cõtra primò, quia nec declaratũ, nec cõpertũ habemus, quidnã eſt hoc, quod dicitur pertinere ad dignitatem, ſeu permanentiã in rebus ſubcœleſtibus. Secundò, quia nulla corporea lux refũditur ab Angelis in Empyreũ vt à n.95. vſq; ad 98. Exercit. 20. probabo non perfunctoriè. Tertiò, quia alioqui pro maiori, vel minori numero Angelorũ exiſtentiũ in Empyreo, augerẽtur, vel minuerẽtur hui⁹ influẽtiæ, ſiquidem augeretur, vel minueretur lux cauſata ab Angelis, proindéq; & influẽtiæ, ad quas adiuuaret. Quòd, ni fallor, abſurdũ cuique apparebit. Quartò, quia Empyreum, vel adiuuatur à perfectione lucis Angelicæ tanquã ab aliquo omninò neceſſario, vt influat vtcunq;, vel tanquã ab aliquo cõducẽte tantùm, vt fortiùs, & actuoſiùs influat? Si ſecũdum; ſequitur abſurdũ iã indicatũ. Si primũ, ſequitur aliud maius abſurdũ, ſcilicet ceſſatio Empyrei ab influentiis, tũ quãdo Chriſtus aſcendit in cœlũ, tũ quando ſanctiſſima eius Mater aſsũpta eſt in illud. Nam in priori euentu non eſt dubium, quin omnes Angeli deſcenderint ab Empyreo, vt Chriſtũ aſcẽdentẽ comitarẽtur, eiq; gloriã, & honorẽ exhiberẽt. Sic Suar. t.2. in 3.p. diſp.51. ſect.2. in fine. lib. etiã 6. de Angelis c.11. n.47. Nauæus in Chronico apparitionũ & geſtorũ S.Michaëlis lib.5. c.8. & ex antiquioribus Vbertinus Caſalẽſis in arbore vitæ Crucifixæ lib.4. c.33. In poſteriori euẽtu cũcti ſimiliter Angeli officioſos ſe præbuerũt erga auguſtiſſimã Reginã. Sic idẽ Caſalenſis c.39. Carthuſianus in 4. diſt.45. q.1. Amadęus Raptu 8. ſuæ Apocalypſis. Suar. t.2. in 3.p. diſp.21. ſect.2. v. vlt. & in loco altero proximè allegaro. Poza lib.2. Elucidarij Deiparę tr.16. c.8. Cerda c.8. de excellentia cœleſtium Spirituũ n.13. Pelbartus in Pomerio ſermonum de B. Virgine lib. 10. par.1. ac 2. Arriaga t.2. in 1.p. diſp.21. n.40. Pro qua pia cogitatione legẽdi ſunt S.Ber. ſerm.1. de Aſſumptione. S.Anſel. lib. de excellẽtia Virginis c.8. S.Antoninus 3.p. ſũ. Theologicæ tit.31. c.& §.3. rurſus 4.p. tit.15. c.45. §.3. ac 5. Petr. Damiani ſerm. de Aſſumptione, aliiq; Patres apud Pozam. Fuere forſitan aliæ occaſiones, in quibus omnes Angeli diſceſſerũt ab Empyreo, vt in Cõceptione Chriſti Domini. Ita Ioan. Rebellus lib.3. vitæ Chriſti c.1. a.2. in Nocte Natiuitatis. Ita Vincent. Regius lib.1. Elucidationũ Euangelicarũ c.9. n.60. In Reſurrectione. Ita S.Mecthildis lib.1. ſpiritualis gratiæ c.37. Contr. quintò, quia, cũ lux Empyreo innata, vt proprietas & lux ſuperaddita ab Angelis vt aduentitia, non ſe diffũdat in ſublunaria, quin potiùs cõtineat ſe intra Empyreum, neceſſe eſt recurrere ad alias qualitates, quæ traiiciantur in ſublunaria.

43 Si Viguerij doctrina in Inſtitutionibus c.3. §.2. v.11. & latiùs in antecedenti v.4. accepta alicui eſſet, diſſolueret facilè tertiã, & quartã impugnationẽ. Ait nãq; Viguerius, *Non ſẽper Angeli ſũt in cælo definitiuè; ſed ſolùm vbi operãtur: tamen ſunt ſẽper in cælo per effectũ, ſiue ornatũ, qui, vt dictũ eſt, quandã refulgentiã ex ipſis in ſedibus deputatis reſultantẽ importat.* Sed huic doctrinæ pauci, aut nulli ſubſcribent, quia ea refulgẽtia reſultans in ſede Empyrea Angeli ex præſentia ipſius nequit cõſeruari virtute naturali, Angeli, dũ ipſe diſcedit ab Empyreo, & exiſtit in orbe ſublunari. Dicere autẽ, cõſeruari diuinit⁹ vel

Digitized by Google

vel à ſolo Deo, vel ſimul à Deo, & virtute Angeli eleuata obedientialiter, vt agat à tanta diſtantia, non agendo per medium, eſt prorſus voluntarium. Adde, eam refulgētiam eſſe rationem formalem, per quam Angelus ſit realiter præſens Empyreo, vt Viguerius cenſet. Ergo ſi ſemper manet talis refulgentia, ſequitur, Angelum vel nunquam abeſſe realiter ab Empyreo, vel ſimul realiter adeſſe Empyreo & terræ v. g. quoties in terra aliquid operatur. Quorum alterutrum falſiſſimū eſt, & à Viguerio non conceditur.

SECTIO VII.

Profertur exploratoria quædam, & tentabunda cogitatio de influxu Empyrei in alia corpora cœleſtia, & ſublunaria.

44 TAntę difficultatis eſt comperire, quiſnam ſit influxus Empyrei, vt ingenuè fateantur Durandus, Palatius, Angles, Suarez, Conimbr. occultū ſibi eſſe quid præſtet, quouſque eò pertingat; *ſicut ignoramus*, inquiunt Durandus, & Angles, *multa alia, quæ ſunt nobis viciniora, vt cùm magnes attrahit ferrum, ignoramus, quid influat.* Hoc tamen exemplo non reprimitur impetus Authorum, qui negāt Empyreo omnē influxum; imo inualeſcit magis. Nam attracti ferri à magnete manifeſtam habemus experientiā; indéq; inferimus ſatis philoſophicè, immitti à magnete in ferrum qualitatem aliquā, etſi qualis ea ſit, ignoremus. Aſt nulla extat experientia, qua manuducamur ad tribuendum Empyreo influxum per ignorā etiam qualitatē. Non ergo philoſophicè tribuitur Empyreo. Et aliūde nec ſacræ Scripturæ authoritas, nec vetuſtiſſimorū Patrum fauēt teſtimonia. Sed Suar. adhuc ait in n. 17. *Nec propter hunc defectum noſtræ cognitionis negare debemus omnem illius cæli influentiā, quia euidēs nobis eſt in rebus nobis vicinioribus eſſe plures virtutes agēdi, quas ignoramus, quia earum effectus experti non ſumus, nec ſatis experiri, aut ab aliis cauſis diſtinguere poſſumus. Satis ergo eſt, quòd in generali, & veluti à priori, ex illius corporis nobilitate colligamus, non poſſe carere omni agendi virtute.* Hactenus eximius Doctor qui virtutem actiuam Empyrei rimatur tantùm ex eius nobilitate.

45 Vnde ſi obiiciatur, incognita eſt talis virtus, & vrgentis deſtituta authoritatis fundamento. Ergo non debet admitti. In prōptu eſt reſponſio, incognitam quidē eſſe à poſteriori, & ab experiētia, non verò à priori. Si iterùm opponatur, nec neceſſaria, nec cōducens eſt ad aliquē effectum talis virtus. Occurrit Suar. inquiens, *non habere aliquem ſpecialē effectum, præter eos, qui ab aliis cœlis proueniunt, quamuis ex influentia cæli Empyrei, vel maiori virtute, & efficacia fiant, vel etiā aliter temperentur, & diſponantur*, coadiuuante & cooperāte Empyreo aliis aſtris, & cœlis, vt idem Doctor immediatè antea expreſſerat. Et hoc modo poteſt exponi S. Thom. dum tradit Empyreū influere in inferiores cœlos *virtutem continendi, & cauſandi*. Ideſt, virtutem continendi & cauſandi in actu ſecundo, quatenus cum ipſis ſimul concurrat. S. etiā Bonauent. valet ſic intelligi, dū in n. 47. ſcribit, *Poteſt ſuſtineri, quòd ad eoſdem effectus influunt Empyreum cælū, & ſtellatum; nec tamen alterū eorum ſuperfluit, quia virtus cæli inferioris, & influentia adiuuatur per virtutē ſuperioris, & virtus ſuperioris operatur mediante virtute, & influentia inferioris. Ideò neutrū ſuperfluit: ſed ad hæc inferiora conſeruanda, & perficiēda virtus vtriuſq; concurrit.* Richard. deniq; ſimiliter poteſt accipi, dum q. 3. v. *Ad ſecundū*, fatur in hunc modū, *Et ſicut omne mobile reduci oportet ad immobile; aliquo modo à ſimili dici poteſt, quòd forte influentia cælorum mobilium, quæ alternantur, iuuentur, & contēperentur per influentiā cæli Empyrei, quod non mouetur, nec eius influentia alternātur.* Probabilia hæc ſunt; ſed nodus etiam num vrget. Etenim alij cœli, & aſtra habent ſufficientem virtutē, vt influant in ſuos effectus, in aurū ſcilicet, ſegetes, &c. nō minus, quàm ignis, vt ignem efficiat. Ergo ſuperfluè adiicitur iuuamē, & cooperatio Empyrei. Rurſus virtus & efficacia, quæ datur in aliis cælis, & aſtris, ſatis eſt ad effectus ipſorū; & nō niſi volūtariè dicitur, eos effectus aliter tēperari, ac diſponi ex cōcurſu Empyrei.

46 Aliquādo viſum mihi fuit, nō effectus, ſed conatus, & actiones aliorū cœlorū, ac aſtrorū temperari, & minui ex ſimultaneo Empyrei cōcurſu, ita quidem vt hic præſtaretur ad abundantiā; & non quia neceſſarius eſſet ſimpliciter ad exiſtentiā effectuum, neq; quia alij cœli, & aſtra indigerēt abſolutè iuuamine Empyrei cooperātis. Sic materia, quæ ſola in homine, eſt apta ſuſtentare quantitatē: partiri poteſt ſuū concurſum cū forma ſubſtātiali materiali in bruto, ſiquidē & ea forma ſit apta ſuſtētare ſaltē inadæquatè quantitatē. Illū, qui hoc pacto diſcurreret, redargui facilè nō poſſe, ait Arriag. diſp. 5. Ph. n. 18. Et licèt nec Arriag. nec ego quātitatē in forma ſubſtātiali materiali ſuſtētari, vel inadæquatè cōcedamus, aliis ducimur rationibus. Sic deinde materia, vel quātitas, quæ ſola in aëre recipit ſpecies impreſſas viſiuas diffuſas ab obiecto materiali, non ſola in viuēte, ſed ipſa ſemel & anima, vel potentia viſiua diſtincta recipiūt præfatas ſpecies, partiente materia, vel quantitate concurſum materialē cum anima, vel potentia, vt docet Franciſc. Alphonſus diſp. 7. Animaſtica n. 52. ac 53. Sic præterea per Arriag. diſp. 3. Animaſtica ſect. 2. ſubſ. 3. materialis anima bruti recipit adæquatè ſenſationes, cùm tamē ſenſationes hominis recipiātur tum in anima ſpirituali, tū in materia. Sed hoc exemplū aliquāto remotius eſt, quàm duo præcedentia, non enim procedit reſpectu eiuſdē cauſæ receptiuæ, neq, eiuſdem etiā quoad ſpeciē entitatis receptæ, ſi dicatur, ſenſationes omnes bruti diſtingui ſpecificè ab omnibus hominis ſenſationibus. Sic vlterius in opinione peracuti Recētioris, calor vt octo, qui primo inſtāti productionis ignis ſuſtentabatur à ſola materia, non enim poterat à forma, vt potè ad hanc diſponens, & præcedens, cauſatiuè, *niſi forte quis ita inſaniat*, inquit S. Greg. Thaumaturg. diſp. de Anima ad Tatianum, *vt id, cuius illud ipſum, quod eſt, ex alio ſic pendet, vt abſq; illo eſſe nequeat, eius ipſius, ex quo pendet, cauſam eſſe velit.* At deinde in inſtāti ſecūdo ſuſtentatur calor tam à materia, quàm à forma, dúmq; in aliis corrūpitur ignis, redit materia ad ſuſtentationem adęquatam perſeuerantiū graduum aliquot caloris. Vnde Recentior ille non debuit vt falſam repellere meam cogitationem de Empyrei concurſu ex abundāti, eo quòd cœlum ſydereum ſit ſufficiens cauſare ſuos effectus. Omitto Thomiſticam ſententiā de indiuiſibili integraliter bruti perfecti anima materiali, quæ in nutritione ſuſtentatur à pluribus materiæ partibus, quàm anteà, à viginti v.g. cùm anteà ſufficerent decem ex illis. Prætereo opinionē aliquorū ex Noſtris, qui ſubſiſtentiā ſimplicem cōpoſiti humani dicunt ſuſtētari ab anima rationali, & materia ſimul, tametſi dum anima exiſtit ſeparata ſuſtentet illam ſe ſola ſufficienter atq; adæquatè. Quo argumento vſus ſum in Exercit. & ſect. 8. contra alios nunc à nobis diſcordes, fuitque proinde tunc efficax ad homines.

47 Progredior ad alia exēpla deſūpta à cauſa effectiua. Et vnum ſit ſubſtātiæ efficientis actu accidens in

Digitized by Google

in ſubiecto extraneo,quando eſt proportionata illi, etiamſi in ipſa exiſtat aliquod accidens æqualis,vel maioris perfectionis cum accidenti producto; efficientis,inquã,partialiter,& ſimultaneè cũ accidenti exiſtenti in ipſa.Scripſi, *Quãdo eſt proportionata accidenti producto*,ſi enim ſubſtantia nullã habeat proportionem cũ illo, vt aqua cũ calore,tunc quidem calor afficiẽs aquã producet adæquatè aliũ calorem. Ita Ouied.contr.9. Phyſic.punct.3.art.3. Alterũ ſit accidentis efficientis cum ſubſtãtia ſimilem aliam. Nam licet ignis *A*.v.g.æquet in perfectione ignem *B*.eique ſufficiẽter proportionetur,attẽperat ſuum concurſum in præſentia caloris; vti attemperat intellectus in præſentia habitus naturalis : & vti ſecundùm cõmunem ſententiã vnus ignis attẽperat ſuum concurſum in præſentia alterius, quando in paſſo æquè approximato ad vtrumque producitur ignis. Quòd autem calor ſit imperfectior igne,non obſtat, ne hunc inadæquatè producat, vt conſtat à paritate ſpeciei impreſſæ cauſantis inadæquatè cognitionem perfectiorem ipſâ. Hunc in modum defendit P.Suar.diſp.18.Metaph.ſect.2.n.25.concurſum ſimultaneũ accidentis cum ſubſtantia ad aliam ſubſtantiam. Cùm enim ſibi obieciſſet ſuperfluere immediatam accidentis actiuitatem in præſentia ſubſtantiæ,quam ſtatuerat poſſe,imò & debere immediatè influere, reſpondet, *Quamuis daremus ex parte formæ,quãdo illa ſufficienter adeſt,non eſſe abſolutè neceſſariã aliã vim actiuã,tamẽ quia hæc aliàs eſt per ſe neceſſaria,& cõnaturalis,ideo tunc etiã cõcurrit, & multũ iuuat ad actionẽ*.Hæc magnus ille Doctor.

48 Ex quo ſic ratiocinabar. Calori tribuitur ex abũdanti cõcurſus inadæquatus in præſentia ignis, quia in eius abſentia illum habet;aliter in pluribus caſibus recurrendũ erit ad Deum, vt ad cauſam adæquatam creatorũ effectuum.Qui recurſus vitandus eſt homini Philoſopho,quoties commodè poſſit,vt prudenter conſulit Dominicus Sotus lib.2.Phyſic. q.4.concl.2. quia diſpoſitio Vniuerſi poſtulat, vt quicquid aptè fieri queat per cauſas ſecũdas,fiat per illas.Cùm autem ex applicatione ferri candentis ad ſtupã,ex colliſione lapidũ & tabularũ,ex percuſſione Calybis, & ſilicis,ex exhalationibus propero vectis curſu reſultat ignis, poteſt hic inadæquatè tribui calori,vt cauſæ efficienti,quin ad Deum recurratur adæquatè. Tunc ſic; Ergo cùm à Sole producitur aliquis effectus in orbe ſublunari poteſt ſatis philoſophicè reduci in Empyreũ, vt in cauſã partialem, non quidẽ ob exigentiã ipſius Solis,neque effectus producti;ſed ob exigentiã Empyrei fũdatã in huius nobilitate, & ſupremi corporis dignitate. Vt enim cõcurſus,quẽ calor habet,dũ eſt præſens ignis,fundatur in ſola exigentia caloris deducta ex virtute ipſius in abſentia ignis; ita in ſolius Empyrei exigentia,cuius ratio ſit tanti cœli excellentia,fundari valebit eius concurſus cum cæteris cœlis,& aſtris. Non abſimili modo efformari poteſt argumentum ex ſuperioribus aliis exemplis.

SECTIO VIII.

Opponuntur,& enodantur quinque argumenta contra præcedentem cogitationem.

49 SI quis obiiceret primò,ad rem non eſſe allata exempla. Nam calor v. g. ideò concurrit ex abundanti in præſentia ignis,quia ſupponitur probatum,habere ex ſe virtutem inadæquatam producendi, Aſt de Empyreo reſtat probandum habere virtutem inadæquatam producendi effectus, qui proueniunt ab aliis cœlis,& aſtris. Dicebã eam virtutẽ in Empyreo ſupponi probatã à priori ex ipſius dignitate, etſi à poſteriori, & ab experientiis incognita ſit.Vnde cõſtat,& magis innoteſcet ex dicẽdis,qua ratione valeãt,ſintq; è re exẽpla propoſita.

50 Si argumentaretur ſecundò:Sol ſe ſolo eſt ſufficiens cauſa effectus,quẽ ſimul cum Empyreo aſſeritur producere. Ergo ſuperfluè ponitur concurſus Empyrei,multiplicantúrque cauſæ partiales pro effectu,cùm tamen Philoſophia dictet,admittendam non eſſe vllam etiã cauſam partialẽ,quæ neceſſaria non ſit ad exiſtentiã effectus.Quare ſicut gratis diceretur,Solem influere cum omnibus cauſis ſublunaribus ad ſuos effectus,vt cum igne ad cõburendã ſtupam;ita gratis ponitur,Empyreũ concurrere cum Sole,& homine ad generandũ hominẽ.Reſpondebam,licèt Sol ſe ſolo,ſeu ſeorſim ab Empyreo, non verò à cauſa prima, & ab aliis concauſis, de quibus non eſt controuerſia, habeat ſufficientiã ad producendũ ex vi alicuius poſſibilis cauſalitatis, non tamen ex vi cauſalitatis præſtandæ ex ſuppoſitione, quòd exiſtat Empyreũ: quippe ex tali ſuppoſitione debet attẽperare ſuũ concurſum Empyreo influenti ex abundãti.Quemadmodùm ignis attẽperat ſuum concurſum calori ex ſuppoſitione,quòd hic exiſtat in ipſo:ſi autẽ eo orbatus applicaretur paſſo diſpoſito,efficeret ſe ſolo alium ignem. Neque ſuperfluè ponitur concurſus Empyrei; nam licèt non ſit neceſſarius ad effectum ſecundùm ſe,ſecùs ad illum vt productũ per talẽ cauſalitatem.Vt autem cauſalitas aſſeratur depẽdens ab Empyreo,ſufficiẽs motiuũ eſt huius dignitas,& rationes,quæ pro influxu ſũt adductæ in ſect.2.nec non cõmunis tot antiquorũ,ac recentiũ ſententia,quæ non eſt facilè reiicienda,vbi euidens ratio in contrariũ non occurrit,vt in ſimili de influxu accidentiũ in ſubſtantiã, inquit Suarez n.14.Pro concurſu Solis ad omnes effectus cauſarum ſublunarium,nullum eſt fundamentum.

51 Si opponeret tertiò:Quoties duæ cauſæ concurrunt ad aliquem effectum,altera illarũ debet eſſe principalis, altera inſtrumentalis, vel ſi vtraque ſit principalis, vtraque debet habere virtutẽ innatam adæquatã in actu primo.Sed Empyreũ non eſt cauſa principalis per reſpectũ ad cœlum ſydereũ, neque eſt inſtrumẽtalis, neque vtrumque ſe gerit vt cauſa principalis eorum ſaltẽ effectuum,qui alterutrũ, & vtrumque ſuperant in perfectione, qualia ſunt viuentia v.g.generata ex putrefactione,& calore Solis, ſi quidem ad eorũ productionem non gaudent virtute innata adæquata in actu primo. Occurrebã, Si ſermo ſit de effectu non ſuperãte in perfectione vtrumque,neque alterutrũ cœlum,poſſet adhuc ſydereum dici cauſa inſtrumentalis per reſpectum ad Empyreũ, quia maior nobilitas huius præ illo præbebit aptè occaſionem tali nomenclaturæ.Sic calor concurrens cum igne ad calorem in ſubiecto extraneo,vocabitur non abſurdè cauſa inſtrumẽtalis per reſpectum ad ignẽ.Sic etiã creaturæ per cõparationem ad Deum nuncupantur cauſæ inſtrumentales effectuum,quos ſimul cum ipſo efficiunt,tanquam cum nobiliori agente,etſi effectus æqualis, imò & minoris ſint perfectionis,quàm creaturæ aliæ,à quibus proueniunt. Si verò ſermo ſit de effectu, qui vtrumque cœlum excedat abſolutè in perfectione, foret vtrũq; cauſa inſtrumẽtalis, & principalis cauſa foret Deus,nec nõ quęcunq; alia entitas,quę ſuperior,vel par effectui in perfectione cõcurrat ad ipſũ per virtutem innatam,id namque ſatis eſt,vt aliqua cauſa ſit principalis abſolutè,ac ſimpliciter.

Digitized by Google

52 Si inſurgeret quartò: Empyreum non poteſt influere etiam ex abundanti in corpora ſublunaria ſimul cum aliis cœlis, & aſtris, niſi & in hæc influat, ne agat in diſtans, quin per medium. Nihil autem eſt, quod in hæc influat;& velum, quo nunc circundatur, impediet tranſmiſſionem cuiuſcunque influentiæ, vti impedit tranſmiſſionem lucis. Aiebam, Empyreum producere in corporibus intermediis qualitates aliquas occultas, quæ longè, latéque diffuſæ ſint inſtrumentum, medio quo operetur erga ſublunaria; non ſecùs ac Saturnus, v. g. per ſphæras inferiores diffundit qualitates deſeruientes, vt operetur in ſublunaribus. Neque ex eo, quòd velum Empyrei ſit impedimentum tranſmiſſioni lucis, ſequitur fore ſimiliter obicem traductioni cuiuſuis alterius non corruptiuæ qualitatis; alioqui denſitas, quæ in pariete obſtat, ne lux peruadat, obſtaret æquè, ne ſonus, aut ſpecies ſoni permearet; & è contra vitri denſitas, quæ ſono, aut ſpeciei ſoni non eſt facilè peruia, foret etiam difficilis tranſmiſſioni lucis; quod eſt falſum,& contra experientiam. Sufficiat hoc exemplum.

53 Si argueret quintò: Empyreum influet in omnes effectus reſpondentes Planetis, & aſtris, eo ipſo quòd in aliquos; non enim eſt ratio, cur potiùs in vnum, quàm in alium, ſiquidem æquè ſit applicatum, & proportionatum ad omnes, careatque heterogeneis partibus; neque his poſitis ſufficiet, nam in eadem regione, & ſub eodem ſpatio iam calor, & ſiccitas, iam frigus, & humiditas cauſantur; quæ effectuum diuerſitas non videtur oriri poſſe ex vno, eodémque principio. Admittebam, Empyreum concurrere ad omnes effectus cum planetis, & aſtris, & diuerſitatem illorum, tum in hæc, tum in alias concauſas ſubcæleſtes, reuocandam. Si premeret, ergo Empyreum influeret tanquam cauſa ab intrinſeco partialis, & non potens ſe ſolo illos effectus producere;proindéque minoris actiuitatis eſſet,quàm Planetæ, & aſtra,vt quę valerent operari tales effectus,caſu quo Empyreum non exiſteret.Dicebam inferri hęc benè quãtùm ad effectus exigentes influxum Planetarum,& aſtrorum;ſemper tamen actiuitatem Empyrei præcellere ob extenſionem ad quoſuis effectus.

SECTIO IX.

Soluitur aliud argumentum,ordine ſextum. Et diſcutitur, an idẽ effectus poſſit ſimul produci,à duplici cauſa adæquata in actu ſecundo.

54 SI ſextò, quis reclamaret; Non eſt, cur dignitas Empyrei non arroget ſibi influxum adæquatum, admiſſo ſemel vendicare inadæquatum. Reſpondebam plures eſſe effectus, qui dependere debent ex influxu cœli ſyderei, aſtrorúmque vario adſpectu, & motu. Hi non poſſunt oriri ab Empyreo per actionem adæquatam, & ſufficientem ad accipiendam exiſtentiam, ſatis itaque erit, quod oriantur per inadæquatam. Neque ſic oriri, eſt imperfectio dedecens Empyreum; aliàs dedeceret Deum concurſus partialis in effectus, quos ſimul cum cauſis ſecundis producit; non quia omnes ſuperent in perfectione cauſas ſecundas, à quibus procedunt; ſed quia dignitas Dei vendicat ſibi partialem illum influxum, vt ex conſtantiſſimo Philoſophorum, & Theologorum placito ſuppono. Præterea forſan aliqui effectus, qui ex ſimultaneo concurſu Empyrei, & cœli ſyderei fiunt in orbe ſublunari, poſſent cauſari à ſolo Empyreo per actionem adæquatam, & ſufficientem ad tribuendam exiſtentiam. De facto tamen non ſic fiunt, ne cœlum ſydereum, quod conceditur habere virtutem ad eos, priuetur omni influxu: Quare vtrumque attemperabit ſuum concurſum, vti in multorum ſententia duæ cauſæ ſublunares adæquatæ in actu primo illum attemperant,ſi ſimul conueniant, neque enim vna deſiſtit omnino ab actione in præſentia alterius; neque vna, & altera prodeunt in actiones adæquatas, & ſeorſim ſufficientes communicare effectui exiſtentiam.

55 Dixi *in multorum ſententia*,nam in noſtra duæ cauſæ creatæ, ſi conueniant, & ſint adæquatæ in actu primo, non attemperabunt ſuum concurſum, ſed quælibet, non aliter producet effectum, ac ſi nulla alia conueniſſet. Indicauimus hanc ſententiam in ſect. 3. Exercit. 12. & pro ea adduximus non pœnitendam rationem. Addimus nunc alias. Prima,Deus poteſt naturaliter duabus volitionibus virtualiter diſtinctis, reſpicientibus fines ſecundarios diuerſos velle producere Angelum, vt colligere eſt ex argumento proximè ſequenti. At iuxta plures Philoſophos, & Theologos, quorum doctrinæ ſuffragium noſtrum alibi dedimus, actio creatiua Angeli conſiſtit in volitione diuina producendi ipſum vt coexiſtente cum tali, vel tali inſtanti. Ergo idemmet Angelus poteſt naturaliter geminam actionem adæquatam productiuam ſui terminare. Dices, Si quid valeret argumentum,probaret ab eodem agente poſſe naturaliter oriri duplicem actionem totalem terminatam ad eundem terminum. Contra primò, quia ſaltem euincitur poſito argumento terminum non eſſe ex natura rei incapacem produci per duplicem actionem. Quare ſi hanc concedis in agente libero ob exercitium libertatis,admitte etiam in agentibus diuerſis neceſſariis;ſine fundamento enim minuis vnius actionẽ ex præſentia alterius. Contra ſecundò, Ergo duo Angeli,aut homines poterunt ratione libertatis applicare integras ſuas vires ad mouendum eundem lapidem,qui ſufficienter à quolibet poſſet moueri. Cur autem ab eodem agente neceſſariò nequeat naturaliter oriri duplex actio adæquata erga eundem terminum,tradam inferiùs.

56 Secunda ratio à duplici cauſa finali totali poteſt naturaliter prouenire executio externa eiuſdem medij. Poſſum enim ego ire in agrum,tum ob videndum amicum, tum ob recreationem corporis; ita vt per duas intentiones diſtinctas afficiar erga vtrumque finem, mouearque ad executionem medij, quo obtinendus eſt vterque finis, quorum vnus non repugnat alteri; neque proinde vna intentio eſt alteri contraria; & quæuis talis eſt, vt ſufficeret ad exequendum iter in agrum, etſi alia deficeret; ſicque actu concurrit, vt quamuis alia intentio mutetur, incipiam ego,aut proſequar eodem modo, ac anteà, iter. Ergo ſimiliter poterit naturaliter idem effectus trahere ortum à duabus cauſis phyſicis efficientibus adæquatis. Quòd enim vna ex illis ſit ſuperflua, aut ſuperabundans ad exiſtentiam effectus, non videtur obeſſe, vti non obeſt in cauſis finalibus. Reſpondebis primò, actionem cauſæ efficientis ordinari per ſe primò ad communicandam effectui exiſtentiam; ideóque accepta ab effectu exiſtentia per vnam actionem totalem ſuperfluit alia,& naturaliter dari non valet; aſt actionem cauſis finalis ordinari per ſe primò ad perficiendam voluntatem, & vt per illam exerceatur

huius

Digitized by Google

huius libertas: quare cùm magis perficiatur voluntas, eiúſque libertas magis exerceatur per duas intentiones, quàm per vnam, neutiquam erunt ſuperfluæ. Contra primò, quia etiam agentia neceſſaria perficiuntur ſaltem extrinſecè actionibus tranſeuntibus, iiſque exercent ſuam neceſſitatem. Vnde ſi voluntatis perfectio intrinſeca, & libertas præualet ſuperfluitati, aut ſuperabundantiæ vnius ex intentionibus reſpectu executionis; æquum eſt, vt extrinſeca perfectio, & neceſſitas agentium naturalium præualeat ſuperfluitati, aut ſuperabundantiæ vnius ex actionibus in ordine ad effectum. Contra ſecundò, quia ſicut actio cauſæ efficientis ordinatur ad communicandam effectui exiſtentiam, ita intentio finis ad electionem, executionémque mediorum etiamſi ſimul perficiat voluntatem, ſitque exercitium libertatis. Ergò ſi ad executionem concurrit duplex intentio nonobſtante ſufficientia vnius, vt ponatur à parte rei, ſic pariter, &c.

57 Dices ſecundò, probari nimis exemplo duarum cauſarum finalium, quarum quælibet adæquatè moueat ad eandem executionem; nam alioqui eadem etiam actio phyſica fieri poſſet à duabus cauſis efficientibus adæquatis. Quòd cùm omnes debeant negare, omnibus incumbit onus aſſignandi diſcrimen inter cauſas efficientes, & finales. Potéſtque inde deſumi, quòd cauſa finalis non tribuat propriè effectui exiſtentiam, neque vi ſui influxus comparet dominium phyſicum ſupra effectum. Sed contra, quia dependentia eiuſdem actionis phyſicæ à duabus cauſis efficientibus adæquatis inuoluit ſpecialem repugnantiæ, non tantùm ex natura rei, ſed etiam de potentia Dei abſoluta, rationem; quæ nullatenus militat in effectus abſoluti dependentia. Et nos eatenus vtimur exemplo finalium cauſarum, quatenus exequutio externa imperari poteſt, & exiſtere vi geminæ motionis intentionalis, quarum vnaquæque ſit ſufficiens, & adæquata, etſi fateamur competere cauſæ finali modum cauſandi diuerſum, ac efficienti, quicquid ſit de huius dominio phyſico, de quo poſteà.

58 Si actus electionis internæ conſiſteret non in actione, neque in modo, ſed in qualitate abſoluta, fieretque ab intentione per actionem, quæ ab hac dependeret eſſentialiter, & quæ eſſet ſimul cauſalitas efficientis cauſæ, & finalis, haberemus tertiam rationem peremptoriam omninò ad probandum naturalem ſimultatem duplicis actionis adæquatæ erga eundem effectum. Nam vnus electionis actus imperari poteſt naturaliter à duabus intentionibus reſpicientibus diuerſos fines adæquatos, non ſecùs ac de executione externa medij probauimus. Sed túc electionis actus produceretur per duas actiones adæquatas ortas efficienter à duplici intentione. Ergo, &c. Quia tamen ad hanc rationem aſſumuntur multa, quæ in controuerſia verſantur, idcircò contentus ſum ſola eius delibatione, vt qui in aſſumptis concordant, teneant conſequentiæ filum, & non adeò auerſentur duas actiones adæquatas ex natura rei.

59 Quarta ratio deſumitur ex inde, quòd, eandem entitatem creatam poſſe diuinitus dependere à priori à duplici actione ſufficiente, probetur communiter exemplo poſſibilis diuinitus dependentiæ à poſteriori à duplici vbicatione ſufficiente. At hæc dependentia non tantùm eſt poſſibilis diuinitus, ſed etiam naturaliter. Nam Angelus, qui naturaliter exiſtit in ſpatio palmari per vnam vbicationem, poteſt naturaliter dilatari ad ſpatium bipalmare, haberéque ſimul cum priori vbicatione aliam, quarum quælibet ſufficeret, vt Angelus exiſteret naturaliter. Ergo poterit ſimiliter ex natura rei ipſe Angelus, aut alia entitas creata dependere à priori à duplici actione, ita vt per quamcunque ex illis ſufficienter exiſteret ex natura rei. Supponitur in hoc argumento vbicationem Angelicam ad ſpatium diuiſibile poſſe eſſe diuiſibilem, vt probatur in num. 132. Exercit. 20. Supponitur prætereà, contra Hibernicum quendam memoratum ab Ariminenſi in 1. diſt. 4. art. 2. Baſſolium ibi quæſt. 4. art. 5. Rubconem quæſt. 2. art. 1. & contra Valentiam 1. part. diſp. 4. q. & puncto 3. non debere Angelum naturaliter exiſtere ſemper in ſpatio maximo reſpondente ſuæ locabilitati naturali. Nam ſi poteſt pro ſuo libito conſtituere ſe in hoc, vel illo ſpatio maximo, poterit etiam ſe conſtituere in minori, vt enim hoc maximum nõn eſt determinatè præ illo neceſſarium ad perfectionem naturalem Angeli; ſic neque huius, aut illius maximi tota latitudo requiritur ad præfatam perfectionem. Neque opponas, Deus non poteſt non exiſtere in omni loco, quia cum omni eſt proportionata infinita perfectio locabilitatis diuinæ. Ergo & Angelus non poterit non eſſe præſens toti loco ſuo adæquato, cum quo proportionetur finita perfectio locabilitatis Angelicæ. Non, inquam, opponas; nam Deus eſt in loco per identificatam immenſitatem competentem ipſi immutabiliter, & neceſſariò; Angelus verò per vbicationem ſuperadditam, & accidentariè conuenientem. Quare ſicut Angelus poteſt habere vbicationem iam in hoc loco adæquato, iam in alio, ita & vbicationem iam in toto loco adæquato, iam in eius parte, licèt Deus vt non poteſt deſerere vnum locum & accedere ad alium, ſic nec ad minorem partem eiuſdem loci ſe coarctare. Et mirum eſſet ſi Angelus nec diuinitus poſſet non exiſtere in loco ſibi maximo; id autem, aut nihil tuo argumento conuincitur. Neque ruſus opponas, quantitas nequit naturaliter occupare locum minorem adæquato. Nam diſcrimen eſt manifeſtum ob diuiſibilitatem quantitatis, quæ ſi occuparet locum minorem adæquato, vel aliquæ eius partes penetrarentur, vel aliquæ non exiſterent in loco. Cæterùm Angelus eſt indiuiſibilis, ideóque ſicut ob indiuiſibilitatem exiſtit naturaliter in toto loco adæquato, & totus in eius partibus; ita poteſt naturaliter exiſtere totus in vna tantùm parte, habens quidem facultatem exiſtendi in alijs, & eò in pluribus, quò perfectior eſt Angelus, ſed non neceſſitatem.

60 Retorquebit quis in nos exemplum vbicationis Angelicæ duplicatæ, nam Angelus non poteſt naturaliter habere duas vbicationes adæquatas, id eſt, non poteſt naturaliter eſſe ſimul in duobus locis adæquatis. Ergo neque poterit naturaliter idem effectus oriri à duabus actionibus adæquatis. Reſpondemus, vbicationem adæquatam, ſeu præſentiam ad locum adæquatum eſſe illam, quæ adæquat virtutem naturalem rei ad exiſtendum in loco; vnde fit, vt res quæ potiatur vbicatione vna adæquata, nequeat naturaliter habere aliam. Si in ſimili ſenſu accipiatur actio adæquata, quatenus ſcilicet ſignificet actionem, quæ adæquet producibilitatem naturalem rei; non poterit eadem res terminare naturaliter duas actiones adæquatas. Hoc tamen non obſtante, ſicut Angelus poteſt in conſortio vnius vbicationis ſufficientis, vt ipſe exiſtat in loco, habere aliam etiam ſufficientem, quin vtraque excedat locabilitatem naturalem Angeli;

Digitized by Google

ita pariter dicimus poſſe ſimul cum vna actione ſufficiente ad exiſtendum à parte rei, terminare aliam æquè ſufficientem, quarum neutra ſuperet producibilitatem naturalem Angeli. Argumentum in hoc efformatum poteſt etiam confici in anima rationali, quæ in corpore habet tot diſtinctas vbicationes, & vniones, quot ſunt partes materiæ, quas informat; atque adeò in corpore grandi gaudet pluribus vbicationibus, & vnionibus, quàm quæ ſimpliciter ſunt neceſſariæ, vt exiſtat in loco, & vt informet; ad id enim ſufficerent illæ, quas accipit in prima hominis generatione.

61 Quinta ratio: Si animæ materiales perfectorum animalium ſint indiuiſibiles, vt multi exiſtimant, aderit naturaliter eiuſdem animæ ſimul duplex cauſa materialis ſufficiens in actu ſecundo. Etenim à partibus materiæ acceptæ in generatione dependet, vt à ſufficiente cauſa materiali; eiſque conſeruatis poteſt naturaliter extendi ad alias partes materiæ adquiſitas per nutritionem, ſufficientes etiam ſe ſolis in actu ſecundo, vt animam ſuſtentent. Iam verò ſi eiuſdem formæ materialis datur naturaliter duplex cauſa materialis ſufficiens in actu ſecundo, quidni duplex efficiens? Vrget preſſiùs hæc ratio eos, qui in cauſa materiali agnoſcunt influxum phyſicum, ſed indiſtinctum realiter ab effectiuo. Et ſiue diſtinctus, ſiue indiſtinctus ſit ab vnione formæ cauſatæ efficienter, & materialiter, apparet non minor difficultas in duplici vnione ſufficiente eiuſdem extremi, quàm in duplici actione. Si animas materiales perfectorum animalium indiuiſibiles eſſe neges ob hoc argumentum, erit ſaltem efficax ad homines contra eos, qui affirmant eſſe tales de facto, vel poſſe à Deo tales fieri alias diuerſæ ſpeciei.

62 Sexta ratio: Poſtquam in inſtanti *A.* forma ignis introducta eſt in paſſo ab agente *A* adæquato, in inſtanti *B.* poteſt ex natura rei eidem paſſo vniformiter applicari aliud agens eiuſdem virtutis; & argumento ſatis eſt, ſi poſſit ſaltem diuinitus. At in hoc caſu forma ignis pro ſui conſeruatione terminabit naturaliter actiones adæquatas vtriuſque agentis. Ergo, &c. ſuadetur Minor, quia agentis *A* actio adæquata non ceſſabit, cùm non adueniat contrarium, ad cuius exigentiam deſtruatur, nec paſſum ſeparetur ab agente: deinde incipiet actio adæquata agentis *B.* cùm agens neceſſarium, ſufficientérque applicatum paſſo diſpoſito, non poſſit ſine vi cohiberi ab operatione, quam præcontinet in actu primo; neque producet aliam formam igneam numero tantùm diſtinctam, vel quia materia eſt naturaliter incapax habendi ſimul duas formas ſubſtantiales, vel quia vna præſtaret materiæ idipſum, quod alia. Si reſpondeas primò, agens *B* inuenire terminum iam factum, ac proinde nihil agere. Contra: ergo ſi vtrumque agens applicetur ſimul globo ligneo, ita vt is exiſtat in medio vtriuſque, aget vtrumque primò in centrum globi; & propterea etiam vtrumque conſeruabit formam in centro productam, ſi vnum poſt aliud applicetur. Etſi autem quod poſteriùs aduenit, inueniat formam productam, non tamen conſeruatam, quin potiùs à continuata huius exiſtentia præſcinditur pro priori ſigno inſtantis realis, in quo agens *B* applicatur. Cuius actiua virtus non euacuatur ex eo, quòd agens *A* operetur; illi enim conſtituto in actu primo ad actionem paſſibilem ſecundùm ſe, approximatóque commodè ad paſſum, extrinſeca omnino, & accidentaria eſt coexiſtentia cum hoc alio agente. Neque illud monetur, ne agat, ſed otietur in huius præſentia. Abhorret natura otium.

63 Si reſpondeas ſecundò, agens *B.* operaturum intenſiùs, vel celeriùs. Contra, eſto hoc teneat circa diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, non tamen circa ipſam formam, quam ſuppono conſeruandam ab agente *A.* etſi non adueniret agens *B.* Addo, agens *A* tale eſſe, vt etſi abeſſet *B.* eſſet ſufficiens producere citiſſimè in ſummo intenſionis gradu diſpoſitiones. Si reſpondeas tertiò, actionem dimidi inter vtrumque agens, eo quod vtrumque attemperet ſuum concurſum. Contra, quia non adeſt contrarium, ad cuius exigentiam deficiat actio adæquata agentis *A.* imo fieret in deſtructione illius contra appetitum agentis *A.* Et cùm negandus non ſit duplex appetitus adæquatus in actu primo ad eundem terminum, cur recuſatur duplex actio? Quod dicitur de attemperatione concurſus, difficilè intelligitur in cauſis neceſſariis. Ideò non pauci negant habitus potentiis neceſſariis, quia hæ agũt, quantùm poſſunt. Licèt verò concedantur, & ad præſentiam habitus minuat conatum potentia neceſſaria, cui inhæret, explicandum reſtat, quam maiorem facilitatem operandi habeat agens *A.* ex eo, quòd coniungatur per accidens agenti *B.* quin vnum alteri inhæreat. Inquies, vnum equum ſociatum alteri non adhibere tantum conatum, vt trahat currum, quem ſe ſolo poſſet trahere, ac quando non eſt ſociatus, cùm tamen ſit agens neceſſarium. Sed rogo, quiſnam tibi dixit id ſemper contingere? Et quamuis ita ſit, proueniet nihilominus ex appetitus excitatione ad præſentiã alterius equi, ſicut ex eius varietate prouenit, vt vnicus equus modò citiùs, modò lentiùs trahat currum; Si enim æqualis ſemper eſſet excitatio, foret etiam ſemper æqualis conatus. In agentibus liberis, videlicet in Angelis, & hominibus, non video cur duo Angeli, aut duo homines, non poſſint naturaliter ad ſuſtinendum, aut impellendum idem corpus, non ſuperans vires vniuſcuiuſque, conari æquè, ac ſi quilibet ſolus ſuſtineret, aut impelleret; præſertim ſi vnus inſcius alterius in id incumberet.

64 Sunt, qui fundent incompoſſibilitatem duplicis actionis adæquatæ in lege Dei ſtatuentis non determinare ſimul duo agentia ad actiones adæquatas erga eundem effectum. Sunt etiam, qui ipſas actiones dicant habere inter ſe incompoſſibilitatem naturalem, quia vna exigit non eſſe alterius. Sed poſteriores tamen gratis excogitant eam exigentiam in actionibus, cùm actiones non aliam participent incompoſſibilitatem, quam mutuatam à terminis, in quos tendunt. Priores verò non eleuant difficultatem. Satis enim vtcumque mihi erit obtinuiſſe poſſe naturaliter coexiſtere duas actiones adæquatas eiuſdem effectus, quantumuis ex lege Dei nunquam conueniant, vti in aliquorum opinione ob decretum diuinum nunquam reproducitur effectus iam corruptus, eſto poſſit, quantùm eſt ex rerum natura. Præterea, ſi lex illa non ſit concepta ad exigentiam naturalem actionum, vel agentium, vel termini, videbitur conficta ex proprio Marte; & licèt in loco præcitato conſiderata fuerit à me vt poſſibilis, tamen eam de facto à Deo latam non colligitur ex vrgenti vllo authoritatis, aut rationis indicio.

65 Alij aſſerunt, vnicùm effectum eſſe naturaliter incapacem terminandi duplicem actionem totalem, quia ex vnitate termini deſumitur naturaliter totalis actionis vnitas. Verùm hæc ſufficienter deſumitur extrinſecè ex vnitate agentis adæquati aut ſi mauis ex voluntate diuina, quæ eſt principium,

Digitized by Google

pium extrinſecum indiuiduationis rerum creatarum, & intrinſecè ex ipſamet actione, quæ per ſuam entitatem vna eſt, ſingularis, atque indiuidua. Nec vnitati termini obſtat multiplicitas actionum, ſicut neque vnitati fundamenti officit multiplicitas reſpectuum prædicamentalium adæquate diſtinctorum, caſu quo relatio prædicamentalis conſiſtat in modo. Quòd ſi vnicus effectus reſpicit naturaliter plures cauſas in actu primo adæquatas, & ſufficientes, quin id ſit contra eius vnitatem; non apparet, vnde contra eam erit, ſi ſubiectus ſit pluribus actionibus totalibus. Si vnica item cauſa poteſt ex natura rei exhibere plures actiones totales in diuerſos terminos, vndenam impedietur vnicus terminus, ne terminet actiones plures totales à diuerſis cauſis? Nec proderit dicere, actionem, & terminum comparari vt fieri, & vt factum eſſe. Vni autem in facto eſſe debere naturaliter reſpondere tantummodò vnum fieri. Hoc enim eſt falſum, ſiquidem idem terminus poſſit ex natura rei produci ſaltem diuiſiuè per multiformes actiones.

66 Inquies, actiones totales tendentes in vnicum terminum fore eiuſdem ſpeciei; duplicem autem accidentalem formam eiuſdem ſpeciei non commorari naturaliter in eodem ſubiecto. Sed imprimis reſpondetur, actiones productiuas eiuſdem effectus non debere eſſe eiuſdem ſpeciei; poſſunt enim agentia eſſe diuerſæ, adeóque & ipſæ actiones. Deus etiam poteſt producere Angelum per duplicem volitionem, quarum vna reſpiciat finem ſecundarium diuerſum, adæquatè à fine alterius. Quare & vna virtualiter differet quaſi ſpecie ab alia, licèt terminus ſit vnicus. Deinde caret nos fundamento ad multiplicandas in eodem ſubiecto formas accidentales numero tantùm diuerſas, quæ actiones non ſint; ſecùs verò ad has ingeminandas. Inſtas, non eſt potior ratio, vt multiplicentur actiones, & paſſiones, quàm formæ ſubſtantiales, quando eidem paſſo applicantur duo agentia ſimilia, v.g. duo ignes. Contra, quia eorum exigentiæ ſatisfit, ſi vnuſquiſque producat adæquatè formam igneam, & exſatiata ſemel tali exigentia, inutilis foret ingeminatio formarum ſubſtantialium, nam paſſo præſtaret vna quicquid & altera.

67 Inquies rurſus, idem terminus non poteſt naturaliter produci ab eadem cauſa adæquata per duplicem actionem totalem, quarum quælibet ſufficiat ad communicandum eſſe termino: Ergo nec poterit produci à duplici cauſa adæquata per duas actiones totales. Inquies, ſed clanguidè, nam aſſumptum deuiat à veritate in cauſa libera; maximè ſi actiones habeant diuerſum modum tendendi. In cauſa autem neceſſaria adæquata exhauritur vis eius actiua naturalis per vnicam actionem adæquatam reſpectu vnius termini: alioqui plures, & plures actiones adæquatas erga eum exhiberet ſemper. Adhæc: vt effectus exiſtat dependenter ab vna cauſa adæquata, ſufficit vnica actio adæquata; non verò vt exiſtat dependenter à duplici cauſa adæquata conſtituta in actu primo. Si opponas, Deus eſt in actu primo cauſa ſufficiens adæquata cuiuſlibet effectus creati, & tamen in præſentia cauſæ ſecundæ operantis non ſunt adæquatæ vtriuſque actiones. Dico, id eſſe, quia ſi cauſa ſecunda operetur, nequit huius actio eſſe adæquata abſolutè, cùm debeat habere ſibi identificatam actionem cauſæ primæ. At actio vnius ignis non debet eſſe identificata cum actione alterius, quia vnus non ſubordinatur alteri, & quia concurrentia vtriuſque non eſt per accidens, ſed per ſe. Et hinc obiter noto, ſi calor, & ignis influant coniunctim in calorem paſſi, poſſe dici non influere per actiones duas totales, quia ſcilicet calor ſubordinatur igni, cuius eſt proprietas, & amborum concurrentia eſt ex deſtinatione, atque præſcripto naturæ.

68 Premes etiamnum, ſi idem terminus aptus eſt naturaliter fieri per duas actiones adæquatas diuerſorum agentium, ſequetur, & per infinitas ſaltem ſyncategorematicè. Fateor, ſi de termino ſecundùm ſe ſit ſermo. Nec id diſſonantius eſt, quàm exequutionem externam eiuſdem medij, aptam ex ſe eſſe, vt à me intendatur, non per tot intentiones, quin per plures in infinitum ſyncategorematicè. Vnde niſi ego defatigarer eliciendo mille intentiones v.g. propter diuerſos fines, poſſet tam naturaliter ipſa exequutio, quantùm in ſe eſt, prouenire à mille, quàm à duabus. Sic pariter, ſi conuenienter poſſent naturaliter applicari vni poſſe, aut applicarentur diuinitus mille ignes, produceretur ab omnibus illis per actiones adæquatas eadem forma ignis non minus naturaliter, quantùm in ſe eſt, quàm ab vnico igne. Dices, præfigendum eſſe terminum producibilitati naturali effectus. Sed contra, quia formæ igneæ v.g. producibilitas naturalis, etſi debeat habere præfixum limitem quoad alia, vt quòd, exempli ergo, attingi nequeat naturaliter per actionem creatiuam, non quoad id, vt non attingatur niſi per vnam tantùm actionem generatiuam adæquatam, tum quia id eſſet contra actiuitatem naturalium agentium; vnumquodque enim independenter ab alio gaudet virtute adæquatè productiua, tum quia naturalis producibilitas formæ igneæ non creſcit indebitè in perfectione ex eo, quòd poſſit attingi ſimul per plures actiones adæquatas generatiuas, vti neque eius cognoſcibilitas naturalis ſic creſcit ex eo, quòd ſimul à Deo, ab Angelis, & hominibus queat attingi per cognitiones adæquatas naturales. Et ratio à priori eſt, quia perfectio producibilitatis naturalis attingibilis, ſiue ſucceſſiuè, ſiue ſimul per plures actiones adæquatas omninò ſimiles non eſt maior, quàm ſi per vnam ſolam. Obiectabis, naturalis locabilitas Angeli, aut hominis, ſuum ſeruat terminum, poteſt enim Angelus, aut homo adquirere naturaliter vbicationem ad tantum ſpatium, & non ad maius. Ergo & naturalis producibilitas effectus non erit abſque fine in ordine ad actiones, quas poſſit naturaliter terminare. Contra, quia experientia conſtat, homines occupare tantum ſpatium, & non maius, indéque inferimus non poſſe naturaliter ad hoc maius ſe extendere: eſt etiam ratione compertum, eorum quantitatem naturaliter commenſurandam eſſe loco. Definitio item Angelorum nobis eſt perſuaſa, tum quia videmus, animum rationalem, qui ſpiritualis eſt, non ſecùs, ac Angelus, & paulò imperfectior ipſo, informare corpus determinatæ magnitudinis, ita vt non poſſit naturaliter eſse in maiori per informationem. Et hinc ratiocinamur, Angelum, & animum rationalem ſeparatum habituros etiam ſuum terminum in mera præſentia ad locum; tum quia niſi Angelo competeret definitio ad ſpatium, poſset naturaliter, & pro ſuo arbitratu eſse vbique; quæ poteſtas, eiúſque exercitium, vel ſuperat perfectionem omnis creaturæ etiam poſſibilis, vel ſaltem aduerſatur documentis Scripturæ, & Patrum, dum loquuntur de creaturis, & de Angelis iam productis à Deo. Hæc cum ita ſint quoad terminum in naturali locabilitate Angelorum, & hominum ad certum ſpatium; tamen nullo ſimili argumento cogimur ad putan-

dum, naturalem producibilitatem creaturæ alligatam eſse ad vnam actionem adæquatam ſolam, ſeiunctamque ab aliis; neque ex capacitate naturali ad plures ſimul terminandas tribuimus creaturæ maiorem perfectionem, quàm quæ ipſi conuenire debeat, aut quæ conueniret, ſi vnius tantum terminandæ capax eſſet naturaliter.

69 Cenſebit nos aliquis immemores principalis obiectionis contra duas actiones adæquatas ex natura rei; quod ſcilicet cùm vna actio adæquata ordinetur primò, ac per ſe ad communicandam ſufficienter effectui exiſtentiam, conſequatúrque ſuum finem, inutilis erit & ſuperflua alia actio, & proinde contraria rerum naturæ abhorrenti, quæ ſuperflua ſunt. Sed huic obiectioni iam reſpondi in loco allegato, vnam actionem adæquatam in præſentia alterius, licèt ſit ſuperflua, aut ſuperabundans reſpectu effectus, ſed non reſpectu exigentiæ cauſarum, quæ proueniant per accidens prope idem paſsum cum ſufficiente virtute, vt quælibet producat effectum; ideoque ſuppoſita cauſarum concurrentia eueniente per accidens, & non ex intentione naturæ, permitti ab hac ſuperfluitatem, aut ſuperabundantiam vnius actionis in conſortio alterius reſpectu effectus. Id quod declaratum à me eſt familiari exẽplo effectus monſtroſi permiſſi ab eadem natura ob cauſarum per accidens concurrentium exigentiam. Ait nonnemo, monſtra naturaliter ideò exiſtere, quia ſi à cauſis applicatis non fierent, non poſſent illæ impendere ſuam virtutem in productionem aliorum effectuum, quibus compenſarent defectum operationis erga monſtra. Quando verò applicantur eidem paſſo duo ignes, v. g. etſi ab vnoquoque non producatur adæquatè forma ignea, ſed vterque attemperet ſuum concurſum, & ad vnam actionem totalem conſpiret, poteſt quilibet actiuitatem ſuam in aliam partem conuertere, & intenſione, aut extenſione effectus compenſare omiſſionem actionis à ſe aliàs adæquatè orituræ. Quaſi ignes præditi eſſent intellectu, aut ſenſu, vt vnus perciperet præſentiam alterius; & voluntate, aut appetitu, vt vnus vellet, aut appeteret, quando alter eſt præſens, agere diuerſo modo, ac quando eſſet abſens. Iaciamus globum ligneum in medium ignis, qui iam verſus circunſtantia corpora egerit quantum poteſt, aut qui exiſtat in vacuo, tunc iuxta Modernum illum producetur forma ignea in cẽtro globi ab omnibus partibus ignis æqualiter diſtantibus, ita quidem vt ab omnibus prodeat vna actio adæquata: anne idcircò compenſabunt productione aliorum effectuum defectum actionis adæquatæ, quæ à qualibet parte oriretur, niſi alia adeſſet? Anne intenſiorem calorem producent in globo aut citiùs ignefacient mille partes ignis, quàm ſi vnica tantum defuiſſet? Omitto, productione caloris magis intenſi verſus aliam partem non compenſari omiſſionem actionis adæquatæ erga formam igneam; nam ſi compenſatio non debet eſſe in eadem ſpecie actionis, poſſent cauſæ productiuæ effectus monſtroſi animari compenſare defectum actionis terminatæ ad ipſum, conuertendo ſe ad alias actiones, vt ad productionem caloris; atque adeo deberet natura non permittere monſtra. Alius Iunior, cùm ſtatuiſſet duas actiones adæquatas erga eundem effectum non eſſe poſſibiles naturaliter, quia à cauſis intenditur actio non propter ſe, ſed propter effectum, cui ſufficit vnica adæquata orta à pluribus cauſis etiam adæquatis, in actu primo; & propterea ſimpliciter ſuperfluit alia, eſtque impoſſibilis naturaliter, reſpondet ad exemplum monſtri, ideo à natura non impediri actionem erga illud, quia licèt ſuperfluat in manu ſextus digitus, v. g. permittitur tamen à natura, vtpotè contentus in cauſis per accidens conuenientibus. Sed quidem ſi permittitur effectus ſuperfluus, & non intentus primariò à natura, quia exigitur à cauſis, æquum eſt, vt permittantur duæ actiones adæquatæ in caſu gemini ignis applicati ad idem paſſum; quia nimirùm tunc poſtulantur à cauſis habentibus virtutem adæquatam ad illas. Neque natura ſolicita ſolùm eſt, vt ſatisfaciat exigentiæ erga effectum, oblita exigentiæ erga actionem; alioqui quando vnus tantùm ignis applicatus eſt paſſo petẽs actionem, quæ ab ipſo oriatur adæquatè tanquam à cauſa ſecunda; poſſet naturaliter contingere, vt etſi produceretur effectus ob exigentiam erga illum, non tamen per actionem ignis, vel per actionem ſolius cauſæ primæ.

70 Ioannes Martinez de Prado 2. p. Metaphy. contr. 16. art. 3. §. 4. probat, eundem effectum fieri non poſſe naturaliter à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis; tum quia nequit naturaliter diuiſim ab eis produci: ergo neque coniunctim. Tũ quia ſi paſſum recipit ab vna cauſa totam formam: ergo alia cauſa nihil in veritate agit. Tum quia virtutes non vnitæ, & totales non agunt idem numero, alioquin omnibus generationibus naturaliter idem numero poſſet generari. Sic verbatim is Author, cuius poſtrema ratio infert, vt abſurdum id, quod ad diſputationem vocatur. Secunda ratio aut eneruis eſt, aut ob illam, inficiandũ vnà eſſet, poſſe diuinitus à duabus cauſis totalibus communicari paſso eandem formam; ipſe autem Pradus non id negat. De prima ratione, qua etiam vtitur Caberus tract. 2. Phyſicorum. diſput. 7. dub. 2. dicemus poſteà.

71 Opinio huc vſque protecta tribuitur Okamo, Adamo, Gabrieli, Aliacenſi apud Bartholo. Amicum tr. 14. Phyſic. q. 7. dub. 3 art. 2. n. 7. & apud Pradum ſupra art. 3. §. 2. n. 38. nec videtur diſplicuiſse Caiet. 1. p. q. 52. art. 3. vt inducit Suar. diſp. 26. Metaphyſicę ſect. 4. n. 11. Arriſit Medinæ, & Cabreræ, 3. p. q. 3. art. 6. licet eâdem 3. p. q. 67. art. 6. ad contrariam acceſserit Cabrera. imò dixerit, nec diuinitus à duabus cauſis totalibus principalibus eiuſdem ordinis produci poſse eundem effectum. Lorea 3. p. diſp. 25. n. 16. & ex noſtris P. Ioannes Martinez de Ripalda in M. SS. Philoſophicis album calculum addidere ſuperiori opinioni, quam admitti debere ab iis, qui de potentia Dei abſoluta ſenſerint non repugnare eiuſdem effectus duas actiones totales: aſſerunt Vaſquez tomo 1. in 3. part. diſp. 29. cap. 4.

72 Siſtendum hîc nobis eſset, niſi ipſe Vaſquez, grauiſſimíque alij Doctores tam antiqui, quàm recentes eſsent nobis adeò aduerſi, vt nec de potentia Dei abſoluta fieri poſse eundem effectum per duas actiones totales exiſtiment: quantò minus ex natura rei: Ita Scotiſtæ cum ſuo Principe in 1. diſt. 20. q. 1. in 3. diſt. 1. q. 2. Ex Thomiſtis verò Capreolus, Ferrara, Soncinas, Sabellus recenſiti à Suario n. 3. à Bartholomæo Amico art. 13 n. 12. Flandria, Araujus, Ortiz, Lerma, Nazarius apud Pradum per totum §. 2. Caiet. conſentire videtur 3. p. q. 67. art. 6. §. *ad penultimam*. Ioannes de S. Thoma q. 10. Phyſic. a. 5. etſi doceat, non repugnare duas actiones totales, quarum vna oriretur à ſolo Deo, altera ab ipſo, & creatura; concordat tamen quoad eas, quæ à duplici agente creato ſimul cum increato. Acceſſerũt Marſilius 1. de generatione q. 8. Maſius lib. 2. Phyſic. c. 3. ſect. 5. q. 2. Caberus vbi ſuprà, ex Noſtris Pereira

lib. 8.

lib.8. Philoſoph.cap. 15.& nonnulli Recentiores præſtantis ingenij. Horum omnium præcipua ſeligam argumenta,maximè quæ à Recentioribus ſunt accurata,& ad ea diſtinctè reſpondebo.

73 Obiiciunt itaque primò: Actio præſtat eſſentialiter in actu ſecundo,quod cauſa eſt apta præſtare in actu primo: Sed duæ cauſæ totales in actu primo ſunt apta præſtare duos diſtinctos effectus: Ergo duæ earum actiones totales præſtabunt eſſentialiter in actu ſecundo non vnum, ſed duos effectus. Secundò,idem effectus nequit habere duplicem eſſentiam: Ergo nec terminare duplicem actionem totalem. Etenim actio totalis debet dare totum eſſe effectui ſeorſim,ſeu independenter ab alia, ita vt ſi deficiat quæuis alia,permaneat totum eſſe effectus: Ergo ſi hic terminat duplicem actionem totalem, habebit duplex eſſe; vnum quidem acceptum ab vna ſeorſim, ſeu independenter ab alia, & aliud ſimiliter,&c. Tertiò,multiplicatis actionibus multiplicatur eſſe formale actionum: Ergo & eſſe effectuum, tam enim eſt eſſentiale actioni adæquatæ ponere in genere cauſæ formalis totum ſuum eſſe, ac ponere in genere viæ cauſæ efficientis totum eſſe effectus. Quartò, actio quæuis adæquata ponere debet à parte rei aliquid à ſe diſtinctum. At ſi detur duplex actio adæquata eiuſdem termini, vna ex illis nihil ponet à parte rei diſtinctum, cùm iam ſit poſitum per aliam actionem: Ergo, &c.

74 Ad primum dico, falſam eſſe tum Maiorem, quia quæuis actio non præſtat eſſentialiter in actu ſecundo quicquid quæuis cauſa eſt apta præſtare in actu primo,alioqui cùm quæuis cauſa indifferens ſit in actu primo ad effectus nō tot,quin plures quoad ſpeciem,vel indiuiduum,quoad ſpeciē cauſa libera, quoad indiuiduū cauſa neceſſaria, & libera,ſequeretur,quācumque actionē præſtare eſſētialiter in actu ſecundo non tot,quin plures effectus Tum Minorem,quia duæ cauſæ totales in actu primo ſunt ſaltem diuiſim aptæ præſtare vnum,eundémque effectū,& ita ſunt aptæ ad duos,vt ſint etiam aptæ vel naturaliter,ſi conueniant circa idem paſſum; vel ad minus diuinitus ad vnum & eundem. Reſpondeo ad ſecundum,efformari illud æquè poſſe ad probandum nequire eundem effectum in diuerſis inſtātibus produci per diuerſas actiones totales. Quare ſicut diuerſæ actiones totales in diuerſis inſtantibus cōmunicabunt idem eſſe effectui, ita & duæ totales in vnico. Etenim totalitas actionum *A*,& *B* non conſiſtit in eo,quòd communicent diſtinctas eſſentias;ſed in eo,quòd ita actio *A*. communicet eſſentiā effectui,vt ſit ſufficiens ad id,licet non vnicè,& determinatè neceſſaria. Philoſophandum eſt ſimili modo de actione *B*. clarétque exemplo vbicationis adæquatè,à qua vt à poſteriori depēdet eſſentialiter, aut naturaliter corpus; & tamen ex geminatione vbicationis, diuinitus poſſibili,non geminatur eſſentia corporis, neq; vbicatum. Ad tertium,ſi vim haberet,repugnarent reſpectu eiuſdem effectus duæ actiones totales diuiſim exercendæ,& duæ partiales coniunctim exiſtentes,quarum vna oriretur ab vno principio inadæquato,alia ab alio etiam inadæquato. Quare etſi de conceptu actionis adæquatæ ſit in genere viæ efficientis cauſæ, ponere totum eſſe effectus,non tamen ponere totum eſſe,quod diuerſum ſit ab eſſe poſſibili per aliam actionē adæquatam. Ad quartum,debere quamlibet actionem adæquatam ponere à parte rei aliquid diſtinctum à ſe, ſed non ab eo, quod ponit alia. Sic quæuis vnio debet vnire extrema diſtincta à ſe,non verò ab vnibilibus per aliam vnionem.Permitto,actionem non poſſe ponere à parte rei eſſe à ſe diſtinctum,quod ſit antecedente ſigno naturæ ſub alio modo eſſendi poſitum per aliam: nam pro præſenti quæſtione ſatis eſt, ſi duplex actio totalis ſimul, & concomitanter ponant idem eſſe effectus diſtinctum ab vtraque.

75 Vnde cùm Recentiores opponunt quintò, ſi duæ actiones totales dentur, vel altera nihil aget, ideóq; non aderit niſi vna totalis: vel altera actum aget,ideóque quod in vno inſtanti actum eſt,& extractum ad eſſe de non eſſe, agetur, & extrahetur rurſus ad eſſe in eodem inſtanti; quod apertiſſimæ inuoluit contradictionis implicantiam;nam id tantum,quod actum non eſt antecedenter, neque extractum de non eſſe ad eſſe,poteſt agi,& extrahi, vt ſit in ſubſequenti inſtanti. Reſpondetur, vtramque agere,& neutram actum agere,quia neutra agit ſupponendo aliam; ſed vna & altera ſimul agunt, non ſecùs ac duæ formæ ſubſtantiales diuinitus queunt informare ſimul materiā, & duæ ſubſiſtētiæ diuinæ reddere ſimul ſubſiſtentē eandem naturam humanam, quin vna forma informet materiam vt informatam ſed materiam ſecundùm ſe,& quin vna ſubſiſtentia reddat ſubſiſtentem naturam humanam vt ſubſiſtentem, ſed naturam humanam ſecundùm ſe. Inſtatúrq; argumentum in duabus actionibus partialibus,quæ non repugnant erga eundem effectum indiuiſibilē;quælibet ex illis aget totum effectum, & non ideò altera actum aget;quia ſcilicet vna non præſupponitur ad aliam. Eſt quidem diſcrimen inter duas actiones partiales,& duas totales,quòd hæ non habent reciprocam connexionem,ſed per accidens coïncidunt, & ſingulæ oriuntur à principio continente effectum totalitate cauſæ,ſecus illæ: at ex parte effectus, ſicut totus producitur à ſingulis actionibus partialibus, ſic etiā à ſingulis totalibus: & tam partiales, quàm totales conueniunt pro eodem ſigno naturæ ad communicandum eſſe effectui,iſque pro eo ſigno,vel pro alio proximè ſuccedenti accipit eſſe æquè à partialibus,ac à totalibus.

76 Moderni alij cùm legiſſent,ni fallor, in P.Petro Vuadingo diſp. 11.de Incarnatione dub.4 n.35. *ex natura rei non repugnare, vt duo ſint in ſolidum eiuſdem rei domini, eo quod dominium inſolidum in moralibus idem ſit, quod in phyſicis eundem effectum pendere à duabus cauſis totalibus. Atqui plurimi Philoſophi dicunt non repugnare ſaltem abſolutè, duas eſſe cauſas totales eiuſdem effectus. Ergo nec eiuſdem rei duos dominos inſolidum.* Cùm, inquam, hæc legiſſent, excitati ſunt, vt eiuſdem effectus dependentiam à duabus cauſis totalibus repugnantem inferrent ex oppoſito principio,ſcilicet ex repugnātia moralis dominij rei eiuſdē in ſolidū penes duos: Et proinde ſic argumentātur primò: Quælibet ex cauſis totalibus haberet,& non haberet dominiū phyſicum eiuſdem effectus,quæ contradictoria ſunt. Haberet quidem iure cauſalitatis plenæ, & totalis, quin amitteret illud ob conſortiū cum alia cauſa totali, ſiquidem retineret etiam tunc idem ius eandémque cauſalitatem plenam, ac totalem. Rurſus non haberet,quia dominium phyſicum conſiſtit in facultate phyſica producendi, & deſtruendi aliud abſolutè, non ſecùs ac dominium morale in poteſtate morali retinendi, aut perdendi rem citra alterius iniuriam. At cauſa totalis, quæ ſimul influeret cum alia, careret poteſtate phyſica deſtruendi effectum:nam etſi ſuſpenderet ſuam cauſalitatem, maneret effectus vi cauſalitatis ortæ ab alia cauſa totali: Ergo, &c. Secundò, cauſa totalis titulo ſui influxus comparat perfectius ius,ac dominium morale ſupra ſuum effectum, quàm ſi is adquiſitus eſſet

Digitized by Google

titulo donationis, aut hæreditatis. Tunc ſic: cogitemus quamlibet cauſam totalem poſtulare ab effectu ex iuſtitia commutatiua id, quod illi præſtitit. Sanè quælibet haberet ius vendicandi ſibi totum effectum, & integrè, cum eum totum produxerit, & propterea haberet ius repellendi aliam à facultate dominatiua. Ergo interueniret ex vtraque parte bellum iuſtum; quod in eodem inſtanti temporis, & ſigno naturæ, dum abeſſet ſubordinatio, & dependentia dominiorum, eſt prorſus impoſſibile. Tertiò, ſi Deus Ioanni producto à Petro, & Paulo, à ſingulis adæquatè, iuberet vt ſingulis redderet in æquiualenti, quod titulo cauſalitatis debet, certè Ioannes non deberet reddere vnum hominem Petro, & alterum Paulo, quia plus valent duo homines, quàm vnus productus à Petro, & Paulo. Aliunde deberet reddere duos homines, quia ſingulis debitus eſt vnus homo integrè, & inſolidum, quandoquidem ſic coniunctim generarint Ioannem, ac ſi ſeorſim generaſſent ipſum, aut ſimul duos homines. Quartò, effectus debet totum ſuum eſſe integrè, & in ſolidum vni cauſæ adæquatæ, cùm ab ea accipiat illud integrè, & inſolidum, & cùm cauſalitas adæquata ſit titulus, vt totus effectus ita debeatur cauſæ, cuius eſt cauſalitas: Ergo effectus, qui producitur adæquatè ab vna cauſa totali, nequit ſimul fieri ab alia totali: Nam ſi effectus integrè, & inſolidum debet vni cauſæ totum eſſe, quod accepit, nihil aſſignari poteſt, quod debeat alteri cauſæ; non idipſum, quod vni debet, quia quod fit pluribus commune, diuiditur inter ipſos, fitque partiale, & longè minus reſpectu vniuſcuiuſque, quàm ſi vni tantùm tribueretur: non maius aliquid, aut diuerſum, quia debitum, & acceptum non poſſunt eſſe inæqualia. Sic ex Recentioribus illis ferè de verbo ad verbum.

77 Ad primum occurro dicens, duas cauſas totales habituras eiuſdem effectus dominium phyſicum, cui non obſtaret, quòd non poſſet ex ſuſpenſione cauſalitatis ab vna ortæ deſtrui effectus: eſt enim chymerica talis poteſtas in cauſa neceſſaria, vt arguens debet fateri in producente adæquatè abſque alterius conſortio effectum, ſupra quem habet dominium phyſicum; non tamen facultatem ad ſuſpendendum cauſalitatem erga eum, nec poteſt per ipſam ſtare, vt effectus deſtruatur; ſicut enim neceſſariò illum primò producit, ſic & neceſſariò conſeruat, dum ipſa manet applicata, & contraria agentia non præualent. Sed quid de duabus cauſis totalibus liberis concurrentibus per duas actiones adæquatas ad eundem actum amoris? Nec tunc dominiu cuiuſlibet ſupra actum amoris conſiſteret in poteſtate deſtruendi actum abſolutè, ac ſimpliciter; ſed in poteſtate ceſſandi ab actione, & conſequenter ab actu, vt à ſe producto. Succurrunt nobis manifeſtæ ad argumentum inſtantiæ. Nam duo Angeli ſine dependentia vnius ab alio poſſunt naturaliter, & duo corpora diuinitus dominari phyſicè vni loco, duæque formæ ſubſtantiales vni materiæ; ac vice verſa. Nec proderit dicere, non inueniri in his caſibus dominium phyſicum, cùm deſit phyſica cauſalitas. Nam in primis ſi cauſa materialis præſtet influxum phyſicum in formam materialem, & in duplici materia ſuſtentaretur diuinitus vna forma, tunc inueniretur gemina materialis cauſalitas phyſica adæquata erga eandem formam. Imò & gemina effectiua; tum quia cauſalitas materialis deberet identificari cum effectiua, tum quia ſi actio, per quam forma educeretur ex vna materia, non eſſet adæquatè diſtincta ab actione, qua educeretur ex alia, iam forma non dependeret adæquatè nec ſuſtentaretur ſufficienter à quali ex duabus materiis. Deinde cùm ratio dominij transferatur nimis metaphorice ad cauſas phyſicas neceſſarias, tam mihi licebit aſſerere, Angelum, aut corpus dominari phyſicè loco, in quo exiſtit, quàm aduerſariis fas eſt tribuere agenti neceſſario dominium phyſicum ſupra effectum, quem cauſat. Proferant vel vnicum Claſſicum Authorem, qui dominium phyſicum reſtrinxerit ad cauſalitatem phyſicam; fortè in ſolo Petro Vuadingo metaphoram illam legerunt. Sed is non arctauit dominium phyſicum ad titulum cauſalitatis phyſicæ. Reſpondeo ad ſecundum, non dari in cauſis neceſſariis dominium morale, neque poſſe cogitari niſi fictitiè iuſtitiam commutatiuam inter ipſas, & effectus. Sed comminiſcamur vnam cauſam totalem petere ex iuſtitia commutatiua effectum, ita deberet petere, vt quando ab altera ſimul produceretur adæquatè, maneret indiuiſè apud vtramque, vel diuideretur æquales in partes ex amicabili concordia vtriuſque cauſæ. Ad tertium iam patet ſolutio, nam Ioannes deberet ſe indiuiſè Petro, & Paulo ſimul, vel facta conuentione inter creditores ſecandus eſſet Ioannes, vt vna pars daretur Petro, & altera Paulo. Et rogo quid fieret, ſi duo homines poſtularent à Petro compenſationem alicuius beneficij, quod ita ab illis, & duobus aliis eſt Petro collatum per ſecreta ſuffragia, vt duorum tantùm ſufficerent, ſi exempli cauſa ad creationem ciuis in Prætorem ſat ſint duo ſuffragia, & Petro non ſolùm duo electores, ſed quatuor deſignati fauerint; caſus eſt per omnia ſimilis, & vt ad eum reſponderit arguens, ſic & nos ad illum alium. Iam etiam facilis eſt enodatio quarti argumenti; vtrique cauſæ deberet effectus totum ſuum eſſe. Si autem fieri commune vtrique eſſet minus æſtimabile reſpectu vniuſcuiuſque, eodem etiam modo reſpectu effectus eſſet minus æſtimabile accipere ſuum eſſe ab vna cauſa in conſortio, quàm in abſentia alterius; nam dum in conſortio, ita ab vna acciperet, vt etſi ea deficeret, tamen vi alterius haberet eſſe: at cùm in abſentia, ſic acciperet ab vna, vt beneficium exiſtentiæ referendum foret in eam ſolam: & ſæpe contingit, beneficij æſtimabilitatem creſcere non ex augmento doni, ſed ex circunſtantiis, in quibus confertur. Quod dixi de effectu comparato ad cauſas efficientes adæquatas, concedi neceſſe eſt ab arguente, ſi comparetur forma ignis v.g. ad duas materias adæquatas, in quibus diuinitus poſſe recipi, & ſuſtentari non abnuit. Si enim vnum idémque ens recipi poteſt, ac ſuſtentari adæquatè in duobus, vnde erit implicatorium contradictionis fieri, acciperéque eſſe adæquatè à duobus? Humanitùs tam difficilè eſt, vt duo adæquatè recipiant vnum, idémque donum, quàm vt communicent. Sed diuinitus ſicut primum non repugnat, ſic nec ſecundum. Imò hoc in cauſis efficientibus, quæ ſuaptè natura continent in actu primo vnum & eundem effectũ, poſtulántque illius exiſtentiam, non apparet, cur ſi conueniant, non poſſit, debeátque ex natura rei vſu venire, niſi vt ſummùm vitãdæ ſuperfluitatis gratia.

78 Sed replicant Recentiores, ſi effectus, qui in inſtanti *A*, dependebat ab vna tantùm cauſa adæquata, incipiat in *B*. dependere ſimul ab alia adæquata, dependebit minùs à priori, quàm anteà, cùm tamen influxus, in quo ſita eſt dependentia, idem foret, ac anteà. Sequelam probant, quia in inſtanti *B*. effectus ad ſui exiſtentiam non indigeret abſolutè, & ſimpliciter influxu prioris cauſæ, quo quidem

dem

Digitized by Google

dem indigebat in inſtanti *A*. minor autem indigentia eſt minor dependentia. Ingemolæ huius replicæ comes ſit Scoticum argumentum, antiquum quidem illud, ſed recentis ſemper ſubtilitatis, ſi effectus oriretur à duplici cauſa totali, dependeret à qualibet ex illis, quia à qualibet cauſaretur totaliter; non dependeret, quia ſic à qualibet cauſaretur, vt ea deficiẽte perſiſteret cauſatus totaliter ab alia. Ad replicã dico, fore, vt effectus tam depẽderet in inſtanti *B*. à priori cauſa, quàm in inſtãti *A*. quia in *A*. depẽdebat ab illa quatenus abſque illa, vel abſque alia paris virtutis non poterat habere abſolutè & ſimpliciter exiſtentiam; id quod etiam verificaretur in inſtanti *B*. vt ex reſponſione, quam iam exhibeo ad argumentum Scoticum, clareſcet. Neque enim eſt contra dependentiam effectus à cauſa, quòd ea deficiente exiſteret effectus cauſatus totaliter ab alia, ſi alia detur, vel daretur tantæ, vel maioris virtutis; ſed quòd exiſteret deficiente ea, & alia. Vnde cùm effectus proueniens à pluribus agentibus adæquatis, ita à ſingulis cauſaretur, vt non exiſteret abſque vno vel alio, licèt exiſteret abſque quolibet in particulari, ſaluatur rectè eius à ſingulis dependentia, non ſecùs ac ſaluatur in igne producto primitus vel conſeruato vnicè ab alio igne, quamuis abſolutè, & ſimpliciter potuiſſet exiſtere primò productus, vel conſeruatus à ſolo Deo, aut tertio alio igne: quæ doctrina tenet ſemper; ac dependentia ab alio ſiue vt priori, ſiue vt poſteriori non eſt eſſentialiter determinata. Et quia hanc non habet corpus Chriſti ab vbicatione circumſcriptiua cæleſti, poteſt diuinitus dependere adæquatè a poſteriori ab alia definitiua, & in ſententia Scoti ab alia circumſcriptiua, cum qua maneret ſufficienter in rerum natura, etſi deficeret circumſcriptiua cæleſtis, quin inde ſequatur dependere, & non dependere à poſteriori ab vtraque.

79 P. Vaſquez arguit non imbecilliter, ſi diuinitus poſſet idem effectus terminare duplicem actionem totalem; poſſet etiam ex natura rei. Nam ideo non poteſt ex natura rei, quia dependentia effectus à cauſa eſt ob indigentiam, quam actionis præſtitæ à cauſa habet effectus ad exiſtendũ, & dum is fit per vnam actionem totalem, non indiget alia ad exiſtendum. Sed hæc ratio æquè vrget, ne poſſit diuinitus; non enim fieri vlla ratione poteſt, vt quod natura ſua non indiget alio, reddatur eo indigens. Reſpondeo primò, ſequelam non eſſe apud me abſurdam. Secundò, dependentiam effectus ab aliqua cauſa debere eſſe ex indigentia, non verò dependentiam à qualibet; nam à qualibet in particulari poteſt eſſe ex abundantia, quando effectus producitur à duabus totalibus; & quando ab vna, poteſt tali cauſa indigere, non vt abſolutè & ſimpliciter exiſtet, ſed vt exiſtat productus per talem cauſam: nam per aliam tantæ virtutis potuiſſet exiſtere abſolutè, ac ſimpliciter. Tertiò, poſſe diuinitus effectum dependere ab actione, qua nullatenus indigeat naturaliter, ſed quam potiùs naturaliter reſpuat. Sic quantitas panis, & vini in Euchariſtia dependet à priori ab actione creatiua, & corpus Chriſti à poſteriori ab vbicatione definitiua, quarum non habent exigentiam; ſed quas potiùs naturaliter recuſant ſecundùm ſe. Dices, ſi effectus producitur à cauſa, qua non indiget: Ergo non dependet per ſe ab illa, ſed per accidens, nec magis, quàm à lapide. Reſpondeo, ſi nomine dependentiæ per ſe intelligatur ſola dependentia eſſentialis, ac determinata; ita eſſe. Sed alio in ſenſu ſumitur dependentia per ſe, ſcilicet ratione cuius ſic vnum habet eſſe, & cauſatur ab alio, vt nequeat haberi eſſe, nec perſeuerare, niſi producatur, conſeruetúrque ab illo, aut ab alio, quod ſuccedat loco illius. Hanc dependentiam habet ignis *B*. non à lapide, ſed ab igne *A*. & ſi ea non indigeat eſſentialiter determinatè.

80 Argumentantur alij: Actio, quæ requirit ſocietatem alterius, non eſt adæquata, ſed inadæquata. At dum per duas actiones produceretur idem effectus, quælibet actio exigeret conſortium alterius, quia quælibet eſſet ſupernaturalis; non enim per duas actiones totales poteſt naturaliter produci idem effectus. Si autem quælibet eſſet ſupernaturalis, nequiret permanere deficiente alia, quia alioqui ſimul naturalis eſſet, vt potè eiuſdem conditionis, ac ſi ſolitariè produceret effectum. Dehinc argumentantur: eadem actio nequit diuinitus prodire à duplici cauſa adæquata; Ergo neque idem effectus abſolutus. Vlteriùs ea eſt in actu ſecundo cauſa totalis, & adæquata alicuius effectus; quæ eum operatur abſque conſortio alterius cauſæ. Ergo repugnat duas cauſas totales, & adæquatas eſſe conſortes in productione alicuius effectus, quia eo ipſo eſſent & non eſſent totales, atque adæquatæ.

81 Prior ratio nullius eſt vigoris contra nos, qui defenſauimus, eundem effectum poſſe naturaliter produci per duas actiones adæquatas. Qui ſecùs ſentiant, reſpondebunt, vtramque actionem fore naturalem, quo ad entitatem; & ſupernaturalem quoad modum ratione coniunctionis: eſt enim indebita vtrilibet exiſtentia in conſortio alterius. Vnde potius quælibet peteret naturâ ſuâ ſeparationem ab alia. In ſecunda ratione malè arguitur ab actione ad effectũ abſolutum; nam actio dependet ſe ipſa, & eſſentialiter à quolibet principio à quo oritur, vnde nec poteſt diuiſim oriri à diuerſis principiis, nec poteſt ita ab vno, vt permaneret, ſi deficeret aliud, à quo ſemel naſcatur. Quare ſi à duobus, vel pluribus proueniat, quodlibet erit inadæquatum. At effectus abſolutus non dependet ſe ipſo & eſſentialiter à quolibet principio, per cuius actionem producatur, ideóque poteſt à duobus, tanquam ab adæquatis produci, quatenus deficiente vnius actione exiſteret, & conſeruaretur ſufficienter per actionem alterius. Vltima ratio procedit ex præpoſtera acceptione nominis Cauſæ totalis & adæquatæ in actu ſecundo. Nos hoc nomine ſignificamus cauſam, cuius actione ſufficienter exiſtat effectus, etiamſi deſit, aut deeſſet actio alterius cauſæ; dicimúſque poſſe non tantùm diuinitus ſed etiam naturaliter eundem effectum fieri à duabus cauſis, quarum ſingulæ actiones ſufficerent ad eius exiſtentiam, ſi quando vna adeſt, deeſſet alia. Itaque cauſa, quæ in actu ſecundo eſt adæquata, excludit conſortium alterius, vt neceſſariæ ad effectum, non tamen vt ſufficientis, ſed abſtrahit ex ſe ab eius conſortio. Qui volunt duas cauſas in actu ſecundo adæquatas reſpectu eiuſdem effectus repugnare ex natura rei, affirmabunt conſequenter, vnam excludere aliam naturaliter etiam vt ſufficientem, ſed non eſſentialiter. Si adhuc contendas pro cauſæ adæquatæ in actu ſecundo acceptione, quæ omninò excludat conſortium alterius cauſæ, non iurgabor de nomine; ſed concedam, non poſſe in eo ſenſu dari duas cauſas eiuſdem effectus, dummodò in alio à me declarato aſſentiaris mihi.

82 Cabereus probat, repugnantiam, vt de potentia Dei abſoluta producatur effectus à duabus cauſis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

cauſis in actu ſecundo totalibus eiuſdem generis non ſubordinatis, quia cùm vnus numero effectus non contineatur in virtute naturali duorum agentium totalium etiam diuiſim, alioqui à nullo proueniret per ſe, & alioqui calor *B.* productus à calore *A.* & iam corruptus, poſſet naturaliter reproduci à calore *B.* fit indè, vt implicet contradictionem, produci coniunctim eundem effectum à duabus illis cauſis totalibus. Reſpondeo primò, non negatur à Cabeo in 3. dubio n.11. poſſibilia eſſe agentia, quæ ſi diuiſim contineant adæquatè eundẽ numero effectum; poſſet ab eis agentibus coniunctim produci effectus per duas actiones adæquatas. Secundò, falſum eſt, agentia naturalia nunc exiſtentia ſiue æquiuoca, ſiue vniuoca, non continere diuiſim in ſua virtute naturali adæquata eundem numero effectum abſolutum, vt Sol, & calor, duóque calores alium tertium omninò eundem. Sic contra Fonſecam, Bartholomæúmque Amicum ex Noſtris, & contra Thomiſtas ſentio, ſequutus Suarium diſp. 26. Metaphyſicæ ſect. 5. Rubium, Hurtadum, Arriagam, Franciſcum Alphonſum, & Ouiedum, alióſque communiter ex Noſtris cum Scotiſtis, & Nominalibus, de quo alibi latè. Nunc breuiter ſuadetur; quia ſi duo ignes, quando ſimul applicarentur eidem paſſo, producerent eundem numero ignem, ideóque illum contineret vnuſquiſque in ſua virtute naturali partiali, vt fatetur Caberus, neque diſſentiunt qui ab eius ſtant opinione, gratis videtur aſſertum, ſingulos non potuiſſe producere adæquatè, ſi ſeorſim fuiſſent applicati; tum quia ſi idem calor, qui producitur ab igne *A.* in aqua, non poſſet naturaliter conſeruari ab igne proximè ſuccedente, fieret contra experientiam, vt ſeparato igne *A.* deficeret calor in aqua, rediretque hæc ad frigiditatem, quam habebat, quando primò admotus ipſi eſt ignis *A.* Cur enim à Deo ſolo conſeruaretur in aqua vſque dum ignis *B.* cauſaret alium calorem? Quòd ſi vnus ignis valet conſeruare calorem productum ab alio, næ potuiſſet & primò efficere. Nec ideo non dependeret per ſe calor ab igne, à quo actualiter fieret. Dependeret vtique in ſenſu, quem expoſui n. 79. Neque item potior eſt ratio, vt calor poſſet reproduci naturaliter ab igne in cuius virtute naturali adæquata contineretur, ſed à quo non eſt primò productus, quàm ab alio igne, à quo fuit primò productus. Si agens creatum queat naturaliter, quantùm ex ſe eſt, iterare productionem effectus, quem ſemel cauſauit, & extrinſeca Dei lege præciſè impediatur, aut ſi non hac tantùm, ſed virium defectu, philoſophandum erit ſimiliter de alio agente vniuoco, vel æquiuoco, in cuius etiam virtute naturali adæquata contineatur effectus. Reſpondeo tertiò, poſſet calor *B.* qui determinatus eſſet naturaliter ad calorem *A.* fieri diuinitus ab hoc per duas actiones adæquatas; & per vnam naturaliter à calore *A.* ſimúlque per aliam à *C.* operante ſupernaturaliter ex potentia obedientiali, quam Caberus admittit n. 15. vt vna entitas cauſet effectum contentum in potentia naturali alterius. Poſſet denique calor *B.* effici ab *A.* per actionem vnam ortam adæquatè ab ipſo, & à Deo, nec non per aliam ortam adæquatè à ſolo Deo, qui ſicut valet abſque concurſu cauſæ creatæ producere quemcumque abſolutum effectum; ita etiam valet & operari illum adæquatè vna cum creatura, & exhibere aliam actionem adæquatam, quæ oriatur à ſola ſua omnipotentia. Ex his aperitur via ad non leuem iſtam noſtræ ſententiæ confirmationem: Ignis eleuatus à Deo poteſt efficere calorem duplo intenſiorem, quàm naturaliter poteſt, nempe calorem vt decem & ſex. Ergo multò potiùs vel æquè poterit ſimul cum alio igne producere calorem vt octo, ita vt cuiuſlibet actio ſufficeret ſeorſim ad exiſtentiam caloris vt octo. Patet conſequentia, quia ſi virtus ignis capax eſt eleuari ad octo gradus, quos cum aliis octo non valet naturaliter cauſare, multò potiùs, vel æquè capax erit euehi, vt efficiat calorem vt octo, per actionem à ſe ortam adæquatè in conſortio alterius ignis producentis etiam per actionem adæquatam; nam in poſteriori hoc caſu vel nihil efficeret ſupra ſuas vires actiuas naturales; ſed tantum intercederet eleuatio titulo ſuperfluitatis, quia ſcilicet in præſentia actionis adæquatæ terminatæ ad calorem vt octo, ſuperflua eſſet alia actio adæquata tendens ad eundem calorem, vel ſi aliquid efficeret ſupra præfatas vires, ſi queunt illæ eleuari ad decem & ſex gradus caloris, quidni ad octo?

84 Ioannes de S. Thoma tradens, poſſe diuinitus eundem effectum cauſari per duplicem actionem totalem, quarum vna ſit à Deo, & creatura, alia à ſolo Deo; negans tamen per duas, quæ ſimul fiunt à Deo, & à duplici agente creato, cõtrarius eſt nobis, quoad poſteriorem partem, & eam firmat tam breui, quàm obſcura ratione, & fortè ob id aliquibus maiori erit in pretio, inuenies enim non raro *quoſdam, qui eò difficilia magis æſtimant quia minus intellecta mirantur; eò minoris & tanquam puerilia reputant, quæ iucunda lucidi ſermonis ſerenitas illuſtrat,* vt notat Freculphus Epiſcopus Lexouienſis in Epiſtola ad Henricum Piſanum Cardinalem. En argumentationem Ioannis de S. Thoma: Actiones creatæ ſunt limitatæ, & finitæ, & ſic vna non poteſt continere totam rationem, & indiuiduationem alterius, & ſic ſemper habet diuerſum effectum, ſicut & diuerſam actionem, & fieri, quarum vna non eſt altera eminenter, ita quòd alteram contineat etiam quoad indiuiduationem. Reſpondeo, etſi vna actio non contineat aliam, quia nequit aliam producere; poſſe nihilominus vnam actionem continere effectum alterius, ſeu eſſe viam ad producendum eundem effectum, quem alia; non aliter ac vna cognitio, quæ aliam non cognoſcat, poteſt cognoſcere idem obiectum, quod alia; non aliter etiam ac duæ actiones ortæ diuiſim ab eodem agente creato queunt continere eundem effectum, etſi neutra alteram contineat. Videatur Pradus art. 3. §. 6. n. 78. art. 4. §. 5. n. 107.

85 Nouus is Thomiſta domeſticis ſuis incomitatus, nullum enim pro ſe citat, etſi adhibuerit diligentiam non vulgarem in euoluendis Authoribus, vt teſtatur art. 3. §. 1. n. 37. acceſſit ad noſtram ſententiam de poſſibili diuinitus dependentia eiuſdem effectus à duplici cauſa adæquata, totali, proxima, eiuſdem ordinis, ſiue inſtrumentalis ſit vtraque, ſiue principalis. Sed ait, ſe non recedere à S. Thoma, qui etſi pro oppoſita citetur 1. p. q. 52. art. 3. p. 3. quæſt. 82. art. 2. ad 2. q. 3. de potentia art. 7. ad 11. in 1. diſt. 37. q. 3. art. 3. & 5. Metaphyſicæ cap 2. tamen in omnibus his locis intelligendus eſt loqui de potentia ordinaria; nam de abſoluta diſputat rariſſimè S. Doctor. Quod ego dictum libenter amplector, ſed vellem, vt Pradus regulæ huius pro S. Thoma interpretando ſæpiùs meminerit. Vltra Pradum habeo patronos eiuſdem ſententiæ Suarium diſp. 26. Metaphyſic. ſect. 4. Valentiam tom. 4. diſput. 1. q. & puncto. 3. Rubium 2. Phyſicorum tract. 7. q. 1. Fonſecam 5. Metaphyſicæ c. 2. q. 15. ſect. 1. Hieronymum Plati diſp. de cauſa p. 3. q. 4.

Petrum

Digitized by Google

Petrum Hurtadum diſput. 8. Phyſicorum ſect.10. Arriagam diſp.7. ſect.10. Franciſcum Alphonſum diſp.18. ſect.2. Ouiedum controu. & punct.7. Bartholomæum Amicum tract. 14. q.7. dub.3. art. 6. Balthaſarem Tellez diſput.43. Philoſophiæ ſect.6. Moncæum in ſelectis diſp.10. c.15. Granadum controu. de Baptiſmo tract.2. diſp.3. n.4. controu. de Euchariſtia tract.3. diſp.6. n.3. Cardinalem Lugum diſp.7. de Euchariſtia ſect 2. n.21. ſi vnam actionem adæquatam non prægrediatur alia in ſigno aliquo naturæ, Faſolum 1.p. q.7. art.3. & 4. dub.12. n.23. Murciam lib.2. Phyſicorum diſp.4. q.7. Oñam q.2. art.9. Auerſam q.16. Philoſophiæ ſect.5. Petrum Vuadingum diſp.11. de Incarnatione dub.4. n.34. diſp.13. dub.8. n.128. cum aliis, quos ipſi referunt, & nos ſubticemus.

86 Iam longiuſculi excurſus ea ſit concluſio, & recapitulatio, ſi in orbe Lunari detur aliqui effectus, ad quos ſufficeret actio cæli vel Empyrei, vel ſyderei, poſſent vtrique prouenire ex natura rei per actiones adæquatas vnius & alterius cæli. Nam non ſolùm non repugnāt ex potentia Dei abſoluta erga eoſdem effectus, ſed naturis etiam creatorum agentium apparent valdè conformes, quando ſunt conuenienter applicata ad idem paſſum, vti videtur eſſe vtrumque illud cœlum. Num verò dentur eius conditionis effectus, necne; occultum nobis eſt non minus, quàm quinam ſint ad quos vtrumque partito concurſu influant.

SECTIO X.

Iudicium de prætentato influxu Empyrei ex abundanti.

87 DOctis nonnullis viris non placuerunt ſcripta in ſect.7. num.46. pro Empyrei influxu ſuperabundanti, quia exotica, & bonæ Philoſophiæ parùm conſona iudicata ſunt; ideò non aſſertiuè, ſed indaganter, & exploratoriè ea propoſui, vt Litterati alij cenſuram ferant. Mihi ſanè videbatur, aut negandam eſſe Empyreo virtutem operatiuam in cæleſtia alia, & ſubcæleſtia; aut conceſſa tali virtute, conciliari non incongruè res modo explicato, & commendari non leuiter dignitatem, & præeminentiam ſupremi cæli. Nec modus excogitatus omni carebat authoritate; nam ex parte traditus fuerat à Doctoribus, quorum verba dedi in num.45. Semper tamen aiebam cum S. Anſelmo lib.1. Cur Deus homo, cap 2. & in Monologio cap.1. *Si quid dixerim, quod maior non monſtrat authoritas, ſic volo accipi, vt quamuis ex rationibus, quæ mihi videbuntur, quaſi neceſſarium concludatur, non ob hoc tamen omnino neceſſarium, ſed tantùm ſic interim videri poſſe dicatur.* Quare dum meliora ab aliis diſcimus, aut nos aſſerimus, valeat Empyrei ex abundanti influxus non plus, nec minus, quàm periti viri decreuerint; malim enim eorum iudicio, quàm meo fidere. Et cùm influentiæ Empyreæ tam ſint difficiles, incertæ, ac lubricæ; illas, quæ de ſurſum ſunt, quæque deſcendunt à Patre luminum in corda hominum, vt donis perfectis gratiæ diteſcant, deſideremus, & petamus à Deo, ad quem tanquam ad Empyrei Maximum, Auguſtiſſimumque Dominatorem noſter iam ſermo ſe conuertat vnàque ad alios eiuſdem cœli Ciues. Quòd ſi ille, de quo Pelignus vates,

——Licet cæli regione remotus
Mente adiit Diuos, & quæ natura negabat
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit,

Nos etiam fide ductrice ad Deum, Beatóſque cunctos palatij Empyrei habitatores accedamus.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTVS.

DE INCOLIS COELI EMPYREI.

HOc in libro mirè eluceſcit Empyrei dignitas,& felicitas. *Vrbium* quippe *ſtatus non tam murorum ambitu, quàm ciuium claritate taxandus eſt*, vt inquit S. Sidonius lib.7. epiſt 10. Commendantur Ciuitates ex multitudine proborum Ciuium. Hinc illud S Ambroſij lib. 2. de Abel, & Caïn cap.3. *Quàm beata Ciuitas, quæ plurimos iuſtos habet! Quàm celebris ore omnium! Quomodò benedicitur tota de parte, & beatus, atque perpetuus eius ſtatus exiſtimatur?* Cùm ergo tot iuſtos incolas Empyreũ habeat, quot oſtendit hic liber, meritò vocabitur beata Ciuitas, omniúmque ore prędicabitur: imò ipſi ſoli congruet Ciuitatis beatæ, ac bonæ nomen. *Nam bonam ex vniuerſis bonis Ciuitatem, neque quiſquam vidit factam inter mortales, neque vnquam futuram in poſterum cogitare dignum, præter eam, quam Beati in cœlo habitant*, vt eleganter Dio Chryſoſtomus oratione 36. Boryſthenica.

EXERCITATIO DECIMASEPTIMA.

De Deo Optimo, & Maximo, vt Empyrei nobiliſsimo incola, & Imperatore.

VOx, quam primùm ſe audiuiſſe narrat Ioannes, cùm ei eſſet oſtenſa cœleſtis Ciuitas Apocal.21.v.3. fuit hæc, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*. Ideo nos de tanto Empyrei habitatore agimus primo loco: *Incolámq;* latè nominamus, non ignari, *Incolam (propriè) dici, qui habitat in terra, (ſeu vrbe) aliena, non in Ciuitate ſua*, vt notat S. Auguſt. in Pſ.119. v.5. S. Iſidor lib.9. originum c.4.5. & cum multis Iuriſconſultis Simon Schardius in Lexico Iuridico: licèt S. Ambroſ. in Pſ.38.v.13. ſcribat: *Incolam eum eſſe qui de loco eſt, & genitalem locum incolit.* Accipimus itaq; verbum illud, vt ſignificat præcisè perpetuum Empyrei habitatorem, ſiue ex connaturali perſonæ iure (quo pacto Deus, & Chriſtus commorantur in Empyreo) ſiue ex gratia facta perſonæ; quo pacto alij ibi manent. Ideóque huic libro, in quo de omnibus habitatoribus agitur, præfiximus titulum, quem legiſti.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA

Oſtenditur ex ſacris litteris, & prophanis, Cœlum eſſe præcipuum Dei domicilium.

1 INgentem ſyluam offerunt ſacræ Litteræ. Sed licet *plena ſit his teſtimoniis ſacrorum voluminum ſeries, vbi tot teſtes ſunt, quot ſententiæ; imò vbi ipſa Scriptura ſacra, quaſi vnum quodammodò diuini oris eſt teſtimonium, accumulanda quædam adhuc putauimus, non pro neceſſitate approbationis, ſed pro facultate rerum, & copia; vt quicquid neceſſarium non eſſet defenſioni, totum proficeret ornatui.* Sic in ſimili puncto Caſſianus lib. 4. de Incarnatione c. 1. Seligo itaque illuſtriora teſtimonia. Deuteronomij c. 4. v. 39. dicitur, *Dominus, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum.* c. 26. v. 15. *Reſpice de ſanctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo.* c. 33. v. 27. *Habitaculum eius ſurſum.* Pſaltes Regius conſonat tertio quoque verbo Pſalm. 2. v. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos.* Pſal. 10. verſ. 4. *Dominus in cælo ſedes eius.* Pſal. 102. v. 19. *Dominus in cælo parauit ſedem ſuam.* Pſal. 122. v. 1. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Concordant Prophetæ; Iſaias, cap. 63. v. 15. *Attende de cœlo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & gloriæ tuæ.* c. 66. v. 1. *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Quæ verba referuntur 7. Actor. v. 49. Ieremias 3. Lamentatione, verſ. 41. *Leuemus corda noſtra ad Dominum cum manibus in cœlos.* v. 50. *Donec reſpiceret, & videret Dominus de cœlis.* Daniel. cap. 2. v. 28 *Sed eſt Deus in cælo reuelans myſteria.* Eadem locutio frequens eſt in Hiſtoriographis ſacris, Ioſue cap. 2. v. 11. habetur: *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum.* Paralipom. 2. cap. 6. v. 33. *Tu exaudies de cælo, firmiſſimo habitaculo tuo.* v. 39. *Tu exaudies de cælo, hoc eſt, de firmo habitaculo tuo.* cap. 30. v. 27. *Perueniteque oratio in habitaculum ſanctum cæli.* Machab. 2. cap. 3. v. 39. *Ipſe, qui habet in cœlis habitationem.* c. 15. v. 4. *Eſt Dominus viuus ipſe in cœlo potens.*

2 Conteſtatur paſſim nouum Teſtamentum, dum de Patre aſſeritur, eſſe in cœlis. Qua loquendi formulâ frequentior nulla alia in Chriſti Domini ore. Matth. 5. v. 4. inquit; *Ego autem dico vobis non iurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt.* Quæ omnia teſtimonia intelligenda præcipuè eſſe de Empyreo cœlo, ſi huius admittatur exiſtentia, cunctis in confeſſo erit. Accedunt allatis teſtimoniis alia, in quibus Deus prædicatur exiſtere *in cœlo cœli*, & *in cœlis cœlorum*, vt Deuteronomij c. 10. v. 14. *En Domini Dei tui cælum eſt, & cœlum cæli.* 3. Regum c. 8. v. 27. *Si cælum, & cæli cælorum capere te non poſſunt.* 2. Paralip. cap. 2. v. 6. *Si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt.* Pſalm. 113. v. 16. *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* His autem nominibus *cælum cæli*, & *cæli cælorum* ſignificatur principaliter Empyreum.

3 Enimverò, ſi excipias Lucretium, qui lib. 5. de rerum natura, ait:

Illud item non eſt, vt poſſis credere, ſedes
Eſſe Deûm ſanctas in mundi partibus vllis.

Ethnicæ, prophanæq; litteræ conſpirant cum ſacris. Plato, teſte Apuleio in lib. de Deo Socratis. *Perinde vt Maieſtas poſtulabat, Diis immortalibus cælum dicauit.* Ariſtoteles lib. 1. de cœlo cap. 3. textu 22. ſcribit, *Vniuerſi, qui Deos eſſe putant, tam Græci, quam Barbari ipſum ſupremum locum Diis tribuerunt.* Quod teſtatur, addit Lorinus in Act. cap. 7. verſ. 49. illud adeo frequens apud Poëtas Græcos,

ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει, id eſt,
——— *Superique habitator olympi.*
ἕδος αἰὲν ἔωνται id eſt,
——— *Habitant quam Numina ſedem.*

Iulianus apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. 2. *Nullus eſt*, fatetur, *qui Deum, hoc eſt, Deos vel orans, vel iurans manus non ſubleuet in cœlum, & Numinis quandã cogitationem concipiens illuc feratur.* Iudicio Martialis poëtæ Gentilis idem fuit dici à Selio cælum eſſe inane, ac negari Deos; vicéque verſa,

Nullos eſſe Deos, inane cœlum
Affirmat Selius ———

Sic lib. 4. Epig. 21. Lege Ariſtidem tom. 1. in hymno ad Iouem, Apuleium in lib. de mundo ad Fauſtinum; & Auerroëm lib 8. Phyſicorum comment. 80. Vnde ſcitè aduertit Simon de Caſſia lib. 6. de geſtis Saluatoris cap. 25. *Summum Deum eſſe in cœlis, imò ſuper cælos, ab omnibus nationibus creditum eſſe.*

4 Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum c. 6. efert hæc Sybillæ carmina,

Quæ caro namque oculis celeſtem cernere poſſit
Verum, immortalémque Deum, cui in vertice cæli
Eſt ſedes. ———

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Contra Iulianum, hæc Orphæi:

Ipſe enim firmatus eſt in æreo cælo,
Aureo in throno, ſuper terram pedibus vadit,
Manúmque dexteram ad fines Oceani
Vndequaque extendit.

S. Theophilus Patriarcha Anthiochenus lib. 2. ad Autolycum, hæc Heſiodi:

Terra verò primum genuit parem ſibi
Cœlum ſtellis ornatum, vt ipſam totam obtegat,
Vtque eſſet beatis Diis ſedes tuta ſemper.

Euripides in Ione Deorum antiquam domum Cœlum dicit. Virgilius lib. 10. Æneid. canit:

Panditur intereà domus omnipotentis Olympi,
Conciliúmque vocat Diuûm Pater, atque hominum
Rex
Sydeream in ſedem, terras vnde arduus omnes,
Caſtráque Dardanidum ſpectat. ———

Ennius in fragmentis vocat cœlum *Iouis templum magnum.* Philo lib. 2. de Monarchia *Sacrarium Dei in tota rerum natura præſtantiſſimum.* Complura alia huiuſce litteraturæ reperies in noſtro Cerda notatione 7. ad ſuperiora Maronis carmina. Nos Citharam Apollinis relinquimus, obſeruantes ſolummodò, in Scriptura ſancta cœlum ſæpe appellari templum Dei, vt Pſalm. 10. v. 4. Sapientiæ 3. v. 14. Iſaiæ 6. v. 1. Micheæ 1. v. 2. eo quòd cùm Deus ibi ſe manifeſtet videndum facie a dfaciem, ſanctior eſt quodammodò, & ſacratior locus, vt notat Lorinus in cap. illud 3. Sapientiæ; nec non Antonius Fernandez in viſionem 10. ſect. 2. n. 4.

SECTIO II.

Qua ratione ſit Deus peculiariter incola cæli Empyrei.

5 ETſi per S. Auguſtinum lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 5. *tolerabilior ſit opinio eorum, qui Deum in cœlo potiùs eſſe credant, quàm in terra,* tamen non ſic cœli incolam credo, & concelebro Deum, vt ei ſoli præſentem velim ſecundùm ſuam

ſuam ſubſtantiam. Quo in errore fuit citra pertinaciam Auguſtinus Steuchus explicans v.8. Pſal.138. & Vorſtius Hæreticus Caluiniſta apud Becanum 1.part. tract.1. cap.6. quæſt.1. & apud Præpoſitum 1.part. quæſt.8. art.1. Ebiberunt venenum ex Ariſtotele in libro de Mundo ad Alexandrum, ſi eius operis eſt Author. Teſtimonia alia, quæ ex eodem Philoſopho congeruntur, declarantur in recto ſenſu à S.Thoma, & cum ipſo à Chriſtophoro Gillio lib.2. Commentationum Theologicarum tract.9. cap.1. de Ariſtide refert Theophylus Raynaudus diſt.7. Theologiæ naturalis quæſt.1. art.6. n.76. Ioui arces conſecraras putaſſe, ob exemplum Vniuerſi, in cuius ille ſummo culmine habitaret. Stoici, teſte Tertulliano cap.47. Apologetici dixerunt, *Deum poſitum extra mundum, qui figuli modo extrinſecùs torqueat hanc molem.* Aſt de Stoicis aliud innuunt Tatianus in oratione aduerſus Græcos, & Clemens Alexandrinus in Protreptico; cuius hæc ſunt verba: *Sed nec prætermittam Stoicos, qui omnem, quamuis vilem, & abiectam materiam dicunt Deum peruadere, qui apertè ſuam Philoſophiam afficiunt dedecore.* Cautè iſthæc legiſſe oportebit, vt admonet Lipſius lib.1. Phiſiologiæ Stoicorum diſſertatione 21. Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio c.9. tribuit ſupremo Deo ſtationem, *ſupra verticem ſummi cæli; eſt enim*, inquit, *vltra cælum locus ab omnibus rebus corpulentis alienus.* Pythagoræ ætate ſuſpicati nonnulli fuerant, Deum exiſtere in ſolius cœli vertice. Ipſe verò optimè, & conſonè ad Catholicæ fidei dogma pronuntiat, *Deum vnum eſſe, & non extra opus a ſe ornatum, ac diſpoſitum, ſed in ſe ipſo totum in orbe toto.* Ita ex Pythagora referunt Clemens Alexandrinus ſuprà, S. Iuſtinus in Parænesi, & S.Cyrillus Alexandrinus lib.1. contra Iulianum, in quo libro reprehendit Ariſtotelem contendentem, quòd Deus, quem vocat, *Speciem ſeparatam, ingrediatur ſuper Vniuerſi ſphæram.* Sic ſcilicet, vt intra eam non ſit. Et in extremè oppoſito ſenſu laudaui Pythagoram: nam an Deus exiſtat etiam in ſpatio imaginario ſuprà totum orbem? Alij Theologi affirmant, alij negant, nec voto viuitur vno.

6 Sed relictis Philoſophis Ethnicis, exiſtentia Dei in omnibus rebus per eſſentiam, ſeu per indiſtantiam ab omnibus rebus creatis, & intimitatem cum eis, conſtat adeò apertè ex ſacra Scriptura, ex cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi decernitur, Deum eſſe *immenſum*, non minus quàm *æternum, incommutabilem, incomprehenſibilem, omnipotentem, ineffabilem*: ex Eccleſiæ Patribus, & ex variis rationibus apud Theologos ſiue cum Magiſtro in 1. diſtinct.37. ſiue cum S. Thoma 1.part. quæſt.8. art.1. vt niſi actum agere velimus, ſatis ſit traduxiſſe erratum Eugubini, ac Vorſtij, & quàm ab eo ſimus alieni, prænotaſſe. Liceat tamen ſolius S. Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi 6. Illuminatorum appoſuiſſe verba, in quibus breuiter, & dilucidè complectitur Catholicam doctrinam de exiſtentia Dei in rebus. En verba: *Non loco circumſcriptus, ſed in omnibus locis exiſtens, à nullo tamen comprehenſus. Sedes ipſi cœlum; ſed illud tamen excellit ſedens: ſcabellum pedum eius terra; ſed virtus illius ad ſubterraneos etiam permanat. Vnus eſt vbique præſens, omnia videns, omnia intelligens; omnia per Chriſtum extruens.*

7 Cùm igitur Deus ſit præſens toti Vniuerſo ſecundùm eſſentiam, & ſubſtantiam ſuam, expedit declarare, qua ratione dicatur incolere ſpecialiter cœlum Empyreum. Quod vt maiori præſtem ſecuritate, colligam veterum Patrum hac in difficultate reſponſa. *Dignum enim eſt* penes S.Fulgentium lib.1. de veritate prædeſtinationis cap.15. *vt in ſingulis quibuſque ſententiis, in quibus nubilo cuiuſquam veritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præueniens miſericordia Dei gratis illuminauit, vt crederent; & ſequens inſtruxit ſpiritualiter, vt docerent.* Adſit itaque primò S.Auguſtinus quæſtiuncula 22. de Trinitate, *In cœlo dicitur magis habitare, quàm in terra, quia maior eſt in ſanctis diuinitatis cognitio in cœlo, quàm in terris; & pleniùs Dei ſubſtantia intelligitur ab ïs habitatoribus cœli, quàm terræ incolis.* Auguſtini veſtigiis inſiſtit S.Bernardus ſerm.1. in Pſal. 90. *Qui habitat.* & ſerm.6. in Dedicatione Eccleſiæ; Alcuinus etiam lib.2. de Trinitate cap.2. Hinc à S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 9. illuminatorum, cœlum vocatur *velum Deitatis*, quia ex lege ordinaria non videtur Deus ab iis, qui extra cœlum ſunt, hominibus; ſecùs verò ab iis, qui intra ſunt. Hinc prætereà S.Paulus comparat in epiſt. ad Hebr. cap.9. introitum Chriſti in cœleſte Sanctuarium cum ingreſſu ſummi Sacerdotis intra velum in Sancta Sanctorum; innuens, idem eſſe cœlum reſpectu Deitatis, quod erat Velum reſpectu Arcæ Teſtamenti.

8 Secundò, S.Cyrillus Alexandrinus in cap.63. Iſaiæ, *Etſi autem in cœlo dicatur habitare Deus, nihil tamen in eo corporale intelligendum eſt. Non enim in loco, & circumſcriptione diuinitatem eſſe dicimus, quòd ea ſimplex ſit, & incorporea, ac compleat omnia. Quia autem cum ſupremis ſpiritibus tanquam ſanctis ſupra quieſcit, hinc dicimus, ſolium, & domum eius eſſe cœlum.* Procopius ibidem, eadem ferè habet, & S.Damaſcenus lib.1. de fide cap.16.

9 Tertiò Origenes lib.2. Periarchôn cap.4. *Quod autem dicis, quia orantes oportet dicere,* Pater noſter, qui es in cœlis, *quid aliud videtur oſtendere, niſi Deum in melioribus mundi, id eſt, creaturæ ſuæ partibus requirendum?* Origeni adiungo Euthymium in cap.6. Math. verſ.10. *Vbique eſſe dicitur Deus, maximè tamen in locis dignioribus, quòd ipſius magis ſuſceptibilia videantur. Propter hoc igitur Deus in cœlo eſſe dicitur, quia illud puriſſimum eſt, in quo ſunt aſtra, virtutes, ac turma Sanctorum, quibus datur requies.* Aggrego item Simonem Caſſienſem lib.6. de geſtis Saluatoris cap.25. *Ex multis, & in multis, perſpicuè oſtenſum eſt, ad cœlum veros ſuſpicere oratores, in deſignationem, quòd quamuis Deus vbique ſit, ibi maximè ob excellentiam loci, quo minimè indiget, ob oſtenſionem, quòd in altiſſimis habitat, & ad illa humanis inuiſibilia loca homines inuitat. Sic ex infuſione, atque doctrina cordibus hominum infuſum eſt, & vt quodam præſagio auelli quærant homines à terrenis, quia cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

10 Quartò S.Chryſoſtomus in Pſal.113. *Quid dicis? Elegit ſibi habitaculum in cœlo, & ſuperioribus acceptis partibus; nobis, quæ hîc ſunt, parauit? Abſit, Non ita habet; ſed eſt oratio, quæ ſe demittit ad captum auditorum. Si enim ita haberet, quomodò ſtaret aliud, quòd à Deo dicitur, Numquid cœlum, & terram impleo, dicit Dominus? Illud enim eſt huic contrarium, ſi id acceperimus, prout verborum, quæ ſe ad manum offert, ſonat prolatio, & non conſiderauerimus contemplationem, quæ eſt in eis recondita. Quid eſt ergo, quod dicit, cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum? Vſus eſt oratione,*

quæ

Digitized by Google

quæ ſe demittit ad captum auditorum, non Deum cœlo concludens. Neque enim illud cœlum eſt ſedes eius, & terra ſcabellum pedum eius, quemadmodùm nec illud, Cœlum, & terram impleo, pro eius dignitate dictum eſt; ſed id ipſum eſt demiſſio ad captum auditorum. Ipſe enim omnia continet, omnia fert non egens loco; ſed omnia ſimul regens, & moderans. Sed dicitur cœlum eius domus, quod ſit locus purus à vitio. Hinc per S.Auguſtinum ſerm.28. de verbis Domini ſecundùm Lucam, *Cœlum eſt*, & Dei locus, *vbi culpa ceſſauit; cœlum eſt, vbi flagitia non ſunt, vbi nullum mortis vulnus eſt.* Germana ſunt, quæ ex S.Ambroſio tranſcribam in num. 35. exercitat. 20. Idem S. Chryſoſtomus relatus in Catena aurea S.Thomæ ad cap. 3. Ioannis v.13. ait, *Vide, quia quod valdè videtur excelſum, indignum eſt ſua magnitudine, non enim ſolùm in cœlo eſt, ſed vbique, & omnia replet.*

11 Clareſcunt iam ex Patrum oraculis rationes, ob quas cælo tribuatur peculiariter diuini domicilij, & loci nomen. Aliam exhibet S. Iuſtinus in reprehenſione non rectè datæ reprehenſionis ad quæſtionem 5. Chriſtianorum; quam rationem etſi non ſit tam pro noſtro inſtituto, libuit ſubiicere hic; *Domum, ſoliúmque Dei cœlum dicimus; non quòd eo ſit Deo opus ad domicilium, vel ſedem, cum incircumſcriptus ſit, nec quidquam penitus requirat,* & *deſideret; ſed ne conſiderata eius eſſentiæ magnitudine, & natura eius, quæ non interit, Deum illud, vel eodem honore dignum, quo Deum exiſtimemus. Idcirco ipſum Dei, & domum, & ſolium nominamus, hiſque nominibus illud ab omni ſocietate, quæ ei cum Deo ex eſſentia, & eſſentiæ nominibus ſit, ſeiungimus.* Silenda non eſt pro motibus admonitio illa Chryſologi ſerm. 67. *Cum hoc dicis*, Pater noſter, qui es in cœlis, *non ſic habeas, quaſi non ſit in terris; non ſic accipias, quaſi ſit loco clauſus, qui omnia claudit; ſed intellige, eſſe tibi genus è cœlo, cuius Pater habetur in cœlo; & age, vt viuendo ſanctè, ſancto reſpondeas Patri.* Neque item tacenda eſt illa alia Chryſoſtomi homilia 20. in Matth. *Cum verò Deum eſſe dicit in cœlis, non ibi eum hoc dicendo concludit, ſed à terris abducit orantem, eúmque ſupernis habitaculis, ac regionibus affigit celeſtibus.*

SECTIO III.

Obiectionum quarumdam nubeculæ diſpelluntur.

12 TVrbare aliquem poſſunt ea S. Auguſtini verba in Pſalm. 122. *Sunt autem cæli, in quibus iam per ſpeciem habitat Deus, videntes eum facie ad faciem, omnes ſancti Angeli, omnes ſanctæ Virtutes, Poteſtates, Sedes, Dominationes, Hieruſalem illa cæleſtis, vnde peregrinando ingemiſcimus, & quam deſiderando oramus. Ibi habitat Deus..... Nam ſi cælum iſtud corporeum, quod oculis videmus, intellexerimus eſſe habitationem Dei, tranſitura eſt habitatio Dei, quia Cælum & terra tranſibunt. Deinde antequam faceret Deus cœlum, & terram, vbi habitabat?* Imitatus eſt S.Auguſtinus in his verbis S.Hilarium, qui in eundem Pſalmum dixerat, *Deus, qui primùm in tribulatione inuocatus eſt, quæſitus à Prophetis, eóſque Prophetia lætificauit auditus, etiam nunc oculis mentis per fidei fiduciam contemplandus eſt, habitans in cœlo. Sed cœlum hoc, quod viſibus noſtris per materiam ſui ſubiacet, quod tanquam ſummus ſolidatum, Firmamenti & naturam, & nomen accepit, præteribit, & non erit; ſedes autem Domini manet in æternum. Neceſſe eſt verò, vt habitatio habitatore ſuo digna ſit, etſi corruptibili loco id, quod infinitum, & incorruptibile eſt, includamus, etſi Deum in cælo hoc habitare credimus. Quæramus ergo, quæ habitatio Dei ſit?* Pro qua quæſtione recurrit ad circuminſeſſionem diuinarum perſonarum, & ad inhabitationem Dei in humanitate Chriſti per vnionem Hypoſtaticam, in reliquiſque iuſtis per gratiam habitualem.

13 Sed horum Patrum mentem aſſequi, difficile haud quaquam eſt. S.Auguſtinus non negat Deo habitationem vtcumque in cœlo corporeo; ſed eam, ratione cuius in ipſo aut circumſcribatur, aut definiatur, tanquam in loco, quo indigeat ad ſuum naturalem exiſtendi modum poſt creatum cœlum, aut quo indigeret, antequam crearetur. Eodem modo intelligendus eſt S.Hilarius; qui poſteà ſecundùm corporalem, ſeu litteralem ſenſum fatetur, Deum inhabitare cœlum, *Quod vltra firmamenti huius naturam eſt.* In quibus verbis innuit Empyreum, vt iam notaui Exercit. 2. Ipſe S.Hilarius in Pſalm. 135. cogitat Deum, *qui infinitus eſt primo ſuperioris cœli circulo circumfusè ſupereminentem, vt æqualibus ex omni transfuſione ſua ſpatiis omnia virtutis ſuæ ſpiritu in vſum, ac naturam animantium temperato, ea quæ crearentur, attingeret. Apoſtolus enim ait, quia in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus: per quod oſtenditur, terram in ſpiritu eius tanquam in transfuſi ſpiritus ambitu conſtitiſſe; cùm in Deo omnes & viuamus, & moueamur, & ſimus. Quòd autem in omnia temperationis ſpiritu transfuſus, & penetrans ſit, id docet Propheta dicens; Spiritus Dei repleuit orbem terrarum.... Itaque intus, atque extra, ambitu, atque aditu, & circumfuſus, & transfuſus oſtenditur.* Et anteà ſcripſerat de Deo. *Cuius virtuti nihil reliquum, extra quem locus nullus eſt*: quod multis proſequitur initio lib. 1. de Trinitate, & breuiùs circa medium lib. 18.

14 Poſſet etiam quis argumentari, ſi Empyreum eſt Regia, præcipuúmq; Dei domicilium neceſſe erit, vt ſicut Deus extitit ab æterno, ita & locus ſuæ habitationis præcipuus. Debuiſſet tamen ſcire, Empyreum dici Regiam, domiciliúmque Dei præcipuum ob rationes allatas ex Patribus; & non quia in eo diuina immenſitas gaudeat præſentia aliqua nouiter ſuperaddita, qua aut careret anteà, aut indigeret: neque quia ipſum Empyreum coëxiſtat Deo ab æterno, vt eius locus. Nam docente S.Auguſtino lib. 1. contra aduerſarium legis, & Prophetarum cap. 2. *Nec ſine cœlo ſedis indigens Deus, nec facto cœlo ſedem tanquam finitis erroribus peregrinus inuenit. Potens eſt enim beatiſſimè manere in ſemetipſo.* Similia alia ex eodem S.Auguſtino, S.Bernardo, & Tertulliano producit Vaſquez 1.p. diſp. 29. cap. 2. Adiicio ex Minutio Felice in Octauio, *Ante mundum fuit ſibi ipſi Deus pro mundo*: ex S.Theophilo Antiocheno lib. 2. ad Autolycum, *Nihil cum Deo floruit, aut vixit; ſed ipſe ſibi locus erat, nullius indigens, & ante ſecula ſubſiſtens.* Ex S.Damaſceno lib. 1. de fide cap. 16. *Deus ipſe ſui ipſius locus eſt cuncta replens, & ſuper omnia eminens, & ipſe continens omnia.* lib. 2. cap. 6. *Solus Deus incircumſcriptus eſt omnia replens, omnia continens, & omnia ambiendo determinans, vt ſuper omnia exiſtens, & condens vniuerſa*; ex Philone in Allegoriis, *Deo ne totus quidem mundus dignus locus fuerit, ac diuerſorium, quando quidem ipſe ſibi locus, & ſufficiens eſt*

Digitized by Google

Deus, qui & æthera egentia, ac ſolitaria ac vacua implet, & continet; ipſe autem à nullo continetur, vt qui ipſe ſit vnus, & vniuerſum: in lib. de Somniis; *Diuinum Numen à nullo comprehenſum ſibi locus eſt.*

SECTIO IV.

An Deus ex tam peculiari titulo ſit præſens Empyreo, vt ſi fingeretur, non eſſe immenſum, neque intimè adſtare telluri verbi gratia, deberet tamen Empyreo non abeſſe.

15 NOn ſecùs ac in ſententia Franciſci Suarij lib. 12. de Trinitate cap. 5. à numer. 12. Leonardi Leſſij libr. 12. de perfectionibus diuinis cap. 11. num. 77. lib. 2. de ſummo bono cap. 1. n. 4. & 5. Maximiliani Sandæi in Theologia myſtica lib. 2. Comment. 6. Exercit. 2. diſquiſit. 3. Franciſci de Ouiedo 1. 2. tract. 8. controu. 1. puncto 4. n. 54. Nicolai Yſamberti 1. p. ad quæſt. 43. diſput. vnica art. vltimo, iuſtis creaturis adeſt Deus, non tantùm vt obiectum cognitum, & amatum præcisè; de quo præſentiæ modo agũt Theologi cum Magiſtro in 1. diſt. 37. cum S. Thoma in 1. p. q. 8. art. 3. ſed etiam per eſſentiam, & intrinſecùs, nec ſolùm ex cõmuni iure ſuæ immenſitatis, ſed etiam ex ſingulari gratiæ habitualis ſanctificantis communicatæ ipſis, abſque vnione tamen phyſica cum Deitate, vt contra Thomam à Ieſu lib. 4. de oratione diuina c. 4. oſtendit Sandæus in diſquiſitione 4. deſeruire poteſt pro ſententia Suarij, & cæterorum, quos retuli, amplus, & opulentus ſcripturæ, Patrúmque apparatus apud Dionyſium Petauium tomo 2. Theologicorum dogmatum libr. 8. à cap. 4. vſque ad 7. incluſiuè.

16 Verumtamen quicquid ſit de ea opinione aduersùs quam non ieiunè, neque exiliter diſputat Ripalda diſp. 132. de ente ſupernaturali n. 95. non video in Empyreo ſufficiens fundamentum, vt tam ſpeciali ex titulo aſciſcat ſibi Dei præſentiam. Quòd enim hanc gratia habitualis vendicaret reſpectu ſubiecti ſanctificati, indicium eſſet, vt ſummùm, conuenientis lumini glorioſo, aut beatæ viſioni eiuſdem excellentiæ reſpectu intellectus illuminati, aut beatificati. At, inquis, Empyreum eſſe locum gloriæ. Cæterùm, vt benè Arnoldus Abbas tract. de opere ſex dierum, ***Tota noſtra non in loco, ſed in mente eſt gloria, quia non felicem facit locus, ſed vita.*** Hinc videns Deum, vbicumque exiſtat, aut etſi ab omni loco tam reali, quàm imaginario diuinitus abſoluatur, beatus erit.

17 Addo, neque in ſuperiori illa opinione ratione gratiæ habitualis Deum fore ſpecialiter præſentem loco, in quo exiſteret homo, aut Angelus ſanctus, foret namque ibi præſens ex ſolo titulo communi immenſitatis ſuæ. Idque declaratur exemplo humanitatis Chriſtianæ, nam ex diuini Verbi ad ipſam ratione vnionis Hypoſtaticæ præſentia peculiari, de qua Theologi ſententiarij vbi ſuprà, & nominatim S. Thomas quæſt. 1. art. 2. Carthuſianus q. 2. cum aliis apud Thomam Pium 1. p. q. 8. art. 3. dub. 2. n. 5. haud quaquam infertur eſſentialiter peculiaris præſentia eiuſdem Verbi ad quemcumque locum, in quo exiſtere poſſit diuinitus Humanitas. Niſi velis ſpecialis præſentiæ Verbi ad locum humanitatis inde petere coniecturam, quòd ſi per impoſſibile non exiſteret vbique Verbum, deberet nihilominus, permanente vnione Hypoſtatica, non abeſſe à loco humanitatis, moueretque ſimul ex vno ad alium, quoties ea moueretur. Quæ coniectura, ſi firma ſit, faciet etiam pro peculiari præſentia Dei ad locum hominis, aut Angeli ſancti in ſententia Suarij, & aliorum allegatum. Atque ob id forſàn diſplicebunt alicui. Sed hoc omiſſo, de quo nonnihil delibaui prope finem Exerc. 7. Sufficit mihi, ſpecialem Dei præſentiam ad locum creatæ perſonæ iuſtæ non fore ratione loci ipſius, ſed gratiæ habitualis.

18 Nec plura de exiſtentia Dei in Empyreo; nam alia, quæ ſuapte ſponte occurrebant, communia ſunt eidem exiſtentiæ in quouis alio loco, & re creata. Nunc quandoquidem, vt ſuauiſſimo metro decantat Vrbanus VIII. Pontifex ſummus in Poëmate de felicitatis humanæ fuga, & cœleſtis adeptione,

——Mortalia quæque
Deſipiunt animis ſancto quos lumine complet
Gratia; pérque gradus rerum mens neſcia culpæ
Corporis obſtantes optans abrumpere nexus
Tranſilit æthereos tractus, cælique meatus
Ac penetrans vltrà Superûm ſe cœtibus infert,
Aſpirátque Dei faciem viſura beari.

Poſtulemus ab Empyrei potentiſſimo, & munificentiſſimo Imperatore congiarium ſuperi luminis, & gratiæ; nam ſi hæc aſſequamur, anhelabimus, ſpretis mundialibus, & caducis, ad ipſius in Empyreo palatio feliciſſimum intuitum, tandemque cæleſtis aulæ domicilio, & diuinæ Maieſtatis aſpectu in omne æuum perfruemur. O inſtillet Deus vel ſemel interiori noſtro ſenſui guſtum ſuæ dulcedinis! Sic enim fiet, *vt vitam hanc ſine eius aſpectu*, & Empyrei habitatione, *acerbam putemus*, prout expertiſſimus conſolationum cœleſtium S. Franciſcus Xauerius dicebat lib. 1. epiſt. 5.

EXERCITATIO DECIMAOCTAVA.

De Chriſto IESV humani generis vindice, vt Empyrei incola & Rege.

POST Deum ſequitur Chriſti Seruatoris humanitas, licèt enim Angelorum habitatio in Empyreo ſit multò antiquior, eos tamen Chriſtus, etiam quà homo, dignitate, & loco ſuperat. Hinc nuncupatur à S. Paulo 1. ad Corint. 15. verſ. 47. *Homo de cælo cæleſtis*; & exinde maximè, quòd hæredita-

Digitized by Google

rio, & naturali iure ſit præ Angelis, & hominibus incola Empyrei. Idem S.Paulus in epiſt. ad Epheſios cap.1. verſ.20. & 21. ait, Deum *conſtituiſſe* Chriſtum hominem *ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.* Quare cum poſt Deum ſit ſecundus, deueniamus ad ipſum ſuo ordine dignitatis, & iuris, poſtpoſita antiquitate Angelorum. Ob tantum, & tam illuſtrem Empyrei Regem IESVM, dicentur beati homines *Ieſuani*, vel *Ieſuitæ*, vt præter Richardum de S.Laurentio lib.11. de laudibus B.Mariæ tradunt Hugo de S.Charo, & Ludolfus de Saxonia citati à Nigronio explicatione tituli Regularum Communium Societatis IESV particula 3. num.59. à Tirino in cap.3. Apocalypſis verſ.12. vbi promittit Deus nomine ſuo nouo inſigniturum cœlicolas homines; quod nomen eſt IESVS, vt interpretantur Ribera, Viegas, Pereyra, Cornelius; exornátque exquiſitè Gueuara in cap.1. Math. v.12. obſeruatione 4. ſed & *Chriſtianos prius à* IESV *dictos Ieſeos ſub Iacobo Maiori in Hiſpania noſtra*, memorat Iulianus Perez in Chronico num.92.

SECTIO I.

An Chriſtus ſit prætergreſſus Solis Sphæram, dum aſcendit in Cælum?

1. VEre, ac propriè aſcendiſſe in cœlum, tranſactis quadraginta diebus poſt Reſurrectionem, ſuppono certum ex fide Catholica; pro cuius veritatis illuſtratione locuples eſt P. Suarez tomo 2. in 3. part. diſp.51. ſect.1. Fuere tamen Hæretici, qui effutierunt, *Chriſtum è terra aſcendentem inter cœlum, & firmamentum* (ideſt, aërem) *perueniſſe, idque dumtaxat cælorum regnum eſſe.* Sic ex Authore libri Chriſtianorum refert Photius cod. 36. Bibliothecæ. Alij blaterarunt, non prætergreſſum Solis ſphæram. Tertullianus c.24. de carne Chriſti videtur damnare hunc errorem, de quo Origenes poſteà, eodémve tempore clariùs loquutus. Nam in Pſalm.18. v.6. hæc habet; *Quidam quidem dicebant, quòd Saluator noſter aſcendens è terris ad cœlum, & corpus ſuum aſſumens, peruenit vſque ad eum circulum, qui Solis zona nominatur; & ibi, aiunt, poſuit tabernaculum corporis ſui: non enim vltra erat poſſibile id progredi. Sed hæc illi ita ſentiunt, pro eo quòd allegoriam nolunt in Scriptura diuina recipere, & ideò pura hiſtoria deſeruientes huiuſmodi fabulas, & figmenta componunt.* Refert hæc Origenis verba Euſebius Cæſarienſis in Apologia pro eo ſub nomine S.Pamphyli Martyris edita; additque, *Erubeſcant illi, qui hoc de ipſo non dubitauerunt concinnare figmentum.* Nihilominus Serapion Epiſcopus Thmueos adſcribit Origeni delyrium illud, vt teſtatur Sixtus Senenſis in Bibliothecæ lib.5. annotatione 160.

2 Didymus Alexãdrinus in Cõmentario Pſal.18. verſ.9. vt narrat Lorinus ibidem, refellit aſſerentes, Chriſti corpus eſſe in Sole vſque ad ſecundum aduentum. S.Philaſtr. in lib. de hæreſibus poſt Chriſti paſſionem c.8. dicit, Seleucianos, & Hermianos negare, *Saluatorem in carne ſedere ad dexteram Patris; ſed æſtimare ſpoliaſſe carnem, & poſuiſſe in Solem.* S.Auguſt. in lib. de hæreſibus cap.59. lib.20. contra Fauſtum c.6. oratione etiam aduerſus Iudæos c.6. tradit, Manichęos, Seleucianos, & Hermianos ſumpſiſſe ex Pſal.18. occaſionem exiſtimandi, carnem Chriſti relictam eſſe in Sole. Theodor. lib.1. Hæreticarum Fabularum ſcribit de Hermogene, *Is docebat, corpus Domini in Sole eſſe repoſitum.* Theodotus quidam adductus ab Halloix in vita S.Panteni c.3. hæc habet, *Quidam igitur aiunt, corpus Domini in Sole depoſitum eſſe, vt Hermogenes; corpus autẽ dicunt eius tabernaculum.* S.Anaſtaſius Sinayta in Duce viæ c.13. ait, *Reprehendimus Manichæos affirmantes, carnem Chriſti fuiſſe talem ſola ſpecie externa, & exiſtimatione; hãcque ipſam vmbratilem ſpeciem, nec in re, ſed in phantaſia conſiſtentem, abiectam, & à Chriſto depoſitam eſſe poſt quam in Solem aſcendit.* S.Gregor. Nazianz. in epiſt.1. ad Cledonium presbyterum, & expoſitione de Sancta, ac orthodoxa fide apud Hẽricum Caniſium t.5. lectionis antiquæ p.1. pag.179. Nicetas Choniates lib.4. theſauri, hæreſi 16. Euthymius in Pſalm.17. v.12. meminére eiuſdem erroris. Hac forſan de cauſa S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 15. Illuminatorum ait, *Diſcant illi, qui ex Manichæis conuerſi ſunt, & luminaria non faciant Deos, neque eum, qui obſcuratur, Solem, Chriſtum eſſe impiè putent.* Et in 6. dixerat, Chriſtum vocari à Manichæis Solem hunc. S.etiam Leo ſerm.4. de Epiphania inquit, coli à Manichæis Chriſtum in Sole, & Luna: ob quem cultum Manichæi nuncupantur *Solicolæ* à S. Athanaſio in lib. de humana natura ſuſcepta.

3 Figmentum iſtud traxit originem ex Pſ.18. v.6. vbi dicitur, *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Sed in primis Pſalmographus non loquitur ibi de Chriſto quà homo; ſed de Deo. Deinde nec Deus ita ſuum conſtituit habitaculum in Sole, vt à reliquis mundi partibus abſit; quia tamen Sol inter cœleſtia corpora maximè declarat maieſtatẽ Dei Creatoris, ideò videtur fixiſſe ibi ſuam Regiam, & tabernaculum, vt pluribus elucidat Lorinus. Præterea in eis verbis continetur Hypallage, ideſt, *poſuit Solem in ſuo cœli tabernaculo:* & ſic alij vertunt, *Soli poſuit tabernaculum in eis*, nempe in cœlis, de quibus præceſſerat ſermo. Adde, iuxta alias verſiones frigere omnino deductionem Hæreticorum.

Et abſolutè quidem hic error riſum potiùs, quàm impugnationem expoſcit. Aſcendiſſe Chriſtũ quoad corpus, & animam, in ſupremã partem ſummi cœli, promulgat Paulus, dum ait, *penetraſſe cœlos, excelſiorem cælis factum, aſcendiſſéque ſuper omnes cœlos*, & dum comparat ingreſſum Chriſti in cœlum cum ingreſſu ſummi Sacerdotis in Sancta Sanctorũ: quæ omnia in Exercitationis decurſu multoties expendentur. Pauli doctrina inſtructus S. Epiphanius

protulit iſthæc verba in oratione de Aſcenſione, *Hodie Chriſtus Dominus ſydereos, micantéſque luce cœlos aperuit. Hodiè ſubtiliſſimas aeris partes veluti ſolidum pauimentum calcauit. Hodiè corpus è terra concretum ſupra cœli conuexa tranſtulit.* Euſebius Gallicanus, vel S. Hilarius in eodem feſto, *Hac die arduas cœli ſedes, quas ipſa hominis natura claudebat, Deus corporeus* (id eſt in corpore aſſumpto) *penetrauit.* Auſonius, vel S.Paulinus in Matutina ad Deum precatione.

Eſſe iter æterna docuit remeabile vita,
Nec ſolam remeare animam, ſed corpore toto
Cœleſtes intrare plagas———

Cùm ergo ſummum cœlum ſit Empyreum; ſequitur, Chriſtum ad illud vſque aſcendiſſe, & ad ſupremam illius partem penetraſſe.

5 Non deeſt præſidium à rationibus. Exhibebo eas in Exercit. 23. ſect. 2. & ex ſect. quam iam inſtituo, comparebunt nonnullæ. Conſultò omiſi alios Hæreticos, qui vt Carpocrates, & Apelles apud Tertullianum lib. de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos cap. 51. S. Auguſtinum lib. de Agone Chriſtiano cap. 25. lib. de Hæreſibus cap. 23. & apud S. Philuſtrium hæreſi 7. & 19. poſt Chriſti paſſionem, ſomniarunt, Chriſti animam ſolam ſusceptam in cœlum, carnem verò in terra dimiſſam, aut in cœlo aëreo, vt Cathari apud Raynerum cap. 6. libri contra Vualdenſes, aut in inferis ſimul cum anima, vt Chryſolitæ apud S.Damaſcenum in lib. de Hæreſibus, ne tempus vanè tererem in eis refutandis, præſertim cum ex cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate, & Fide Catholica confiteamur, Chriſtum ad cœlum *aſcendiſſe pariter in anima, & carne*; cúmque ex Romana Eccleſia in Miſſa de Aſcenſione dicamus, Chriſtũ *vnitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiã in gloria Paternæ dexteræ collocaſſe.*

SECTIO II.

An Chriſtus aſcenderit, & exiſtat ſupra Empyrei conuexam ſuperficiem, an ſupra eminentiorem partem regionis mediæ? Vbi de Beatis aliis hominibus.

6 DIcam vnà de beatis aliis hominibus. Et in Exercitatione 20. ſect. 6. de Angelis, & animabus ſeparatis.

Refertur ſententia locans Chriſtum, & beatos homines ſuprà Empyrei conuexam ſuperficiem.

PRæcipuus huius ſententiæ Patronus habetur ſanctus Thomas 3. part. q. 57. art. 4. in corpore & ad 2. Item lib. 4. contra Gentes cap. 87. præterea quodlibeto 6. art. 3. denique in opuſculo 5. de ſymbolo Apoſtolorum art. *Aſcendit*, &c. Suffragantur B. Thomas Villanouanus concione 2. de Aſcenſione, Caietanus in Commentariis tum Paulinæ epiſtolæ ad Epheſios, tum Thomiſticæ ſummæ, Ferrarienſis ad cap. 87. lib. 4. contra Gentes, Medina, Gregorius Martinez, Monteſinus ad 1. 2. quæſt. 3. art. 3. Suarez tomo 2. in 3. part. diſp. 51. ſect. 1. tomo de opere ſex dierum lib. 1. cap. 5. n. 7. Ludouicus de la Puente lib. 5. in Canticum Canticorum Exhortatione 5. & 42. §. 3. Ioannes de S.Thoma in 1. part. doctrinæ Chriſtianæ, pag. 47. Hieronymus Columbus in Angelica, & Humana Hierarchia lib. 4. cap. 74. num. 8. Franciſcus à Chriſto in 3. diſt. 22. quæſt. 1. de Aſcenſione Chriſti, Raymundus de Sabunde in Theologia naturali tit. 91. Diana part. 6. tract. 1. reſolutione 3. Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. num. 108. Thyræus de Iudiciaria Chriſti apparitione cap. 26. num. 93. Lorinus, & Cornelius infrà, Andreas Lucas, lib. & cap. 6. vitæ S. P. N. Ignatij, Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis, quæſt. 6. art. 3.

7 Probatur primò ex Paulo ad Epheſios 4. v. 10. dicente de Chriſto Domino, *Aſcendiſſe ſuper omnes cœlos*, in Græco legitur ὑπεράνω ideſt, ſuper ſuprà, & omnino ſuper omnes cœlos, vt ponderat Cornelius; & S. Anſelmus ait, *Aſcendit non ſolùm ſuper omnes cœlos materiales, ſed & ſuper omnes cœleſtium virtutum ordines ſuperans loco, & dignitate omnem creaturam.* Eccleſia Romana inſiſtens phraſi Paulinæ canit, *Qui aſcendens ſuper omnes cœlos, &c.* Adducit ibidem Paulus v. 8. illud Pſalm. 67. v. 19. *Aſcendiſti in altum*, ſeu in faſtigium, & ſublimitatem, vt ex voce Græca ὕψος colligit Suarez. Confirmatur ex verſ. 33. eiuſdem Pſalmi, *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum Cœli ad Orientem.*

8 Probatur ſecundò ex ipſomet Paulo ad Hebræos 7. verſ. 26. pronuntiante de Chriſto *Excelſiorem Cœlis factum.* eadem in epiſt. cap. 4. verſ. 14. inquit, *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, IESVM Filium Dei, id eſt*, qui pertranſiit omnes cœlos, Quæ omnia confirmantur teſtimonio S. Chryſoſtomi, qui homil. 11. in epiſt. ad Epheſios ſcribit, *Aſcendit ſuper omnes cœlos, vltra quos nihil eſt aliud: hoc videlicet eſt potentiæ, & dominationis ipſius.* Tranſcripſerunt Chryſoſtomi hæc verba Theophylactus, & Oecumenius.

9 Probatur tertiò, nam S. Epiphanius adductus iam in num. 4. inquit, Chriſtum tranſtuliſſe ſuum corpus *ſupra cœli conuexa.* Syneſius in hymno 9. canit de Chriſto.

Tu verò alas agitans	*In ſphæriſque conſtitiſti*
Cærulei Cœli	*Intellectualibus puriſſimis,*
Scandiſti ſupra dorſum,	*Bonorum vbi fons.*

S. Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Demophilum refert, S. Carpum vidiſſe Chriſtum inſidentem *Cœli cardini*, vt vertit ex Græco Ambroſius Camaldulenſis, vel *Cœli dorſo*, vt vertit Ioannes Saracenus. S. Ambroſius in Pſal. 118. octonario 19. ait, *Dominus Ieſus ſupra cœlum eſt, nullo circumſcriptus tempore.* S. Hieronymus in epiſt. ad Theophylum aduerſùs errores Ioannis Hieroſolymitani, *Chriſtus loco non tenetur incluſus.* Ioannes Phyloponus lib. 1. de mundi creatione cap. 12. *Quis ipſis* (Theodoro Mopſueſteno, & eius aſſeclis) *reuelauit Chriſtum Dominum in tergo firmamenti eſſe collocatum, habẽdo ſupra ſe primum cœlum, ſicut nobis ſuperpoſitum eſt firmamentum?* In quibus verbis indicat, Chriſtum exiſtere ſuper conuexam ſuperficiem ſummi cœli, alioqui haberet ſupra ſe tectum ſaltem illius.

10 His directè ſuadetur, Chriſtum exiſtere ſupra conuexam Empyrei ſuperficiem. Porrò ex hinc fit illatio ad reliquorum beatorum hominum corpora. Nam vbi fuerit ſupremi Principis Humanitas, ibi aderunt Proceres cœleſtis Regni. *Caro, & ſanguis ſecuræ eſtote* (aiebat Tertullianus cap. 51. de Reſurrectione carnis) *vſurpatis & cœlum, & regnum Dei in Chriſto; aut ſi negent vos in Chriſto, negent & in cœlo Chriſtum, qui vobis cœlum negauerint.* Similiter in re præſenti dici poteſt, qui negent vos ſimul cum Chriſto exiſtere ſupra cœlum, negent & ſupra cœlum Chriſtum. S. Paulus ad Hebræos 10. v. 21. commendat Chriſtum, eo quòd ſit *Sacerdos magnus ſuper domum Dei: in domo* autem Dei, ſeu *Patris*, ſcilicet in cœlo *manſiones* hominum *ſunt*, ex eiuſ-

dem

Digitized by Google

dem Chriſti doctrina cap. 14. Ioannis v. 2. In vna ergo domo, ſiue ſupra, ſiue intra ſummum cœlum debent exiſtere Chriſtus Sacerdos magnus, & beati homines. Vlteriùs Chriſtus cum Beatis componet vnum regnum, & ciuitatem, celebrabitque vnum conuiuium. Quæ metaphoricæ loquutiones Scripturarum diuinarum non benè cohærent cum habitatione Chriſti ſupra Empyreum, & Beatorum intra. Quænam eſſet ſocietas Chriſti, ac Beatorum, ſi ille permanenter degeret ſupra complexionem Vniuerſi; hi autem intra?

11 Inſigne eſt ad confirmandam beatorum hominum ſupra cœlum exiſtentiam id, quod de Romanis piè affectis erga Conſtantinum verè Magnum, narrat Euſebius lib. 4. eius vitæ cap. 69. nimirùm, *Cum cœli effigiem in tabella propriis coloribus expreſſiſſent, depinxiſſe eum ſuper cœleſtes orbes in æthereo cœtu requieſcentem.* Paſchaſius Rathbertus contemplatur Adelhardum Abbatem iam defunctum, *admirantem ſub pedibus non modò nubes, & ſydera, ſed etiam altam cœli planitiem.* S. Cæſarius in Dialogo 1. ait, *Diuinæ protenſiones* (cœli) *inferna concaua videntur in ſupernis eſſe; supernè ſupina, & æquales ſunt ad ſe recipientes præclaros in Eccleſiis viros.* Quæ Cæſarij conſideratio nulla eſſet, ſi beati homines extituri eſſent intra cœlum, & non in conuexa eius planitie. Saluianus lib. 2. ad Eccleſiam Catholicam pronuntiat, *ſuper cœlos eſſe aureas Sanctorum omnium domos.* S. Ambroſius in Pſalm. 38. verſ. 6. ſcribit, *Chriſtus quidem aſcendit ſuper omnes cœlos ad Dei ſedem, homines autem à primo cœlo ad ſecundum, & deinceps à ſecundo ad tertium, & ab illo per diſtinctiones ferè ad ſeptimum cœlum, atque in ipſam ſummitatem cœlorum, qui merentur, aſcendunt.* S. Gregor. Nyſſenus oratione 2. de Beatitudinibus ſic fatur, *Si oratione volucres quodammodò facti, & erecti fuerimus; ſupérque dorſa cœleſtis teſtudinis conſtiterimus, inueniemus ibi ſupercœleſtem terram, quæ iis, qui cum virtute vitam tranſierint, repoſita eſt.* Ariſt. lib. 2. de cœlo cap. 9. textu 100. extra cœlum ponit ſtatum beatitatis: quare ſi ipſe agnouiſſet corporum glorificationem, ea extra illud exiſtere contenderet.

12 S. Chryſoſtomus in catena aurea S. Thomæ ad cap. 16. Lucæ v. 22. inquit, *ſicut Regum carceres extra man n , ſic & extra mundum alicubi eſt Infernus; vnde & exteriores tenebræ dictæ ſunt.* Si ergo extra mundum eſt damnationis ſtatus, erit etiam extra eum ſtatus beatitudinis S. Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram c. 32. dubitat ſaltem de animabus ſeparatis, an ferantur ad loca corporalia: ait namq; *ſi autem quæritur, cum anima de corpore exierit, vtrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus ſimilia, an verò nec ad ipſa, ſed ad illud, quod & corporibus, & ſimilitudinibus corporum eſt excellentius? Citò quidem reſponderim, ad corporalia loca eam vel non ferri, niſi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Iam vtrùm habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, oſtendat qui poteſt. Ego autem non puto, ſpiritalem enim arbitror eſſe, non corporalem. Ad ſpiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia ſimilia corporibus:::* Et paulò poſt, *Quamuis ergo non ſint corporalia, ſed ſimilia corporalibus, quibus anima corporibus exuta afficiuntur, ſeu benè, ſeu malè, cùm ipſa corporibus ſuis ſimiles, ſibimet appareant; ſunt tamen & vera lætitia, & vera moleſtia facta de ſubſtantia ſpiritali: nam & in ſomnis magni intereſt, vtrum in lætis, an in triſtibus ſimus.* Hactenus ab authoritate.

13 Probatur quartò ex ratione communi tam Chriſto, quàm glorificatis aliis hominibus: quia corpora, quò ſunt nobiliora, eò ſunt ſuperiora, etenim *natura rem nobiliorem in locis nobilioribus* (qualia ſunt ſuperiora) *conſtituere ſolet, niſi quid maius impediat,* vt docet Ariſtoteles lib. 3. de partibus animalium cap. 4. lib. 2. de cœlo c. 5. textu 34. Sed humana corpora glorificata ſunt nobiliora cæteris elementaribus, & cœleſtibus: Ergo ſunt ſuperiora.

Refertur, & præfertur ſententia locans Chriſtum & beatos homines intra regionem mediam Empyrei.

14 TEnuit hanc ſententiam S. Thom. in 3. diſt. 22. art. 3. q. 3. quæſtiũc. 1. ad 1. vbi ait, *Non dicitur Chriſtus aſcendiſſe ſupra cælos, quia ſit extra cælum Empyreum, ſed quia in altiſſimam partem eius aſcendit.* Argumentum autem, ad quod ſic reſpõdet, erat huiuſcemodi, *Corpus Chriſti neceſſariò eſt in loco, ſed extra cælum non eſt locus ſecundùm Philoſophum, 1. cæli.* Et anteà in 2. diſt. 2. q. & art. 2. ad 5. ſuppoſuerat, beatos homines ita futuros in cœlo, vt per aliquod medium tranſire poſſint ſpecies viſibiles, & audibiles: quod certè fieri non poſſet, vti obſeruant Suarez diſp. 47. ſect. 6. v. *Occurrit*, & Granadus infrà, ſi omnes ita eſſent ſupra cœlos, vt plantis pedum tangerent conuexum Empyrei: neque neceſſe fuiſſet S. Th. recurrere pro locutione beatorum hominum ad confractionem corporis Empyrei; ſi extra hoc putaret illos exiſtere. Et licet lib. 4. contra Gentes c. 87. propendeat magis in exiſtentiam beatorum hominum ſupra omnes cœlos, tamen eorum intrà exiſtentiam non improbat. En S. Doctoris verba, *Quia verò locus debet proportionari locato, conſequens eſt, quòd cum corpora reſurgentium proprietatem cæleſtium corporum conſequentur, etiam in cælis locum habeant, vel magis ſuper omnes cœlos, vt ſimul cum Chriſto ſint, cuius virtute ad hanc gloriam perducentur, de quo dicit Apoſtolus ad Epheſios 4. Qui aſcẽdit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.*

15 Syluester de Prierio tract. 3. Roſæ aureæ q. 43. ad 5. *quæſitum* contendit, S. Thom. 3. p. q. 57. art. 4. neutiquam docuiſſe, Chriſti corpus exiſtere extra Empyreum. Sed perdoctus Thomiſta, non geſſit partes optimi lectoris, & interpretis. Is enim eſt penes S. Hilarium lib. 1. de Trinitate. *Qui dictorum intelligentiam expectet, ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.* Talis autem non fuit in hoc loco Syluester, ſiquidem S. Thom. verba ſunt apertiſſima pro exiſtentia corporis Chriſti ſupra Empyreum. *Non oportet* (inquit ad 1.) *aliquam partem cœli eo ſuperiorem eſſe, ſed ipſum eſſe ſuper omnes cœlos, ſicut & in Pſalm. 8. dicitur, Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos Deus.* Ad 2. *locus habet rationem continentis. Vnde primum continens habet rationem primi locantis, quod eſt primum cœlum. In tantum igitur corpora indigent eſſe in loco per ſe, in quantum indigent contineri à corpore cæleſti. Corpora autem glorioſa, & maximè corpus Chriſti, non indiget tali continentia: quia nihil recipit à corporibus cæleſtibus, ſed à Deo mediante anima. Vnde nihil prohibet corpus Chriſti eſſe extra totam continentiam cæleſtium corporum, & non eſſe in loco continenti. Nec tamen oportet, quòd extra cælum ſit vacuum, quia non eſt ibi locus, neque eſt ibi aliqua potentia ſuſceptiua alicuius corporis, ſed potentia illuc perueniendi eſt in Chriſto. Quòd autem Ariſtoteles probat 1. de cœlo,*

quòd extra cælum non eſt corpus, intelligendum eſt de corporibus in ſolis naturalibus conſtitutis, vt per probationes apparet. Quid clarius? Syluester interpretatur priora verba, quatenus corpus Chriſti non habeat ſuperiorem notabilem aliquam partem Empyrei, vel quatenus nullam omnino habeat, ſi ſuperficies vltima ſui capitis in aliquo puncto attingat ſuperficiem conuexam cœli. Quis non videat, coactam eſſe interpretationem? ſed vt vt ſit, poſteriora ſaltem nullam prorſùs admittunt; & ideò fortè quaſi per obliuionē diſſimulata ſunt à Sylueſtro.

Fateor, S. Thom. 1. p. q. 66. art. 3. ad 3. q. 102. art. 2. ad 1. q. 112. art. 1. ad 2. & 1. 2. q. 4. art. 7. ad 3. indicare, Angelos, & beatos homines exiſtere, vel extituros intra Empyreum, vt poſteà inducam. Sed in Chriſti corpore aliquid ſpeciale meditatus eſt; & quoad hanc partem non poteſt eſſe dubium de Angelici Doctoris mente, tum in lib. 4. contra Gentes cap. 87. tum in 3. p. q. 57. art. 4. ad 2. Teſtimonium ex opuſculo 5. non eſt adeò perſpicuum, cùm ſolummodò ibi dicat, Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnes cœlos corporeos. Teſtimonium ex quodlibeto 6. minus perſpicuum eſt, ibi namque non aliud vult, quàm Angelos, & corpora glorificata non prohiberi, quantùm ex ſe eſt, quominus exiſtant in conuexo Empyrei, eo quòd in ſui conſeruatione non dependeant à primo continente; quòd verò de facto in Empyrei conuexo exiſtant, nullatenus traditur ibi à S. Thoma.

17 Ex cuius familia Hugo de S. Charo in prologo ſuper Ioannem, Raynerius in Pantheologia, tit. de Aſcenſione Chriſti, Iacobus de Voragine in Legenda, de Aſcenſione Domini, Turrecremata in 1. q. ſuper Euangelium de Aſcenſione, Durandus in 3. diſt. 22. q. 8. n. 7. Paludanus ibidem q. 5. Sotus in 4. diſt. 45. q. & art. 1. v. *dicitur ergo*, Sylueſter tum loco ſuperiori, tum tract. 2. in die Aſcenſionis defenſant, glorificata omnia corpora commorari intra Empyreum; innuitque S. Vincentius Ferrerius, dum ſerm. 4. in Dominica 1. Aduentus ait, *Empyreum principaliter ordinatum, vt ſit habitatio Beatorum, & hoc magis propter homines, quorum corpora glorificabuntur, quibus locus debetur, quàm propter Angelos, qui loco non indigent.* Henricus Gandauenſis quodlibeto 15. quæſt. 2. Abulenſis Paradoxo 5. cap. 190. & 191. in cap. etiam 17. Matthæi q. 61. 1. item p. ſuper Euſebium c. 80. Eſtius in cap. 4. ad Hebræos v. 14. in cap. 4. ad Epheſios v. 10. Palatius in 3. diſt. 22. diſp. 2. Eximij quatuor viri in Eccleſiaſtico ſtatu ſæculari tuentur eandem ſententiam; & eorum primus ſcribit: *Si verò intelligere conetur aliquis, aſcendiſſe Chriſtum ſuper omnes cælos corporales vltra connexitatem extremi cæli, neſcio, qua authoritate, aut ratione illud firmare poterit.* Ex Eremitico ſtatu Richardus Pampolitanus apud Coccium lib. 2. theſauri art. 6. pag. 197. Ex Benedictino Congregationis Cluniacenſis Ioannes Raulin ſerm. 3. de Aſcenſione Domini. Ex Franciſcana Religione Alenſis parte 2. q. 47. membro 4. rurſus p. 3. q. 23. membro 6. art. 1. S. Bonauentura in 3. diſt. 22. & alibi ſæpè. S. Bernardinus Senenſis tom. 4. ſerm. infrà diem de Aſcenſione artic. 2. cap. 1. (ſi opera in hoc tomo contenta adulterina non ſint, vt ſuſpicatur Lucas Vuadingus in Annalibus Franciſcanis anno 1308. num. 25.) Richardus de Media-villa in 3. diſt. 22. art. 4. q. 2. v. *Authoritates.* Ouandus ibidem propoſ. 8. Aureolus in 4. diſt. 48. art. 2. v. *Alij eiuſdem opinionis*, Lyra in cap. 4. ad Epheſios, Nyſſe in reſolutione Theologorum tract. 4. parte, & portione 3. q. 1. ad 2. Franciſcus Felix in tract. de Beatitudine cap. 7. difficultate 2. n. 3. Ex Carthuſienſi Richel in elementatione Theologica, propoſitione 58. & 83. in explicatione hymni de Aſcenſione, aliiſque in locis, licèt in Summa fidei orthodoxæ lib. 4. art. 72. diſcordet. Ex Auguſtiniana Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine lib. 4. q. 6. art. 2. §. 5. Ex Clericis Regularibus Minoritis Raphael Auerſa 3. p. Theologiæ q. 53. ſect. 6. & 1. 2. q. 4. ſect. 9. Ex noſtra minima Societate *Ieſu* Salmeron in epiſt. ad Epheſios cap. 4. diſp. 10. Bellarminus lib. 8. de Chriſto cap. 12. Natalis adnotatione in Imaginem de Aſcenſione Chriſti. Barradas tom. 4. in Euangelia lib. 9. cap. 12. Leſſius lib. 3. de ſummo bono cap. 8. & in 1. 2. q. 4. num. 44. Tannerus 1. p. diſp. 6. q. & dub. 1. num. 15. & iterùm 3. part. diſp. 2. q. 3. dub. 5. n. 118. Azor. part. 2. Inſtitutionum moralium lib. 1. cap. 12. q. 10. Roa de ſtatu Beatorum cap. 6. Eſcobar volumine 2. Commentariorum in Euangelia ſanctorum lib. 3. verbo *Aſcenſio* ad cap. 16. Marci Comment. litterali. ſect. & §. 4. n. 17. Tirinus in cap. 4. ad Epheſios, Bulæus lib. de ſtatibus c. 3. ſtatus gloriæ æternæ, Iacobus Pintus lib. 7. de Chriſto Crucifixo tit. 1. loco 6. n. 72. etſi non omninò clarè.

18 Opinio hæc ſtabilitur primò ex S. Petro affirmante de Chriſto cap. 3. act. verſ. 21. *Quem oportet quidem cælum ſuſcipere, vſque in tempora reſtitutionis omnium.* Syrus legit, *quem oportet cælo capi.* Vt notant Lorinus, & Cornelius. Et licèt latini textus locutio ſit amphibologica, obſeruante Caietano, tamen Interpretibus magis placet ea, qua ſignificatur Chriſti Humanitatem ſuſcipi à cœlo, & contineri ſicut locatum à loco, quàm ea, qua ſignificatur cœlum ſuſcipi à Chriſti Humanitate ſicut palatium, vel regnum à Rege ſuſcipi dicitur, quando Rex incipit eſſe in palatio, vel regno. Etenim S. Petrus videtur intendiſſe ſignificare diuturnam Chriſti in cœlo manſionem vſque ad ſecundum aduentum; & non tantùm acceptionem poſſeſſionis cœli.

19 Secundò ex S. Paulo ad Hebræos 8. verſ. 1. aiente de Chriſto, *conſediſſe in dextera ſedis magnitudinis in cælis.* Et ad Epheſios 2. verſ. 6. aiente de Deo, *nos conſedere feciſſe in cæleſtibus in Chriſto Ieſu*: in quæ verba ſic Oecumenius, *Primitiis noſtris, & capite Chriſto aſſidente, reliquum etiam corpus vnà cum eo in ſedem locatur. Quam ob rem inquit in Chriſto Ieſu, hoc eſt per Chriſtum Ieſum.* Similiter Theophylactus. Quòd ſi ex præpoſitione *ſuper* probant Aduerſarij, Chriſtum prætergreſſum ſuperficiem conuexam Empyrei, & ita intelligunt Paulum dicentem, *Aſcendiſſe ſuper omnes cælos*: cur ex præpoſitione *In*, & *conſeſſione in cælo* bis repetita non deducetur exiſtentia Chriſti intra cœlum? Confirmatur, quia Marci 16. v. 19. & 1. Petri cap. 3. verſ. 22. aſſeritur *Chriſtus aſſumptus profectus in cælum*, & non ſuper cœlum: Rurſus 1. ad Theſſalon. 4. v. 16. & alibi aſſeritur *deſcenſurus de cælo*, & non deſuper vltra cœlum.

20 Tertiò ex Patribus. Et primus ſit S. Hieronymus in 4. ad Epheſios, inquiens, *Numquid corporaliter omnes cælos, & vniuerſas ſublimitates, & cælorum circulos, quos Philoſophi ſphæras vocant, tranſiens, atque tranſcendens ſummo cæli fornice, & vt ipſo verbo vtar, abſide; an certè omnia corporaliter contemnens, atque deſpiciens, & æterna contemplans, ſupra cælos, id eſt, ſuper inſenſibilia ſtetiſſe credendus eſt? Quod ego melius puto.* Hucvſque Doctor Maximus, qui ſanè non negauit corporalem aſcenſum Chriſti ad cœlos materiales, cum tamē non probet

aſcenſum

Digitized by Google

aſcenſum ſupra ſummi cœli fornicem, & abſidem. Secundus ſit S.Auguſtinus, qui in epiſtola 57. ad Dardanum docet, *vt cum habitationem Dei cogitat, vnitatem cogitet, congregationémque ſanctorum maximè in cœlis; vbi propterea præcipuè dicitur habitare, quia ibi fit voluntas eius, perfecta eorum, in quibus habitat, obedientia: deinde in terra, vbi ædificans habitat domum ſuam in fine ſæculi dedicandam. Chriſtum autem Dominum noſtrum, vnigenitum Dei filium, æqualem Patri, eundémque hominis filium, quo maior eſt Pater, & vbique totam præſentem eſſe non dubites tanquam Deum, & in eodem templo Dei eſſe tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum.* In quibus verbis tradit S.Auguſtinus & exiſtentiam corporis Chriſti in aliquo loco cæli, & rationem talis exiſtentiæ, dum addit, *Propter veri corporis modum.* Nam modus corporum eſt exiſtentia in loco continente, vt ipſe S.Auguſtinus dixerat in eadem epiſtola his verbis. *Vbique eſt Deus, quia nuſquam eſt abſens. In ſeipſo autem, quia non continetur ab eis, quibus eſt præſens tanquam ſine eis eſſe non poſſit. Nam ſpatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt; & quia nuſquam erunt; nec erunt. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit, vbi ſint, & ideo neceſſe eſt, vt non ſint.* In libr. etiam 22. de Ciuitate Dei cap.18. ſcribit, *Habentes corpora, in aliquo corporali loco eſſe, neceſſe eſt.* Et loquitur ſpeciatim de corporibus beatis, necnon de loco extrinſeco reali, vt & S.Iulianus Toletanus lib.3. Prognoſticôn c.49. vbi citat S.Auguſtinum.

21 Liceat eius doctrinam exornare prophanis teſtimoniis. Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio cap.7. inquit, *Hæc omnia eſſe non potuiſſent, ſi locus deeſſet, qui omnia ſuſtinere potuiſſet. Omnibus enim rebus, quæ fuerint præcauendum eſt loco.* Porphyrius initio libri de occaſionibus, *Omne corpus eſt in loco; nullum verò eorum, quæ ſecundum ſe ſunt incorporea, vel aliquid tale, eſt in loco.* videlicet circumſcribente. Tam duo Patres, quàm duo Prophani intelligendi ſunt de corporibus diſtinctis à ſupremo cœlo, & de neceſſitate tantùm naturali exiſtendi in loco corporeo extrinſeco intra ambitum mundi, qui vt definit Cleomedes apud Cælium Rhodiginium lectionum antiquarum lib.1. cap.5. *eſt conſtitutio cæli, & terræ, & naturæ rerum, quæ intra clauduntur, & omnia continet corpora, nullo penitus relicto extra:* & de cœlo pronuntiarunt Zenoniſtæ apud Laërtium lib.7. de vita & moribus Philoſophorum, *eſſe extremam circumferentiam, in qua diuinum omne fixum, ac locatum eſt.* Et Eratoſthenes, aliàs Hypparcus, ad Arati Phænomena c.4. *cælum eſſe id, quod omnia, quæ ſunt præter ſe ipſum, complectitur.* Hinc Ariſt.lib.1.de cœlo c.9.à text.97. & Plotinus apud Cœlium cap.8. ſtatuunt, nullum corpus exiſtere poſſe extra cœlum: & licèt Ariſtotelis argumenta non procedant niſi de corporibus conſtitutis in ſolis naturalibus, & ex natura rei, non apparet ratio, ob quam cogamur corporibus glorificatis tribuere exiſtentiam extra cœlum. Sic ab authoritate.

22 Iam quartò à ratione communi: Chriſto, & beatis aliis hominibus ſtabilitur eadem opinio, quia ſedes, thronus, & regnum Dei deprædicatur in cœlo ab Scriptura ſacra ſatis frequenter, vt viſum eſt in Exercitatione proxima. Ergo Beatorum cœtus non eſt extra cœlum in ſpatiis imaginariis, ſed intra cœlum nobilius, & excelſius. Etenim ſedes, thronus, & regnum Dei nihil aliud eſt, quàm ſocietas Beatorum, in quibus diuina virtus operatur manifeſtiùs, vt docet S.Damaſcenus ibi citatus, in num.8. Hinc Salmeron putat, durum eſſe dicere, quòd Chriſtus non ſit in eo loco, vbi toties aſſeritur, Deum, & Patrem exiſtere: & ita quidem aſſeritur, vt etſi Deus *naturali proprietate toto orbe ſublimior ſit, & extra illum exiſtat*, iuxta S. Cyrillum Alexandrinum lib. de recta Fide ad Theodoſium, tamen ſimul etiam ſit intimè præſens ipſi cœlo intrinſecùs

23 Reſpondebis, vt Chriſtus dicatur eſſe in cœlo, ſatis eſſe, quòd eius corpus pedibus attingat conuexam Empyrei ſuperficiem; ſic dicimur eſſe in tecto domus, & in terra, etſi ſolis pedum plantis attingamus tectum, & terram. Sed contra primò, quia S.Thomas non reſtrinxit modum exiſtendi corporis Chriſti ad hoc, quòd tangat pedum plantis ſuperficiem vltimam cœli; ſed abſolutè dicit, quòd eſt extra totam continentiam cœli. Ita obſeruauit Ioannes de S.Thoma 1. p. Naturalis Philoſophiæ quæſt. 17. art.2. verſ. *Reſolutio.* Contra ſecundò, quia Beatorum Angelorum in cœlo exiſtentia, non minus debet ſaluari, quàm exiſtentia Chriſti, & beatorum aliorum hominum; Angeli autem beati nequeunt illo modo dici exiſtere in cœlo; & mirum eſſet, ſi vt ſaluares eorum in cœlo exiſtentiam decantatam à ſacris Litteris, diceres, eos omnes, dum ad terram non mittuntur è cœlo, exiſtere affixos, & intimè præſentes vltimæ huius ſuperficiei. Idem argumentum militat in beatis animabus ſeparatis.

24 Contra tertiò, quia exiſtentia Dei intra cœlum, ita tamen vt in ipſo neque circumſcribatur, neque definiatur, conſtat ex diuinæ Scripturæ teſtimoniis, in quibus affirmatur, Deum exiſtere in cœlo. Ergo cùm de Chriſto, & aliis Beatis toties diuina Scriptura repetat exiſtere in cœlo, colligendum ſimiliter eſt, quòd habeant exiſtentiam intra, ratione cuius vel circumſcribantur, vel definiantur ibi. Quòd verò diuina Scriptura dicat aliquando, Chriſtum *aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, & excelſiorem cælis factum*, ſatis non eſt ad denegandam exiſtentiam intra cœlos, vti ſatis non eſt reſpectu Dei, etſi eadem Scriptura dicat, *Excelſiorem eſſe cœlo, capi non poſſe cœlo.* Vnde ſicut hæc teſtimonia conciliantur cum aliis adductis in ſect.1. præcedentis Exercitationis, quin negetur Deo exiſtentia intra cœlum, quatenus ſcilicet Deus exiſtat ſimul intra, & extra, vel quatenus infinita ſua poteſtate, & immenſitate exiſtere valeat in aliis, & aliis rebus producibilibus extra: ita ſeruata proportione oportebit conciliare teſtimonia de Aſcenſione Chriſti ſuper omnes cœlos, déque excelſiori præ illis ſtatu cum teſtimoniis de exiſtentia in cælo, quin negetur Chriſto exiſtētia intra cœlum. Modus autem conciliandi proponetur poſtea. Contrà quartò, quia dum nos dicimur exiſtere in tecto domus, & in terra, ſignificatur ſuſtentari nos à tecto, & terra, neque enim ſignificatur, tectum, & terram eſſe locum realem extrinſecum, quo circumſcribamur. Aſt dum Chriſtus, & beati alij homines dicuntur exiſtere in cœlo, non ſignificatur ſuſtentari à ſuperficie conuexa cœli, tum quia glorificata corpora non indigent ſuſtentaculo, cui innitantur, vt ſtatim declarabitur: tum quia Fideles, quando audiunt exiſtentiam Chriſti & aliorum beatorum hominum in cœlo, tale quid non concipiunt, ſed potiùs illum exiſtere, & hos exituros intra cœlum. Quapropter, ait Leſſius, non parùm offenſurum rudium Fidelium pias aures, qui expreſſis verbis coram aſſereret, regnum Dei, gloriam Chriſti, & Sanctorum intra

cœlum

Digitized by Google

cœlum non eſſe, ſed extra in vacuo interminato. *Nulla autem ſententia certior redditur* ex animaduerſione Richardi Victorini lib. 4. de Trinitate cap. 5. *quam quæ communi animi conceptione firmatur.*

25 Adde, Scripturam ſacram vti phraſibus, quæ ex communi modo concipiendi denotant Beatorum circumſcriptionem, vel definitionem intra cœlum, *vt intrare in cœlum* Math. cap. 5. verſ. 20. cap. 7. verſ. 21. cap. 18. verſ. 3. *habere theſaurum in cœlo, theſaurizare in cœlo.* Math. cap. 6. verſ. 20. cap. 19. verſ. 21. *habere domum, manſiones in cœlis, & Patris domo.* 2. ad Corinth. cap. 5. verſ. 1. Ioannis 14. verſ. 2. In Concilio Florentino dicitur de animabus ſeparatis omninò puris, vel omninò in Purgatorio expiatis *recipi in cœlum*: quo loquendi modo innuitur exiſtentia intra cœlum. S. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 1. ait, *Aſcenſio* Chriſti *ex terra in cœlum, & iterum deſcenſio, & aduentus, actiones ſunt circumſcripti corporis.* Theodoretus Dialogo 2. inquit, *Corpus Dominicum ſurrexit quidem à corruptione, & interitu alienum, & impaſſibile, & immortale, & diuina gloria glorificatum, & à cœleſtibus poteſtatibus; corpus tamen eſt, & habet, quam priùs habuit, circumſcriptionem.* In quibus verbis S. Damaſcenus, & Theodoretus videntur ſignificare non ſolùm exiſtentiam corporis Chriſti in parte determinata, ſed continentiam etiam à loco corporeo extrinſeco. Clariùs hanc denotat S. Anſelmus, dum cap. 4. de Sacramento Altaris inquit, Corpus Chriſti *vno aliquo loco contineri, quicumque ille ſit; quem nemo velit inueſtigando quærere, qui non vult errare.*

26 Stabilitur quintò, quia incredibile videtur, Deum condidiſſe tam pulchrum domicilium, & palatium, quàm eſt Empyreum, vt non intra ipſum, ſed quaſi ſupra tegulas habitent cœleſtes Aulici. Quis credat, Principem, relicta ampliſſimæ, & ornatiſſimæ domus Regiæ habitatione, ſuos ſupra tectum transferre palatinos, ibique eis manſiones deſignare? Certè melior videtur fore Beatorum ſors, ſi concederetur commorari in terra, vbi, vt ponderat Leſſius montes, & valles, fontes, & flumina, horti, & flores, & multiplex rerum pulchritudo ſenſus omnes oblectaret. Quid enim erit voluptatis corporeæ in vaſto illo, & horrido ſpatio imaginario? Cum in ipſo neque lux, neque amœnitas, neque pulchritudo vlla erit. Sacræ quidem Litteræ, & Patres aliter exiſtimandi de beatitudine corporea, de terra viuentium, cœleſtíque Ciuitate occaſionem præbent.

27 Et confirmatur, quia ſpatia imaginaria extra Empyreum non ſunt commoda actionibus glorificatorum corporum, videndi ſcilicet, audiendi, olfaciendi, loquendi, reſpirandi, & expirandi; nam in vacuo hæc omnia fieri naturaliter nequeunt; ſine neceſſitate autem multiplicantur miracula, & totius naturæ infringuntur leges. Eſt etiam miraculoſa conſeruatio corporum extra ſummum cœlum, ſi conſiderentur penes naturalia. Ergo credibile non eſt conſtitutum à Deo theatrum hominum glorificatorum in ſpatio, quod adeò horretur à natura, vtpotè ineptum conſeruationi corporum, & externis eorum functionibus.

28 Aliqui inter actiones, quas beati homines non poſſent exercere ſi exiſterẽt ſupra Empyreum, numerant motum localem; ſed non benè: tum quia beati homines inſiſtendo conuexæ ſuperficiei Empyrei poſſent naturaliter mouere ſe localiter; imò & non inſiſtendo; nam cum corpora non grauitent vltra concauam ſuperficiem globi Lunaris, non indigebunt beati homines firmo aliquo corpore, cui innitantur, vt ſe moueant per ſpatia imaginaria ſupra Empyreum: tum quia gratis admiſſo, beatos homines grauitaturos, quantùm ex ſe eſt, & ex natura rei, ſupra Empyreum, tamen per dotem ſupernaturalem agilitatis, quæ eſt in eis permanens qualitas, impedient effectum grauitationis; in quo non intercedet nouum miraculum ſuppoſita ſemel conceſſione dotis agilitatis, vt ea vtantur beati homines pro ſuo libito quoad quietem, vel motum. Et hinc eluceſcit diſcrimen ad alias actiones videndi, audiendi, olfaciendi, ac loquendi ſupra Empyreum, ſiquidem ad eas actiones opus eſſet nouo miraculo præter conceſſionem dotium, quibus permanenter ornantur glorificata corpora. Et hæc quidem non grauitare ſiue ſupra, ſiue intra Empyreum, independenter etiam à dote agilitatis, docet Arriaga tomo 2. in 1. part. diſp. 29. num. 11. diſput. 56. num. 27. cap. 28. Ioannes de S. Thoma 1. part. Philoſophiæ naturalis quæſt. 17. art. 2. verſ. *ad 3. reſpondetur.* docétque idipſum de quouis viuente corporeo P. Franciſcus Alfonſus diſp. 23. Phyſicorum num. 25. caſu quo quoduis eleuaretur ſupra Empyreum: qui tres Authores, vt alios omittam, dicunt proinde, fore, vt homo exiſtens ibi, poſſet naturaliter mouere ſe ſurſum quàm longiſſimè; quia nimirùm haberet virtutem locomotiuam verſùs quamlibet partem, & aliunde ibi non grauitaret, vtpote exiſtens ſupra totius cœli circumferentiam concauam, & conuexam, quippe grauitatio corporum elementarium non incipiat niſi à globo Lunari vſque ad centrum terræ, & è conuerſo leuitatio non niſi à centro terræ vſque ad globum Lunarem. Hac ratione Ioannes Bachonius Quodlibeto 2. quæſt. 11. Molina diſp. 10. de opere ſex dierum §. 3. ad 3. Delrius, Petrus Hurtadus, Bonfretius, Gordonus, & alij negant, aquas ſupercœleſtes Empyreo proximas grauitare, violentaſve eſſe, etſi eiuſdem ſint ſpeciei cum elementaribus; & inconſequẽter impugnantur ab Arriaga diſp. 32. num. 10. quia alioqui grauitarent.

29 Sextò, quia ſi Beatorum corpora exiſterent permanenter extra Empyreum, non componerent actu permanenter vnum Vniuerſum cum cœlis, & elementis, ſiquidem exiſterent extra terminos, & limites mundi. Si ergo hac ratione motus ſanctus Thomas 1. part. quæſt. 61. art. 3. & 4. docet, Angelos productos eſſe ſimul cum mundo corporeo, & intra cœlum Empyreum, eâdem non leuiter moti dicent Authores huius ſententiæ, corpora Beatorum exiſtere intra Empyreum. Confirmatur; Vniuerſi ordo perturbaretur, ſi intra ipſum fieret vacuum, quia ſcilicet deficeret colligatio omnium partium Vniuerſi requiſita non minus ad huius bonum, quàm ad bonum animalis colligatio ſuarum partium: ideóque iuxta plures, nec virtute naturali Angelica fieri poteſt vacuum intra Vniuerſum. Aſt Vniuerſi ordo æquè perturbabitur ob eandem rationem, ſi aliquod corpus extra ipſum ponatur. Ergo ſicut cuiuis homini glorificato non putatur concedenda diuinitus facultas, vt faciat vacuum intra Vniuerſum poſt diem Iudicij, ſic neque vt ſe eleuet per dotem agilitatis vltra ipſum.

30 Septimò, quia conuenientia aſcenſionis corporis Dominici glorificati in cœlum ſuadetur à S. Thoma 3. part. quæſt. 57. art. 1. in corpore, eo quòd locus *debet eſſe proportionatus locato. Chriſtus autem poſt reſurrectionem vitam immortalem, & incorruptibilem inchoauit; locus autem, in quo nos habitamus, eſt locus generationis, & corruptionis, ſed*

locus

Digitized by Google

locus cæleſtis eſt locus incorruptionis : & ideò non fuit conueniens, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem remaneret in terris ; ſed conueniens fuit, quòd aſcenderit in cœlum. Sic S.Thomas, cuius ratio æquè valet pro aliorum corporum glorificatorum aſcenſione, traditúrque à S.Auguſtino lib. de fide, & ſymbolo cap. 6. quatenus contra Gentiles ait, glorificata *conuenire cæleſti habitationi, omni fragilitate, ac labe terrena in cæleſtem puritatem, & ſtabilitatem mutata, atque conuerſa.* Sed hæc ratio videtur frigere, ſi præfata corpora exiſtant in ſpatio imaginario ſupra cœlum, & non intra ipſum cœlum ; nam ſi ſupra cœlum ; quænam erit proportio loci cum locatis penes incorruptibilitatem ? Vnde non malè argumentatur Syluester in quæſt.43. tractatus tertij inquiens ; *aut hoc intelligitur de loco quantùm ad ſuum materiale, id eſt, ſuperficiem locantis ; aut quantùm ad formale, id eſt, relationem ſitualem, qua conuenit ei immobilitas ; aut quantum ad vtrumque ? Si primum, habeo intentum, quia extra cœlum non eſt ſuperficies talis : Similiter, ſi tertium ; Si autem ſecundum ; contra : quia omnis locus eſt incorruptibilis illo modo, cùm ſit immobilis ; & ſic corruptibilia æquè vt incorruptibilia haberent locum incorruptibilem.* Tantùm Syluester.

31 Octauò, quia iuſti homines merentur benè de Deo intra hunc mundum. Ergo rationi conſentaneum eſt, vt intra hunc mundum in nobiliori, & excelſiori eius parte præmium accipiant, tam penes animas ſolas ante diem Iudicij generalis, quàm penes animas, & corpora ſimul poſt diem illum. Confirmatur ab oppoſito : iniuſti homines decedentes in peccato lethali torquentur modò penes animas ſolas, & poſt diem Iudicij generalis torquebuntur penes animas, & corpora ſimul, intra hunc mundum in ignobiliori, & inferiori eius parte, vt qui intra eum peccarunt : ergo è contra, &c. Simili vtitur ratione P. Suarez lib. 8. de Angelis cap. 16. n. 10. vt probet, dæmones non pati ſuas pœnas in inferno, qui ſit extra hoc Vniuerſum; ſupponítque vt certum, Angelos bonos beati intra ipſum Vniuerſum.

32 Nonò, quia ſi Beati exiſtant extra Empyreum, nulla apparebit cauſa, cur iſtud cœlum conditum ſit à Deo, cur ſit immotum, & tanta luce refulgens, nam in ſpatio imaginario ſupra primum Mobile, aut ſupra cœleſtes aquas ſaluaretur eodem modo ſtatus beatitatis. S.Thomas, quoties in ſumma Theologica meminit Empyrei, aſſignauit aliquam proportionem inter ipſum, & beatitatis ſtatum, vt videre eſt part. 1. q.66. art.3. ad 3. aliiſque locis indicatis in n 15. & 16. reliqui etiam Theologi ſubierunt curam eandem. Videretur tamen fruſtranea, ſi beatitatis ſtatus extra Empyreum eſſet. Notentur verba hæc S. Thomæ vbi proximè. *Ad tertium dicendum, quòd Empyrei locus corporeus deputatur contemplationi, non propter neceſſitatem, ſed propter congruitatem, vt exterior claritas interiori conueniat. Vnde Baſilius dicit, quòd miniſtrator Spiritus non poterat degere in tenebris, ſed in luce, & lætitia degendi ſibi habitum poſſidebat.* Si extra Empyreum permanenter habetur viſionis beatæ contemplatio, iam huic non deputabitur locus corporeus ; neque vlla erit congruitas in eo, quòd interiori claritati exterior conueniat, ſiquidem extra Empyreum deſit exterior claritas. Degerent prætera Angeli beati non in luce, ſed in tenebris: quas procul eſſe à cœlitum cœtu, concipiunt Chriſticolæ cuncti, probatúmque manet in ſect. 1. exercitationis 10.

33 Decimò, quia plures ex Patronis primæ ſententiæ volunt, Empyreum eſſe perfectè ſphæricum in ſuperficie conuexa, ita vt nulla pars ſit altior alia reſpectu centri. Ergo ſi aliunde velint, omnia glorificata corpora plantis pedum attingere eam ſuperficiem, ſequetur, Chriſti corpus non ſuperare alia corpora ordine corporali, ſeu locali ; ſed potiùs omnia eſſe æqualia in ſitu reſpectu centri. Aſt primæ ſententiæ Patroni, & ratio eò tendunt, vt probent, Chriſti corpus ſuperare ordine corporali, ſeu locali, non ſolùm cœleſtes ſphæras, ſed etiam corpora alia glorificata : & inter hæc illud eſſe ſuperius, quod magis participet de bonitate diuina per gloriam. Nec proderit dicere, Chriſti corpus exiſtere in quadam parte ſuperficiei, & alia glorificata corpora extituta circum circa, vel à dextris, & ſiniſtris ; proindéque fore inferiora reſpectu corporis Chriſti, cùm in ea ſuperficie, vtpote rotunda, non dentur duæ partes æqualis altitudinis. Non, inquam, proderit. Nam in primis hæc inferioritas non eſt ordinis corporalis, ſeu localis in Vniuerſo per reſpectum ad centrum. Deinde ſicut dicitur, corpus Chriſti eſſe ſuperius, quia parti, in qua exiſtit, non reſpondet alia altitudinis æqualis ; ita ob eandem rationem dicetur, corpus S. Petri fore ſuperius ipſo Chriſti corpore. Neque item proderit dicere iterùm, maiorem, vel minorem dignitatem ſedium competentium glorificatis corporibus in ſuperficie conuexa Empyrei non conſiſtere niſi in maiori, vel minori approximatione ad ſedem Chriſti, quidquid ſit de maiori, vel minori diſtantia à centro. Nam ſi id dicatur, vt quid contenditur pro exiſtentia corporis Chriſti, & aliorum glorificatorum ſupra conuexam ſuperficiem Empyrei ? Vbicunque enim extiterit corpus Chriſti, ille erit locus digniſſimus ; & aliorum glorificatorum corporum loca eò erunt magis, vel minùs nobilia, quò fuerint magis, vel minus propinqua loco corporis Chriſti exiſtentis ſiue intra, ſiue extra Empyreum. Sententia hæc ſtabiletur magis in ſect. 6. exerc. 20.

34 Quæ mihi præ priori arridet, cum authoritate ſanctæ Scripturæ, veterum Patrum, & rationibus ſatis efficaciter firmetur, quantum in hac caligine rerum, quæ ad futuram vitam ſpectant, noſtra poteſt exiguitas rimari; & cùm pro ea conueniant tot Scriptores antiqui, ac nuperi ; & prioris ſententiæ fundamentis difficile non ſit ſatisfacere. Quod iam præſto.

Satisfit fundamentis ſententiæ locantis Chriſtum, & beatos alios homines ſupra Empyrei conuexam ſuperficiem.

35 AD primum ex S. Paulo reſpondeo primò, loquutum de aſcenſu ſuper omnes cœlos mobiles nobis notos. Sic cum ab Scriptura ſacra dicitur, eſſe aquas ſuper cœlos, eam de mobilibus, & notis per Philoſophiam interpretantur communiter Doctores. Secundò, loquutum de aſcenſu etiam ſuper Empyreum ex parte, quatenus eius concauam ſuperficiem prætergreſſus eſt, & in altiſſimam partem proximioremque extimæ ſuperficiei ſeſe eleuauit. Sic qui maiorem partem montis aſcendit, dicitur aſcendiſſe ſuper montem, quamuis extremum cacumen pedibus non tranſcenderit. Et quidem ſi ex eo, quòd Paulus aſſerat, Chriſtum deſcendiſſe in inferiores partes terræ, non inferunt aduerſi Authores, exceſſiſſe deſcenſu molem totius terræ, cur nos cogemur credere, aſcenſu ſuperaſſe limitaneum totius cœli terminum? Ad illud autem de

Digitized by Google

de voce Græca ὑπεράνω dico ſignificare idem, ac ὑπὲρ id eſt *ſuper*, vt conſtat ex Danielis 3. v.60. ὑπεράνω τοῦ οὐρανοῦ. nempe *ſuper cœlum.*

36 Patet iam ſolutio ad ſecundum. Et vlterius addo, penetrationem temporanei Pontificis ad Sancta Sanctorum, cui comparat Paulus penetrationem æterni ad cœlos, non fuiſſe vltra ipſa Sancta Sanctorum. Quare nec penetratio Chriſti debet eſſe vlvltra totum cœlum cœli. S.Chryſoſtomus, & alij Patres dum aiunt, *Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnia, poſt quæ non eſt aliquid aliud*, intelligendi ſunt de aſcenſu ad ſublimiorem partem cœli, vltra quod non eſt aliud cœlum: vti dum aiunt, *ad inferiores partes terræ deſcendiſſe, poſt quas non ſunt aliæ*, percipiuntur de deſcenſu ad aliquam partem, vltra quam non eſt alia terra, ſeu notabilis moles terræ. Quare Chryſoſtomus, & alij Patres nobis potiùs fauent. Et obſeruandum eſt, innui à Theophylacto, Chriſtum penes ordinariam potentiam non potuiſſe aſcendere vltra terminum limitaneum ſummi cœli. Inquit enim, *Super omnes cœlos aſcendiſſe, quibus nihil eſt altius, nec tendi vltra poteſt.* Si autem ad ſpatia imaginaria aſcendiſſet Chriſtus, nullo termino impediretur, ne vltra aſcendere poſſet. In huius cogitationis confirmationem adduco S. Chryſoſtomum ſerm. de Aſcenſione, vbi poſtquam dixiſſet, Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnem creaturam corporalem, & ſpiritualem, concludit, *Per hæc omnia natura noſtra* (in Chriſto) *eleuata eſt, vt homo, qui loco tam humili tenebatur, vt deſcendere non poſſet vlterius, ad tam excelſam ſedem eleuaretur, vt altius non poſſet aſcendere.*

37 S. Ambroſius, & S.Hieronymus ſermonem habent de Chriſto penes Deitatem, vt conſtat ex contextu vtriuſque: Et addo, Chriſtum penes humanitatem eſſe ſupra cœlum mobile, nullóque circumſcriptum tempore extrinſeco primi Mobilis. De Philoponi hominis heterodoxi interpretatione non eſt curandum. Si tamen alicui gratum ſit, quod tentat Syluester ſuprà, indicatque Ludouicus Coronel l. 4. Phyſicarum perſcrutationum fol.74. videlicet ſuperficiem vltimam capitis Dominici attingere in aliquo puncto ſuperficiem conuexam cœli Empyrei, concedat Chriſtum non habere ſupra ſe vel Empyrei tectum. S.Epiphanius, Syueſius S.Dionyſius Areopagita, Euſebius, Paſcaſius, S.Cæſarius, Salnianus, rurſúſq; S.Ambroſius & S.Nyſſenus explicandi ſunt ſecundùm dicta. Ariſtoteles ideò beatitatis ſtatum extra cœlum collocauit, quia caruit cognitione cœli immobilis, & quia putauit, non cóſtitui Vniuerſum ex Intelligentiis extra cœlum mobile poſitis: qui verò Beatorum corpora ponunt extra Empyreum, diuidunt ab ipſo Vniuerſo partes, & membra materialia, qualia ſunt glorificata corpora. De non glorificatis cenſuit, exiſtere non poſſe ſuprà cœlum; quid autem cenſeret de glorificatis, ſi eorum agnitionem habuiſſet, neque ab aduerſariis, neque à nobis ſciri poteſt.

38 Verba, quæ referuntur ex S.Chriſoſtomo, ait Granadus 1. part. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 2. diſp. ac n.5. à ſe non inuenta, quamuis diligenter conquiſierit; non dubitat tamen, quin S.Thom. alicubi legerit; niſi fortè nomine S.Chryſoſtomi ſignificare voluerit Authorem Imperfecti in Matthæum; ille namque Author homilià 53. in cap. 25. Matthæi ſcribit, *Quidam dicunt, non tantùm eſſe Infernum deorſum, ſed extra mundum iſtum eſſe aliqua tenebroſiſſima loca, & ignea, in quibus puniuntur, qui digni ſunt; fortè ergo ideò dixit exteriores tenebras, non inferiores.* Cæterùm in S.Chryſoſtomo reperiuntur ea verba homil. 31. ad Romanos, rogatus enim, quo in loco ſit Gehenna? Reſpondet, *Alicubi, quantum ego puto, extra omnem hunc mundum. Quemadmodum enim Regum carceres, & metalla porrò diſtant, ita alicubi extra hunc orbem erit Gehenna.* Et ſimilia habet homilià de præmiis ſanctorum, inquiens in hunc módum, *Si de ſitu, & loco Gehennæ quæſieris? Reſpondebo, dicámque, extra terrarum hunc orbem alicubi eſſe poſitam.* Sed neque S.Chryſoſtomus, neque Author Imperfecti ponunt damnationis ſtatum in ſpatio vacuo, & imaginario. Primus ſolummdò tradit, Gehennam eſſe extra totum orbem habitabilem à nobis, ſeu extra totam ſuperficiem terræ, quam nos incolimus. Secundus videtur tradere, Gehennam eſſe in ſuperficie terræ oppoſita habitatæ à nobis; quam opinionem Gloſſa ordinaria in cap.60. Iſaiæ v.20. Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 48. Thomas Anglus, vel Angelicus in cap. 14. Apocalypſis v.11. tribuunt S.Iſidoro Hiſpalenſi eo quod dicat in lib. creaturarũ *Solem, & Lunam in ordine, quo creati ſunt, ſtabunt poſt* diem Iudicij, *ne impij in tormentis poſiti eorum luce fruantur.* Quæ ratio nulla eſſet, addunt Syluester tract. 2. Roſæ aureæ in die Paſchæ, Durandus in 4. diſt. 44. quæſt. 9. n.7. *Si Infernus eſt infra terram, quia cum terra ſit opaca, vbicumque ſtarent Sol, & Luna, impoſſibile eſſet lumen eorum ad Infernum pertingere.* Aſt S.Iſidorus lib. 14. Originum cap.9. ait, *Sicut cor animalis in medio eius eſt, ita & Infernus in medio terræ eſſe perhibetur. Vnde & in Euangelio legimus, in corde terræ.* Illa alia, quæ citantur verba, non extant nunc in operibus S. Iſidori; licet lib. 14. Originum cap. 5. narrationem de Antipodibus appellet fabuloſam, ſequutus Lucretium lib.1 de natura rerum, Lactantium lib. 3. diuinarum inſtitutionum cap. 23. S. Auguſtinum lib.16. de Ciuitate Dei cap.9. Procopium Gazæum in c. 1. Geneſis, alióſque veteres apud Maluendam lib. 3. de Antichriſto cap. 14. Henricum Salmuth in notis ad titulum 1. Guidonis Panciroli de nouo orbe, Acoſtam l. 1. de natura noui orbis à c.6. Theophilum Raynaudum in Hoplotheca contra ictum calumniæ l. 2. ſerie 3. c. 21. vbi ex poſterioribus adiicit S.Thomam l. 2. Meteor. lectione 9. Toſtatum in c. 1. Geneſ. q. 20. & apud Ioannem Solorzanum Pereyram lib. 1. de Indiarum iure c. 11. Cuius præclariſſimi viri calamo tantum ferè debent Hiſpaniarum Reges ob aſſertam æquitatem inquiſiti, acquiſiti, & retenti Noui orbis, quantum Columbo, Corteſio, Magellano, Pizarro, aliiſque magni nominis ducibus ob eiuſdem detectionem, atque expugnationem. Sed quorumcumque fuerit ea opinio (ſuo certè excuſabilis tempore, adeóque, vt contraria Virgilij Epiſcopi Saliſburgenſis circa annum 748. vocata ſit in hæreſeos ſuſpicionem, de quo Baronius ad eum annum n. 11. Ioannes Auentinus l. 3. Annalium Boiorum, pag. 297. Raynaudus ſuprà, Seraphinus de Treitas in præfatione ad librum de iuſto imperio Luſitanorum Aſiatico) at nunc audienda non eſt, cum compertum iam ſit, terræ ſuperficiem oppoſitam noſtræ habitari. Author Imperfecti exprimit loca Gehennæ ignea eſſe. Non ergo excogitauit ſtatum damnationis in ſpatio prorſus imaginario.

39 S.Auguſtini verba curam faceſſunt Theologis, dum in 4. diſt. 45. agunt de receptaculis animarum poſt mortem. S.Thomas reſpondet, mentem S.Auguſtini fuiſſe, *quòd incorporalia non ſint in loco modo aliquo nobis noto, & conſueto, ſecundùm quod dicimus, corpora in loco propriè eſſe*, etſi incorporalia

ſint

Digitized by Google

ſint in loco, modo ſubſtantiis ſpiritualibus conuenienti, qui nobis plenè manifeſtus eſſe non poteſt. Alij reſpondent, S. Auguſtinum velle, quòd anima ſeparata, ſicut quilibet Angelus, non requirat neceſſariò corporalem locum, potuit ſiquidem Deus tam Angelos, quàm animas produxiſſe ante mundum corporeum. Ita Paludanus. Placet aliis dicere cum Bellarmino lib. 2. de Purgatorio cap. 6. S. Auguſtinum lib. 2. Retractationum cap. 24. reuocaſſe quæ ſcripſerat in lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 32. 33. & 34. Et vniuerſim in iſto opere de Geneſi *plura quæſita, quàm inuenta ſunt, & eorum, quæ inuenta ſunt, pauciora firmata, cætera verò ita poſita, velut adhuc requirenda ſint*, vt ait ipſe S. Doctor. Quo ſatisfecimus ſecundæ, & tertiæ probationi.

40 Ad quartam reſpondeo, inſtando in Angelis, qui intra Empyreum ſunt creati, vt exiſtimat S. Th. cùm tamē ipſo nobiliores ſint per naturam. Deinde corporibus humanis ex glorificatione nobilioribus, quàm cœleſtia, & elementaria, competere locum ſupremum, intra complexionem tamen Vniuerſi. Quòd autem ſuperficies extima Empyrei ſuperet loco Beatorum corpora, non prouenit ex maiori illius nobilitate, ſed ex recta Vniuerſi diſpoſitione, ſeu conſtitutione: & ex eo, quòd ſtatus corporum infra ipſam aptior eſt horum conſeruationi, & functionibus externis. Ad hæc: maiori corporum participationi bonitatis diuinæ per gloriam ſatis eſt, ſi beati homines queant ad tempus ſupra Empyrei molem conſcendere, & per ſpatia vacua diuagari; ſaltémq; poterunt, quantùm eſt ex vi dotis agilitatis, & ex vi dotis ſubtilitatis, ſi Empyrei tectum, ſeu extima ſuperficies tranſcendenda ſolida ſit: per has namque dotes cōueniet beatis hominibus id, quod per naturam Angelis: quos, quantùm ex ſe eſt, poſſe ſuperare limites Vniuerſi, & exiſtere extra ſupremum cœlum, quin definiantur loco corporeo, docent Nyſſe in Reſolutione Theologorum parte 2. tractatus 2. q. 1. de locali Angelorum tranſmutatione, concluſione 1. Petrus de Aquila in 2. diſt. 2. q. & art. 2. Capreolus ibidem q. & art. 1. concluſ. 2. Scotus q. 6. §. *ad propoſitum*. Ferrara 3. contra Gentes cap. 68. Caietanus 1. p. q. 52. art. 2. & alij citandi in ſect. 6. Exercit. 20. Hinc ſi Angeli propter Vniuerſi ordinem non aſcendant ad tempus ſupra Empyreum, multò minus aſcendent beati homines; neque offert ſe honeſtus aliquis finis, ob quē ſiue hi, ſiue illi velint aliquando aſcendere, Deúſq; conniueat, nonobſtante perturbatione eius ordinis.

41 Cui ſi quis adeò proſpiciat, vt ipſius de cauſa aſſerat cum P. Tellez p. 3. Philoſophiæ diſp. 64. ſect. & n. 3. Angelos non poſſe naturaliter, quantùm ex ſe eſt aſcendere; dicet, non inconſequenter, beatos homines non poſſe per dotem communem agilitatis, & ordinarium Dei concurſum eleuare ſe ſupra Empyreum. Mihi tamen ob ordinem prædictum non videtur, negandam eſſe Angelis facultatem, vt quantùm ex ſe eſt, valeant naturaliter aſcendere ſupra Empyreum, ſiquidem ipſi contra talem ordinem poſſint naturaliter, quantùm ex ſe eſt, facere multa alia, quæ tamen neque ipſi velint, neque per Deum liceant. Et iuxta hæc intelligi oportebit, quod dictum eſt in num. 29.

42 Inquies, Beatos debere eſſe remotiſſimos à loco damnatorum, proindéque exiſtere potiùs ſupra, quàm intra Empyreum, vt ſicut ſors illorum eſt valdè contraria, & diſtans ab horum conditione, ita etiam & loco ſint valdè oppoſiti, ac diſtantes. Addes, Beatorum ſitum ſupra Empyreum arguere maiorem ipſorum potentiam, & dominatum, habebunt enim ſub pedibus cuncta corpora tam terrena, quàm cœleſtia. Sed contra primum eſt, quia alioqui Beati deberent longiſſimè ſupra Empyreum manere. Contra ſecundum, quia oſtenſioni potentiæ, & dominatus competentis Beatis, ſufficiet habere ſubiectam pedibus partem Empyrei, & poſſe aſcendere ſuprà eius conuexum.

Profertur, & refellitur ſententia quædam media, locans quidem Chriſtum extra ſuperficiem conuexam Empyrei, & beatos alios homines intra regionem mediam.

43 P. Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 5. puncto 1. v. *Et quidem*. Granadus 3. p. controuerſ. 13. de nouiſſimis tract. 3. diſp. 5. ſect. 4. n. 21. inquiunt, ſpecialem eſſe rationem in Chriſto ob maximam dignitatem, & ſupremi glorificati corporis excellentiam, vt ſit ſupra extimam Empyrei ſuperficiem. Et id videtur innui, vt peculiare Chriſti præ aliis Beatis, quando de eo prædicat S. Paulus, aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, & factum eſſe excelſiorem cœlis.

44 Hæc ſententia præoccupata iam eſt in n. 10. & impugnari vlterius poteſt ex n. 33. Exercit. 21. necnon ex n. 4. Exercit. 23. verba S. Pauli non innuunt peculiare aliquid Chriſti in exiſtentia ſupra Empyreum; ſed in modo exiſtendi ſiue ſupra, ſiue intra, ex hæreditario, naturalique iure, & tanquam *innocens, ac impollutus*. Neque excellentia ſupremi glorificati corporis exigit exiſtentiam ſupra Empyreum, ſed eminentiorem in ipſo locum, ac ſedem: conueniénſque eſt, vt felicitas Chriſti, ac Beatorum ſimilitudinem ſeruent quantùm ad exiſtentiam intra Empyreum.

SECTIO III.

An Chriſtus exiſtat intra cœlum aliquod deputatum ſingulariter ſibi? An ſaltem in vero aliquo throno Cœli Empyrei?

45 Didymus Alexandrinus explicans illa verba Ioannis 3. v. 13. *Nemo aſcendit in cœlum*, &c. inquit, *Significante nimirum cœli nomine conuenientem quandam Dei præcellentiam, iuxta illud: Cœlum cœli Domino. Et Diabolus, cùm adhuc ſanctus in cœlo exiſtens verſaretur, dixit, In cœlum conſcendam; vt pote quo adhuc inferior exiſtebat. Ad cœlum igitur ſic ſumptum nemo aſcendit niſi ſolus Dei Filius, quandoquidem ipſe quoque ſolus inde deſcendit filius hominis per diſpenſationem appellatus. Tametſi ergo Angeli aſcendentes in cœlum, ac deſcendentes per ſcalam viſi ſunt Iacobo, minimè tamen de cœlo prædicto ſenſu accepto iſta viſio in Scripturis fertur.* Ita ex Græco idiomate tranſtulit in Latinum P. Corderius. Sed cùm Maldonatus in id Didymi incidiſſet, refert hanc cenſuram, *Videtur, reſpondere. Angelos non eſſe in ſupremo illo cœlo, vnde Chriſtus deſcendit, nec quemquam vnquam eorum eò aſcendiſſe, ideóque peccaſſe Diabolum, quia eò ex inferiori loco voluit aſcendere. Non dubito, quin de omni cœlo loquatur Chriſtus, & Angeli ibi ſint, vbi maximè collucet diuina Maieſtas. Sed Chriſtus nimirum cum hominibus, & ſolis hominibus, non item de Angelis agebat.*

46 S. Anaſtaſius Sinayta, Ioannes Caleca Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Author librorum de

Digitized by Google

de mundi imagine exarati in Exercitat. 2. videntur tribuere Chriſto ſpeciale aliquod cœlum diſtinctum ab eo, quod inhabitant Angeli, & animæ ſanctæ. Petrus Comeſtor in hiſtoria Geneſis cap. 4. poſtquam meminiſſet triplicis cœli, ſcilicet Aerei, Stellati, & Empyrei, addit: *quidam quartum ſuſpicantur eſſe cœlum ſuper Empyreum; quia Lucifer, cùm eſſet in Empyreo, legitur dixiſſe, Aſcendam in cœlum,* &c. *& in eo modo dicunt eſſe Chriſtum hominem ſuper Angelos, qui ſunt in Empyreo.*

47 Et Chriſtum quidem reſidere in peculiari cœlo, promoueri poſſet ex cap. 9. epiſtol. ad Hebræos. Etenim verſ. 11. ac 12. dicitur, Chriſtum *per amplius, & perfectius tabernaculum introiſſe ſemel in Sancta.* Nomine autem *Tabernaculi* intelligere videntur S. Anſelmus, & S. Thomas Empyreum. Per *Sancta* verò vult S. Paulus percipi cœlum, quippe verſ. 24. ait, *Non enim in manufacta Sancta IESVS introiuit, exemplaria verorum; ſed in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Cùm ergo Chriſtus introierit in cœlum, in quo pro nobis interpellat, introieritque per tabernaculum, quod eſt Empyreum, fit exiſtere in alio cœlo ab Empyreo, ſeu ab eo, in quod ingrediuntur Angeli, & beati homines. Et ſic ſeruatur ſimilitudo intenta ab Apoſtolo. Nam, vt dixerat verſ. 6. & 7. *In priori tabernaculo templi* Hieroſolymitani *ſemper introibant Sacerdotes, in ſecundo autem* ſemel in anno ſolus Pontifex.

48 Neminem hæc abducere debent à communi ſenſu Chriſticolarum: omnes nobis perſuademus, Chriſtum non ſe vacua iactare in aula; nec circum ſe vacua atria luſtrare, neque diſtare Beatos toto aliquo cœlo à Chriſto; ſed huic adſtare exiſtenti in eodem cœlo, vel ſupra eiuſdem cœli extimam ſuperficiem. Id ſecundum deduci poteſt, vt ſummum ex ſacris Litteris; & primum ſatis conformiter ad ipſas, probatum eſt à nobis in ſect. præcedente. Confirmarique vlteriùs poteſt teſtimoniis Procopij, & Ruperti tranſcriptis in Exercit. 2.

49 Præſidium ex epiſtola ad Hebræos nullum eſt. Etenim SS. Anſelmus, & Thomas nomine *Tabernaculi* non intelligunt Empyreum, ſed ſydereum cœlum, vt inter alios aduertit Cornelius. Et licèt intelligerent Empyreum, eo quòd Beatorum ſedes ſoleat in ſacra pagina dici *Tabernaculum*, vt Apocalypſis 21. verſ. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Et Pſal. 14. v. 1. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Nihilominus opus non eſſet, Chriſtum Pontificem ſummum ingreſſum eſſe in aliud cœlum diſtinctum ab Empyreo, ſeu ab eo, in quod ingrediuntur cæteri Beati; ſed ſufficeret ad ſeruandam ſimilitudinem intentam ab Apoſtolo, introiſſe in aliquam partem eiuſdem cœli reſeruatam ſoli Chriſto, & inacceſſibilem per cæterorum merita.

50 Quòd ſi quis eam partem, in qua eſt Chriſti ſedes, & manſio, imaginari voluerit, quaſi diſtinctum cœlum, meditetur vt libuerit; notat namque Cardinalis Turrecremata in Pſal. 148. verſ. 4. *Empyreum dici in plurali, Cœlos, propter diuerſas manſiones, quæ in eo eſſe dicuntur.* Et Caſſiodorus ibidem, *dici vnum palatium quod multis membris, multis ſpatiis ambiatur; ita foſitan, & cœli partes dici Cœlos, dum complexio, atque ſinus eius vnus eſſe demonſtretur.* Inſuper S. Vincentius Ferrerius ſer. 3. de omnibus ſanctis inquit, *Empyreum communiter loquendo eſſe vnum, ſeptem verò loquendo diſtinctè pro ſeptem ordinibus Angelorum.* A quo ſenſu non longè eſt S. Hilarius in Pſal. 135. dum agens de numero cœlorum ait, *Nihil ſibi humanæ doctrina temeritas præſumat, Apoſtolus vſque ad tertium tantùm cœlum ſe raptum intelligit. Plures quidem Thronos, Dominatus, Poteſtates, Principatus connumerat, quibus neceſſe eſt proprias ſedes habitationis congruè deputari; ſed & aliquorum cognitionem futuris temporibus promittit eſſe: quod ſignificat, cùm ait, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed in futuro. Sed de numero Apoſtolus nihil docuit, & neſcio, an tacuerit, an ignorauerit. Nunc enim & profeſſus eſt, ſe ex parte cognouiſſe, & tamen cùm raptus ad cœlum eſt, audiuiſſe quæ non ſint loquenda, teſtatur. Nobis ſufficit plures cœlos ſcire eſſe, quippe cùm & cœli cœlorum, & aqua, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent Deum.* Hæc S. Hilarius, in quibus pro diuerſis ſedibus poſſeſſis ab ordinibus cœleſtium ſpirituum conſiderat quaſi diuerſos cœlos; & incredibile eſt, S. Hilarium tam diuerſos re ipſa exiſtimaſſe, quàm diuerſum eſt cœlum Solis à cœlo Lunæ.

51 In eodem ſenſu accipiendus eſt S. Anaſtaſius Sinayta, quatenus ſcilicet ſupremi cœli Empyrei celſior pars, in qua Chriſtus habet ſuam ſedem, conſideretur à S. Anaſtaſio inſtar diſtincti cœli. Author librorum de mundi imagine, & illi, quorum meminit Comeſtor, loquuntur de cœlo Trinitatis conueniente Chriſto, qua Deus eſt; eademque fuit mens Didymi Alexandrini; niſi mauis hunc, & memoratos à Comeſtore accipere non ſecùs, ac S. Anaſtaſium.

52 De cœli parte occupata ab Humanitate Chriſti, ſic fatur ſanctus Laurẽtius Iuſtinianus in triumphali Chriſti agone cap. 18. *Erat in illius* (nimirùm cœleſtis Ciuitatis) *medio miræ magnitudinis, atque incomparabilis pulchritudinis thronus innumerabilium ſtellarum ſplendore coruſcus, necnon & Angelorum millium claritate ſtipatus. Hunc diuinalis aſpectus, & regia dignitas, atque indicibilis gloria perornabat. Illuc, vt ipſum tangeret, nemo appropiare audebat; venerabantur tamen omnes illius Artificis ſapientiam, cœleſtem virtutem, effulgentem gratiam, æternúmque decorem. E quidem in principio, & ante ſæcula hic eleuatus eſt thronus, vt in ipſo Dominus IESVS ſolus honorabiliter reſideret.* Hactenus S. Patriarcha Venetus, quem in ſenſu litterali de corporeo throno non percipiebam, vſquedum legi in P. Barrada tomo 3. in Euangelia lib. 10. cap. 3. Si non admittantur in Empyreo palatia, concedendos ſaltem eſſe admirabiles quoſdam thronos beatis hominibus fabricatos. Et cui iure potiori, quàm Chriſto? De cuius palatio (nam ſolo throno non eſt contentus Barradas) dixerat paulò anteà, conditum fuiſſe ſimul cum Empyreo, & vacuum permanſiſſe vſque ad Aſcenſionem Dominicam, Angeliſque per reuelationem innotuiſſe, quemnam Regem palatium illud expectaret. Granadus 3. part. controuerſia 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſp. 5. ſect. 3. num. 20. non abſimiliter credit, deputatum fuiſſe ſpecialiter Chriſto ſupremum locum in Empyreo, & Angelos non latuiſſe, quòd reſeruaretur Chriſto. Addunt Iacobus Chriſtopolitanus Epiſcopus in Canticum *Magnificat*, Claudius Seiſellus Taurinenſis Archiepiſcopus in 2. cap. Lucæ tract. 2. Viguerius cap. 3. Inſtitutionum §. 2. verſ. 15. Luciferum inuidiſſe Chriſto locum illum eminentiſſimum. A qua coniectura ſtat P. Euſebius Nierembergius lib. 4. hiſtoriæ naturalis cap. 5. dicens, Empyreum cœlum abſolutum ſtatim fuiſſe cum pluribus ſedibus, *& fortaſſe manſiones, ſiue thronos Chriſti, & Virginis aliquod adiumentum inuidentiæ fuiſſe perduellibus Angelis,*

Digitized by Google

53 Ego in his rebus adeò latentibus malim aliorum iudicium, quàm meum proferre. Et quidem ſi è dignitate Chriſti iudicaturi cenſetur eſſe, vt ſedeat ſupra corporalem thronum, videtur etiam eſſe è dignitate eius regnantis in Empyreo, vt habeat ſimilem thronum, qui ſit *ſicut Sol* iuxta Pſalmiſtam, extétque à principio conditi Empyrei, & ante ſæcula, ſeu tempus extrinſecum primi Mobilis, (ſic enim intelligendus eſt S. Iuſtinianus,) in media, ſed altiſſima parte cœleſtis ciuitatis: & prope ipſum aſſurgat Virgineæ Matris thronus, de quo in ſect. 7. ſequentis exercitationis, vt de Deipara verum ſit, quod de Berſabee Matre Regis Salomonis narratur 3. Regum cap. 2. v. 19. *Poſitúſque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.* Liceátque pro Deipara vt exiſtente iam in eo throno adducere verba illa Arnoldi Carnotenſis, in lib. de laudibus B.Mariæ, *In ſupernis, & infernis admirationi eſt Virgo puerpera; ſtupent Dæmones, gaudent homines, in cœlo gloriam Deo concinunt Principatus, & Poteſtates. Non cadit in Angelos zelus, nec inuidia liuore candidatus ille tabeſcit exercitus. Nec à dominatione filij Mater poteſt eſſe ſeiuncta. Vna eſt Mariæ, & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas. Unitas diuiſionem non recipit, nec ſecatur in partes, & filij gloriam cum Matre non tam communem indico, quàm eandem. Nulla facta eſt Angelicæ dignitati iniuria, ſi illius excellentiæ cacumen obumbrat Virgo exaltata ſicut Cedrus in Libano.*

SECTIO IV.

An Chriſtus receſſerit aliquando, & an recedet poſthac per breue aliquod tempus ab Empyreo, ante diem extremi iudicij?

54 Chriſtum corporaliter receſſurum ab Empyreo in die iudicij extremi, & hoc peracto, illuc rediturum, docet Catholica fides. Solùm itaque diſquiro, an iam aliquando receſſerit, & an poſthac recedet ante diem extremi iudicij? Innocentius III. lib. 2. de contemptu mundi cap. 43. S. Vincentius Ferrerius ſerm. 2. de Aſſumptione Virginis, S. Bernardinus Senenſis tom. 3. in Quadrageſimali Seraphico ſerm. 42. part. 2. principali pag. 388. Diſcipulus ſerm. 1. in Dominica 2. aduentus, Ludolfus de Saxonia part. 2. vitæ Chriſti c. 46. Lanſpergius in ſerm. 1. de feſto S. Michaëlis, Gerardus Rondelli in tract. de arte moriendi apud Binſfeldium lib. Receptarum in Theologia ſententiarum ſect. 5. membro, & concluſione 1. aſſerunt, Chriſtum de cœlo aduenire ad iudicium particulare cuiuſuis animæ, & præſertim in obitu ſanctæ, ac deuotæ perſonæ. Non exprimunt hi Authores, an Chriſtus tunc maneat ſimul, vel non maneat in cœlo.

55 Sophronius S. Hieronymi Interpres, & Pampilonenſis ortu, (ſi credimus Iuliano Perez in aduerſ. n. 11.) S. Gregorius Turonenſis, S. Ildefonſus, S. Damaſcenus, Metaphraſtes, Nicephorus, & S. Anſelmus relati à noſtro Chriſtophoro Caſtrenſi in hiſtoria Deiparæ cap. 20. n. 3. & 20. ac 21. inſuper Roſuita Poëtria Chriſtiana antiqua in hiſtoria Reſurrectionis Domini tradunt, Chriſtum deſcendiſſe ad virgineam Matrē, dum ea efflaret iamjam ſanctiſſimam animam; quam in cœlum deduxit ſecum amantiſſimus & obſeruātiſſimus filius. Nec videtur Suario veriſimile, *tunc ſimul in cœlo fuiſſe Chriſtum, atq; iterùm cum Matre illuc aſcēdiſſe.* Additque: *& ita ſentiunt ſancti Patres, qui de hoc myſterio loquuntur. Dicunt enim, Chriſtum cœleſti circumfuſum curia ad Matrem deſcendiſſe: ſentiunt ergo eo tempore cœleſtem locum reliquiſſe.* Sic Suarius tom. 2. in 3. part. diſp. 51. ſect. 4. v. vlt. & poſt ipſum Philippus Moncæus infrà. Amadæus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis tradit expreſsè Chriſtum *modo naturali, & viſibili deſcendiſſe relinquendo habitaculum cœleſte cum omnibus Angelis*, vt reſurrectioni, & aſſumptioni Matris adeſſet.

56 S. Thom. 3. p. q. 57. art. 6. ad 3. ait, non derogare dignitati, & iuri, quod erga manſionem cœleſtem habet Chriſtus, *ſi ex aliqua diſpenſatione quandoque corporaliter ad terram deſcendat, vel vt oſtendat ſe omnibus, ſicut in iudicio, vel vt oſtendat ſe alicui ſpecialiter, ſicut Paulo, vt habetur Actor. 9.* Qui deſcenſus talis fuit ſecundùm S. Thomam, vt vnà Chriſtus non manſerit corporaliter præſens Empyreo. Conſentiunt Præceptori Angelico S. Antoninus 3. p. ſummæ Theologicæ tit. 30. cap. 7. §. 3. Vorrillong. in 4. diſt. 10. part. 2. concluſ. 1. in 2. art. Caietanus in commentario illius articuli S. Thomæ, Nuñus Cabezudo 3. p. q. 76. art. 8. diffic. 2. ad 2. Didacus Ortiz tract. 8. phyſicorum conferentia 2. §. 3. n. 622. Vaſq. tom. 3. in 3. p diſp. 189. cap. 8. n. 72. Alfonſus Mendoza in quodlibetis q. 5. ſcholaſtica à n. 16. Tanner. 3. p. diſp. 2. q. 4. dub. 5. n. 134. Bonacina ibidem diſp. 3. q. 4. punct. 3. propoſit. 4. n. 6. Henriquez lib. vl. cap. 27. §. 6. Lorinus, & Cornelius tum in cap. 3. Actor. v. 21. tum in cap. 11. v. 5. Coſmas de Lerma l. 4. phyſ. q. 6. n. 20. Thyræus de apparitionibus Chriſti imperſonalibus cap. 8. Ioannes de S. Thoma 1. p. Philoſophiæ naturalis q. 16. art. 5. v. *ad primum fundamentum.* Nam & ſi plures ex his putent, non eſſe impoſſibile, vt corpus Chriſti diuinitus exiſteret circumſcriptiuè præſens cœlo, & terræ; tamen cum poſt Aſcenſionem extitit in terra, non recuſant admittere abfuiſſe tunc cœlo. P. Suarez vbi ſupra habens pro comperto, Chriſtum poſt Aſcenſionem fuiſſe in terra aliquando, vt cùm apparuit Paulo eunti Damaſcum, & Petro abeunti Roma, inquit, incertum ſibi eſſe, an tunc à cœlo diſceſſerit, néc ne. Ita etiā Maſſutius in vita S. Pauli lib. 2. cap. 3. Antonius Perez Benedictinus controu. 1. de fide Actuum Apoſtolorum c. 16. Philip. Faber. in 4. diſt. 37. c. 3. n. 34. Nicolaus Yſambertus 3. p. ad q 75. diſp. 3 art. 4. Moncæus in Selectis d. 10. cap. 3. Leander de Granada in Luce mirabilium Dei, diſcurſu 2. §. & n. 3.

57 Franciſcus Mayronis in 4. diſt. 48. q. 2. ſcribit conſentiente Guillelmo Vorrillong. ibidem art. 1. *Chriſtum deſcenſurum de cœlo, & interfecturum Antichriſtum viſibiliter, non veniendo ad iudicium.* Et hanc opinionem conformiorem eſſe ſacræ Scripturæ, nullúmque incommodum ſubire, aſſeuerat Valentia tom. 4. diſp. 11. q. & punct. 2. §. 5. Nam Iſaiæ cap. 11. v. 4. dicitur, *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium*: & 2. ad Theſſalonicenſes cap. 2. v. 8. *Reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Vbi per ſpiritum oris Chriſti, imperium eius efficax, & per illuſtrationem aduentus ſui, verum deſcenſum, & glorioſam apparitionem ad interficiendum Antichriſtum ſignificari à Paulo, attenta proprietate verborum, quæ non eſt, cur ad metaphoricos ſenſus torqueantur, aduertit Suarez lib. 5. defenſionis fidei Catholicæ cap. 17. n. 16.

58 Citantur pro hac opinione Lactant. lib. 7. diuinarum inſtitutionum cap. 19. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 15. Illuminatorum S. Da-

maſcenus lib. 4. de fide cap. 27. qui tamen non diſtinguunt deſcenſionem ad interficiendum Antichriſtum ab aduentu ad Iudicium extremum. Citatur etiam à Valentia S.Anſelmus in epiſt. poſteriorem ad Theſſal. Sed ibi potiùs ait, *non in ipſo Chriſti aduentu interficiendum, atque deſtruendum Antichriſtum; ſed anteà. Illuſtratio enim aduentus eius non inconuenienter intelligitur aliqua claritas prænuncians aduentum eius, quæ tanta ſit, vt viſa ea, mox præ timore moriatur ille peſtifer.* S. Ambroſius in cap. 5. epiſt. prioris ad Theſſal. inquit, *Subitò, & ex inſperato apparebit Chriſtus, ſicut coruſcatio apparet ab Oriente in Occidentem, habens ſecum militiam exercitus Dei Patris ad perditionẽ Antichriſti, & ſatellitum eius.* Theodoretus in cap. 2. epiſt. poſterioris ad eoſdem Theſſal. *Oſtendit quoad licuit aduentus Domini magnitudinem. Cùm enim, inquit, è cœlo apparuerit, loquetur tantùm, & ſcelerato iſti omninò afferet interitum.* Oecumenius ibidem, *ſicut igne adhuc longè exiſtente ex ipſius caliditate animalcula quæque minutiſſima reſoluuntur, ſic etiam Antichriſtus ex ipſa Chriſti apparitione, ac ſpiritu oris eius reſoluetur, Spiritum oris dicens iuſſum, præceptúmque bonorum, ac veluti inſpirationem, vel ipſum Spiritum ſanctum.* Inſtiterunt Theodoretus, & Oecumenius veſtigiis S.Ioannis Chryſoſtomi aientis in homilia 4. ſuper 2. ad Theſſal. interficiendum Antichriſtum *ſolo iuſſu, & præcepto Chriſti; ſatis enim eſt, eum adeſſe, & hæc omnia pereunt.* S.Auguſtinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 53. ſcribit, *Illam nouiſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet I E S V S.* S.Hieronym. in epiſt. ad Algaſiam q. 11. *Dominus IESVS interficiet Antichriſtum ſpiritu oris ſui, diuina videlicet poteſtate, & ſuæ maieſtatis imperio, cuius iuſſiſſe, feciſſe eſt; non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in Angelorum auxilio, ſed ſtatim vt ille aduenerit, interficietur Antichriſtus. Et quomodo tenebræ Solis fugantur aduentu, ſic illuſtratione aduentus ſui, eum Dominus deſtruet, atque delebit.* Adducit hos Patres Suarius; ſed videntur ſignificare deſtruendum Antichriſtum in deſcenſu Chriſti ad Iudicium. Ioachimus autem Abbas expoſitione 6. in cap. 19. Apocalypſis v. 11. docet idipſum, quod Franciſcus Mayronis ſupra; nec improbatur à Carthuſiano, & aliis. Legatur Maluenda lib. 10. de Antichriſto cap. 15. Hæ ſunt notabiliores occaſiones, in quibus Chriſtum ad tempus deſeruiſſe, deſerturúmque Empyreum ante diem Iudicij generalis tradunt, vel indicant tot Authores grauiſſimi.

59 Nihilominus, vt inuariabili, & perpetuæ Chriſti præſentiæ in Empyreo vſque ad illum diem promptiori ſubſcribam animo, multa me alliciunt. Nam in primis Apoſtolorũ Princeps c. 3. Act. v. 21. *affirmat oportere vt cœlum ſuſcipiat Chriſtum vſq; in tempora reſtitutionis omnium.* Vbi S.Chryſoſtomus homil. 9. ait, *Neceſſe eſt, vſque ad tempora reſurrectionis omnium Chriſtum in cœlo permanere.* Theophylactus, *Surſum in cœlos Chriſtus exceptus manet illic vſque ad mundi conſummationem, tunc venturus, &c.* Confirmatur ex Apoſtolo ad Hebræos 1. v. 6. aiente, *Et cùm iterùm introducit primogenitum in orbem terræ*; vbi τὸ *iterùm* intelligitur à Cornelio, Tirino, & aliis de aduentu ad vniuerſale Iudicium: & in eodem ſenſu accipitur à multis illud Ioannis cap. 14. v. 3. & 4. *Vado parare vobis locum .... iterùm veniam & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Idem Paulus ad Hebræos 9. v. 28. de Chriſto, inquit, *Secundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.* Et v. 12. dixerat, *Introiuit ſemel in Sancta.* Vbi S.Thomas; *Ex quo intrauit cœleſtia, ſemper eſt ibi:* ſicque explicat aduerbium *ſemel.* Rurſus idem Paulus ad Hebræos 10. v. 12. ac 13. pronuntiat de Chriſto, *Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.* τὸ *in ſempiternum* ſignificat quandiu mũdus duret, vt explicat Lorinus in Pſalm. 109. v. 2. quo loci canit Pſaltes Regius, *dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum,* ideſt, vſque ad Iudicij diem, quando omnes Chriſti hoſtes ſubiicientur eius pedibus. Ad quæ verba reſpicientes S.Auguſtinus tract. 30. in Ioannem, & Beda Retractatione in Acta, aiunt, *Chriſtum in ſede paterna Maieſtatis ſemper diuinitus manere, & ſurſum eſſe, donec ſeculum finiatur.*

60 Deinde Concilium Tridentinum ſeſſione 13. cap. 1. ſtatuit, *Saluatorem noſtrum ſemper ad dexteram Patris in cœlis aſſidere iuxta modum exiſtendi naturalem.* S.Martialis Diſcipulus Chriſti in ep. 1. ad Burdegalenſes cap. 2. ſcribit, *Teſtes enim ſumus, quia eum aſcendere in cœlum vidimus; nec tamen à Cœlis vnquam receſſit.* S.Ambroſius lib. 7. in Lucam expendens illud cap. 10. v. 35. *Quodcumque ſupererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi.* rogat emphaticè, *Quando reuerteris, Domine, niſi in die Iudicij? Nam licèt vbique ſis ſemper* (quatenus Deus) *& ſtans in medio noſtrum, non cernaris à nobis, erit tamen tempus, quo vniuerſa caro te aſpiciat reuertentem.* S.Leo ſerm. 2. de Aſcenſione ait, *Dominus noſter Chriſtus quadrageſimo poſt reſurrectionem die, coram diſcipulis eleuatus in cœlum corporalis præſentiæ modum fecit manſurus in Patris dextera, donec &c.* Remigius in Pſalm. 7. v. 8. & 8. aſſerit, Chriſtum poſt Aſcenſionem, *non venturum niſi ad iudicandum manifeſtè.* S. Thereſia in breuiculo quorundam verborum, quæ à Deo audiit, narrat, intellexiſſe ſe ex Chriſto, *poſt aſcenſionem ad cœlos nunquam deſcendiſſe in terram, niſi ſub Euchariſtiæ ſacramento;* quæ præſentia Sacramentalis ſtat ſimul cum circumſcriptiua cæleſti.

61 Adelmanus Epiſcopus Brixienſis in epiſt. ad Berengarium de veritate corporis Domini in ſacroſancta Euchariſtia, reputat inconueniens, quòd Chriſtus deſcenderit de cœlo non manens in ipſo, quando apparuit S.Paulo pergenti Damaſcum, *Semel enim* (addit) *fieri oportet in voce Archangeli, & in tuba Dei, quando omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent.* Quare ex illa apparitione probat, Chriſtum vtrobique extitiſſe, ſcilicet in cœlo, & in via Damaſcena. Concordant Algerus lib. 1. de Sacramento corporis, & ſanguinis Domini c. 14. Ioannes Maior in 4. diſt. 10. q. 4. Argentinenſis ibidem q. & art. 1. Roffenſis contra Vlrichum Velenũ in confutatione partis 2. reſponſione ad Cauillum 5. columna 1360. & 1361. Bellarminus lib. & cap. 3. de Euchariſtia, affirmans, patere ex ſcriptura, Chriſtum cœlo non abfuiſſe. Valentia tom. 4. diſp. 6. q. 3. punct. 1. §. 24. & in tomo controuerſiarum lib. 1. de vera Chriſti præſentia cap. 17. Martinonus tomo 4. diſp. 32. n. 28 & 29. Gordonus in Acta cap 9. verſ. 4. Philippus Gamathæus in 3. part. q. 76. cap. 4. Lintrenſis in Acta Apoſtolorum c. 9. v. 5. Sainctes Repetitione 4. de Euchariſtia cap. 7. Martinius lib. 4. Phyſicorum pag. 347. Leſſius 3. p. q. 75. n. 25. Martinus Breſſerus lib. 6. de conſcientia cap. 21. n. 298. Columbus lib. 8. de Hierarchiis c. 11. Serarius in diſputatione de

Digitized by Google

de S. Paulo part. 2. n. 7. Bozius de ſignis Eccleſiæ lib.14.cap.9. Aduerſa q.27.Philoſophiæ ſect.6. Iuſtinianus in 1. ad Corinth.15.v.8. qui magis propendit in id, vt à S.Paulo viſus ſit IESVS in terra, & in Empyreo ſimul exiſtens. Similiter Cornelius, & Tirinus in cap.3. Actor.v.21. in cap.9.v.3. Omitto alios paſſim obuios; expectétque curioſus lector adnotationem P. Andreæ Pinti ad vitam Illuſtris Virginis Marinæ de Eſcobar p.2.lib.1.c.18.

62 Non deſunt rationes. Prima, ſi aliquando Chriſtus recederet ab Empyreo, deciperentur fideles, dum fide, & cogitatione eum ibi quærerent, obſequuti monito S.Pauli ad Coloſ.3.v.1. *Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Vnde rectè dictum eſt ab Algero ſuprà, *fruſtrà immolationis ſuæ tempore diceremus, Qui ſedes ad dexteram Patris miſerere nobis; ſi quem adoramus in Sacramento, mentiremur eſſe in cælo.* Secunda, decet authoritatem, & maieſtatem Seruatoris, vt ante diem iudicij nunquam diſcedat à ſua Regia; & huius etiam dignitas poſtulare videtur, vt poſt ſemel ſuſceptum Chriſtum non priuetur tanto incola, niſi cauſa iudicij vniuerſalis. Nam, vt notat S. Petrus Chryſologus ſerm. 42. *Aula Regis fulget auro, nitet marmore, picturis ſplendet, grandeſcit ſpatiis, leuatur culmine, amænatur viretis, ipſo terribilis eſt ſecreto; ſed ſine Rege honorem non habet, caret gloria, eſt vacua ſolitudo, eſt clauſa eremus, eſt horribilis ſolitudo.* Dixi, *niſi cauſa iudicij vniuerſalis*, tunc enim cum inter iudicandos ſint futuri multi damnati, non decebit illos in cælum deferri.

62 At inquies, non deferantur; ſed Chriſtus in Empyreo manens exiſtat ſimul in throno ſuæ maieſtatis ſupra vallem Ioſaphat. Reſpondeo, abſentiam hanc fore ob cauſam publicam, & vniuerſalem, & cum inſigni gloria; ideoque neque Chriſto, neque Empyreo videri vllatenus indecoram. Inquies iterùm cum Guilielmo Pariſienſi 2. part. de Vniuerſo cap. 79. *Depoſitionem ornatus aduentitij, quæ non eſt niſi ad horam, vel diem, non eſſe reputandam, vel cenſendam deturpationem, vel deformationem.... Quare neque aula Regia, cùm ex ea Rex exiuerit, deturpata dicenda eſt ſimpliciter, licet illius ornatus ſpecioſitas ab eadem ad tempus receſſerit, licet ad tempus illa claritudine non fulgeat, vt priùs.* Reſpondeo, concipi digniùs de Empyreo, quæ eſt Chriſti ſedes Regia, ſi ante diem iudicij, neque per vnum inſtans, careat ornatu, qui ex tanti Regis præſentia aduenit ipſi.

63 Tertia; minueretur aliquantulùm accidentalis gloria Beatorum, qui in corporibus glorioſis incolunt Empyreum, ſi Humanitas Chriſti tantiſper ab eo diſcederet. Nam

Non ſic Virginibus flores, non frugibus imbres,
Proſpera non, feſſis, optantur flumina nautis,

vt Chriſti aſpectus incolis Empyrei; & ſoliciti de Chriſti præſentia dicerent,

Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ.
Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et Soles meliùs nitent.

Diſcipuli ſat grauatè à Chriſti in mortali corpore præſentia auellebantur. Vnde S.Hieronymus ad ea verba Matthæi 14.v.22. *Et ſtatim iuſſit IESVS diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas*, inquit, *oſtenditur, diſcipulos inuitos receſſiſſe, dum amore præceptoris, nec punctum quidem temporis ab eo volunt ſeparari.* Theophylactus ibidem ait, *vt ſignificaret, quàm indiuulſi eſſent à Domino diſcipuli, dixit, coëgit, ſemper enim ei adeſſe volebant.* Liceat hinc de Beatis capere coniecturam. Si reſpondeas cum Ioanne de S. Thoma, Chriſtum abſentem ab Empyreo videndum corporaliter æquè benè, ac ſi præſens eſſet. Contra, quia ſine Scripturæ ſacræ, vel Patrum authoritate perſuades tibi hoc miraculum.

64 Quarta; iuxta S.Thomam 1.p.q.112.art.2. ac 3. cum SS. Dionyſio Areopagita, & Gregorio Magno ſunt aliqui Angeli, qui in propria perſona nunquam mittuntur extra Empyreum, & qui niſi in die extremi iudicij non recedent ab Empyreo. Rationabilius autem videtur putare idipſum de Chriſto Rege Angelorum omnium. Quinta, & vltima ratio eſt, quia cum diuinitus non repugnet exiſtentia eiuſdem corporis in duplici loco circumſcriptiuè, meliùs conciliantur ſacræ Scripturæ teſtimonia, ſi dicatur, Chriſtum ſemper manſiſſe, & manſurum in Empyreo ante diem iudicij, poſtquam in illud aſcendit; & ſimul aliquando circumſcriptiuè extitiſſe, ac extiturum in terra; ſi pro hac exiſtentia cenſeantur vrgere Scripturæ ſacræ teſtimonia.

65 Dixi, *ſi cenſeantur vrgere.* Nam pro exiſtentia Chriſti in terra ad iudicium particulare cuiuſuis animæ, ſiue maneat ſimul, ſiue non maneat in cælo, nulla ſunt, quæ faueant, vt videre eſt in Suario diſp.52. ſect. 2. Thyræo de Chriſti apparitione in iudicio particulari cap.26.à n.18. Tannero tom.4. diſp.2. q.4. dub. 3. n.79. Granado 1.p. controu.13. de Nouiſſimis tract.1.diſp.2.ac 3.Bonacina in 3.p. diſp.3. q.5. puncto, & §.2. propoſitione vnica n.5. Petro Binsfeldio iam citato in n.54. Quidquid ſit, an animæ iudicandæ videant Chriſtum vt exiſtentem in cælo ſub humana forma, vt ſentit Conink diſp.de Purgatorio dub.1.n.42.

66 Et ſi verò ob Patrum authoritatem, (nam Scriptura ſacra nihil de hac re tradit,) admittendum ſit, Chriſtum realiter deſcendiſſe ad Virginem Matrem, diem ſuum obeuntem, & in cælum deduxiſſe ſecum ſanctiſſimam animam; tamen neque Patres dicunt, Chriſtum reliquiſſe cælum, neque id ſequitur ex eo, quòd deſcendiſſe, & aſcendiſſe pronuntient. Nonne frequens eſt Patribus aſſerere, Chriſtum deſcendere corporaliter ad altare, quando conſecrantur ſpecies ſacramentales? Et non inferes, ipſos cenſere, quod à cælo recedat.

67 Ex Scriptura ſacra non omninò conſtat, Chriſtum perſonaliter apparuiſſe S. Paulo pergenti Damaſcum, & multò minus conſtat, viſum ab Apoſtolo Chriſtum in aëre, vbi ſupra ſplendorem Solis circumfulſit illum lux de cælo; potuit namque circumdari tam copioſo lumine, & videre, audiréque Chriſtum exiſtentem non in aëre, ſed in cælo. Quia tamen conformius eſt Scripturæ ſacræ, & apparitionem fuiſſe perſonalem, & factam in aëre vicino, vbi lumen reſplenduit, vt ponderant Suarius diſp.51.ſect.4.ac Maſſutius lib.2. vitæ S.Pauli c.3.Claudius Dauſquius lib.3. de ſanctitudine S. Pauli c.7.2. ideo in cælo, & in aëre extitiſſe ſimul circumſcriptiuè Chriſti corpus, concedendum eſt.

68 Realem deſcenſum Chriſti è cælo ante diem generalis iudicij ad interficiendum Antichriſtum, non deduci efficaciter ex diuinis Litteris, adnotat ipſe Suarius diſp.54.ſect.6. Patres autem non indicant alium deſcenſum, quàm ad iudicium, & tunc deſtruendum Antichriſtum. Sed ſunt interpretandi aliqui ex illis, quatenus inter deſtructionem Antichriſti, & aduentum Chriſti ad Iudicium interfluat parùm temporis, ſcilicet ſpatium quadraginta quinque dierum, vt colligitur ex cap.12. Danielis v.11. ac 12. Licèt Barradæ tom.3. in Euangelia lib.9.c.7.

Digitized by Google

Hectori, Pinto in cap. 39. Ezechielis, Leſſio lib. 13. de perfectionibus diuinis cap. 19. diſp. de Antichriſto n. 55. & aliis Authoribus apud Sherlogum in Cantica volumine 3. veſtigatione 36. n. 51. & apud Maluendam lib. 11. de Antichriſto cap. 19. à probabilitate alienum non appareat, ſuperfuturos aliquos annos poſt Antichriſti necem vſque ad Iudicium: cui ſenſui non opponi Danielis verba, contendunt. Verùm ſi adhuc velis, Antichriſtum perimendum à Chriſto immediatè, & non interuentu alicuius Angeli, vt Michaëlis, de quo Naueus in cap. 29. lib. 4. Chronici apparitionum, ac geſtorum ipſius, Chriſtúmque corporaliter deſcenſurum è cœlo hac de cauſa ante diem Iudicij, affirmabo & ego, manſurum ſimul in cœlo.

SECTIO V.

Superioris doctrinæ occaſione tractatur, num idem corpus poſſit diuinitus exiſtere circumſcriptiuè in duobus, aut pluribus locis adæquatis.

69 Diuinitus poſſe idem corpus conſtitui circumſcriptiuè in duplici loco adæquato, ſuppoſuimus in ſect. præcedenti; cuius doctrina vacillabit, niſi hæc ſuppoſitio firmetur. Quapropter eam probo primò authoritate S. Anaſtaſij Sinaytæ, qui in Duce viæ cap. 23. ait, *Ante paſſionem nunquam viſus eſt Chriſtus in diuerſis locis ſimul, tametſi poterat.* Michaëlis Glycæ, qui 3. parte Annalium inquit, *Poterat quidem ille* (nempe Chriſtus) *ceu Dominus efficere, vt tam hìc quàm illic eodem tempore reperiretur.* Magnetis lib. 3. Euangelicæ Apologiæ apud Noſtrum Franciſcum Turrianum lib. 3. de dogmaticis Characteribus verbi Dei fol. 154. tradentis, corpus Chriſti non tantùm in duobus locis, ſed vbique poſſe eſſe, & ſimul in locis infinitis. S. Auguſtini in lib. de cura pro mortuis c. 16. habentis pro comperto, animas ſanctorum poſſe miraculosè exiſtere ſimul *in diuerſis, & longinquitate d ſcretis locis nempe in loco ſuis meritis congruo,* qui eſt cœlum; & in terra, *vbi ſunt eorum memoriæ, ſiue propter ſuas memorias, vbicumque adeſſe ſentiuntur*; quicquid ſit, an Deo mirabiliter operante, *& longè aliter, quàm ſe habet vſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus,* contingat ſic aliquando de facto, quod incompertum eſt Beatiſſimo Doctori. & in cap. ſequenti dubitat, an Ioannes Monachus viſus ſit verè à religioſiſſima quadam fœmina alio in loco ab illo, in quo ipſe eodem tempore ſimul realiter exiſtebat extenſiuè, vel tantùm viſus ſit per repræſentationem aliquam imaginariam in ſomnis: additque S. Auguſtinus, *Si ipſe ſomnianti interfuit* (reali ſcilicet, & corporali præſentia) *mirabili gratia vtique id potuit, non natura, ſed Dei munere, non propria facultate.* Expenditur hæc S. Doctoris authoritas ſolidè, & acutè ab Yſambetto 3. p. ad q. 75. diſp. 3. art. 4. pro abſoluta Dei potentiã conſtituendi indiuiſibiliter animam, & extenſiuè corpus in duplici loco ſimul. Articulo autem 3. S. Auguſtinum dicentem lib. 20. contra Fauſtum cap. 11. Quòd *Chriſtus ſecundùm potentiam corporalem ſimul & in Sole, & in Luna, & in Cruce eſſe non poſſet,* interpretatur appoſitè ad contextum, quatenus loquutus ſit de facto, & ex potentia ordinaria Dei. Modernus quidam, id quod de miraculoſa particularum Crucis multiplicatione celebratur à Patribus, ſic accipit, vt eædem particulæ exiſtant in diuerſis locis circumſcriptiuè: & in hunc ſenſum intelligit S. Cyrillum Hieroſolymitanum, dum catecheſi 10. ſcribit, *Lignum Crucis Chriſtum teſtatur ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui ſecundùm fidem ex illo hinc capientes vniuerſum orbem ferè iam repleuerunt.* Hæc tamen verba non præſentiæ, ſed materiæ ſignificant multiplicationem; quæ qualiter fieri potuerit, explicatur à Gretſero, tom. & lib. 1. de Cruce cap. 77. nimirùm vel creatione nouarum partium ſubeuntium in locum abſciſſarum, vel conuerſione materiæ aëris adiacentis in ſubſtantiam Crucis, vel partibus infinitis potentialibus Crucis redactis virtute diuina in actum. Quòd ſi poſtremo hoc modo facta fuerit, coletur à nobis ipſummet numero Lignum, in quo Chriſtus obiit.

70 Argumentor ſecundò: Non repugnat eſſe in vno loco circumſcriptiuè, & in aliis definitiuè idem corpus. Ergo, neque repugnabit eſſe circumſcriptiuè in diuerſis locis. Antecedens eſt certum de fide. Conſequentia ſuadetur, quia magis opponitur, aut minus ſimilis eſt definitiua vbicatio circumſcriptiuæ, quàm vna circumſcriptiua alteri circumſcriptiuæ; & corporis naturæ ex ſe conuenientius eſt affici duplici circumſcriptiua, quàm vna circumſcriptiua, & altera definitiua; vt aquæ congruentius eſt informari nouem gradibus frigoris, quàm octo frigoris, & vno caloris, qui magis opponitur, diſſimiliórque eſt octo gradibus frigoris, quàm iiſdem nonus frigoris gradus. Ergo ſicut ex eo, quòd aqua poſſit diuinitus recipere ſimul octo gradus frigoris, & vnum caloris, infertur à fortiori, poſſe etiam recipere nouem frigoris gradus, ita ſimiliter ex non repugnantia vbicationis circumſcriptiuæ, & definitiuæ ſimul in eodem corpore deducetur à fortiori non repugnantia duplicis circumſcriptiuæ ſimul habitæ.

71 Dices, vbicationem circumſcriptiuam in vno loco importare neceſſariò atque eſſentialiter carentiam vbicationis circumſcriptiuæ ad alium. Sed contra, quia cùm ſic non afferat carentiam definitiuæ ad alium, cur importabit carentiam circumſcriptiuæ? Nam ſi vbicationem diſſimilem ſibi, & minus congruentem naturæ corporis non excludit eſſentialiter, alienum à ratione videtur, vt ſimilem ſibi, & conuenientem ſecundùm ſe naturæ corporis impediat neceſſariò. Si admitteres actionem adæquatè generatiuã albedinis v.g. compoſſibilem eſſe diuinitùs cum adæquata ſupernaturali creatiua eiuſdem albedinis; mirum eſſet, ſi negares compoſſibilem eſſe cum alia adæquata generatiua naturali quoad entitatem. Contra rurſus, quia vbicatio circumſcriptiua corporis Chriſti in cœlo non opponitur contradictoriè formaliter, aut virtualiter cum vbicatione circumſcriptiua ipſiuſmet in terra; non formaliter, ſiquidem vtraque vbicatio ſit ens poſitiuum: non virtualiter, quatenus vna debeat importare eſſentialiter carentiam alterius in corpore Chriſti, ſicut ex cõmuni ſententia aſſenſus carentiã diſſenſus in eodem intellectu reſpectu eiuſdẽ obiecti. Nam aſſenſus, & diſſenſus opponuntur ratione intentionalium modorum tendendi; quam oppoſitionem non niſi ridiculè transferes ad entitates purè phyſicas, quales ſunt vbicationes circũſcriptiuæ. Quod ſi recurras ad gratiam habitualem, & peccatum actuale, quæ ſunt entitates purè phyſicæ, ſed (vt multi putant) oppoſita eſſentialiter. Habent illi argumenta, quibus contendunt, gratiam, & peccatum ſe ſe inuicem excludere in-

impedibi

Digitized by Google

impedibiliter. At vt vna vbicatio circumſcriptiua excludat eſſentialiter aliam circumſcriptiuam, ſi non aliam definitiuam, vt Catholici fatemur, nullo efficaci argumento poteſt à te oſtendi. Et quidem quemadmodum corpus eſſe conſtitutum totum in toto loco, eiúſque partes in ſingulis partibus loci, non impedit, quominus in alio loco per aliquam vbicationem conſtituatur totum in toto, & totum in qualibet parte loci, cur impediet, quominus conſtituatur totum in toto alio loco, & ſingulæ eius partes in ſingulis partibus loci? Gratis dicitur huius conſtitutionis carentiam importari eſſentialiter à priori illa conſtitutione. Si attendamus naturæ corporis locati circumſcriptiuè non minus naturaliter petit non eſſe in alio loco definitiuè, quàm non eſſe in alio circumſcriptiuè, quippe naturaliter petat non eſſe alibi, quàm vbi circumſcribitur. Si attendamus potentiæ obedientiali, minus miraculum eſt circúſcribi etiam alibi, quàm alibi definiri.

72 Arguo tertiò: Idem corpus poteſt eſſe diuinitus in pluribus locis definitiuè. Ergo & in pluribus circumſcriptiuè. Si enim vna præſentia definitiua, vnaque inextenſio non affert eſſentialiter carentiam alterius præſentiæ definitiuæ, & alterius inextenſionis, non apparet vndenam vna præſentia circumſcriptiua, vnaque extenſio adſportare debeat carentiam alterius circumſcriptiuæ præſentiæ, extenſioniſque. Confirmatur, Angelo poteſt diuinitus communicari duplex vbicatio definitiua ad duo loca adæquata. Igitur & corpori duplex circumſcriptiua ad duo etiam loca adæquata. Vt enim Angelus per vbicationem definitiuam eſt eo pacto in loci adæquati partibus, quibus non commenſuratur habendo partes extra partes, vt per illam non ſit in alio loco, ita corpus per vbicationem circumſcriptiuam eſt eo modo in partibus loci adæquati, quibus commenſurantur partes corporis, vt per eam non ſit in alio loco. Rurſus ſicut Angelus non poteſt eſſe naturaliter extra locum, quo definitur, ſic neque corpus poteſt eſſe naturaliter extra locum, quo circumſcribitur. Antecedens negatur à Gotfredo quodlib. 12. Sed cùm corpori queat diuinitus concedi vbicatio gemina definitiua, poterit multò meliùs Angelo. Et quamuis hic eſſet in loco per operationem, poſſet Deus facere, vt effectum, quem cauſat in vno loco, producat ſimul in alio, vel ſaltem, vt cauſet in loco B. effectum diuerſum à producto in loco A; nam indubium eſt, poſſe diuinitus eamdem cauſam prodire in plures effectus adæquatos virtuti ſuæ.

73 Quartò, poteſt corpus priuari diuinitus omni præſentia ad locum, & ſaltem poteſt exſpoliari omni circumſcriptiua. Cur enim repugnet, corpus Chriſti conſeruari à Deo exiſtens in ſola Euchariſtia? Ergo diuinitus poterit corpus donari duplici vbicatione circumſcriptiua, id enim minus difficile eſt, quàm illud aliud; ſicut minus eſt difficile igni conferre duplicatum calorem, vt octo quàm denudare omni calore: nam primum eſt ſolummodò tribuere quod non poſtulat; ſecundum autem eſt orbare paſſione, quam exigit.

74 Quintò: queunt diuinitus duo corpora circumſcribi eodem loco, vt excepto Durando in 4. diſt. 44. q. 6. & Paludano ibidem q. 3. art. 2. tenent conſtanter cæteri Theologi. Ergo è conuerſo, duo loca poterunt diuinitus circumſcribere idem corpus, nam vt vnitas loci non repugnat eſſentialiter cum diuerſitate corporum circumſcriptorum, ita neque vnitas corporis pugnabit cum diuerſitate locorum circumſcribentium.

75 Sextò: accidens poteſt diuinitus conſeruari à Deo abſque omni ſubiecto: ergo & conſeruari in duobus ſubiectis adæquatis. Antecedens conſtat ex quantitate panis & vini conſeruata in Euchariſtia ſine ſubiecto. Conſequentiæ vis eluceſcit ex quarta probatione. Tunc vltrà: ergo ſimiliter poterit diuinitus corpus conſtitui in duobus locis adæquatis quantitatiuis.

76 Septimò: idem effectus valet diuinitus dependere à priori à duplici actione adæquata, vt viſum eſt in exercit. 16. ſect. 9. Ergo nihilo ſecius, valebit corpus dependere à poſteriori à duplici vbicatione circumſcriptiua adæquata: nam vt vnus effectus contentus eſt naturaliter, ſi terminet vnicam actionem adæquatam; ita corpus, ſi terminetur vnica vbicatione circumſcriptiua adæquata. Quare ſicut diuinitus poteſt ille terminare duplicem actionem, ſic & hoc terminari duplici vbicatione.

77 Octauò: humanitas terminata, & completa per vnam ſubſiſtentiam increatam quit diuinitùs terminari, & compleri per aliam, vt docet S. Thomas 3. p. q. 3. art. 6. Ergo completa, atque terminata per vnam vbicationem adæquatam circumſcriptiuam poterit diuinitus compleri, ac terminari per aliam. Tandem nulla ratio eſt inuenta, quæ manifeſtam contradictionis implicantiam præ ſe ferat in duplici vbicatione circumſcriptiua adæquata eiuſdem corporis; ne dicam quod Magiſter Ioannes de Celaya in c. 7. l. 4. Phyſ. quç vel *apparentiam* habeat.

78 Si enim obiicias, fore primò, vt corpus poſſet locari vbique circumſcriptiuè. Secundò, vt eſſet diſtans, diuiſum, & ſeparatum à ſe ipſo. Tertiò, vt eſſet maius ſe ipſo, & vt eius pars eſſet maior toto, ſi extenderetur ad plures partes loci. Quartò, vt poſſet eadem entitas eſſe ſimul, ac ſemel in duobus temporibus.

79 Reſpondeo ad primum admittendo, poſſe corpus conſtitui diuinitus extenſum vbique loci extrinſeci realis, imò & vbique loci imaginarij. Vbiquitas tamen eius corporis differet magnopere ab immenſitate Dei, cui non tantùm connaturaliter, ſed etiam eſſentialiter proprium eſt exiſtere vbique; & cui per eandem indiuiſibilem perfectionem, qua eſt in toto Vniuerſo, conuenit poſſe eſſe in alio maiori, & maiori in infinitum loco reali extrinſeco, ſi daretur. At corpori nedum eſſentialiter, ſed nec connaturaliter competeret exiſtere vbique; & vbicatio, per quam reſponderet vni ſpatio, eſſet diuerſa ab vbicatione in alio. Potuit in opinione S. Thomæ communicari liberaliter creaturæ duratio æterna à parte ante, & à parte poſt, quæ eſſet longè inferior æternitate Dei. Quidni, & vbiquitas, quæ infinitè recedat ab immenſitate eiuſdem Dei? Si diſpliceat corporis extenſi vbiquitas ex diuino priuilegio; dicam de corpore extenſo, quod tu dixeris de inextenſo. Nam ſi ex eo, quòd corpus poſſit exiſtere inextenſè in duobus locis, non ſequitur poſſe exiſtere inextenſè vbique, neutiquam ſequetur poſſe exiſtere extenſè vbique ex eo, quòd queat extenſè exiſtere duobus in locis.

80 Ad ſecundum dico, nòn ſequi illud abſurdum, ſi loca ſint immediata. Et verò, & ſi ſint diſſita, corpus, vtpote retinens continuatiuas partium, & quantitatis vniones, non erit ſecundùm ſe diſtans, & ſeparatum à ſe, ſed vt exiſtens per vnam vbicationem à ſe vt exiſtente per aliam, id eſt, vna vbicatio diſtabit ab alia. Quæ ſolutio approbari debet ab omnibus Catholicis reſpectu corporis exiſtentis definitiuè duobus in locis ſeiunctis.

81 Ad tertium reſpondeo, neque corpus fore

Digitized by Google

maius entitatiuè, intrinſecéque ſeipſo, neque partem fore ſic maiorem toto, ſecùs extrinſecè ratione vbicationum;ſicut corpus vt rarefactum eſt extrinſecè maius ſeipſo vt condenſato, & pars vt rarefacta poteſt eſſe extrinſecè maior toto.

82 Ad quartum dico, nullam entitatem poſſe coëxiſtere duobus inſtantibus, quia hæc ſunt ſucceſſiua. At loca ſunt ſimul permanentia.

83 Si opponas quintò, res vbicata circumſcriptiuè debet habere æqualitatem cum loco; hic autem ſi eſſet multiplex excederet illam. Sextò,eadem natura pertinere non poteſt ad duplicem ſpeciem: Ergo neque locari circumſcriptiuè quantitas in duplici loco,ad quem comparatur quantitas,perinde ac natura ad ſpeciem. Septimò,de eſſentia quantitatis eſt extenſio :Non igitur poterit vnica quantitas comparare duas extenſiones. Et quamuis extenſio eſſet effectus tantùm formalis ſecundarius quantitatis nequeunt ab vna forma prouenire duo formales effectus adæquati; ſicut vice verſa, vnus effectus formalis nequit prouenire adæquatè à duabus formis. Octauò, nequit corpus eſſe impenetrabile naturaliter in duplici loco, quia alioqui augeretur eius virtus reſtitiua penetrationis. Ergo nequit habere duas vbicationes circumſcriptiuas, vi quarum reſiſteret penetrationi.

84 Reſpondeo ad quintum,rem circumſcriptiuè locatam non debere habere cum loco æqualitatem, niſi ſecundùm extẽſionem actualem quantitatis; & hanc æqualitatem cum duplici loco adæquato acciperet corpus, ſi in vtroque exiſteret circumſcriptiuè.Æqualitas quantitatis ſecundùm ſe cum loco non eſt neceſſaria, quando corpus exiſtit, ſiue definitiuè, ſiue circumſcriptiuè; non quando definitiuè, corpus enim Chriſti non habet æqualitatem cum tam multis locis, in quibus exiſtit definitiuè; neque item quando circumſcriptiuè, quia ſi duo corpora extenſa penetrata diuinitus in eodem loco queunt eſſe prædita maiori mole quantitatis,quàm locus, poterit è contra idem corpus exiſtens circumſcriptiuè in duplici loco habere minorem quantitatis molem, quàm duplex locus ſimul. Sed permittamus, eſſe neceſſariam æqualitatem quantitatis ſecundùm ſe cum loco circumſcribente; poſſet adhuc corpus bilocatum circumſcriptiuè habere illam : nam non repugnat corporis materiam affici duplici quantitate.

85 Ad ſextum dico,quantitatem non comparari ad locum, perinde ac natura ad ſpeciem, alioqui ſicut non poſſunt eſſe plures naturæ in eadem ſpecie, neque vna natura iam in vna ſpecie, iam in alia; ita neque poſſent plures quantitates eſſe in eodem loco, neque vna quantitas iam in vno, iam in alio : alioqui etiam ſicut natura non diſtinguitur ab ſpecie, & ſicut eſt ratio formalis proxima eſſendi ſpeciei, ita quantitas eſſet indiſtincta à loco, & ratio formalis proxima eſſendi in loco, vt accuratè obſeruauit Bartholomæus Amicus tract.20. Phyſicorum quæſt.7. dub.2. art.3. num.21. Philippus Moncæus in Selectis D.10. cap.7.

86 Reſpondeo ad ſeptimum, de eſſentia quantitatis eſſe extenſionem radicalem, ſeu naturalem aptitudinem,& exigentiam tantæ, vel tantæ extenſionis actualis. quàm vt poteſt Deus impedire, & vt poteſt penetrare in eodem loco cum alia extenſione; ſic etiam poteſt in duobus locis geminare. Præterquàm quòd corpori exiſtenti vtrobique poſſet à Deo conferri duplex quantitas. Additio nullius eſt momenti; nam extenſio actualis conſiſtit in vbicatione circumſcriptiua, & cum hæc geminetur, nihil mirum & extenſionem geminari; quæ non eſt formalis effectus quantitatis, ſed eius proprietas.

87 Ad octauum dico reſiſtentiam penetrationis, conſiſtere formaliter in vbicatione circumſcriptiua, & non in ipſo corpore ſecundùm ſe; ideóque & ſi in duobus locis circumſcriptiuis eſſet impenetrabile naturaliter, non inde argueretur incrementum virtutis intrinſecæ ex parte corporis.

88 Si obijcias nonò; repugnat, corpus exiſtere circumſcriptiuè in vno loco, & ſic etiam ſimul in alio,quia ſi vno circumſcribitur, iam continetur,& clauditur intra illum. Ergo nequit circumſcribi alio, quia ſequeretur contineri, claudique intra priorem, & ſimul non contineri, neque claudi. Decimò, vna vbicatio adæquata circumſcriptiua excludit eſſentialiter aliam eiuſdem corporis circumſcriptiuam; quia ſi non excludat, non erit adæquata. Vndecimò, poſſet corpus exiſtere circumſcriptiuè in duplici loco naturaliter, ſi ſupernaturaliter poſſet. Ponamus enim illud ſupra duas columnas diſtantes, his ſubtractis deſcenderet vtrinque ratione ſuæ grauitatis naturalis, adquireretque proinde naturaliter duas vbicationes circumſcriptiuas diſſitas inter ſe. Duodecimò, Petrus exiſtẽs Salmanticæ,& Valliſoleti,poſſet naturaliter eſſe ſummè frigidus Salmanticæ, ſi ibi applicaretur nix, & ſummè calidus Valliſoleti, ſi admoueretur ignis; poſſet Salmanticæ aſſentiri, & diſſentiri Valliſoleti eidemmet obiecto; poſſet in vno loco mori, ſi infligeretur vulnus lethale; & in alio viuere vbi non infligeretur.

89 Reſpondeo ad nonum, circumſcriptionem corporis ab vno loco, vti poteſt diuinitus componi cum exiſtentia in alio, ita poſſe componi cum continentia, & incluſione intra alium. non enim hinc ſequitur non contineri, neque claudi intra priores, ſed contineri, & claudi vtrobique ſufficienter, quantùm ex ſe eſt, itavt vtrobique exiſtat totum in toto loco, eiúſque ſingulæ partes in ſingulis partibus loci; ſeu itavt vtrobique ſit extenſum conuenienter, & ſufficienter ad molem ſuæ quantitatis. Et non niſi voluntariè aſſeritur circumſcriptionem corporis ab vno loco poſtulare potiùs eſſentialiter, vt corpus non exiſtat circumſcriptiuè extra illum, quàm vt non exiſtat definitiuè; ſeu afferre potiùs eſſentialiter negationem alterius circumſcriptiuæ vbicationis, quàm alterius definitiuæ in alio loco. Satis eſt ad circumſcriptionis eſſentiam commenſuratio locati ad locum eo pacto,vt nihil ſit in corpore, quod à loco non contineatur. Declaratur exemplo comprehenſionis intentionalis, ad quam ſufficit,quod nihil obiecti non ſit intra ipſam, ſiue ſimul comprehẽdatur,ſiue non, ab alia cognitione. Temperare hîc oportet à quæſtione de nomine ſi aduerſarius inſiſtat, circumſcriptionis voce ſignificari carentiam exiſtentiæ corporis in alio loco circumſcribente. Controuerſia de re in id deuoluitur, num extenſio corporis in vno loco ſtare ſimul queat cum extenſione in alio, quicquid ſit de nomine circumſcriptionis.

90 Ad decimum dico, vbicationem circumſcriptiuam adæquatam non magis excludere aliam circumſcriptiuam, quam aliam definitiuam eiuſdem corporis. Appellatur illa adæquata, non quatenus ſit vnica, aut quatenus ſit eſſentialiter excluſiua alterius; ſed quatenus ſit ſufficiens conſtituere totum corpus in toto loco, & ſingulas eius partes in ſingulis partibus loci. Sic ſubſiſtentia Verbi diuini terminans naturam humanam adæquatè, id eſt,

conſtituens

Digitized by Google

conſtituens eam ſufficienter terminatam, & non indigentem alia terminatione, & complemento, quà ſubſtantia eſt, poteſt ſimul diuinitus componi cum terminatione eiuſdem humanitatis à ſubſiſtentia Patris æterni.

91 Vndecimum argumentum patitur inſtantiam tum in corpore, tum in Angelo exiſtentibus definitiuè ſupra duas eas columnas; nam videtur fore, vt Angelus naturaliter poſſet mouere ſe ex vtraque; videtur etiam fore, vt ſubtractis aut motis columnis deſcenderet, aut moueretur naturaliter corpus vtrinque ob innatam ſuam grauitatem, ſi naturæ ſuæ relinquatur. Reſpondent ad argumentum aliqui, corpus tunc non deſcenſurum, ſed manſurum immotum connaturaliter, ſuppoſito priori miraculo duplicis vbicationis circumſcriptiuæ, quamuis grauitas corporis inclinaret ex ſe in centrum; confirmántque exemplo duorum corporum, quæ collocata penetratiuè ſupra vnam columnam, ſi hæc remoueretur, manerent adhuc pendula in aëre: nam ſi vtrumque connaturaliter deſcenderet ſimul, fieret connaturaliter ab ipſis duplex præſentia in eodem loco; ſed etſi vnum tantùm caderet deorſum, ſequeretur produci ?connaturaliter à deſcendente præſentiam ſimultaneam in parte ſpatij occupati ab alio corpore. Verumtamen, hoc exemplum licèt efficax ſit ad hominem contra Gabrielem Vaſquez patronum vndecimi argumenti; at contra alios, qui volunt, ſuppoſito priori miraculo deſcenſurum connaturaliter vtrinque corpus poſitum in duabus columnis, & comparaturum duo loca adæquata, deberet probari, duo alia corpora penetrata non ruitura connaturaliter, ipſi enim id negant, vti neceſſe eſt inficiari, corpus Chriſti in cœlo non poſſe connaturaliter ſe mouere, tametſi in Euchariſtia ſimul exiſtat miraculosè. Alij, quibus aſſentior, reſpondent, corpus non manſurum immotum, quia miraculum duplicatæ vbicationis non minueret natiuam virtutem adquirendi centrum; ſed non deſcenſurum vtrinque, neque adepturum duo loca adæquata, quia ex eo miraculo non augeretur naturalis virtus motiua, & adquiſitiua centri. Quemadmodum neque accreſceret paſſiua potentia recipiendi calorem, & frigus in gradibus ſummè intenſis, ideóque applicato igne in vno loco, & niue in alio, non calefieret, & frigeſceret ſummè corpus. Deſcenderet itaque naturaliter ex columna deſignata à Deo pro ſuo libito, & vnum locum adæquatum compararet, niſi Deus decreuiſſet retinere vtrobique, aut in vno loco ſuſpenſum; tunc enim non moueretur naturaliter quoad modum. De motu corporũ penetratorum dici poteſt, non fore naturalem, niſi per eum fiat expenetratio exacta naturaliter ab ipſis. Motus autem corporis Chriſti in cœlo, dum ſimul exiſtit idem corpus in Euchariſtia, aſſeri poteſt miraculoſus quoad modum ob coexiſtentiam cum præſentia ſacramentali; ſed ad quem Deus habebit ſemper paratum concurſum, ne ex myſterio Euchariſtiæ impediantur actiones naturales corporis Chriſti in cœlo. Mihi magis placet reuocare ſupernaturalitatem tam quoad entitatem, quàm quoad modum in præſentiam ſacramentalem, ſiquidem ad hanc præſupponatur circumſcriptiua corporis Chriſti præſentia omninò naturalis, nullam ab ipſa dependentiam ſeruans.

92 Ad duodecimum dico, corpus, aut hominem conſtitutum circumſcriptiuè in duobus locis non poſſe naturaliter reddi calidum ſummè in vno, & frigidum ſummè in alio; tum quia calor, & frigus in ſummo gradu non ratione loci, ſed ratione ſui, habent contrarietatem naturalem, vnde in corpore nullibi exiſtente non poſſent naturaliter commorari; tum quia ſubiecti potentia receptiua non augetur ex multiplicitate loci, neque enim locus, aut vbicatio componit receptiuam potentiam: quare ſi hæc ſit naturaliter limitata ad tot gradus caloris & frigoris ſeorſim, vt multi cenſent, non valebit naturaliter illos ſimul recipere: tum quia ſi corpus Salmanticæ informetur octo gradibus caloris, informaretur etiam connaturaliter Romæ; nam accidentia à loco abſoluta vnita phyſicè ſubiecto comitantur naturaliter illud, vbicumque exiſtat. Ergo ſi aliunde Romæ patiatur corpus octo gradus frigoris, iam in eodem loco erit ſummè calidum, & frigidum.

93 Inquies, contra poſtremam hanc rationem, ſi accidentia vnita phyſicè ſubiecto debent connaturaliter exiſtere vtrobique. Ergo connaturaliter potientur duabus vbicationibus adæquatis, eaſque producent. Cur ergo ſupra ſimiliter non conceſſimus, corpus connaturaliter effecturum duas vbicationes adæquatas in caſu illo de ſubmotis columnis? Sed contra, quia in caſu illo nihil poſitiuum præcederet ad deſcenſum ex vtraque columna, quod exigeret ipſum deſcenſum vtrinque, duaſque vbicationes adæquatas, nam ſiquid, maximè vbicationes præcedentes; iſtæ verò cum inter ſe ſint incompoſſibiles ex natura rei, nequeunt connaturaliter petere, vt duæ aliæ conferantur corpori. Cæterùm eo ipſo, quòd calor vt octo eſſet vnitus phyſicè corpori, exiſtenti in duobus locis, iam vnio exigeret geminam vbicationem caloris ex ſuppoſitione miraculi de ſubiecti recipientis calorem exiſtentiâ in duplici loco. Aduertendum hîc eſt, productiones duarum vbicationum fore adhuc ſecundùm ſe miraculoſas quoad modum, ſicut & vbicationes erunt ſic miraculoſæ, quia non continentur intra potentiam naturalem, ſed obedientialem caloris, licèt ex ſuppoſitione vnitì caloris cum corpore exiſtente miraculosè in duobus locis, foret maius miraculum, ſi calor non fieret præſens vtrobique.

94 Inquies rurſus, aliqua ſunt accidentia vnita phyſicè cum ſubiecto, & abſoluta à loco, quæ connaturaliter non debent conſtitui, vbiuis exiſtat ſubiectum; talia ſunt accidentia dependentia in fieri, & conſeruari ab agente extrinſeco: Ergo non ex eo, quòd calor vt octo ſit accidens abſolutum à loco, & vnitum phyſicè cum corpore exiſtente Salmanticæ, deberet ſimul fieri præſens eidem corpori vt exiſtenti in Romana vrbe. Imò ſpecialis ſe offert ratio, ne fiat præſens; nam ignis approximatus corpori Salmanticæ, ſi produceret calorem in ipſo vt exiſtente Romæ, operaretur in locum diſtantem, & actio ignis, vel ſeparata eſſet à ſuo principio, vel à ſuo termino; & vtrumuis nequit connaturaliter euenire. Sed contra, quia calor vt octo productus ab igne eſt accidens, quod ſaltem breui tempore conſeruari poteſt, remoto igne; & de accidentibus ſimilis conditionis aſſerimus comitari connaturaliter ſubiectum in quocumque loco illud exiſtat; etſi fateamur, accidentia alia dependentia in fieri, & conſeruari ab agente extrinſeco, vti dependet v.g. materialis viſio coloris à colore ad tantam, vel tantam diſtantiam, & non maiorem poſito, non debere connaturaliter conſtitui in omni ſubiecti loco, quantumuis non ſint alligata alicui determinato, inſtar vbicationis, quæ eſſentialiter affixa eſt vni ſpatio. Ratio ſpecialis, quæ ſubiungitur, eliditur facilè; nam ignis non operaretur abſolutè in diſtans, ſiquidem Salmanticæ eſſet approximatus corpori.

Digitized by Google

corpori. Etſi verò iſtud ſimul exiſteret Romæ, vbi non exiſtit ignis, non ſufficeret, vt abſolutè affirmaremur diſtare; ſicut quòd Deus exiſtat Romæ, vbi ego non exiſto, ſatis non eſt, vt abſolutè dicamur diſtare, quia nimirum Deus eſt mihi Salmanticæ præſens intimè. Quoad actionem non eſt inconueniens ſi habeat ſeparationem non entitatiuam, ſed localem ab agente, cuius non eſt actus intrinſecus, ſed extrinſecus. Nam actio orta à pluribus partibus agentis non eſt localiter coniuncta niſi vni; & agens poteſt naturaliter extendere ſuam actionem ad locum remotum, dummodò operetur in medio, aut in eo ſupponat productum effectum, quem aliàs cauſaret. Neque item eſt inconueniens, ſi non exiſtat in omni loco, in quo eius terminus; dummodò exiſtat in aliquo.

95 Rogabis, ſi Salmanticæ admoueatur ignis corpori, & Romæ applicetur nix, producéntne aliquos ſaltem gradus caloris, & frigoris in illo? Reſpondeo ſic ſe geſtura ea agentia, ac ſi approximarentur corpori exiſtenti in vno tantùm loco. Rogabis deinde, an ſicut corporis potentia receptiua non creſcit ex conſtitutione in duplici loco, ita etiam non augeatur potentia actiua? Reſpondeo, parem eſſe vtriuſque rationem. Vnde ignis bilocatus non magis poſſet naturaliter comburere, aut illuminare, quàm ſi vnum ſolum locum occuparet.

96 Ex dictis pronum eſt occurrere reliquis partibus duodecimi argumenti. Et quidem ſi aſſenſus, & diſſenſus reſpectu eiuſdem obiecti nequeant diuinitus, aut naturaliter elici ab eodem intellectu, qui in vno tantùm loco exiſtat, neutiquam poterũt elici, etſi in duobus locis ponatur; quia contradictio virtualis, aut contrarietas naturalis, quam inter ſe habent, non eſt, ratione vnitatis loci, ſed ſimultatis temporis: quare cum maneat hæc ſimultas, manebit & illa contradictio, aut contrarietas. Replicabis, non eſt maior oppoſitio inter aſſẽſum, & diſſenſum, quàm inter aſſenſum, & non aſſenſum. Sed homo exiſtens Salmanticæ, & Romæ poteſt aſſentiri Salmanticæ, & non aſſentiri Romæ, ſi deus deneget aſſenſui vbicationem Romanam. Ergo etiam poterit homo aſſentiri in vno loco, & diſſentiri in alio. Contra quia inter aſſenſum abſolutè, & non aſſenſum ſecundùm quid, ideſt, inter aſſenſum in vno loco & non aſſenſum in alio, nulla datur oppoſitio, talis enim non aſſenſus non eſt abſolutè carentia aſſenſus; ſed vt in loco aliquo determinato. Vnde quòd homo in vno loco aſſentiens debeat connaturaliter non eſſe non aſſentiens in alio, in quo exiſtat, non prouenit ex oppoſitione; ſed quia aſſenſus vnius Phyſicè homini, comitatur connaturaliter ipſum vbicumque locatum. At aſſenſus, & diſſenſus ſe ſe inuicẽ excludunt, ne ſimul conueniant eodem tẽpore in vno ſubiecto vbicũq; exiſtẽte, vterius enim infert abſolutè carentiam alterius ſiue ratione contradictionis virtualis, ſiue ratione cõtrarietatis.

97 Quod tandem opponitur abſurdum de homine ſimul viuo, & mortuo, haud quaquam ſequitur ex noſtra ſententia. Nonnulli aiunt, hominem in duplici loco conſtitutum non poſſe naturaliter gladio percuti; quia ſeparatio partiũ non fieret abſq; motu locali, & adquiſitione nouæ præſentiæ, quam naturaliter comparare nequit corpus exiſtens ſimul in alio loco; ſed tamen ad Deum pertinere, vt agenti naturali conferat virtutem ad percuſſionem. Non video, cur ſicut iuxta ipſos ignis poſſet naturaliter producere in eo corpore vnum gradum caloris, qui ex ſuppoſitione miraculoſa corporis exiſtentis in duobus locis, acciperet & ipſe cõnaturaliter geminam vbicationem; cur, inquam, ſimiliter non poſſet ab alio homine fieri naturaliter percuſſio, ad quam ſequeretur connaturaliter localis motus corporis, & adquiſitio nouæ præſentiæ ſimul cum alia habita à corpore. Sed quo, velis, modo fieret percuſſio, nociua eſſet corpori in vtroq; loco, & mortem inferret vtrobiq; ſi lethalis eſſet. Num verò de potentia Dei abſoluta poſſet corpus in vno loco eſſe viuum, & in alio mortuum? quæſtio eſt expromptè ſolubilis. Nequit viuum eſſe, & mortuum abſolutè; nam mors, abſolutè dicta, eſt corruptio, & carentia vnionis animæ cum corpore vbiuis exiſtente. Quare ſi corpus in aliquo loco ſit viuum ob vnionem cum anima, nequit ſiue in eo, ſiue in alio loco eſſe mortuum abſolutè. Poterit nihilominus eſſe mortuum ſecundùm quid, ideſt, in vno loco non habere vnionẽ cum anima, eo quòd Deus deneget vnioni vbicationem in tali loco; quare ſi in alio loco vnio non careat vbicatione, verificabitur corpus & eſſe viuum abſolutè, & mortuum ſecundùm quid. Forma vitalis, & forma cadauerica coniungi poſſunt diuinitus in eodem corpore circumſcripto etiam in vno loco; ſed ob vnionem cum forma cadauerica non diceretur corpus abſolutè mortuum, ſi ſimul adſit ad formam vitalem vnio, huius enim omnimoda carentia requiritur ad denominationem mortui abſolutè.

98 Sententiam hactenus defenſatam à nobis, *certiſſimámque* habendam, ſi benè exiſtimauit, dixitque Ioannes Maior in 4. diſt. 10. q. 4. *à quolibet non iurante in verba Magiſtri*, tuentur viginti octo Authores recenſi à Bartholom. Amico tract. 20. Phyſicorum q. 7. dub. & art. 2. n. 5. & à Franciſco Amico in tom. 7. curſus Theologici d. 19. ſ. 16. n. 245. poſſéntq; adiici innumeri alij ex Nominalium, Scotiſtarum, & Societatis Noſtræ ſcholis. Solus inter Noſtros P. Vaſq. 3. p. diſp. 189. c. 5. acceſſit ad oppoſitam opinionem, cui ſubſcribunt cõmuniter Thomiſtæ cum aliis non valdè multis apud eundem Amicum. Dominicus Sotus præclariſſimus Thomiſta 4. Phyſicorum q. 2. art. 3. diſceſſionem fecit in noſtram ſententiam, licèt ſuper 4. diſt. 10. q. 1. art. 5. ſcribat: *Dum in ſcholis Artium verſabar, pars affirmatiua plauſibilior mihi erat, iam verò modò non tam firmiter illi adhæreo, quin contrarium exiſtimem eſſe æquè probabile, ne plus dixerim.* Ex Thomiſtis modernis Ioannes de S. Thoma quæſt. 6. Phyſicorum art. 5. fatetur, poſſe corpus cõſtitui circumſcriptiuè in duobus locis, ſi ei tribueretur duplex quantitas; ſecùs ſi vnica, quia alioqui vnica quantitas diſcõtinuaretur à ſe ipſa, caſu quo corpus exiſteret in duobus locis remotis, tunc enim diſcõtinuatur quantitas, quãdo interponitur corpus medium non continuatum cum ipſa. Si verò exiſteret in duplici loco cõtiguo diſtingueretur quãtitas à ſe ipſa, quia ſuperficies illius ſe tangerent, ſicut ſuperficies duplicis loci contigui ſe tangunt; & cõtactus ſaluari nequit abſq; diſtinctione. Suſcipimus gratanter, quod nobis vltrò largitur Ioannes de S. Th. id autem in quo diſcordat, reiectum iam eſt fusè à Franc. Alphonſ. diſp. 22. Phyſicor. ſect. 7. n. 66. & à nobis breuiter ſuprà n. 80. Addimus nunc, eneruè videri argumentum de diſcontinuatione quantitatis ratione corporum interpoſitorũ, ſi corpus in vacuo, vel in ſpatio imaginariò donaretur duplici vbicatione extenſiua, quarum vna diſtaret ab alia. Sed quia reſpondebitur, interponi ſaltem poſſe corpora, idque ſufficere ad diſcontinuationem quantitatis, arguimus vrgentiùs ad hominẽ, & rogamus, an Angelus cõſtitutus diuinitus in diſſitis duobus ſpatiis

adæqua

Digitized by Google

adæquatis, vel naturaliter, aut diuinitus in duobus inadæquatis, diſtaret à ſe ipſo ratione corporum interpoſitorum, aut interponibilium? eadémque eſt interrogatio de materia, & forma corporis, quod cum duplici quantitate occuparet duo loca adæquata. Nec omittenda eſt inſtantia deſumpta ex Chriſti Domini corpore, cuius quantitas nec diſtinguitur, nec diſcontinuatur à ſe ipſa, quamuis in cœlo, & in Euchariſtia ſimul exiſtat. Sed reſpondit ille Author, Chriſtum in Euchariſtia habere eandem quantitatem, & ſuperficiem, quam in cœlo, quia modo indiuiſibili, & incircumſcripto illam habet in Sacramento; & ſic benè ſtat, quòd ſit eadem ſuperficies, quia ex ipſo modo exiſtendi non diuiditur, nec diſcontinuatur; ſed exiſtit ad modum ſubſtantiæ in Sacramento ſine vllo contactu ad alia corpora, & ſic non currit argumentum contra modum exiſtendi ſacramentalem, ſicut contra modum circumſcriptiuum in duplici loco, quia non diuidit ſuperficiem hoc ipſo, quod non ponit illam modo diuiſibili in alio loco. Ita verbo tenus Author ille. Qui ſi loquatur de ſuperficie ambiente corpus Chriſti in cœlo, nec per ſomnium dici poteſt, eam transferri ad Euchariſtiam. Si verò loquatur de ſuperficie, quæ ſit quantitas corporis Chriſti; inter ipſam prout in Euchariſtia, & prout in cœlo, extenduntur alia corpora, & ſi prout in Euchariſtia careat contactu ad ſuperficiem extrinſecam; & tamen non diſtat à ſe, neque diſcontinuatur; ſed ſolùm infertur diſtare, & diſcontinuari vbicationem ſacramentalem à cœleſti.

99 Pro ſectionis fine vocari poſſet in controuerſiam, num corporibus Beatorum conueniat ex aliqua glorioſa dote, poteſtas ſiſtendi ſe circumſcriptiuè in duobus locis adæquatis? Iacobus de Vitriaco in hiſtoria Occidentali cap. 38. admonet, corpora glorificata non fore ratione agilitatis in duplici loco ſimul. Docent id ipſum Suarez tom. 2. in 3. p. d. 48. ſect. 4. Salas in 1. 2. tract. 2. d. 14. ſ. 18. Auerſa 3 p. q. 53. ſect. 3. Alios Authores non obſeruaui, qui difficultatem hanc attigerint. Dicam breuiter quid ſentiam. Si in Beatorum corporibus detur, vt putant plures Theologi, qualitas ſupernaturalis, quæ poſſit producere vbicationem, vi cuius reddantur intimè præſentia aliis corporibus, non eſt cur repugnet eam, aut aliam qualitatem ſupernaturalem, præditam eſſe virtute cauſandi vbicationes in duobus locis. Si verò, vt alij Theologi cenſent, facultas glorificatorum corporum ſe penetrandi, nequeat conſiſtere in qualitate aliqua, ſed in diuina omnipotentia aſſiſtente, & parata, vt ad nutum Beatorum faciat penetrationem, aſſerendum idem eſſet de facultate conſtituendi ſe in duobus locis. Sed quia poſteriorem hanc poteſtatem non agnoſcunt Theologi tanquam permanentem perfectionem ſiue intrinſecam, ſiue extrinſecam corporum glorificatorum; neque eam computant inter dotes, ita vt ſuppoſita glorificatione corporum, connaturale ſit fieri præſentia duplici loco; idcircò affirmo, non ornari Beatos homines qualitate, de qua ſupra, & non niſi nouo miraculo conſtituenda duobus in locis, quoties Deo libuerit. P. Tannerus tom. 2. diſp. 1. q. 3. dub. 4. n. 34. ait multiplicationem vbicationis circumſcriptiuæ in cœlo pertinere ad dignitatem, & excellentiam humanitatis Chriſti; de aliis Beatis tacet; ni potiùs & loquendi modo inſinuare videatur non competere aliis ex communi iure beatitudinis.

SECTIO VI.

An Chriſtus ante ſolemnem aſcenſionem in Empyreum, aſcenderit latenter in ipſum duodecimo ætatis anno?

100 CVm Chriſtus duodennis remanſit ſolus Hieroſolymis, cogitaſſe Deiparam, & Ioſephum de aſcenſione eius occulta in cœlum ſcribit Origenes homil. 19. in Lucam his verbis: *Quærebantur, ne reuertiſſet ad cœlos, cùm illi placuiſſet, iterùm deſcenſurus.* Affictam hanc Deiparæ, & Ioſepho cogitationem refellunt Cardinalis Toletus in cap. 2. Lucæ, Carthagena homiliâ 6. de Virgine amittente, & inueniente IESVM in templo, Eſcobar volumine 3. in Euangelia temporis lib. 2. ſect. 1. §. 3. num. 12.

101 Aelredus tamen Abbas homilia de IESV puero duodenni eueniſſe tradit id, quod vel ſuſpicatum non arridet communiter. En Aelredi verba, *ſed vt ad ſublimioris opinionis ſecreta veniamus, prima fortè die paternis ſe vultibus præſentauit, non vt conſederet, ſed vt de ordine ſuſceptæ diſpenſationis paternam voluntatem conſuleret... Altera iam die Angelicis, & Archangelicis choris ſuauitatem ſui vultus indulſit, referénſque antiquam ſupernorum ciuium ruinam poſt modicum reparandam, vniuerſam lætificat ciuitatem Dei. Iam tertia die cunctos Patriarcharum, & Prophetarum inuiſens, ea, quæ à S. Simeone ſene iamdudum audierant, proprij vultus manifeſtatione probauit, ſicque expectationis illorum moras inſtantis iam redemptionis promiſſione conſolans animæquiores, & alacriores reddidit vniuerſos.* Hactenus Aelredus, cuius eſt, & non S. Bernardi, & ſi inter huius opera, ſed incerta, habeatur ea homilia; in qua plura, quæ mirer, continentur; nihil, quod abſque temporis iactura impugnem, nedum approbem.

102 Licèt me non fugiat, Abrahamum Brouium in Annalibus Eccleſiaſticis tom. 18. anno Chriſti 1471. verſus finem referre non abſimile quid ex Amadæo Franciſcano raptu 5. ſuæ Apocalypſis, videlicet *Chriſtum duodennem ad cœlos aſcendiſſe, & ibi pro diſcipulis cæleſtes manſiones ædificaſſe.* Sed Amadæus immunis protſus eſt à diffamata per Brouium opinione. Nam raptu 8. ſic fatur, *Poſtquam autem IESVS diſputauit anno duodecimo, aliqui dixerunt, Ioſephum defunctum, & Mariam intraſſe in templum Domini, & locum tenuiſſe Annæ Propheteſſæ, IESVM verò aſcendiſſe in cælum, & cum Patre, & Spiritu-ſancto vſquè ad decimum quintum annum Imperij Tiberij Cæſaris ſuperiùs manſiſſe, & ciuitatem Beatorum conſtruxiſſe. Vnde ipſe dixit, Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cœlo. Et ita credunt, Chriſtum bis in cælum aſcendiſſe. Sed firmiter credendum eſt, in cælum corpore non aſcendiſſe vnquam niſi die quadrageſimo poſt reſurrectionē ſuam.... Tamen illo tempore myſticè fuit in cœlo, quia apud ſolum Patrem pro nobis operabatur, & merebatur, & opera eius, atque merita non agnoſcebantur apud homines ſicut poſtea fuerunt agnita, quando publicè prædicabat, & miracula faciebat, & ſe Deum publicabat. Semper ergo ipſe ciuitatem ſupernam pro nobis hominibus conſtruebat meritis ſuis præclariſſimis.* Hæc Amadæus iuxta Petri de Alua in Bibliotheca virginali editionem; cui magis credendum eſt, quàm Abrahamo Brouio homini erga Amadæum, & Seraphicæ familiæ res parùm benigno.

SECTIO VII.

An Christus aſcenderit priuatim in Empyreum ſimul cum bono Latrone?

103 IAmjam moriturus Christus dixit Latroni, referente Luca cap. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Cœlum eo die conſequendum, & adeundum promiſiſſe, intelligunt Ss. Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Nyſſenus, & Auguſtinus, vti eis attribuit Maldonatus in cap. 27. Matth. v. 44. Et hinc oritur dubitandi ratio. Nam cum Christus dixerit, Latronem ſecum futurum in Paradiſo, ſi Paradiſus eſt cœlum Empyreum, ſequitur, Christum penes animam vna cum Latronis anima aſcendiſſe ea die in Empyreum. Sed perſcrutemur illorum Patrum verba. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 13. illuminatorum, hæc habet, *Ne timeas, Latro, ſerpentem; cecidit enim de cœlo, non eiciet te. Et non dico tibi, Hodie recedes; ſed hodie mecum eris, non reiicieris. Confide, neque timeas flammeum gladium, reueretur enim Dominum. O ingentem, & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingreſſus eſt, & Latro ingreditur: nondum Moyſes, & Propheta, & Latro iniquus ingreditur. Admiratus eſt te etiam Paulus dicens, vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Qui tulerunt æſtum, nondum ingreſſi ſunt, & qui vndecima hora venit, ingreſſus eſt.* Hactenus S. Cyrillus, quem hiſce verbis alloqui Latronem quaſi ſtatim è cruce auolantem in cœlum, notat Iuſtinianus in cap. 1. epiſt. ad Philip. v. 21. Cæterùm non video, cur de ingreſſu in cœlum Empyreum debeat percipi S. Cyrillus, & non de ingreſſu in ſolam beatitudinem, claramque Dei viſionem, quam primus ſtatim à morte adeptus eſt Latro. Ita Antiſtitem Hieroſolymitanum explicat Suarez 3. p. q. 46. in comment. art. 11. nec non Raynaudus cap. 13. de bono Latrone. Niſi fortè ſacer Antiſtes voluerit dicere Latronem ante alios Prophetas ingreſſum eſſe per promiſſionem in Dei viſionem. Nam vt diſco ex S. Chryſoſtomo homil. 2. de Cruce & Latrone, *Nec Abrahæ data eſt per vocem repromiſſio paradiſi. Hæreditatis quidem per fidem, repromiſſionem autem paradiſi nemo ante Latronem accepit. Hic autem perſcrutans diligentiùs vetus teſtamentum, & nouum, nullum ante Latronem inuenies promiſſionem paradiſi meruiſſe, non Abraham, non Iſaac, non Iacob, nec Moyſen, nec Prophetas, nec Apoſtolos; ſed ante omnes reperies Latronem.* Sic Chryſoſtomus, qui in vno, vel altero ſenſu accipiendus eſt, dum homilia de Lazaro, & Diuite ad c. 16. Lucæ, inquit, *Conſiderandum, quòd Abraham apud Inferos erat, necdum enim Christus reſurrexerat, qui illum in paradiſum duceret. Antequam Christus moreretur, nemo in paradiſum conſcenderat, niſi Latro. Romphæa illa flammea, & vertigo illa claudebat paradiſum. Non poterat aliquis intrare in paradiſum, quem Christus clauſerat; Latro primus cum Christo intrauit:* primus videlicet, quia vel ſtatim à morte, vel per expreſſam promiſſionem. Eccleſia Romana in antiquo quodam hymno Paſchali canebat de bono Latrone,

Iuſtóſque prauio gaudio
Præuenit in regnum Dei.

Explicatur autem à Carthuſiano, quatenus felix Latro præuenerit iuſtos exiſtentes in mundo; & poteſt etiam explicari quatenus ratione expreſſæ promiſſionis præuenerit iuſtos exiſtentes in Limbo.

104 S. Chryſoſtomus, allegatus à Maldonato, in homilia 2. de Cruce, & Latrone, ait, *Hodie Adam eiectus eſt de paradiſo, & hodie Latro in paradiſum ingreditur, &c.* Rurſus, *Iſte Latro de ligno mercatur ſalutem; hic Latro furatur cæleſte Imperium; vim facit Maieſtati, non virtute propria, ſed fide vincens. Ipſius Domini vox eſt, Regnum cœlorum vim patitur.* Sed nemo non videt talia eſſe hæc verba (ad rem reperire non eſt alia) vt nec interpretandi negotium nobis afferant. In antecedenti homilia faciunt magis ad rem iſthæc, *De cruce ſubitò euolauit ad cœlum.* Aſt cœli nomine beata viſio, ad quam ſubitò eleuatus eſt Latro, vbiuis ſignificatur. S. Chryſoſtomus in duplici homilia de Latrone, atque in altera de ligno ſcientiæ boni, & mali, necnon in 25. ſuper Mathæum potiùs indicat, promiſſum ipſi paradiſum terreſtrem.

105 S. Gregorius Nyſſenus oratione in Christi Reſurrectionem, inquit, *Illud à ſtudioſis oportuit inueſtigari, quomodò vno, eodémque tempore Dominus ſe tribus his dederit, cordi terræ, paradiſo cum Latrone, Patriſque manibus. Nemo enim aut paradiſum apud Inferos eſſe dixerit, aut Inferos in paradiſo, vt eodem tempore vtrobique fuerit, aut Patris manibus indicari::: Cuius quidem quæſtionis vna ſolutio eſt, vt dicamus, nihil auium, aut inacceſſum eſſe Deo, in quo omnia conſiſtunt. Altera ſolutio eſt illa, ad quam nunc oratio noſtra ſpectabat: nempe Deum, qui totum hominem per ſuam cum illo coniunctionem in naturam diuinam mutauerat, mortis tempore à neutra illius, quem ſemel aſſumpſerat, parte receſſiſſe: nunquam enim illum ſuorum munerum pœnitet. Diuinitas ergo voluntate quidem animum à corpore diſiunxit; ſed in vtroque tamen ſe manere demonſtrauit. Nam per corpus, in quo corruptionem ex morte prouenientem non admiſit, euertit eum, qui habebat mortis imperium; per animum autem Latroni patefecit aditum in paradiſum. Vtrumque autem eodem tempore perfectum eſt, diuinitate per vtramque hominis partem hæc bona præſtante, vt per corporis incorruptionem mortem ipſam diſſolueret; per animi verò in ſede propria conſtitutionem hominibus aditum in paradiſum aperiret::: Quòd ſi quæris quomodò in paradiſo ſe Patris manibus commendarit? Tibi ſublimis Iſaias reſpondebit de cæleſti Hieruſalem, quam nihil aliud niſi paradiſum eſſe credimus, ex Dei perſona, Deſcripſi, inquiens, muros tuos in manibus meis. Quare ſi Hieruſalem, hoc eſt paradiſus in manibus Patris deſcripta eſt, conſtat, eum, qui in paradiſo ſit, in Patris manibus, in quibus deſcriptionem habet diuina ciuitas, commorari.* Tantùm S. Nyſſenus. En Christum cum Latrone in paradiſo, qui ab Inferis ſit diſtinctus, & animorum ſedes propria, quique ſit cæleſtis Hieruſalem, & Diuina Ciuitas. Fateor locum eſſe perplexum; ſed per cœleſtem Hieruſalem, diuinamque Ciuitatem denotari à Nyſſeno ſtatum beatificum, qui eſt animorum quies, & ſedes, poteſt non incongruè reſponderi.

106 S. Auguſtinus in tract. 111. ſuper Euangelium Ioannis ſcribit, *Qui homini pœnaliter pendenti, & ſalubriter confitenti ait, Hodie mecum eris in paradiſo, ſecundùm id, quod homo erat, anima eius ipſo die futura fuerat in Inferno, caro in ſepulchro; ſecundùm autem id, quod Deus erat, vtique & in paradiſo erat. Et ideo Latronis anima à priſtinis abſoluta, & illius munere iam beata, quamuis vbique ſicut ille, eſſe non poterat, tamen etiam ipſo die cum illo in paradiſo eſſe poterat, vnde ille, qui vbique ſemper eſt non receſſerat.* In epiſt. 57. ad Dardanum, ait, Siue ibi, Christi, *Hodie mecum eris in paradiſo,* accipiantur

dicta

Digitized by Google

dicta ſecundùm humanam naturam, non debere intelligi nomine Paradiſi, cœlum, *neque enim ipſo die in cœlo futurus erat homo Chriſtus IESVS; ſed in Inferno ſecundùm animam, in ſepulchro autem ſecundùm carnem.* Si verò accipiantur dicta ſecundùm diuinam naturam (quod magis placet S.Doctori) rectè dici potuiſſe, *Hodie,* &c. *cùm iuxta humanam humilitatem per carnem in ſepulchro, per animam in Inferno, illo die futurus eſſet; iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiſo, quia vbique eſt ſemper, receſſiſſet.* Diſtinguit itaque vtrobique S.Auguſtinus Inferos, & Paradiſum, in quo Latro futurus erat, die illo, ſocius Chriſti; & cum vtrobique nomine Paradiſi ſignificet cœlum, vt ex contextu colligitur, fit iuxta S.Auguſt. extitiſſe illo die Latronis animam in cœlo, vbi Chriſtus, quà Deus eſt, extitit tūc, & iam anteà exiſtebat. Pretereà in lib.12. de Geneſi ad litterā c.34. idem S.Doctor, inquit, *anima illius Latronis, cui dixit, Hodie,* &c. *non vtique Inferos præſtitit, vbi pœna ſunt peccatorum, ſed aut illam requiem Sinus Abrahæ, non enim alicubi non eſt Chriſtus, cum ipſe ſit Sapientia Dei attingens vbique propter ſuam munditiam: aut illum paradiſum, ſiue in tertio cœlo, ſiue vbicumque alibi, quò poſt tertium cœlum eſt raptus Apoſtolus; ſi tamen non aliquid vnum eſt diuerſis nominibus appellatum, vbi ſunt animæ Beatorum.* Hæc Auguſtinus, quæ vt meliùs calleantur, attendere oportet præcedentibus. Dixerat namque, *Non temerè affirmamus vtrùm in tertio cœlo ſit paradiſus, an etiam in tertium cœlum, & inde rurſus in paradiſum raptus ſit Paulus. Si enim propriè quidem eſt nemoroſus locus, tranſlato autem verbo omnis etiam ſpiritalis quaſi regio, vbi animæ benè eſt, meritò paradiſus dici poteſt, non ſolùm tertium cœlum, quicquid illud eſt, quod profectò magnum, ſublimiterque præclarum eſt, verùm etiam in ipſo homine lætitia quædam bonæ conſcientiæ paradiſus eſt::: Quanto magis ergo poſt hanc etiam vitam Sinus ille Abrahæ paradiſus dici poteſt, vbi iam nulla tentatio, vbi tāta requies poſt omnes dolores vitæ huius.* Verumenimverò, cùm S.Auguſtinus non aſſerat expreſsè, nec firmiter, paradiſum eſſe cœlum, ad quod Chriſtus poſt quadraginta dies à Reſurrectione aſcendit: nequit tutò pro Empyrei promiſſione facta Latroni recenſeri: maximè cùm in toto lib.12. de Geneſi ad litteram tam variè accipiat tertium cœlum, ad quod raptus eſt S.Paulus.

107 Expenſis Patribus ſubtexo alios. S.Ambroſius in epiſt.2. ad Corinth. cap.12. notat, Apoſtolum bis ſe raptum dicere, *id eſt, hinc vſque ad tertium cœlum, deinde in paradiſum cœleſtem, in quo Latroni dixit Dominus, quòd futurus eſſet cum eo, in paradiſo,* inquit, *Patris, illic vbi & ciuitas dicitur eſſe Hieruſalem mater noſtra.* S.Anſelmus in Elucidario rogatus, *Quò iuit anima Chriſti poſt mortem?* Reſpondet *in cœleſtem paradiſum, vt dixit ad Latronem.* Et cùm poſteà interſerat ſermonem de paradiſo terreſtri, videtur nomine cœleſtis vſurpare Empyreum. Honorius Auguſtodunenſis in cap.4. Cant. ſcribit: *Paradiſus exultationis eſt habitatio Sanctorum in cœlis, plena omnibus delitiis. In hunc paradiſum raptus eſt Paulus, & in hunc introduxit Latronem Dominus.* Arnoldus Abbas in tract. ſuper illo verbo *Hodie,* &c. Sic alloquitur Chriſtum Dominum, *Ecce Latro ille, collateralis tuus damnatus ob ſcelera, illum victoria tua præcurſorem conſtituis, & viuificatum ex gratia in paradiſum præmittis.* Et poſt multa, *Erat itaque vnus irriſor, alter confeſſor; vnus exprobrator, alter venerator; hic ſperans, ille deſperans; hic diligens, ille negligens; aderātque illi cōtrouerſiæ Iudex, qui data ſentētia blaſphemū ad Tartara, cōſitentē præmiſit ad regna.* Fatur autē Arnoldus de paradiſo, & regno cœleſti, vt ſequentia ſubindicant verba. *Ne iraſcaris Princeps Apoſtolorum, tibi dico, Petre, cui claues Regni cœlorum commiſſæ ſunt::: Abſens eras, & miniſterij tui claues, quod pace tua dixerim, modò non profers; Supplet vicem tuam Summus Sacerdos, apertiſque ſeris antiquis, Latro, primitiæ derelictorum introducitur, aperiente Chriſto, in Regnum cœlorum. Amouetur ab introitu paradiſi cuſtodia ab initio peruigil, & verſatilis gladius ille, quem Cherubin ab antiquo non vibrauerat. Ibi Latro locatur, vnde Lucifer corruit.* Addit in fine Arnoldus, *Præmittitur igitur in paradiſum hic noſtræ nuntius abſolutionis, & primitias libertatis noſtræ, teſtis libertate donatus, paradiſi ciuibus id expectantibus, & deſiderantibus primus inuexit.* Pia affectione opus eſt ad interpretandum Arnoldū in vero ſenſu. Quare Maluendam miror, dum nomine Patrum, qui per paradiſum Latroni promiſſum percipiunt beatificam viſionem, profert nimis animoſè in Commentario de paradiſo cap. 91. vnum Arnoldum. Nec ſilendum eſt, indicari ab eodem Abbate in tract. de ſexto, & ſeptimo verbo, Chriſtum penes animam aſcendiſſe non multò poſt à morte in Empyreum, *Ad Sanctificationem* (ait ille) *animæ obtinendam ſpiritus ille deſcendit ad Inferos, & aſcendit ad ſuperos; ibi cōfregit ferreos vectes, hìc portas aperuit æternas::: Itaque alterum ex altero conſtitit, vt eadem hora & repleret ſuperos, & Inferos captiuaret. Alta ſunt tamen in cœleſtibus gaudia illa prolixiori ſpatio; neque ſtatim reuerſa eſt ad corpus ſuum anima Chriſti.*

108 Qui adhuc tentauerit explicare benignè hunc Scriptorem, debet etiam declarare, qua ratione Latro fuerit præcurſor victoriæ Chriſti, præmiſſúſque ſit in regna, & paradiſum, ſiquidem conſtet ex cap.19. Ioannis verſ.32. ac 33. Chriſtum expiraſſe priùs, quàm Latronem, proindéque iſtum poſt Seruatorem perueniſſe ad Sinum Abrahæ. Neque dici poteſt, Latronem præmiſſum eſſe, vt priùs, quàm Chriſtus, & quàm alij iuſti exiſtentes in eo Sinu, videret Deum; etenim Chriſti anima vidit Deum ex primo ſuæ creationis inſtanti, & iuſtorum animæ exiſtentes in præfato ſinu viderunt Deum ex ipſomet inſtanti, in quo Chriſtus mortuus eſt, vt Caietanus in 3.p.q.52. art.2. Medina art.1. Suarez diſp.43. ſect.3. v. *ſed obiici poteſt*, exiſtimant, vel ferè immediatè poſt illud, vt Valent. t.4. diſp.1. q.4. puncto 2. in fine, Tannerus t.4. diſp.1. q.& dub.3. n.84. Granadus t.4. controuerſia & tr.2. Com.24. n.12. Raphaël Auerſa 3 part. q.52. ſect.8. cenſent. Non magis facilè eſt interpretari S. Anſelmum, & S.Ambroſium; niſi hic per paradiſum cœleſtem, & Hieruſalem ſupernam ſignificauerit beatificam viſionem, quam adeptus eſt Latro eo die; & quam tranſactis quadraginta diebus ſequuta eſt poſſeſſio ipſius Cœli Empyrei. Simili modo intelligi poteſt Honorius Auguſtodunenſis, vt & S. Athanaſius, dum ſerm. contra omnes hæreſes ait, *O miraculum ingens maledictionis Crucifixa! aperuit paradiſum in promiſſione Latronis. O beatum Latronem! Rapuiſti in mundo latrocinando; rapuiſti item regnum cœlorum iſtiuſmodi confeſſione.* Et dum Expoſitione fidei ait, *Ingreſſum in paradiſum Chriſtus confecit, ex quo Adam eiectus fuit, in quem rurſus Adam intrauit per Latronem; in quem ipſe quoque Paulus ingreſſus fuit; aſcenſúmque Deus in cœlos muniuit, quo præcurſor homo, qui in eo fuit, pro nobis introiit.*

109 Perſcrutata mente tantorum Patrum reſpondendum eſt propoſitę dubitationi, Chriſtum, eadie,

Digitized by Google

qua obiit, ingreſſum non eſſe penes animam ſimul cum bono Latrone in cœlum corporeum, ad quod poſt Reſurrectionem aſcendit glorioſus penes animam, & corpus. Quare promiſſio Chriſti non eſt intelligenda de materiali paradiſo, qui in Empyreo ſit. Ita ſignanter aduertunt Petrus Comeſtor in Hiſtoria Euangelica cap. 173. Vincentius Bellouacenſis lib. 7. ſpeculi Hiſtorialis cap. 43. Gabriel Biel in ſerm. de Paſſione Domini p. 4. art. 2. Raynerius in Pantheologia titulo de deſcenſione Chriſti ad infernum, cap. 5. Nicolaus de Orbellis in 3. diſt. 22. quæſt. 3. Alfonſus Salmeron tom. 10. in Euangelia tract. 40. Didacus Stella, & Cornelius in cap. 23. Lucæ, vt alios ex Recentioribus prætercam. Et apertè conſtabit ex ſectione ſequenti, reſeratum non eſſe Empyreum cœlum, vſquedum Chriſtus rediuiuus illud penetrauit. Adde, Chriſtum apud Ioannem cap. 20. v. 17. dixiſſe Magdalenæ, *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Id eſt, nondum aſcendi in cœlum, vbi eſt thronus mei Patris. Quæ verba etſi dicta ſint à Chriſto rediuiuo, denotant tamen, ipſum neque penes animam ſeparatam aſcendiſſe anteà in cœlum. Adde prætereà Scripturæ ſanctæ teſtimonia, ex quibus probatur, Chriſti animam deſcendiſſe ad inferos, conuincere non minus, quòd ibi extiterit, vſque dum aſcendit reſumpturus corpus iacens in ſepulchro.

110. Quidnam ergo Paradiſi nomine pollicitus eſt Chriſtus Latroni? Terreſtrem, & Adamicum innuunt S. Chryſoſtomus, & S. Athanaſius adducti n. 104. & 108. S. Maximus Taurinenſis inquiens in homilia 1. de Paſſione & Cruce. *Latro diu oberrans, ac naufragus aliter ad patriam Paradiſi, de quo primus homo exierat, redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus.* Tradit clarè Author quæſtionum ad Orthodoxos ſub perſona S. Iuſtini in verbis exarandis n. 85. exercit. 21. Hæc propter Suarez 3. p. quæſt. 46. in comment. art. 11. quæſt. 55. in comment. artic. 3. & diſputat. 43. ſect. 4. verſ. *Circa poſteriorem,* numerat S. Iuſtinum inter Patres, qui Latronem introductum in Paradiſum terreſtrem exiſtimarunt. Sed tamen S. Anaſtaſius Sinayta lib. 6. Anagogicarum contemplationum in exameron ſcribit, *Diuinus in omnibus Ambroſius, & Iuſtinus Martyr à Deo inſpiratus in ſuis in exameron cõmentariis ea perſequentes, quæ dicta ſunt de paradiſo .... magnã, & ſubtilem de iis examinationẽ & contẽplationem ſubiunxerunt, dicentes, quòd ſit turpiſſimũ, & Deo inuiſum dicere, aut omninò cogitare, beatã, & adorandam Dei Verbi diuinitatem cum iuſto Latrone ingredi in ſluxum, & materialem paradiſum. Et quænam eſt digna merces illius veneranda, & quæ Deum decet, conſeſſionis, malorum punicorum, pyrorum, vuarum, & ficuum corruptarum eſum tanquam mercedem reddere Latroni?* Hæc S. Anaſtaſius. Non extat S. Iuſtini commentarium illud in Exameron. Prolixi vererer ſugillationem, ſi priſcorum Authorum, qui de promiſſione terreſtris paradiſi conſenſere, apponerem integra teſtimonia. Euoluantur Origenes commentario vltimo in Ioannem, homilia 26. in c. 31. Numer. & homil. 13. in Ezechielem, S. Euſtachius de engaſtrimytho contra Origenem, S. Cæſarius dialogo 3. (quod opus legitimum S. Cæſarij fratris S. Gregorij Nazianzeni videtur Photio cod. 210. ſuæ bibliothecæ,) Titus Boſtrenſis in cap. 23. Lucæ, Olympiodorus in cap. 3. Eccleſiaſtis. Moſes Barzepha p. 1. de paradiſo cap. 1 & 18. ac 28. Sedulius lib. 4. operis Paſchalis, Nicephorus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 31. Philippus Solitarius lib. 4. Dioptræ cap. penultimo, Euſebius Gallicanus in homilia de Latrone beato, aliique citati à Bachone in 4. diſt. 44. q. vnica art. 3.

111 Sed reiiciendi ſunt primò, quia promiſſio Chriſti magnum quid non contineret reſpectu animæ Latronis in ſtatu ſeparationis à corpore, ſi materialem tantùm reſpiceret paradiſum terreſtrem. Secundò, quia non hunc, ſed regnm cœleſte petiit Latro; promiſſio autem Chriſti non reſponderet petitioni Latronis, ſi Chriſtus non promitteret regnum cœleſte, ſaltem quoad id quod in ipſo æſtimabilius eſt, ſcilicet quoad beatificam Dei viſionem: quam quia iuſtorum animabus differri vſque ad reſurrectionem corporum conſueuerunt plerique ex Authoribus citatis, ideò interpretantur Chriſti verba de promiſſione terreſtris Paradiſi, deſignati ab eis pro ſtatione Sanctarum animarum, vſque ad reſurrectionem illam. Vnde cùm iſta interpretatio fundetur in errore, quem Eccleſia iam damnauit, audienda nullatenus eſt. Tertiò, quia eo die, quo Chriſtus Latroni ſpopondit paradiſi conſortium, extitit Chriſti anima non in paradiſo terreſtri, ſed in inferno, quin imò in hoc extitiſſe per totum triduum ſeparationis à corpore, adeò certum eſt Patri Suario tum diſp. 43. ſect. 4. proximè allegatis, tum diſp. 13. de Beatitudine n. 3. vt oppoſitum appellet erroneum, ob rationem indicatam in fine n. 109. Et hac de cauſa malè ſentit vel de breui exiſtentia animæ Chriſti in terreſtri paradiſo.

112 Sed non videtur cenſura dignum, ſi dicatur, animam Chriſti, quando ab inferno remeauit ad corpus iacens in ſepulchro, tranſiiſſe celeriter per terreſtrem paradiſum. Sic enim meditantur S. Anſelmus in Elucidario. S. Bonauent. in meditationibus vitæ Chriſti cap. 85. & 91. ac 97. S. Vincentius Ferrer. ſerm. 3. Dominicæ in Albis. B. Thomas Villanouanus concione in die Reſurrectionis. Simon de Caſſia lib. 13. de geſtis Saluatoris cap. 112. Albertus Magnus in 3. diſt. 22. art. 10. Amadeus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis. Gerſon ſerm. in feſto Paſchæ p. 4. fol. 94. Ludolfus de Saxonia 2. p. vitæ Chriſti cap. 68. Buſtus p. 2. Roſarij, ſerm. 17. p. 3. Echius homilia 1. de Reſurrectione Chriſti; & innuit Rupertus lib. 7. de diuinis officiis cap. 15. nec non S. Germanus de Cruce Chriſti ſono 3. aiúntque in eo tranſcurſu per paradiſum terreſtrem reliquiſſe ibi Patrum animas eductas è ſinu Abrahæ, & inuiſiſſe Henochum, & Eliam. Sanè cum neceſſe non ſit affirmare, Chriſti animam tranſiiſſe de inferno ad corpus, quin percurreret ſpatium medium, vt fatetur ipſe Suarius in commentar. ad art. 4. q. 52. ac proinde admitti poſſit ſalua authoritate ſacrarum Litterarum conſumptam fuiſſe breuiſſimam aliquam moram in exitu ab inferno, & vnione ad corpus; non apparet Carolo Scribanio cap. 14. Chriſti patientis n. 16. neque mihi, cur ſit contra ſacras Litteras meditatio de citiſſimo tranſitu animæ Chriſti per paradiſum terreſtrem.

113 Maldonatus ſuprà, Abrahæ ſinum, in quem Chriſti anima eo, quo promiſit, die, deſcendit, polliciti paradiſi voce intelligit. Producit pro ſe S. Athanaſium in epiſt. ad Epictetum. Sed in hac epiſtola nihil tale reperio, vt nec in q. 76. S. Iuſtini, quem ſibi patrocinari aſſeuerat: videtur fauere S. Chryſoſt. homilia de Lazaro, & Diuite, inquiens, *Paradiſus pauperis ſinus erat Abrahæ.... Dicat mihi aliquis, in inferno eſt paradiſus? Ego hoc dico, quia ſinus Abrahæ paradiſi veritas eſt, ſed & ſanctiſſimum paradiſum fateor.* Cæterùm ſubiungens tranſcripta in n. 103. indicat, Latronem in alium introiſſe paradiſum.

Digitized by Google

radiſum. Fauere item videtur Prudentius libro Cathemer. Hymno 10. in Exequiis defunctorum canens.

Sed dum reſolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas,
Quanam regione iubebis
Animam requieſcere puram?
Gremio ſenis abdita ſancti
Recubabit, vbi eſt Eleazar,
Quem floribus vndique ſeptum
Diues procul aſpicit ardens.
Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus atra è morte triumphans
Tua per veſtigia mandas
Socium Crucis ire Latronem.

Sed tamen illicò confundit ſinum Abrahæ cum paradiſo Adamico. Addit namque;

Patet ecce fidelibus ampli
Lucidi via iam Paradiſi:
Licet & nemus illud adire
Homini, quod ademerat anguis.
Illic precor, optimè ductor,
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in ſede ſacrari,
Quam liquerat exul, & errans.

Perlegatur circunſpectè Prudentij damnatus iam error de ſtatione animarum ſanctarum extra cœlum ſiue in antiquo Abrahæ ſinu, ſiue in paradiſo Adamico vſque ad communem corporum reſurrectionem. Pro exiſtimatione Maldonati tutiùs citantur Eucherius de quæſtionibus in Lucam, Comeſtor cap. 173. Hiſtoriæ Euangelicæ, Chriſtianus Druthmarus in expoſitione Dominicæ Paſſionis. Bellouacenſis lib. 7. ſpeculi Hiſtorialis cap. 43. Hugo de S. Charo in c. 23. Lucæ v. 43 S. Antoninus in 1. parte Hiſtoriali titulo 5. cap. & §. 6. Mayro in 4. diſt. 43. q. 4. Ludolfus de Saxonia 2. p. vitæ Chriſti c. 63. Arboreus in c. 16. Lucæ v. 22. Quid ego de ea ſentiam, actutùm expromam.

114 Petioni Latronis ſatisfeciſſe Chriſtum promittendo beatitudinem perfectam, ſeu claram Dei viſionem ſub paradiſi nomine, commune eſt Patrum iudicium. Eos longo ordine recenſent Ægidius Luſitanus tom. 2. de Beatitudine lib 12. q. 5. art. 3. §. 1. n. 9. Maluenda in commentatio de Paradiſo c 91. Delrius tom. 1. Adagialium ſacrorum veteris teſtamenti Adagio 789. ſequuntur Bellarminus lib. 1 de Sanctorum beatitudine c. 3. Barradas tom. 4. in Euangelia lib. 7. c. 15. Suarez iam ſæpè citatus, Melo in c. 6. Apocalypſis, & in c. 23 Lucæ, Raynaudus c. 10 de bono Latrone n. 20. & plerumque Interpretes Biblici. Quos ego ſic ſequar, vt Maldonati etiam veſtigiis inhæream.

115 In concordiam vtriuſque ſemitæ præluxit mihì fulgentiſſimum Theologiæ ſydus S. Thomas 3 p. q. 52. art. 4. ad 3. reſpondens, *Verbum illud Domini eſſe intelligendum, non de paradiſo terreſtri corporeo; ſed de paradiſo ſpirituali, in quo eſſe dicuntur quicumque diuina gloria perfruuntur. Vnde Latro loco quidem cum Chriſto ad Infernum deſcendit, vt cum Chriſto eſſet, quia dictum eſt ei, Mecum eris in paradiſo; ſed præmio in paradiſo fuit, quia ibi diuinitate Chriſti fruebatur ſicut & alij ſancti.* Similia habet in opuſculo 60. de Humanitate Chriſti ait art. 21. in fine. En iuxta Angelicum Præceptorem promiſit primò, & directè Chriſtus Latroni ſpiritualem paradiſum, conſiſtentem in diuinæ eſſentiæ ſine caligine viſæ participatione. En etiam promiſit ſecundariò, & indirectè participationem hanc in conſortio ſui extituri eo die in Abrahæ ſinu, qui Latroni alter paradiſus futurus erat ob conſortium ipſius Chriſti. Quippe, vt inquit S. Theophilus Antiochenus lib. 1. commentariorum in Euang. *Vbi eſt Deus, illic vita, atque amænitas æterna*: & vt S. Ambroſius in c. 23. Lucæ, *vita eſt, eſſe cum Chriſto; ideo vbi Chriſtus ibi vita, ibi regnum*; non ſecus ac *Roma illic eſt, vbi Imperator eſt*, prout ad Commodum Imperatorem dicebat Pompeianus apud Herodianum lib. Hiſt. 1. q. Quòd ſi ex S. Auguſtino in epiſt. 57. ad Dardanum, *Generale paradiſi nomen eſt, vbi feliciter viuitur.* Vbinam, rogo, feliciùs viuatur, quàm vbi eſt Chriſtus, & vbi eius diuinitas clarè conſpicitur? Vel infernus ipſe eſſet paradiſus, & cœlum animæ, quæ ibi Deum videret; quæque ibi ſocium haberet Chriſtum, *vbi enim Chriſtus, ibi & cœlum*, teſte S. Chryſoſt. homil. 49. in cap. 14. Matthæi, & S. Epiphanio in ſerm. de laudibus B. Mariæ: quò loci ponderans illud Matth. 2. verſ. 9. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer*, Sic fatur, *Apparet ſtella Magis, donec veniſſet ſupra Infantem in ſtabulo, vel potiùs in cœlo. Vbi enim Chriſtus, ibi & cœlum. Nam ſtabulum viſum eſt, eſſe cœlum in terra.* Videſis verba hæc graphicè exornata à P. Didaco de Baeza tom. 4. in vetus teſtamentum lib. 8. cap. 21. & §. 1. Liceátque mihi adnectere egregia Victorini Rhetoris Maſſilienſis lib. 3. commentariorum in Geneſeos in eandem rem carmina. Modulatur itaque de Abrahamo,

Inde petit Bethleem, ſedes quæ lecta beati
Hoſpitiis ſacrata viri, cunctáſque ſuperbis
Exceſſit meritis terras, quandoque ſecundo
Poſt cœlum numeranda loco, nam ſede ſuperna
Dignior iſta Dei, quæ pignus lege ſalutis
En ipſum mundo tantum mirante paratum
Exciperet, viſa eſt, hominémque remitteret aſtris.

Videor mihi iam audire Latronem dicentem, *Quid mihi eſt cura cœlum, cùm video Dominum cœli, cùm ego efficior cœlum.* Sic aliò intendens aiebat S. Ambroſius in c. 9. epiſt. ad Hebræos v. 23.

116 Theophylactus in c. 23. Lucæ contrarius eſt dictis, quatenus nomine Paradiſi intelligit cœlum, & ſine adeptione perfectæ beatitudinis conſiſtentis in viſione intuitiua Dei. Nam concilians Chriſti verba *Hodie mecum eris in paradiſo* cum verbis Pauli ad Hebr. 11. v. 39. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem*, ſcribit, *Idem eſſe regnum cœlorum, & paradiſum. Nihil prohibet ergo & Dominum vera dicere, & Paulum. Latro namque eſt quidem in paradiſo, hoc eſt in regno, & non ſolus ipſe, ſed etiam omnes, quos enumerat Paulus. Alioqui non frueretur perfecta bonorũ participatione. Nam ſicut condemnati in regnis non ſunt, ſed in cuſtodiis clauſi tenentur in deputatis pœnis; qui autem glorioſi, & in regna ingrediuntur, & nunc in eis verſantur: Deinde cùm venerit tempus diſtributionis regalium donorum, & illa aſſequuntur: ita & ſancti, tametſi nondum perfectè bonis fruantur; Sed iam verſentur in locis, lucidis & fragrãtibus, & pulchris tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorum aſſequantur. Ita & Latro in paradiſo fuit, etiamſi nondum perfectè acceperit, vt ne abſque nobis perfectus ſit::: Tu autem admireris quomodò ſicut Rex quidam trophæa ex victoria referens, ſpolia opima ſecum abducit; ita & Dominus, quoniam fortium vas Diaboli diripuit, ſecúmque abſtulit, & reduxit ad primam hominis patriam: Paradiſum dico. Etenim Chriſtus non ſolum ſicut Deus in Paradiſo fuit, ſed & ſecundùm quòd animam rationalem, & mentalem habuit. Et in paradiſo cum mente fuit, in Infernum au-*

Digitized by Google

t m deſcendit cum anima. Hucuſque Theophylactus, cui concinit Euthymius ibidem. Peccat vterque tum in eo, quòd putent, paradiſum promiſſum Latroni indiſtinctum eſſe à Cœlo Empyreo; tum in eo, quòd adſtruant ſtatum Latronis, & Sanctorum in Empyreo cœlo vſque ad reſurrectionis generalis diem abſque viſione intuitiua Dei. Sed de vltimo hoc puncto in exercit. 21. Peccat præterea Theophylactus, dum diuidit Chriſti animam, & mentem, dúmque cum hac tradit fuiſſe in cœlo, deſcendiſſéque cum illa, vt diſtincta in Infernum. P. Salmeron tom. 10. in Euangelia tract. 40. pag. 426. reprehendit Theophylactum, quòd Paradiſi voce interpretetur paradiſum terreſtrem. Sed non videtur interpretari niſi cœleſtem, ſi verborum omnium contextus nos non fallit.

SECTIO VIII.

An Chriſtus ante ſolemnem aſcenſionem in Empyreum aſcenderit occultè in ipſum iam rediuiuus.

117 QVæſtionem hanc propoſuit Marcella S. Hieronymo, vt legimus in epiſtola, quæ incipit, *Magnis nos prouocas quæſtionibus*: & earum extrema erat, *Vtrùm poſt reſurrectionem, quadraginta diebus Dominus cum diſcipulis conuerſatus ſit: & nunquam alibi fuerit; an latenter ad cœlum aſcenderit, atque deſcenderit, & nihilominus Apoſtolis ſuam præſentiã non negarit?* Martinus Cantapretenſis lib. 9. Hypotypoſeon regula 40. ait, S. Hieronymum in hac quæſtione ſudare multùm, multúmq; laborare. Sed profectò Doctor Maximus parum ſudat, parúmque laborat, nam tacens de Chriſto ſecundum Humanitatem, loquitur de ipſo ſecundùm diuinitatem, docétque ſecundùm iſtam vbique extitiſſe; nec ſine cauſa conuertit ſermonem ad diuinitatem, vt contra Brentium aduertit Bellarminus lib. 3. de Incarnatione cap. 18. Nos tamen de Chriſto penes Humanitatem habemus ſermonem. Et quæſtioni reſpondendum eſſe negatiuè oſtendit locus ex Ioanne appoſitus in num. 119. vt omittamus in ſacris Litteris nullam fieri mentionem alterius aſcenſionis, niſi ſolemnis in cœlum. Vnde Euſebius Gallicanus gratis auritus excipiendus non eſt, dum in homilia feriæ 4. poſt Paſcha interpretatur ea Chriſti verba, *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meũ*, in hunc modum, *Ac ſi dicat, noli me manibus tangere, quem nondum fide tetigiſti; Crede, quia ſurrexi, & quia Inferno ſpoliata, iam ſecundùm animam cœlos aſcendi.*

118 Si roges, vbinam extra cœlũ exiſtebat Chriſtus, quando non apparebat Apoſtolis, aut diſcipulis, aut ſanctiſſimæ Matri, quam ſæpiùs, & diutiùs inuiſit, vt reuelatũ eſt S. Thereſæ, refertúrq; in Breuiario verborum, quæ ex Deo audiit? Etenim continuò non apparuiſſe, liberet ex Euangeliis, & ex verbis ipſius Chriſti apud Lucam c. 24. v. 44. vbi ait, *Hæc ſunt verba, quæ loquutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum.* Idest, cum adhuc in vita mortali me vobis præſentem frequenter exhiberem, qua frequentia modò in immortali vita non exhibeo. Petrus Comeſtor cap. 185. Hiſtoriæ Euangelicæ exiſtimat Chriſtum extitiſſe *in extremis partibus maris, id eſt, ſuper ampliſſimos fines orbis.* S. Thomas in 3. diſtinct. 22. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 3. ad 3. S. Anſelmus in Elucidario, Iacobus de Voragine ſermon. 2. in die Paſchæ. S. Bonauentura in Meditationibus vitæ Chriſti cap. 91. ac 97. Viguerius in Inſtitutionibus cap. 14. § 1. verſ. 2. cap. etiam 16. §. 4. verſ. 30. Barradas tomo 4. in Euangelia libr. 8. cap 14. in fine, Tirinus in Act. cap. 1. verſ. 3. Cornelius ibi, Granadus tomo 4. controuerſia 2. tr. 2. Commentario 27. n. 3. Becanus in opuſculis tomo. 1. opuſculo 14. cap. 7. numer. 8. & alij cenſent, extitiſſe in terreſtri & Adamico paradiſo, in quo Sanctorum Patrum animas extractas è ſinu Abrahæ manſiſſe ordinariè vſque ad diem Aſcenſionis cogitant tum ipſi, tum alij allegati in numer. 112. *Animæ enim illæ* (ſic Barradas) *non vagabantur huc, atque illuc: certum ergo habebant locum; nullum autem habere potuerunt digniorem, quàm paradiſum terreſtrem, vbi Elias & Henoch. Vbi autem manebant animæ, ibi & Chriſtus*: cuius præſentia (addiderim ego ex S. Thoma in ſimili puncto 3. part. quæſt. 52. artic. 5. ad 3.) pertinebat ad cumulum gloriæ. Et videtur paradiſus terreſtris maximè accommodus locus habitationi ordinariæ corporis glorioſi Chriſti Domini, interim dum in cœlum non aſcendebat; eadémque eſt ratio de glorioſis corporibus aliorum hominum, ſi alij cum Chriſto reſurrexerunt ad vitam immortalem; de quo in Exercitat. 21.

119 Bartholomæus à Medina in 3. p. quæſt. 55. exponens tertium articulum S. Thomæ iudicat, *Chriſtum in Iudæa prouincia manſiſſe cum beatis animabus, inuiſibilem, & planè diuinam habentem conſuetudinem: ſiquidem animæ ſanctorum inuiſibiles erant, at verò Domini corpus, vt pote glorioſum, latere poterat humanum conſpectum, cum Chriſto placuiſſet.* S. Hildegardis in ſolutione ad quæſt. 20. deſignat locum Chriſto, & animabus in aere. S Brigittæ lib. 6. Reuelationum c. 94. roganti Deiparam de hac re, reſponſum ſic eſt, *Patrum animæ fuerunt in quodam gaudio noto ſolùm Filio meo. Nam vbicumque Filius meus erat, & eſt, ibi erat, & eſt gaudium, & gloria.* S. Thomas in præfato art. ad 2. inquit, *Incognitum eſſe quibus in locis intermedio tempore Chriſtus corporaliter eſſet, cùm hoc Scriptura non tradat, & in omni loco ſit dominatio eius.* Concordant Angelico Præceptori Cantapretenſis ſupra memoratus, Suarez in commmentario illius articuli, Bartholomæus Petrus Lintreſis in Actus Apoſtolorum cap. 1. v. 3. Et quidem incognitum eſt cognitione certa; ſed tamen coniecturali ſatis veriſimile quod de exiſtentia in paradiſo terreſtri, ſi hic extet, relatum eſt ex eodemmet S. Thoma, & aliis.

SECTIO IX.

Fueritne Chriſtus ex hominibus primus Empyrei incola.

120 CAtholica veritas eſt, nullum hominem ante Chriſtum aſcendiſſe ſiue ſecundùm ſolam animam, ſiue ſecundùm animam, & corpus in cœlum, in quod Chriſtus poſt reſurrectionem ſolemniter aſcendit.

Chriſtum fuiſſe primum probatur ex ſacris oraculis.

PRo Catholica hac veritate primum ſacræ Paginæ teſtimonium ſit illud Chriſti effatum, Ioannis

Digitized by Google

Ioannis 3. verſ.13. *Nemo aſcendit in cœlum,niſi qui deſcendit de cœlo,filius hominis, qui eſt in cœlo.* Illud ſic ponderat S.Chryſoſtomus homil. 27. *At quanam hæc conſequentia? Maxima quidem, & iis, quæ modò dicta ſunt, valdè conſentanea. Nam cùm ille dixiſſet, ſcimus; quia à Deo veniſti, Magiſter; hoc ipſo eum corrigit, inſtruitque ac ſi diceret, Noli me, vti cæteros, à terra Prophetas, æſtimare. E cœlo enim huc adſum, quo nemo Prophetarum aſcendit. Ibi ego verſor. Cerne, vt id, quod vel maximum videtur, ſit eius adhuc magnitudine indignum. Non enim in cœlo tantùm eſt, ſed etiam vbique, & implet vniuerſa.* Hucúſque S.Chryſoſtomus, loquutus de Chriſto penes diuinam naturam, vt ipſe ſtatim declarat. Ludolphus Carthuſianus 2.part. vitæ Chriſti c.72. Iacobus de Vitriaco ſerm.1.de Aſcenſione Chriſti, Salmeron tomo 8. de diſputationibus Domini tr.6. Barradas tomo 2. in Euang. lib.4. cap.2 Maldonatus, & complures alij inferunt, conſtare ex hoc Chriſti teſtimonio,antiquosPatres,qui ante ipſum obiere,non aſcendiſſe in cœlum.Notandúmque eſt, in verſione Græca legi, præteriti temporis verbum ἀνaβέβηκεν. quo manet tecta altera veritas Catholica de aſcenſu non prohibito antiquis Patribus poſt, aut ſimul cum Chriſto rediuiuo.

121 Secundum teſtimonium ſit illud Seruatoris dictum apud eundem Ioannem cap.14. verſ.2.& 3. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quominùs dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. Etſi abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos, ad meipſum, vt vbi ſum ego,& vos ſitis.* Colligitur, inquit Maldonatus ex hoc loco neminem ante Chriſtum in cœlum ingreſſum eſſe. Comprobo ex S. Cyrillo deductionem Maldonati: *Cùm multas noſſet* (ita Cyrillus) *apud Deum, & Patrem, præparatas eſſe manſiones, quæ diligentium Deum aduentum præſtolentur, non hac, inquam,de cauſa diſcedam,ſed vt viam vobis faciam, & quaſi inuium iter præparem ad ſupernam illam poſſeſſionem. Inacceſſum namque omnino erat cœlum hominibus: primus autem aſcenſum ad illud nobis Chriſtus præparauit, & modum eò aſcendendi dedit carni noſtræ, cùm à mortuis reſurrexit, & ſeſe Deo, ac Patri ſtitit,ac primus homo in cœlum apparuit. Vnde Cœleſtes Angeli magnum illud Incarnationis myſterium ignorantes, aſcendentem admirati, & nouo, atque inuſitato ſpectaculo tantùm non ſtupore attoniti aiunt, Quis eſt iſte, qui venit de Edom, id eſt, de terra?* Hoc modo vertit ex Græco Noſter Balthaſar Corderius in Catena ſuper Ioannem; & paulò aliter Georgius Trapezuntius ad cap. 31. libri 9. Videatur idem S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. cap.38 lib.12. cap.42. lib. 10. theſauri c.4. lib.2. ad Reginas, versùs finem.

122 Tertium teſtimonium deſumit Maldonatus ex Math.3. verſ.2. vbi Ioannes Baptiſta clamat, *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum.* Appropinquare autem regnum cœlorum dicitur, quia cùm ante clauſum fuiſſet, paulò poſt mortem Chriſti erat aperiendum. Eodem teſtimonio vtitur Suarez tom.2. in 3.part. diſp.42. ſect. 1. illuſtratque ex SS. Chryſoſtomo, & Hieronymo, qui ideo in veteri Teſtamento non fieri expreſſam mentionem regni cœleſtis aiunt, *quia antequam Chriſtus aperiret ianuam regni, omnes animæ iuſtæ detinebantur in Inferno; & quia ſanguis Chriſti clauis eſt paradiſi; terram enim viuentium, quam primus Adam perdidit, ſecundus inuenit; imò ab illo perditam iſte reſtituit:* Addit Maldonatus, dictum à bono Latrone Lucæ 23. verſ.42. *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, quaſi nondum vtique veniſſet Chriſtus, quà homo in cœlum, neque ante eum quiſquam ingredi poſſet. Addit vlteriùs in Verbis Chriſti Math. 26. verſ. 29. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum nouum in regno Patris mei: non aliud ſignificari, quàm regnum Dei ſua morte, reſurrectionéque patefactum.*

123 Quartum extat in epiſtola ad Hebræos c.9. verſ.8. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* Ita S. Paulus, cuius mentem exprimit S.Ambroſius hiſce verbis, *Propterea dicit, hæc ita conſtructa ſunt, vt diſceremus, quia Sancta Sanctorum, hoc eſt, cœlum, quod inacceſſibile mortalibus ſoleret eſſe, iam adiri poſſet.* Similia habent S.Chryſoſtomus, S.Anſelmus, Primaſius, Oecumenius, & Theophylactus legendi apud Benedictum Iuſtinianum. Et S.Thomas inquit, *Durante veteri Teſtamento, via Sanctorum, ſcilicet Chriſtus qui dicit Ioannis 14. Ego ſum via, nondum venerat, ipſe enim eſt oſtium,per quod patet introitus in Sancta Sanctorum, Ioannis 10. Ego ſum oſtium.*

124 Quintum exhibetur nobis ab eodem Apoſtolo in cap.10. verſ. 19. & 20. præcitatæ epiſtolæ, *Habentes itaque fratres*(ſcribit Apoſtolus) *fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt,carnem ſuam.* Qui locus explicatur à S.Chryſoſtomo in hunc modum; *Quid hic dicit introitum? Cœlum,& progreſſum ad ſpiritualia. Quam initiauit, hoc eſt, quam conſtruxit, & à qua incœpit. Initiatio enim, ſeu dedicatio eſt de cætero initium vſus. Quam conſtruxit*, inquit, *& per quam ipſe ingreſſus eſt, Viam nouam, & viuentem, hic oſtendit ſpei plenitudinem. Recentem*, inquit; *contendit oſtendere, nos omnia habuiſſe maiora, ſiquidem nunc aperta ſunt portæ cœlorum, quod nec Abrahami quidem tempore contigit. Nam prima via erat mortis, ducens ad Inferos: hæc autem vitæ.* Eadem propè habent Theophylactus, Primaſius, & reliqui Patres interpretantes iſtum locum. Omitto ex eadem epiſtola c.9. verſ.15. cap.11. verſ.13. 19. ac 40.alia verba, quia ex eis magis directè probatur, antiquos Patres non comparaſſe viſionem beatam ante mortem Chriſti, ſed extremorum verborum occaſione, inquit de antiquis Patribus Primaſius, *Nunc quieſcunt in anima, in beatitudine regni cœleſtis, ineffabili lætitia perfruentes.* In Exercit.2. tranſcripſi præclaram Procopij explicationem ad alia eiuſdem epiſtolæ verba cap.6. verſ.20. vbi dicitur, *IESVS præcurſor, pro nobis introiſſe in interiora velaminis.*

125 Sextum accipitur ex varijs locis ſacræ Scripturæ. Nam Geneſis 37.verſ 35. ait Iacob: *Deſcendam ad filium meum lugens in Infernum*: Quia nimirùm putabat S.Patriarcha, animas piorum tunc temporis deſcendere in Inferos.lib.1. Regum c.28. verſ.13. & 14. S. Propheta Samuel iam defunctus viſus eſt aſcendens, & de terra, de qua iuxta Eccleſiaſticum cap.46. v. vltimo,exaltauit vocem ſuam. Lucæ c.16. verſ.22. refertur emortuum Lazarum, virum iuſtum portatū fuiſſe ab Angelis in Sinum Abrahæ,qui Sinus erat in Inferis,Cùm enim Diues & iniuſtus Nineuſis eſſet in Inferno,& in tormentis, vidit à longè Lazarum in eo Sinu, & audiuit, inter loca ipſorum magnum eſſe hiatum: ex quo apparet, vt notat Bellarminus lib. 4. de Chriſti anima cap.11. nihil ſolidi fuiſſe interiectum inter locum damnatorum, & Sinum Abrahæ; ſed vtraſque animas in eadem voragine fuiſſe, licèt multùm

Digitized by Google

inter ſe diſtantes. Notatum id iam fuerat tum à S. Auguſtino lib. 20. de ciuitate Dei cap. 15. *Si enim non abſurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud Inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret, profectò deinceps boni fideles effuſſo illo pretio iam redempti prorſus Inferos neſciunt.* Tum à S. Petro Chryſologo in ſerm. 56. *Dicendo ſic, tam iuſtos, quàm iniuſtos ante aduentum Domini apud Inferos fuiſſe declarat, & diſcretos locis tantùm, non regionibus aperit fuiſſe diuiſos. Poſtquàm verò Dominus reſurgens à mortuis aperuit Infernum, pateſecit cœlos, Paradiſi clauſtra reſerauit, dedit Sanctis paradiſi intrare requiem, ad cœli gloriam peruenire. Iſta qui ſic credit, intelligit, quid mortalibus veniens donauerit Chriſtus.* Rurſus in ſerm. 123. proſequitur latiùs eandem animaduerſionem his verbis, *Videtis, fratres, intelligitis fratres, quia iuſtos ex his, quæ dicta ſunt, etſi diſcretio locorum, vna tamen, & Inferni adhuc regio continebat; atque eos etſi chaos iam magnum, nondum tamen cœleſtis habitatio ſeparabat, & ſi diuidebat illos hiatus triſtis, nondum tamen deputata ſuperiùs Angelis altitudo. Flammea romphæa, (ſicut Legiſlator refert, Paradiſi voluebatur in ianua, ne illuc homini pateret acceſſus: æreis ianuis, & ferreis vectibus portæ Inferi obſeratæ claudebantur, ne animabus, quæ illuc iactatæ fuerant de ſupernis, vllus pateret egreſſus. Nam & chirographum paterni debiti, quod morti ſingulos addiciebat, ſtilo culpæ, & reatus ipſius atramento tenebatur adſcriptum, & ad ſobolis noxam multa temporum currebat vſura, nec erat idoneus, qui paradiſum introiret, flammam extingueret diuinitus inſtitutam, aut aperiret ianuas Inferni calitus obſeratas, aut ſolueret chirographum, quod in arca legali Dei præcepto tenebatur incluſum. Hinc eſt, quòd ipſe Dominus primi hominis, id eſt, contumacis ſerui exultator aduenit; ipſe Dominus, qui obſerauit paradiſum, qui clauſit Infernum, ad terras, & Inferos tota poteſtate deſcendit, vt accenſa extingueret, clauſa protinus aperiret, Protoplaſti facinus aboleret. Hinc eſt, quòd arietem ſuæ crucis portat aggreſſurus Infernum, vt conterat, & confringat ipſas Tartari ianuas ære munitas, & ferro. De latere fundit aquam, vt paradiſi viam temperet, ignem ex parte Sanctorum extinguat, Inferni totum chirographum debiti diluat, & ſoluat antiquum: & patiendo hoc remittat ipſe, quod ipſe intulit importando. Agnoſcite fratres, lætamini fratres, poſt triumphum Chriſti, Sanctorum cuſtodiam diſſolutam, & in Sanctos vltra Inferni nihil deberi: quando Chriſtus, vt iuſtos, non iniuſtos, abſolueret, ad Inferos vſque penetrauit. Intelligamus fratres, quantum Chriſtus profuerit, imò quàm ſine Chriſto in nullo fuerit ſalus, cùm præter iſtam corporum ſolutionem, Sanctorum quoque animæ apud Inferos tenebantur adſtrictæ.* Hactenus Archiepiſcopus Rauennas, aureè quidem, & eloquentiſſimè. Luttientur oculis homilia S. Ioannis Chryſoſtomi de SS. Berenice, Proſdoce, & Domnina; homilia etiam 4. in Marcum, nec non ſermo 1. de conſolatione mortuorum cap. 4. inter opera S. Auguſtini. Item ſermo geminus Euſebij Gallicani in feria 5. poſt ſecundam Dominicam Quadrageſimæ, atque in Reſurrectionis die, Philippus Presbyter lib. 1. in Iob cap. 10. lib. 2 c. 31. S. Hieronymus in epiſt. ad Heliodorum.

126 Septimum petendum eſt ex variis etiam locis veteris, ac noui Teſtamenti, ex quibus conſtat Chriſti animam deſcendiſſe ad Inferos, vt Sanctorum *animas, quæ illic tenebantur, erueret*, quemadmodùm profitentur Patres Concilij quarti Toletani cap. 1. & agnoſcit Eccleſia Romana in hymnis de tempore Paſchali, & in alio *ad Laudes* pro Aſcenſionis feſto. Hanc piorum liberationem prædixerant multo ante Oſeas, & Zacharias, dum apud primum inquit Chriſtus, *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero, Inferne*, cap. 13. v. 14. & dum ſecundus alloquitur ipſum Chriſtum, vel potiùs Deus ſic: *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua Conuertimini*, (addit ſtatim,) *ad munitionem vincti ſpei*. cap. 9. v. 11. ac 12. S. Hieronymus interpretatur priora verba hunc in modum, *liberauit omnes Dominus, & redemit in paſſione Crucis, & effuſione ſanguinis ſui, quando anima eius deſcendit in Infernum, & caro eius non vidit corruptionem, & ad ipſam mortem, atque Infernum loquutus eſt, Ero mors tua, &c.* Conſonat S. Ambroſius in lib. de myſterio Paſchæ cap. 4. Ipſe S. Hieronymus poſteriora verba hoc pacto declarat, *In ſanguine paſſionis tuæ eos, qui vincti in carcere tenebantur Inferni, in quo non eſt vlla miſericordia, tua clementia liberaſti. Denique poſtquàm Dominus reſurrexit, hi, qui peccatis Adam, ſiue, vt quidam volunt, erroris inoliti, ac mortis vinculis tenebantur, reſurrexerunt cum eo, & apparuerunt in ſancta ciuitate.... Rurſúmque ad ipſos, qui vincti erant, & Chriſti miſericordia liberandi ſermo dirigitur. Conuertimini ad munitionem vincti ſpei. Et eſt ſenſus, qui nunc vincti eſtis, & immiti, atque terribili Inferno tenemini, qui ſolutionem vinculorum in Chriſti ſperatis aduentu, conuertimini ad munitionem, ſiue ſedebitis in munitione, de qua ſcriptum eſt, Munimentum Sancti timor Domini, vt poſſitis dicere, Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias; & de vobis quoque Propheta commemoret, Ecce ciuitas firma, & ſalutare noſtrum ponet murum, & antemurale. Hanc autem munitionem, ad quam Deus cohortatur vinctos ſpei, ſiue vinctos ſperantes Eccleſia, non aliam debemus accipere niſi habitationem paradiſi, in quam primus cum Domino Latro ingreſſus eſt. Et idcirco per Zachariam prouocantur ad munitionem, quia iam tunc, & ex illo tempore Dominus promittebat, vt pro breui tribulatione æterna reciperent præmia.* Ita S. Hieronymus cui colludit Rupertus. Animaduerti iam in n. 103 qua ratione intelligendum ſit in habitationem paradiſi primum cum Domino Latronem ingreſſum fuiſſe, vt in appoſitis verbis habet S. Hieronymus, & inter opera ipſius Author incertus explanans Pſalmum 117. Eandem piorum liberationem ſignificauit S. Paulus ad Coloſ. 2. v. 15. dum de Chriſto ait; *Exſpolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo*: dumque ad Epheſios 4. v. 8. ſcribit de illo, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* In quæ vltima verba ſic S. Ambroſ. *Exſpoliauit Inferos, cùm captiuos, quos ex præuaricatione Adæ, aut propriis captos peccatis in conditione tenebant, abſtulit conſentientes ſibi, & aſcendens inde in cœlos induxit.... Quamuis captiui inuiti, & alieni ducantur, Saluator tamen & ſuos duxit, & voluntarios. Apparentia enim ſua dum laceſſit deſiderantes, cepiſſe illos dicitur.* S. Hieronymus ibidem, *Quos Diabolus captiuos tenebat ad mortem, Chriſtus captiuauit ad vitam: ad caput noſtrum in cœleſtibus collocandum.* Et iterùm, *Inferiora terræ Infernus accipitur, ad quem Dominus noſter, Saluatórque deſcendit, vt Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cœlos victor abduceret.* Item in Pſalm. 67. v. 19. *Aſcendiſti in cœlos, captiuaſti nos, qui captiui tenebamur à Diabolo. Qui quondam in Sinai deſcendens populo legem*

diſtribuit

diſtribuit, ipſe nunc in Sancto, id eſt, in aſſumpto homine.... Cœlorum excelſa conſcendens, eos, qui in captiuitate Diaboli tenebantur, abſoluit, ac poſt ſe tanquam captiuos deductos æternæ vitæ reſtituit. Sic & carnem aſſumptam quaſi captiuam euexit ad ſydera. Videantur S. Anſelmus in verba illa ad Epheſios, & præterea lib. 2. Cur Deus homo, cap. 16. S. Nazianzen orat. 3. de Theologia, Ruffin. in Pſalm. 29. v. 4. Chriſtianus Druthmarus, in expoſitione Paſſionis Dominicæ, Dorothæus Abbas doctrina 22. in fine, Ferrandus Diaconus in Parænetico ad Reginum regula 4. Philippus Abbas c. 35. de ſilentio Cleric. Eandem denique abſolutionem piorum à carcere Inferni denotauit S. Petrus in epiſt. 1. c. 3. à v. 18. & c. 4. v. 6. vt doctiſſimè inducunt Salmeron tom. vlt. diſp. 6. in 1. Petri. Bellarmin. lib. 4. de Chriſti anima c. 13 Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 43. ſect. 3. Ego ſolummodò afferam quædam S. Ambr. verba ſuper epiſt. ad Romanos c. 10. in quibus explicans verſ. 6. & 7. *Quis aſcendit in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere. Aut quis deſcendit in Abyſſum? id eſt, Chriſtum à mortuis reuocare*, ſic fatur, *Iuſtitiam hanc dicit eſſe fidei, ſi non dubitetur de ſpe Dei, quæ in Chriſto eſt, ne diffidens dicat. Quis potuit aſcendere in cœlum? Quia ideo paſſus eſt, vt exſpoliatis Inferis virtute Patris, deuicta morte reſurgens, cum animabus ereptis in cœlum aſcenderet. Omnis enim quicunque viſo Saluatore apud Inferos ſperauit de illo ſalutem, liberatus eſt, Petro Apoſtolo hoc teſtante. Dicit enim, quia & mortuis prædicatus eſt, &c.* En Chriſti in Inferis prædicationem, de qua S. Petrus, eò directam iuxta S. Ambroſium, vt anima Chriſti intimaret Sanctis animabus ibi commorantibus dimiſſionem ab eo loco, & aſcenſionem in cœlum.

127 Bellarminus ſuprà cap. 14. Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 4. punct. 2. Franciſcus Feuardentius lib. 3. Appendicis aduersùs hæreſes in 9. texunt multorum Patrum catenam pro vero deſcenſu animæ Chriſti ad inferos: inter quos Patres vix vllus eſt, qui talis deſcenſus expreſsè non aſſignet eum finem, vt ſcilicet ab inferis tertio die educeret Sanctorum animas. Ego eos Patres collegi, qui non ſolùm id dicunt, ſed & quadrageſimo die poſt reſumptum corpus euexiſſe illas ſecum in cœlum. Sed prætermittendus non eſt S. Gregorius Magnus lib. 13. Moralium cap. 20. dicens, *Ecce quia Authoris noſtri gratia redempti ſumus, hoc iam cœleſtis muneris habemus, vt cum à carnis noſtræ habitatione ſubtrahimur, mox ad cœleſtia præmia ducamur, quia dum conditor, ac redemptor noſter clauſtra inferni penetrans, electorum exinde animas reduxit, nos illo ire non patitur, vnde iam alios deſcendendo liberauit. Hi verò, qui ante eius aduentum in hunc mundum venerunt, quantamlibet iuſtitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in ſinu cœleſtis patriæ ſtatim recipi nullo modo poterant, quia necdum ille venerat, qui inferni clauſtra ſua deſcenſione ſolueret, & Iuſtorum animas in perpetua iam ſede collocaret.* Germana ſunt quæ ſcripſerat lib. 4. c. 32. lib. 12. c. 7. & in Pſalm. 3. Pœnitentialem v. vltimo, inquit, *Nullus hominum in cœlum aſcenderet, niſi Filius Dei pro ſalute noſtra carnem ſumpſiſſet.* Et iam ſatis de teſtimoniis Scripturæ ſanctæ; & alia repetiuntur in ſect. 1. exerc. 21.

Probationes ex authoritatibus Eccleſiaſticis.

128 IPſamet Catholica veritas traditur ab Innocentio III. Pontifice Maximo in c. *Maiores*, de Baptiſmo, & eius effectu: docet namque, *Etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam peruenitur, cuius ianuam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſerauit.* Benedictus Papa nominis huius XII. in Extrauaganti tranſcribenda n. 23. exercit. 21. ſupponit eandem aſſertionem, quam repetit Eccleſia in hymno SS. Ambroſij, & Auguſtini, dum canit, *Tu deuicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna cœlorum.* Proponitur à Gennadio inter dogmata Eccleſiaſtica, *Ante paſſionem Domini omnes animæ Sanctorum in inferno ſub debito præuaricationis Adæ tenebantur, donec authoritate Domini per indebitam eius mortem à ſeruili conditione liberarentur.* Ita in dogmate 78. Explicatur extensè à Catechiſmo Romano p. 1. c. & n. 6. Concordant Eccleſiæ Patres, vt viſum eſt in præcedentibus. & ex ſequentibus ampliùs conſtabit. Interim obſeruatione indignum non eſt, Patrum indignationem incurriſſe Pelagium, quòd inter alia dixerit, *Regnum cœlorum etiam in veteri Teſtamento promiſſum.* Teſtes ſunt S. Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij c. 5. 11. 33. 35. & in epiſt. 95. S. Hieronymus lib. 1. aduersùs Pelagianos, S. Proſper carmine contra ingratos cap. 9. Percipiendas autem de cœlo Empyreo, ſi huius exiſtentia admittatur, authoritates allatas, nemo negabit.

Probationes ex rationibus.

129 HVius veritatis à priori aſſignari nulla alia ratio poteſt, quàm quæ deſumitur exinde, quòd Deus noluerit hominibus patere aditum in cœlum Empyreum, vſque dum Chriſtus Deus ſimul, & homo; Princeps, capútque ipſorum plenè ſatisfaceret pro originali culpa, intraretque illud cœlum. Et quidem ſicut non immeritò Adamus, poſterique eius iuſtiſſimè in pœnam peccati è paradiſo terreſtri ſunt excluſi; ita etiam à cœleſtis ingreſſu ſunt impediti; imò in excluſione à Paradiſo terreſtri ſignificabatur impeditio à cœleſti. Licèt autem potuerit Deus ob ſatisfactionem, & merita Chriſti præuiſa aperire antiquis Iuſtis ianuam Empyrei, vti contulit gratiam, remiſítque reatum culpæ, ac pœnæ æternæ prouenientem ex peccato originali; tamen ſatis conſentaneè decreuit non aperire antequam in re fuiſſet exhibita paſsio Chriſti, & ipſe Chriſtus poſſeſſioné caperet Empyrei; quippe magis decens videbatur id, quàm ſi Princeps, & caput Chriſtus ingrederetur regnum cœleſte poſt ſubditos, & membra, quibus per peccatum fuerat occluſum. Confirmatur, quia Deo intuitiuè permanenter videndo locus præcipuè deſtinatus, eſt Empyreum. Cùm ergo nullus homo, qui ante Chriſtum exceſſerit è mortalibus, viderit Deum intuitiuè permanenter ſiue in corpore, ſiue extra corpus, vt fatentur vel ipſi Hæretici, qui deuiarunt à veritate Catholica, quam ſtabilire conamur, ſequitur, nullum ante Chriſtum extitiſſe in Empyreo, ſiue penes corpus, & animam, ſiue penes ſolam animam.

130 Eſt & ad aliud principium, vnde deducamus, ante Chriſtum nulli hominum in corpore ſimul, & anima paruiſſe Empyreum. Nam ſi patuit, maximè in corpore immortali, & glorificato, cùm Empyreum non ſit locus permanens corporis humani, niſi immortalis iam, & glorificati. Si immortale iam, & glorificatum; Rogo, an reſurrexit tale corpus humanum, vel non reſurrexit,

ſed quin mortem ſubierit, trăſlatum eſt Empyreum, & in vitam immortalem, ac glorioſam? Non primum, nam ante Chriſtum nullus hominum reſurrexit ad vitam immortalem, & glorioſam, vt de fide videri, & eſſe affirmant Suarez ac Granadus 3. p. q. 53. in comment. ad art. 3. eo quòd Paulus in priori ad Corint. cap. 15. à v. 20. dicat, *Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus; deinde ij, qui ſunt Chriſti.* Apponam alia ſacræ Scripturæ teſtimonia pro hac Chriſti præcellentia in n. 49. Exercit. 22.

131 Hinc Patres cenſentes, corpora Sanctorum, de quibus Matthæus cap. 27. ſuſcitata ad immortalem vitam, admonent non reſurrexiſſe ante Chriſtum, ſed poſt, aut ſimul. Hinc S. Auguſtinus in Expoſitione quarundam propoſitionum ex epiſtola ad Romanos pronuntiauit, *Reſurrectio mortuorum, vt iam non moriantur, ante Chriſtum nulla.* Et apud ipſum S. Auguſtinum in libr. 18. de ciuitate Dei c. 23. & in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arianos cecinit de Chriſto Sybilla, *Primus reſurrectionis initium reuocatus oſtendet.* Iſaac in lib. fidei ait, *Nullus ex mortuis reſurrexit ad immortalitatem, niſi ipſe primus, & exemplum reſurrectionis omnibus ſequentibus dedit.* Beatus Explanatione in Apocalypſim cap. 1. verſ. 5. inquit, Chriſtum vocari *Primogenitum mortuorum, quia primitus reſurrexit à mortuis, dum eum mors tenere non potuit. Vnde & Apoſtolus dicit, Primitiæ Chriſtus, deinde hi, qui ſunt Chriſti in præſentia eius; ideſt, deinde nos, qui Chriſtiani ſumus per Baptiſmum nuncupati, in ſecundo eius aduentu reuiuiſcentes a morte conſurgemus. Et ideò primogenitus dicitur, & primitiæ mortuorum, quia primus ipſa deuictis hoſtibus repedauit ad cælos.* Idiota in Pſalm. 15. verſ. 10. inquit, *Chriſtus fuit primus, qui intrauit paradiſum, & nobis vitam aperuit. Fuit primus, qui reſurrexit.* S. Damaſcenus in Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat ſcribit, *Quin ipſe quoque Dominus perfectam, nec iam morti ſubiectam reſurrectionem auſpicatus eſt; quippe qui morte in carne deguſtata triduo pòſt ad vitam rediit, ac mortuorum primogenitus effectus eſt. Quanquam enim alij quoque à morte ad vitam excitati ſint, morte tamen rurſus functi ſunt, nec futuræ veræ reſurrectionis imaginem exhibere potuerunt: Solus autem ipſe reſurrectionis illius author, ac princeps extitit, vt qui immortali reſurrectione ad vitam redierit.* Procopius Gazæus in cap. 1. Geneſis v. 26. Chriſtum *nominat Paulus imaginem Dei inconſpicui, vt qui vniuerſæ naturæ demonſtret primogenitum totius creaturæ, qui primus interueniente reſurrectione in nouam venerit vitam.* Legatur S. Ambroſius in n. 3. Exercit. illius 22. S. Methodius apud Photium in bibliotheca, cod. 234. col. 926. & alij Patres referentur in ſectionibus ſequentibus.

132 Non ſecundum, quia nullus hominum immortalem, & glorioſam corporis vitam aſſequitur, niſi priùs moriatur, & reſurgat, vt ſuadet locus proximè adductus ex S. Paulo ad Corint. & in v. 36. Apoſtolus inquit, *Inſipiens, tu quod ſeminas, non viuificatur niſi prius moriatur.* Et v. 42. *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, &c.* Prætereà mortem eſſe generalem originalis culpæ pœnam, traditur à Moyſe Geneſis 3. verſ. 19. à S. Paulo tum in verbis exaratis, tum ad Romanos 5. verſ. 12. tum ad Hebræos 9. verſ. 27. tandémque à Pſalte Regio in Pſal. 88. v. 49. Quòd ſi Chriſtus, & eius ſanctiſſima Mater, etſi immunes ab originali culpa, mortem obierunt, & ita intrarunt in gloriam; nihilo ſecius putandum eſt de quouis alio homine, præſertim cum quiuis alius contraxerit culpam illam; cuius de cauſa eſt inflicta mortis pœna. Et quamuis aliqui Patres excipiant à generali mortis pœna eos iuſtos, qui imminente extremo Iudicio ſuperſtites fuerint; idque propter verba Pauli in 1. ad Theſſal. c. 14. à v. 15. tamen, vt alij excipiantur, nullum adeſt fundamentum in diuinis Litteris, neque Patres excipiunt alios; quicquid ſit de probabilitate exceptionis memoratæ, de qua conſule Suarium tom. 2. in 3. p. diſp. 50. ſect. 2. Granadum 2. p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis, diſp. 3. tractatus 2. Duuallium tractat. de iiſdem Nouiſſimis quæſt. 1. art. 2. q. 3. art. 8. Baſilium Legionenſem part. 1. variarum quæſt. 10. Scolaſtica, Antonium Perez Benedictinum in Laurea Salmantina, certamine 10. expoſitiuo.

SECTIO X.

Expeditur obiectio petita ex tranſlatione Henochi, & Eliæ.

133 Contra veritatem ſectionis præcedẽtis faceſſunt negotiũ obiectiones nõnullæ, ad quas extricãdas accedo eò libentiùs, quò ab aliis Scriptoribus non adeò pro dignitate euiſcerantur. Opponitur itaque dici de Henoch. c. 5. Geneſis v. 24. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et cap. 4. Sapientiæ v. 10. *Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores, tranſlatus eſt.* Et cap. 11. epiſt. ad Hebræos v. 5. *Fide Henoch tranſlatus eſt. In paradiſum quidem*, vt addit Eccleſiaſticus cap. 44. v. 16. Per paradiſum verò intelligi videtur Empyreum, ſecundùm illud Apocal. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei:* necnon iuxta illud Pauli ad Corint. 2. c. 12. v. 4. *Quoniam raptus eſt in paradiſum.* Quo in loco Patres, & Biblici Interpretes frequenter explicant raptum Apoſtolum ad ſecretiorem aliquam Empyrei partem. Nec raptui Henochi ad paradiſum terreſtrem congruit, quod dicitur c. 49. Eccleſiaſtici v. 16. *Nam & ipſe receptus eſt à terra.* Rurſus opponitur aſſeri de Elia lib. 4. Regum c. 2. v. 12. *Aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Et lib. 1. Machabæorum c. 2. v. 58. *Elias dum zelat Zelum legis, receptus eſt in cælum.* Aſt quod in cælum, niſi Empyreum?

134 Et ita ſentire videntur nonnulli veteres Scriptores Eccleſiaſtici. Victorinus Rhetor Maſſilienſis lib. 2. in Geneſim canit de Henoch,

Redditus in ſedes patrias, orbémque beatum
Viuit adhuc, & habet vita iam regna futura.

Dorothæus in ſynopſi de vita, & morte Prophetarum ſcripſit de Elia; *Primus ex hominibus, qui hominibus curſum ad cælos ſubminiſtrauit. Primus ex hominibus vnam Angelorum, & hominum viam oſtendit, qui fuerat terræ ſortitus domicilium, cælum quoque ſubitò penetrauit; qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuerſatur; qui humi incedebat inſtar ſpiritus cum Angelis in cælis degit.* S. Paulinus precatione ad Deum matutina, quæ inter carmina etiam Auſonij Galli legitur,

Pande viam, quà me poſt vincula corporis ægri
In ſublime feram, puri quà lactea cæli

Semita

Digitized by Google

Semita ventoſæ ſuperat vaga limina Lunæ;
Qua proceres abiere pij, quáque integer olim
Elias, & ſolido cum corpore prauius Henoch.

S. Hieronymus in cap. 9. Amos verſ. 6. ait, *Dominus Deus omnipotens, qui reſpicit, ſiue tangit terram, & commouet eam, ipſe eſt, qui quotidie ædificat in cælo aſcenſionem ſuam; & dicit in Euangelio, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor; & non ſolùm de coſta Adam in typum Eccleſiæ ſemel ædificauit Euam; ſed quotidie credentes, & membra corporis ſui ædificat, & de terris ad cælum leuat, vt in illis ipſe conſcendat. Aſcendit Dominus in cælum cum Henoch, aſcendit cum Elia::: Aſcendit cum Paulo, qui vas electionis in Apoſtolum de perſecutore mutatus eſt, & de humilibus raptus in ſublimia, itavt aſcenderet in cælum tertium, & per Spiritum ſanctum, & filium perueniret ad Patrem, & audiret verba ineffabilia, myſteria Trinitatis, quæ hominibus audire non licitum eſt. Iſte ergo, qui quotidie aſcendit in ſanctis, faſciculum ſuum fundauit ſuper terram, &c.* Et anteà in verſ. 2. dixerat, *Henoch, & Elias rapti cum corporibus in cælum, Dei reguntur arbitrio.* vbi contraponit Cœlum Inferno. S. Ambroſius in ſermon. 84. *Sed nec populorum opinionem poſſumus reprobare, qui vnum de Prophetis Dominum exiſtimabant. Nam ideò nonnulli, veluti Eliam, Saluatorem forſitan putauerunt, quia ad cælos Elias ſicut Saluator aſcendit. Sed non ſicut Elias Chriſtus eſt: Ille enim ad cælos rapitur, iſte egreditur: Ille tanquam infirmus ignea quadriga ſubuehitur, hic tanquam Deus propria virtute portatur: Ille ſicut homo ducitur; hic ſicut Saluator aſcendit: Ille ducentes ſequitur Angelos; comitantes ſibi Angelos iſte præcedit. Denique ijdem Angeli remeantes in terram à Domino Saluatore dixerunt ad Apoſtolos, Viri Galilæi, &c.* lib. 7. epiſt. 38. ad Horantianum, *Elias in terris vicit, & in cælo triumphauit.* S. Chryſoſtomus ſerm. de Elia, ſic Deum alloquentem inducit, *Tranſi in cælos ô Elia::: Impeccabiles contubernales poſt hac habiturus es. Inter Angelorum choros habitare te faciam.* S. Petrus Chryſologus ſerm. 43. inquit, *Elias neſcit mortem, relinquit terras, cælos intrat, commoratur cum Angelis, conuiuit Deo, & terrenus hoſpes ſupernas poſſidet manſiones.*

135 Tandem Fauſtus Manichæus tribuebat Catholicis, quòd crederent, *Henochum, Moyſem, & Eliam eſſe immortales, & raptos cum corporibus ſuis in cælum.* Ita apud S. Auguſtinum in cap. 1. lib. 26. contra ipſum Fauſtum. Michaël Pſellus, in Chaldaïca oracula tradit, Henochum, & Eliam *tranſlatos de hac vita in longè diuiniorem conditionem; conſequutos eſſe locum quidem corporeum, ſed æthereum,* vel cœleſtem. Procopius Gazæus ad cap. 5. Geneſis vult, eos in æterna tabernacula receptos. Et Auguſtinus Steuchus annotationibus in 2. Geneſis arbitratur, ſi Henoch, & Elias cum corpore aſſumpti ſunt, *eos ibi poſitos vbi & Ieſus cum corpore verſatur.* Additque, *neque verò propter corpus in hunc paradiſum* (terreſtrem ſcilicet, quem extare negat) *erant transferendi, cum glorificata corpora aliam recipiant naturam: quod & in Ieſu Chriſti corpore accidiſſe didicimus.* Procopio, & Steucho conniuere Catharinum in opuſculo de conſummata gloria Chriſti teſtantur Suarez diſp. 55. ſect. 1. Viegas in c. 11. Apocalypſis Commentario 5. ſect. 4. num. 2. Cæterùm in eo opuſculo nihil tale lego, quin potiùs iſthæc in alio opuſculo de vniuerſali omniũ morte: *quod verò quidam putant, eos* (nimirum Henoch, & Eliam) *potiri perfecta gloria etiam in corpore, concedendum non eſt.* Tutiùs citari poſſunt Theodorus Heracleſtes, & Apollinarius apud S. Hieronymum in epiſt. ad Minerium, & Alexandrum, quæ incipit, *In ipſo iam profectionis articulo.* Nam primus ſic loquutus eſt, teſte Doctore Maximo: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Henoch enim, & Elias mortis neceſſitate ſuperata, ita vt erant in corporibus de terrena conuerſatione ad cæleſtia regna tranſlati ſunt. Vnde & Sancti, qui die conſummationis, atque Iudicij in corporibus reperiendi ſunt cum aliis Sanctis, qui ex mortuis reſurrecturi ſunt, rapientur in nubibus obuiam Chriſto in aëra, & non guſtabunt mortem, eruntque ſemper cum Domino grauiſſima mortis neceſſitate calcata.* Secundus licèt aliis verbis, eadem, quæ Theodorus, aſſeruit; *quoſdam non eſſe morituros, & de præſenti vita rapiendos in futuram, vt mutatis, glorificatiſque corporibus ſint cum Chriſto. Quod nunc de Henoch, & Elia credimus.*

136 His non obſtantibus, certum eſſe debet, Henochum, & Eliam non aſcendiſſe in Empyreum. Ita de vtroque S. Thomas 3. part. quæſt. 49. art. 5. ad 2. De Henocho Bellarminus lib. de gratia primi hominis cap. 12. in fine. Et de Elia Naclantus in medulla Scripturæ pag. 188. Angles in 1. diſt. 17. quæſt. 2. difficultate 4. propoſitione 3. Rua tom. 1. controu. 3. poſitiua pag. 367. Bartholomæus Sybilla in ſpeculo peregrinarum quæſtionum cap. 3. decadis 1. quæſt. 3. Michaël Muñoz in Eliæ propugnaculo lib. 3. cap. 2. art. 4. titulo 1. Banadas, aliique ſuprà, S. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 1. inquit de vtroque, *Tranſlatus erat Henoch, raptus Elias: ſed non eſt ſeruus ſupra Dominum. Nullus enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo.* Et paulò poſt, *Tranſlatus ergo Henoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cũ corpore, ſed non poſt reſurrectionem, non cum manubiis mortis, & triumpho Crucis viderãt illos Angeli. Et ideo Dominum omnium primum ac ſolum de morte triumphantem venire cernentes, illis portas Principibus imperitabant.* Scripſerat antea, *debuit nouo victori* (Chriſto) *nouum iter parari. Semper enim victor, & præceſſor æſtimatur. Sed quia æternæ ſunt Iuſtitiæ portæ, eadem noui, & veteris teſtamenti, quibus cælum aperitur, non mutantur vtique, ſed eleuantur, quia non vnus homo, ſed totus in omnium Redemptore mundus intrabat.* Origenes exponens Pſalmum 15. ait de Chriſto, *Cuius primò caro requieuit in ſpe. Crucifixus enim primogenitus ex mortuis factus, poſt reſurrectionem aſſumptus in cælum, ſecum terrenum corpus euexit, itavt terrerentur, & obſtupeſcerent cæleſtes virtutes videntes carnem aſcendiſſe in cælum. De Elia enim ſcriptum eſt quia quaſi in cælum aſſumptus eſt; & de Henoch, quia tranſlatus eſt: non tamen dictum eſt, quia aſcendit in cælum. Offendatur qui vult ex noſtro ſermone. Ego autem cum omni fiducia aſſeuero, quia ſicut primogenitus ex mortuis eſt Chriſtus, ita primus carnem euexit ad cælum. Denique nouitate ipſa perterrentur cæleſtes virtutes, quia quod nunquam viderant ante, nunc videbant, carnem aſcendiſſe in cælum.* Sic Origenes in Apologia Pamphyli, ſeu potiùs Euſebij Cæſarienſis pro ipſo. S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 14. poſtquam ab exemplo tranſlationis Henoch, & raptus Eliæ probauit aſcenſionem Chriſti, ſubdit, *Et cum ſic contra Iudæos pugnabis, cum ex ſimilitudinibus illos conuiceris, tunc veni ad excellentiam gloriæ Saluatoris, quòd illi quidem ſerui, hic autem filius Dei; atque illius excellentiæ memineris, intelligens, quòd Paulus Chriſti ſeruus in tertiũ cælũ raptus eſt. Si enim Elias ad primũ vſque peruenerat cælũ, Paulus vſque ad tertiũ, excellentiorẽ ſanè aſſequutus eſt dignitatem:*

Non

Non pudeat te Apoſtolorum: non ſunt Moyſe deteriores, neque Prophetis inferiores, ſed boni cum bonis, & bonis meliores. Elias enim aſſumptus eſt in cælum, & Petrus habet claues regni cælorum, cum audiret, & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Elias in cælum tantùm, Paulus autem & in paradiſum raptus eſt. Decebat enim Chriſti diſcipulos ampliorem gratiam capere.

137 Traductum Henochum in paradiſum terreſtrem, & in eo nunc exiſtere, communis eſt Patrum, Theologorúmque ſententia, & Bertramus Ciſtercienſis dicitur à Cæſario eiuſdem ordinis Monacho lib. 7. de miraculis, & viſionibus ſuo tempore factis cap. 38. eleuatus cœlitùs fuiſſe, vt in paradiſo videret Henoch, & Eliam. Non deſunt tamen graues Authores, qui contendant diluuio generali non ſuperfuiſſe paradiſum, & proinde nunc in eo non commorari Henochum. Si autem contra ipſos obiicias locum Eccleſiaſtici cap. 44. verſ. 16. Reſpondent, nomine *paradiſi* ſignificatum ab Eccleſiaſtico amœnum aliquem locum imperuium. Sic Cantic. cap. 4. verſ. 13. dicitur, *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum*; & Eccleſiaſtici 2. verſ. 5. vbi nos legimus, *Feci hortos, & pomaria*, Græcè habetur, *paradiſos*; & Ezechiëlis 28. verſ. 13. dicitur de Rege Tyri, *In delicijs paradiſi Dei fuiſti.* Deinde reſpondent, eſto Henoch principio tranſlatus eſſet in paradiſum Adamicum, tēpore tamen diluuij deductum in altum locum Deo cognitum. Non vacat litem hanc dirimere. Nobis in præſentiarum ſatis eſt, ſi nomine *paradiſi*, in quem ab Eccleſiaſtico narratur tranſlatus Henoch, non accipiatur cœleſtis, & Empyreus; vti non intelligitur, quando apud Lucam cap. 23. v. 43. promiſit Chriſtus Latroni, *Hodie mecum eris in paradiſo.* Non inficiamur, nomine *paradiſi* denotari quandoque cœlum Empyreum, vt in cap. 2. Apocalypſis verſ. 7. & in 2. ad Corint. cap. 12. verſ. 4. ſed cogit, vel ducit ad id contextus ipſe. Quòd verò cap. 49. Eccleſiaſtici verſ. 16. *receptus à terra* memoretur Henoch non fauet raptui in Empyreum; ſufficit namque, ſi receptus ſit à terra habitata, & cognita hominibus tunc temporis. Certè ſi in Empyreum receptus eſſet, non inde deſcenderet in fine mundi, *vt det gentibus pœnitentiam*, vt habetur cap. 44. Eccleſiaſtici v. 16. Adde S. Paulum ad Hebræos 11. v. 5. cùm dixiſſet, *Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem*; *cúmque* meminiſſet Patrum aliorum veteris teſtamenti ſubiungere v. 39. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente, ne ſine nobis* (ideſt ante nouum Teſtamentum) *conſummarentur.* Ergo iuxta S. Paulum, Henoch, quando tranſlatus fuit, non comparauit beatitudinem animæ, & corporis; & propterea eius tranſlatio non fuit in Empyreum, qui eſt locus permanens, vel ſolius animæ beatificatæ, vel animæ, & corporis humani glorificatorum.

138 Videamus iam quid de Eliæ raptu dicant ſpeciatim Patres. S. Epiphan. in oratione de Chriſti Aſcenſione ſic fatur, *At verò Iudæi, qui inuidia obcæcati veritatis lucem non ferunt, dum Chriſtum in cælos aſſumptum audiunt, ſtupendo illi, admirandóque Solis Iuſtitiæ miraculo tenebras offundere nituntur. Aiunt enim, quid vos Chriſtiani gloriamini, quòd Chriſtus veſter ad cælos, vt dicitis, aſſumptus ſit? An non Elias, cum homo eſſet, parem conſequutus eſt gloriam? An non ipſe quoque in cælum receptus eſt? Quibus nos eiuſmodi oratione audacter obuiam imus. Cur cæci Iudæi ſacros libros deprauatis? Cur quæ clarè in illis exarata ſunt, accuratè non expenditis? Cur legitis, & non intelligitis? Ecquid, quæſo, diuina ſcriptura de Elia prodidit? Numquid aſſumptum eſſe in cælum? Nequaquam: prodidit autem, cùm aeris facta eſſet commotio, aſſumptum eſſe quaſi in cælum. Atqui* τὸ *quaſi in cælum, negat veriùs quàm affirmat. At* τὸ *in cælum, veritatem planè exponit. Quòd autem neque Elias, neque vllus alius in cælum aſcenderit, ſed is tantùm, qui è cælo deſcenderat, nempe vnigenitus Dei filius, hoc ipſe de ſe ipſo perſpicuis verbis teſtatum facit. Nemo, ait, aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis, qui eſt in cælo &c.* Hactenus S. Epiphanius. Et ex eiſdem verbis ὡς εἰς τὸν οὐρανόν, ideſt, *quaſi in cælum* appoſitis à LXX. diſcriminant ſimiliter Chriſtum & Eliam S. Chryſoſtomus homilia de Aſcenſione, & homilia in Eliam S. Cæſarius in Dial. 3. S. Ambroſius ſerm. 75. Author de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 2. c. 22. Apponius lib. 2. commentar. in canticum canticorum, Theophylact. in c. 24 Lucæ, Hugo de S. Claro in 1. Act. v. 11. Iacobus de Vitriaco ſer. 2. in die Aſcenſionis. Adi Honcalam in c. 5. Geneſis, Alphonſ. de Mendoza in Quodlib. q. 5. Scholaſtica n. 7. Ioſephum Stephanum in lib. 1. Machab. c. 2. v. 58.

139 S. Gregorius Magnus homilia 29. in Euangelia diſtinguens duplex cœlum, aliud Aëreum, aliud Æthereum, non in hoc, ſed in illud ſubleuatum, aduertit; cum tamē Chriſtus cœlum Æthereum ſua virtute penetrauit. Adiicitque, Eliam ſubuectum in Aëreum, non vt in eo habitaret, ſed vt in ſecretam quandam terræ regionem repentè duceretur. Concinunt S. Iulianus Toletanus libr. 1. de contrarijs interrogatione 40. Angelomus in lib. 4. Regum cap. 2. Rupertus lib. 3. in Geneſim cap. 33. & lib. 5. in libros Regum c. 19. Eucherius in eoſdem libros S. Thomas 3. part. quæſt. 49. art. 5. ad 2. Rodulphus Ardens homilia in Aſcenſione, Iacobus de Vitriaco ſerm. 1. de Aſcenſione, Vincentius Bellouacenſis lib. 7. ſpeculi Hiſtorialis cap. 64. & permulti alij. Ex quibus aliqui ſignanter præcauent, nequis putet, Eliam raptum in cœlum Empyreum. Quòd ſi Adamicus paradiſus permaneat, altiſſimiſque montium cacuminibus inſidens ad ſecundam ferè regionem aëris, imò & ad Lunarem globum pertingat, vt putarunt Beda citatus à S. Thoma 1. p. q. 102. art. 1. Strabus in Geneſim, Comeſtor in hiſtoria Geneſis c. 13. Ioannes Hieroſolymitanus de Inſtitutione Monachorum, c. 23. Magiſter ſententiarum lib. 2. diſtinct 17. indicántque nonnulli alij apud Suarium lib 3. de opere ſex dierum cap. 6. & apud Bonfrerium in 2. Geneſis v. 8. §. *Nonnulli* rectè intelligitur, quo pacto Elias deportatus ad locum, adeò proximum cœlo, dicatur aſcendiſſe, receptúſque eſſe in cœlum, vel quaſi cœlum.

140 Sunt, qui ſignificent, Eliam ſubleuatum eſſe in æthereum ipſum cœlum. Nam Sedulius lib. 1. Mirabilium diuinorum canit de Elia,

Aurea flammigeris euectus in aſtra quadrigis,
Quà leuis ætherios non exprimit orbita ſulcus,
Sydereum penetrauit iter currúque coruſco
Deteriora petens, ſpatio maiore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit æui.

S. etiam Ambroſius in diſticho ad Baſilicam Ambroſianam,

Elias aſcendit equos, currúſque volantes,
Raptus in ætheriam meritis cæleſtibus aulam.

Idem S. Doctor in lib. de paradiſo c. 3. ait Henoch receptum ad cœlum. S. Gregorius Nazianzenus in carmine de laude Virginitatis,

Alma

Digitized by Google

Alma fides,pietáſque ad ſydera vexit Henochum, S.Auius lib. 4. de Dilauio modulatur de Henoch, & Elia; de primo quidem,

——Quem priſca fides, & conſcia virtus
In cœlum ſine morte tulit, ſic celſa petenti
Succeſſit magnis non impar filius actis.
Nec minimum eſt, illum ſalui cum corporis vſu
Terrenas liquiſſe domos, intraſſe ſupernas.

De ſecundo,

Quamquam quò Noë proauus aſcenderet Henoch
Elias curſu poſt tempora longa ſequutus
Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis.
Hos igitur ſatis eſt, cœlum potuiſſe mereri
Membrorum ſub lege ſitos ——

S.Athanaſius in oratione de Aſcenſione Chriſti diſcriminat eam ſic à raptu Eliæ, *Non enim in cœlum cum virtute proficiſcitur Elias,nec firmamentum tranſiens,in illis locis, quæ ibi ſunt, manet*, quaſi dicat, Eliam aliena virtute attigiſſe firmamentum, non tamen ſuperaſſe; Chriſtum verò propria virtute firmamenti limites euaſiſſe. S.Gregorius Niſſenus in vita S. Patris Ephrem, inquit: *Non in æthera, ſicut Elias, ſed in ipſum cœlum ſublatum eſſe Ephræmum*: niſi nomine ætheris accipiendum ſit cœlum Aereum, cuius infima etiam pars vocatur aliquando Æther, vt apud Virgilium,

——reſonátque fragoribus æther.

141 His accedunt, qui aiunt, adueniſſe de cœlo Eliam, cùm apparuit alloquens Chriſtum transfiguratum. Ita S.Ephræm ſerm.de Transfiguratione, *Imperauit Chriſtus cœlo, & Eliam deduxit.* Petrus Bleſenſis in opuſculo de Transfiguratione, *& notandum, quòd veniunt Moyſes de Inferis, Elias de cœlis.* Innuit S.Hieronymus in cap.17.Matth.v.3. dum ſic fatur, *Scribis, & Phariſæis tentantibus ſe,& de cœlo ſigna poſcentibus dare noluit Chriſtus; ſed prauam poſtulationem confutauit reſponſione prudenti. Hîc verò,vt Apoſtolorum augeat fidem,dat ſignum de cœlo, Elia inde deſcendente, quo conſcenderat, & Moyſe ab Inferis reſurgente.* S.Thomas 3. p. q.45. art.3.ad 2.poſt tranſcripta hæc S.Hieronymi verba, addit: *Elias apparuit in proprio corpore, non quidem de cœlo Empyreo allato,ſed de aliquo eminenti loco,quo fuerat in curru igneo raptus.* Accedit vlteriùs Sybilla prænuntians lib. 2.

Tunc quoque cœleſti curru deuectus inibit
Terras de cœlo Theſbytes.——

Tunc ſcilicet, cum venerit, vt ſit præcurſor ſecundi aduentus Chriſti.

142 Si ob Scripturæ ſacræ, & Patrum authoritates aſſereret quis cum Serario tranſlatum Eliam, & exiſtere in ſydereo aliquo cœlo,vbi ab elementorum immutationibus, & impreſſionibus immunis ſit; verba Scripturæ ab hoc dicendi modo non diſſonarent, nec res ipſa magnam difficultatem, vel admirationem haberet, iudice Suario lib.5. defenſionis fidei Catholicæ cap.13. n.9. vbi non renuit concedere id ipſum quoad Henoch, dummodò vterque ad cœlum Empyreum, quod Beatorum propria ſedes eſt, non affirmetur perductus. Sed & Iacobus Naclantus pag. 488. Medullæ Scripturæ ſacræ,inſcium ſe fatetur,an conſeruetur à Deo tam vnus, quàm alter in terra, cœlóve ſydereo.

143 Quòd ſi, quæ modò tentata ſunt, non improbabilia cenſeantur, aperitur via ad aliqualem explicationem veterum Scriptorum,quos recenſui in n.134. & 135. Nonnulli quidem rectum in ſenſum ægrè trahi poſſunt; nam ſydereo cœlo, ſuperius aliud, & Beatorum proprium videntur indicare, maximè Victorinus,& Dorothæus. Sed de primi opere, admonet in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis Gennadius leuioris ponderis ſententiam figuratam habere,vtpote ab homine,ſeculari litteratura occupato,& nullius magiſterio in diuinis Scripturis exercitato: de ſecundi ſynopſi notant Bellarminus, Poſſeuinus, Albertúſque Myræus cum Baronio, & Molano, *plenam eſſe fabulis, & narrationibus confictis,atque mendacibus*, & in nouiſſimo Hiſpano Indice librorum prohibitorum, ac expurgandorum pag 150.optimè aduertitur,eam ſynopſim non eſſe opus S.Dorothæi Martyris,& Presbyteri Tyrenſis, ſed recentioris alterius Authoris. S. Paulinus explicari poteſt,quatenus poſtulet à Deo, vt ſoluta à corpore anima pertranſeat ſydeream ſphæram,quam attigerunt Henoch,& Elias; altiùs tamen, & ad Empyream perueniat. S.Hieronymus exponetur infra in n. 150. S. Ambroſius ſic declarandus eſt, vt non velit, aſcenſionem Chriſti in cœlum eſſe ſimilem quo ad omnia aſcenſioni Eliæ; ſed hunc inferiùs conſtitiſſe,quàm illum. S.Chryſoſtomus,& S.Chryſologus interpretandi veniunt, quatenus exiſtiment, Eliam commorantem in cœlo aliquo ſydereo viſitari frequenter ab Angelis,& ibi confirmatum in gratia, liberúmque ab iis, quas modò patimur, miſeriis, & peccati fomite, degere vitam feliciſſimam, fruique altiſſima quadam Dei contemplatione,quæ tamen ad viſionis beatæ gradum non accedat, vt animaduertunt S.Auguſtinus lib.9.de Geneſi ad litteram cap.9. Georgius Trapezuntius in opuſculo de Ioanne Euangeliſta non mortuo,Suarez tom.2.in 3.p.diſp.55.ſect.1. Viegas in cap.11.Apocal.commentar. 5. ſect.4. Cornelius in lib.4. Regum cap.2. v. 11. Serarius ibi. Rurſus idem Cornelius in cap.5. Geneſis v. 24. Valleſter pag.359. Onomatographiæ. Nec viſitatio Angelorum putari debet omninò diſſona, cùm Author quæſtionum ſub perſona S. Iuſtini exarandus in n.85. exercit.21. eam concedat Sanctorum animabus, & Henocho, ac Eliæ,quos cum illis vſque ad reſurrectionem corporum incolas fecit paradiſi terreſtris; ſed malè quantùm ad animas. Concedit etiam viſionem Humanitatis Chriſti Domini;quæ viſio reſpectu Henochi, & Eliæ non diſplicet prorſus Suario proximè citato v.*ſecundò infero*,ſiue quia ipſorum oculi eleuantur ad videndam ex paradiſo terreſtri humanitatem Chriſtianam; ſiue quia hæc ipſis præſentem quandoque ſe exhibeat, vel ſimul manens in Empyreo, vel ex inde ad tempus diſcedens. Stephanus VVeberus, vel potiùs eius Præceptor Martinus Becanus in diſp. Theologica de officiis Angelorum circa homines cap.& n.7.valdè probabile eſſe cenſet, non paucos Angelos in paradiſo terreſtri commorari, vt ſocietatem vitæ præſtent Henocho, & Eliæ.

144 Ex Authoribus relatis in n.135.Fauſtus Manichæus affingebat Catholicis eam fidem. Michaël Pſellus commodè intelligi poteſt ad guſtum paulò antè dictorum. Theodorus, Apollinarius, Procopius, & Steuchus audiri nullatenus debent. S.Auguſtinum debuiſſent ipſi præire, aut ſubſequi dicentem lib.1.de peccatorum meritis, & remiſſione cap.3. *Henoch, & Elias per tam longam ætatem ſenectute non marcuerunt. Nec tamen credo,eos iam in illã ſpiritalem qualitatẽ corporis commutatos,qualis in reſurrectione promittitur,quæ in Domino prima præceſſit.* Repetit id ipſum in lib. 9. de Geneſi ad litteram cap.6. Quod & priùs traditum fuerat à S. Ireneo lib. & cap. 5. aduerſus hæreſes, à Tertulliano lib. de reſurrectiouе carnis cap. 43. Legitúrque in Authore explicationis quæſt. 85. ad orthodoxos inter

ope

opera S.Iuſtini. Euolue Arboreum lib.5. Theoſophiæ cap.1.& lib.8. cap 4.Maluendam cap. 87. de paradiſo, & lib.9. de Antichriſto cap.5. Sandæum part.1. Theologiæ lib.3. commentatione 34. exercit. 1. Nec te prætereat efficaciſſimum argumentum,quod deſumitur ex verbis S. Pauli ad Hebr.11. appoſitis iam in n.137.vt probetur, Eliam,quando raptus fuit,non obtinuiſſe gloriam animi, ac corporis. Nam etſi S.Paulus non expreſſerit Eliam,vti Henochum, tamen tacitè deſignauit, dum v.37. dixit,*Circuierunt in melotis,in pellibus caprinis,egētes, anguſtiati, afflicti*, ſiquidem de Elia refertur lib.4. Regum cap.1.v.8. *quòd incedebat zona pellicea accinctus renibus*; & lib.3. cap.19. narratur, quàm egens, anguſtiatus, & afflictus circuierit fugiens Iezabelem.

145 Ob hoc argumentum, & ſimile efformatum quoad Henoch in eo n.137. tenendum eſt, neutrius Sancti animas vidiſſe intuitiuè Deum ante mortem Chriſti ex tempore tranſlationis. P.Pereyra lib.7.in Geneſim n.152. vtitur ad id confirmandum teſtimoniis expenſis à nobis ſupra ex n.120. vſque ad 124. *Quæ vera non eſſent*,inquit,*ſi Henoch, & Elias per tot annorum millia ante Chriſtum vidiſſent Deum. Neque enim ad veritatem, vel perfectionem viſionis Dei refert, videaturne Deus ab homine,vel ab Angelo in cælis,an in terris; non enim minus perfectè, ac beatè vident Deum Angeli Sancti, cùm ſint in terris, quàm cùm verſantur in cælis; nec Dominus noſter, dum fuit in terris minus perfectè vidit Deum,quàm poſteà,cum in cœlos aſcendit.* Sic Pereira; & idem argumenti genus tangitur à Suario in v. *Dicendum ſecundò*, à Duuallio in tract. de quatuor Nouiſſimis q.4.art.2.pag.59.Cæterū ſi ex eis teſtimoniis conuinceretur id, quod intendunt; conuinceretur etiam,Adamum,Moyſem, & Deiparam Virginem non vidiſſe vnquam tranſeunter Deum ante Chriſti mortem: nam ſicut ea teſtimonia non patiuntur vllam exceptionem, penes aſcenſionem,vel tranſeuntem,alicuius puri hominis in cœlum Empyreum ante aſcenſionem Chriſti, ſic nec vllam paterentur penes viſionem vel tranſeunter communicatam puto alicui homini ante mortem Chriſti;conuinceretur etiam,antiquorum Patrum Sanctas animas non vidiſſe Deum,antequam cum Chriſto aſcenderint in cœlum Empyreum; nam ſi ex eo, quòd Chriſtus aperuerit ianuam regni cœleſtis, & propalarit Sanctorum viam ad cœlum, colligitur, animas Henochi, & Eliæ vnitas corporibus, & exiſtentes in paradiſo terreſtri, vel alibi extra cœlum illud ante apertionem factam per Chriſtum, felicitatos non fuiſſe viſione, inferetur æquè ea caruiſſe omnium aliorum Patrum ſanctas animas ſeparatas ante ingreſſum cum Chriſto in præfatum cœlum, quandoquidem etſi Chriſtus per mortem ſuam merito, & iure remouerit hominibus impedimentum regni cœleſtis, tamen re ipſa, & facto non remouit, vſque dum per aſcenſionem ſuam introduxit homines quaſi in poſſeſſionem, vt inquit S.Thomas 3.p.q.49.art.5.ad 4.& ex ipſo Suarius in commentario ad art.1. q.57. Iam autem nullus eſt, qui neſciat, quàm probabile ſit Moyſi, & Deiparæ Virgini ante mortem Chriſti conceſſum aliquando priuilegium videndi Deum tranſeunter; licèt de Adamo non adeò probabile ſit. Nullus item eſt,qui neſciat,negari non poſſe, ſalua fide Catholica, antiquorum Patrum Sanctas animas, vt & pœnitentis Latronis animam vidiſſe Deum ante aſcenſionem cum Chriſto in cœlum.

146 Reſpondebis in fauorem argumenti Pereiræ, regnum cœleſte,vt ſumitur pro viſione beata, apertum fuiſſe hominibus reipſa, & facto, in morte Chriſti, & non ante. Fateor,ita quidem eſſe quoad viſionem beatam permanentem; dico tamen, id vt fide Catholica ſanctum non probari ex eis teſtimoniis Scripturæ ſacræ, ſed ex aliis:alioqui ex eis tenendum foret, vt eadem fide certum, nulli homini ante mortem Chriſti reſeratum fuiſſe regnum vel ad tempus, prout regnum cœleſte ſumi poteſt pro viſione beata tranſeunte. Ambroſius Catharinus in opuſculo de conſummata gloria Chriſti,& ex ſententia Ioannis Dominici,S.Antoninus apud Salmeronem tom.11. in Euangelia tract.7. pag.60. Videntur tradere, Henochum, & Eliam, habuiſſe gloriam animorum ſtatim ac tranſlati ſunt; & S.Gregorius Nazianzenus in oratione 2.de Theologia inquit, *licet Henoch hinc tranſlatus ſit, non tamen conſtat, vtrùm iam comprehenderit* (id eſt,viderit intuitiuè) *Dei naturam,an ſit adhuc comprehenſurus.*

147 Sed ego,attentis verbis S.Pauli,neutiquam auderem affirmare, ex tempore tranſlationis donatos fuiſſe viſione beata permanente; vti neque audent Suarius, Pereira,Viegas, Cornelius, Serarius, Vallester, Duuallius ſuprà citati. Maluenda lib.9.de Antichriſto cap.5.Granadus 1.p.contr.13. de Nouiſſimis tract. ac diſp.1. n. 4. Sherlogus volumine 2. in Canticum Canticorum, veſtigat.7. num.32.Gordonus in cap.6. Geneſis v.24.Michaël Muñoz in propugnaculo Eliæ lib. 3. tit. 2. cap. & art.1.Franciſcus de S.Maria lib.1.Hiſtoriæ Propheticæ cap.28. num. 7. Bolducius in epiſtolam Iudæ v.14. Thomas Aquinas à S. Ioſeph part. 3. de Patriarchatu Eliæ ſect.8. Leonardus Marius in 5.cap. Geneſ.à num.32. Tena in cap.11.ad Hebræos difficultate 4. ſect.3.num.17.

148. Regredior ad intentum principale,& probo ex modò dictis, Henochum, & Eliam, quando tranſlati ſunt, non accepiſſe glorificationem corporum.Etenim hæc ſupponit connaturaliter viſionem beatam permanentem,quam tunc non præſtitam duorum illorum animabus, oſtenſum ſatis à me fuit. Mors etiam, quæ in fine mundi pro defenſione fidei Chriſtianæ contra Antichriſtum expectat ipſos, vt inter dogmata eiuſdem fidei habetur à pleriſque, demonſtrat manifeſtè, non fruituros glorificatione corporum tempore mortis; imò neque temporibus antecedentibus, quia ea glorificatio ſemel poſſeſſa, deberet connaturaliter eſſe perpetua; deéſtque authoritas, & ratio,vt miraculosè auferéda diceretur,ſi vnquam conceſſa fuiſſet. Cùm itaque mortem ſubituri ſint, ſequitur perſeuerare modò in vita mortali. Ex quo vlteriùs ſubinfertur aduerſus Salmeronem tom.11.tract.32.pag.333.& Barradam tom.4. lib.9. cap.4. penes animas nunc poſt Chriſti mortem non eſſe beatos,quia beatitudo permanens in vita mortali, fuit prærogatiua ſolius Chriſti; & nec inſtantaneam beatitudinem vlli alteri homini in vita mortali exhibitam fuiſſe ſiue ante, ſiue poſt Chriſti mortem, receptiſſima fert multorum Patrum, & Theologorum opinio, propter vniuerſalem ſanctæ Scripturæ regulam. *Deum nemo vidit vnquam, Non videbit me homo & viuet, &c.* A qua regula, & lege,ſi aliqui ſunt exempti per vnum inſtans, vel breue aliquod tempus,prout de Deipara Virgine mihi perſuadeo cum Michaële Ghiſlerio in Cantica cap.1. verſ. 4. expoſitione 4.aliiſque Doctoribus communiter,vt vt ſit de Moyſe,& Paulo; nullum tamen eſt indicium, vt relaxata putetur in Henoch, & Eliæ gratiam,

Digitized by Google

non ſolùm per tam diuturnum ſpatium; ſed nec per vnicum momentum. Et nota, nec cum Deipara Virgine diſpenſatum quoad glorificationem temporariam corporis ante reſurrectionem Chriſti glorioſam. Etſi enim non defuerit, qui affirmarit, Deiparam in primo conceptionis puncto habuiſſe corporis gloriam, & animæ, refellitur, & meritò, prius illud, tanquam commentitium à Luiſio Turriano in ſelectis part. 1. centuria 3. dub. 53. quicquid ſit de poſteriori, quod anno 1649. defenſum publicè eſt, magnóque plauſu in Academiis Salmanticenſi, & Valliſoletana, traditúmque fuerat à Hieronymo de Florentia ſerm. 11. de Conceptione Virginis puncto 1. Ferdinando Salazar. in defenſione pro immaculata Deiparæ Virginis Conceptione c. 32. §. 4. & in Cantica pag. 220. Franciſco de Mendoza in Viridario lib. 2. Problemate 10. num. 56. Pinto Ramireſio in Deipara ab Originis peccato præſeruata. num. 483. & 670. alibique ſparſim, Pioræo in corona Virginis tract. 1. cap. 7. Sherlogo in Cantica, veſtigatione 34. num. 46. licèt in 37. veſtigatione num. 2. pedem retrahat; Ludouico de Ribas 1. part. tract. 3. (qui eſt de Viſione Dei) D. 14. cap. 2. Placido Nigidio in Cantica cap. 1. verſ. 12. Confirmátque Salazar teſtimoniis S. Bernardini Senenſis, Amadæi, & Gerſonis, quibus adnectit alia Antonius de Quintana, Dueñas in lib. de Nomine Sanctiſſimo Mariæ pag. 121. & 344.

SECTIO XI.

Diluitur alia obiectio deſumpta ex Moyſis anima, & corpore.

149 Opponitur vlteriùs, Moyſem vel penes ſolam animam, vel penes animam & corpus aſcendiſſe in Empyreum priùs, quàm Chriſtus Dominus. Ita inſinuat S. Hieronymus, qui verbis tranſcriptis in num. 134. interſerit hæc, *Aſcendit* (Dominus) *cum Moyſe, cuius ſepulturæ locus, quia in cælum aſcenderat, in terra non potuit inueniri.* Rabbi Samuël Marrochianus lib. de aduentu Meſſiæ cap. 3. inquit, *De Moyſe etiam non eſt dubitandum, quin ſit in cælo in corpore, & anima, vt dicitur Deuteronomij 34. Dixit Dominus ad Moyſem, Aſcende in montem Nebo, & morere ibi; & aſcendit in montem, & mortuus eſt, & neſciuit homo ſepulchrum eius vſque in hodiernum diem. Et quid ſignificat, quòd ſepulchrum eius eſt ignotum in terra, cùm ipſe fuerit Propheta maior, & Sanctior aliis, niſi quòd Deus ſuſcitauit eum, & aſſumpſit eum in corpore, & anima ſicut alios iuſtos aſſumpſit, & eleuauit ad locum, vbi ſunt?* ſcilicet Mathuſalem, Henoch, & Elias; vt ipſe Samuël paulò antea dixerat. Petrus Cellenſis lib. de panibus cap. 11. *Omnipotens, & miſericors fortè idcircò terram morientium negat, quia ad cælum Moyſi animam ſubleuat.* Gregentius Archiepiſcopus Tephrenſis in diſputatione cum Herbano Iudæo; *quicquid eſt hominis, ipſius eſt anima, quoniam huius corpus nihil eſt. Eſt enim indumentum animæ congenitum, & cùm iubet Deus, mittit Angelos ſuos, & animam corruptibile indumentum exuunt, nempe corpus ipſum, quà ad Deum debet abire, vbi tale carneum indumentum non eſt, qui geſtet; omnes enim illic ſpiritus. Cæterùm vt ſpiritum, & animam tollunt illuc, quò iubet Deus, & ibi habitat, vt Angelorum indumenta ferens; ſic igitur Moyſis anima. Cum ea opus habuit Deus, ei corpus propria potentia affinxit, & hanc brachio ſuo adſtare fecit in monte Thabor, vt contemplaretur ipſius transfigurationem, & rurſus dextra ſua repoſuit, vnde hanc abſtulerat.* Hactenus Gregentius non obſcurè aſſerens, Moyſis animam adfuiſſe cœlo ſtatim, ac depoſuit corporis indumentum. Nec magis obſcurè Philo lib. 3. de vita Moyſis, & lib. de Charitate, Ioſephus lib. 4. antiquitatum Iudaïcarum cap. 8. Rabbi Moyſes proæmio in Miſna apud Genebrardum lib. 1. Chronographiæ, Diluuij anno 1013.

150 Sed conſtantiſſimè ſentiendum eſt, Moyſem neque ſecundùm animam ſolam, neque ſecundùm eam, & corpus ſimul aſcendiſſe in Empyreum ante Seruatorem Chriſtum, qui humano generi *ad cælum fecit viam, quam prius natura conſequi non poterat*: vt ait S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem cap. 25. & ab Antonio Hincala in Stautico cap. 30. à nobiſque in ſuperioribus, copioſiſſimè ſtabilitum manet. Quare ſolùm reſtat ferre ſigillatim iudicium de appoſitis Authoribus. P. Lorinus in cap. 34. Deuteronomij verſ. 5. eatenus, meditatur, dici à S. Hieronymo, Moyſem aſcendiſſe in cœlum, quatenus hoc ſuo tempore erat ei dandum ob cœleſtem vitam. P. Sandæus 1. part. Theologiæ lib. 3. commentatione 34. exercitat. 4. diſquiſitione 1. exponit Doctorem Maximum de aſcenſu Moyſis in cœleſtem Sanctitatem, vitámque ſingularem: Vereor, ne intelligentia vtraque videatur extorta; tùm quia S. Hieronymus loquitur ibi de aſcenſu S. Pauli in tertium cœlum non abſimili verborum forma; tum quia ſi S. Hieronymus ibi non vellet, Moyſem penes corpus etiam aſcendiſſe in cœlum, vt quid adderet, *cuius ſepulturæ locus, quia in cælum aſcenderat, in terra non potuit inueniri?* Tum denique, quia Henochi, & Eliæ aſcenſum, de quo æquè fatur, neutro ex illis modo videtur ſumpſiſſe; ſed pro aſcenſu reali in aliquod cœlum tempore ipſo tranſlationis. Si ob hæc exponatur Maximus Doctor de aſcenſu reali Henochi, Moyſis, & Eliæ cum corporibus in cœlum ſydereum, ſiue illic perſeuerent, ſiue mox tranſlati ſint ad paradiſum terreſtrem, ſecretámve aliam terræ regionem, ſenſus hic quoad Moyſem ſubiacebit difficultatibus continuò attingendis; ſed quoad Henochum, & Eliam liber erit à calumnia vlla, ſi aſcenderint & permaneant abſque glorificatione animarum, & corporum, morituri extremis temporibus.

151 Samuël Marrochianus corrigendus omninò eſt, dum ait, Mathuſalemum viuum in corpore fuiſſe ex hominum conſortio aſſumptum: conſtat namque ex cap. 5. Geneſis verſ. 27. mortuum eſſe. Quod de Henoch, & Elia ait, verum erit, ſi dictum ſit iuxta ſenſum paulò antè à nobis expreſſum. Moyſis mors benè ab ipſo adſtruitur, quam videtur negaſſe S. Hieronymus in verbis ſuperioribus, vt notat Suarez tomo 2. in 3. part. diſput. 32. ſect. 2. verſ. *controuerſia autem*; niſi dicatur, eò loci putatum à S. Hieronymo, quod & à Samuële Marrochiano, ſcilicet Moyſem illicò poſt mortem reſurrexiſſe. Scripſi *eò loci*, ſiquidem in cap. 17. Mathæi, clarè pronuntiat, Moyſem ab Inferis reſurrexiſſe, quando teſtis adſtitit Transfigurationi Chriſti in monte Thabor. Et quidem Moyſis ſtatim poſt obitum reſurrectio, quę & non improbatur à Ioachimo Abbate Expoſit. 3. in cap. 11. Apocalypſis. verſ. 3. Si fuerit in corpore immortali, & glorificato, & vt penes hoc, & animâ beatam exiſteret iam tunc Moyſes in cœlo Empyreo, pro vt præ ſe ferunt Marrochiani verba, corrigenda & iſthæc omninò ſunt. Si verò fuerit in corpore mortali, & non glorificato,

Digitized by Google

gloriſicato, vnitóque animæ nondum beatæ, ita vt rediuiuus Moyſes iam tunc deductus non ſit in cœlum Empyreum, rigidæ cenſuræ periculum verba non ſubibunt. Sed ea reſurrectio traderetur ſine fundamento vllo in ſacris Litteris.

152 Inquies, excogitari poſſe primò, vt Moyſes, ex tunc rediuiuus, adeſſet multò pòſt, Transfigurationi Chriſti, vti in corpore proprio adſtitit Elias: Secundò vt Chriſto reſurgente acciperet gloriſicationem corporis; vel tertiò vt nondum gloriſicatus, perſeuerans vſque ad extrema mundi tempora eſſet vnus ex præcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti, & pro huius fide moreretur. Cæterùm ob quèlibet finem ex iſtis vanè. Nam primò, vt Moyſes aſſiſteret transfigurationi Chriſti, ſatis eſſet, quòd anima educta è ſinu Abrahæ appareret per corpus aliquod aëreum aſſumptum, & inſtar humani efformatum, vt volunt Tertullianus lib. de reſurrectione Carnis cap. 55. Strabus, Albertus Magnus in c. 9. Lucæ, S. Thomas 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 2. & in cap. 17. Matthæi v. 3. Nyſſe in Reſolutione Theologorum tract. 4. p. 2. portione & q. 3. Viegas in cap. 11. Apocalypſis comment. 5. ſect. 7. num. 2. Granadus tom. 4. controu. 2. tract. 2. comment. 17. n. 10. Natalis Adnotatione in Imaginem de Transfiguratione lit. *D.* & *G.* Lyra, Abulenſis, Salmeron, Ianſenius, & alij in cap. 17. Matthæi; vel ſatis fuit, quòd ex præfato ſinu extracta, dimiſſo olim, proprio corpori vniretur iterùm, vt placet S. Hieronymo ſuprà, Authori de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 3. cap. 10. Holkot lect. 5. in librum Sapientiæ, Dominico Soto in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art. 1. Alphonſo Mendozæ q. 5. Scholaſtica, n. 7. in fine, Barradæ tom. 2. in Euang. lib. 10. cap. 28. Suario proximè citato v. *ſecunda ſententia.* Toleto adnotatione 61. in c. 9. Lucæ, Azorio p. 2. Moralium Inſtitutionum lib. 1. c. 15. q. 5. Petro Tyræo de Chriſti apparitione in Thabor c. 3. §. 36. Cornelio, Adamo Contzen, Gordono, Eſtio, Heſſelio, Maldonato, Tirino, aliiſq; in cap. illud 17. Matthæi. Et pleriſque Patrum placere aſſeuerat Delrius libr. 2. Diſquiſitionum Magicarum q. 26. ſect. 2. Quinimò aliqui Patres indicant, gloriſicata fuiſſe corpora Moyſis, ac Eliæ, quando apparuerunt in monte Thabor. Intelligendi tamen non ſunt de gloriſicatione, qualis in reſurrectione promittitur Iuſtorum corporibus promanans ex beatitudine animarum; ſed de claritate redundante, ac reflectente in corpora Moyſis, & Eliæ ex conſortio, ac præſentia corporis Chriſti, vti obſeruat Suarius; & vt Yſambertus 3. part. q. 9. diſp. 2. art. 2. quamuis claritas Moyſis & Eliæ fuiſſet glorioſa, non debuiſſet neceſſariò præſupponere in eorum animis claram, & beatificam viſionem Dei, tum, quia dos claritatis non oritur phyſicè à viſione Dei, tum quia qualitas lucis glorioſæ indifferens ex ſe eſt ad varias cauſas efficientes. Deinde, vt reſurgente Chriſto acciperet Moyſes gloriſicationem corporis, opus non eſſet, quòd antea reuixiſſet, cum facilè Deo eſſet facere vt tunc & reſurgeret, & obtineret gloriſicatum corpus. S. Ambroſius adducendus in n. 29. Exercit. 22. ſignificat, Moyſis corpus accepiſſe gloriſicationem, quando Chriſtus reſurrexit; de quo puncto nos in eo numero. Aſt hinc potiùs deduci deberet, Moyſem non reuixiſſe anteà. Nam cùm eius anima ſtatim poſt mortem Chriſti fuiſſet beata, miraculosè informaret corpus nondum gloriſicatum vſque ad inſtans reſurrectionis Chriſti. Et prætereà corpora, quæ reſurgente Chriſto compararunt gloriſicationem (ſi hanc obtinuiſſe admittatur) fuerunt corpora, quæ tunc reſurrexerunt, & Sanctorum, qui dormierant, vt legimus apud Matthæum c. 27. Poſtremò vt Moyſes eſſet vnus ex præcurſoribus ſecundi aduentus Chriſti, neceſſe non eſſet, quòd tam anticipatè reuixiſſet. Et reuera niſi vere id muneris Moyſi, parùm probabile eſt, adhuc conceſſo, ſemel obiiſſe S. Prophetam. Etenim vt omittam, ſubiici ſine fundamento morti duplici, rogo, an nunc eius anima ſit, vel non ſit beata? Si primum. Ergo non abſque miraculo exiſtet vnita corpori mortali; neque abſque miraculo patietur dolores ex corporis afflictionibus, & morte in perſecutione Antichriſti. Priuari autem beatitudine communicata ex tempore mortis Chriſti, vt patiatur, heri etiam non poteſt abſque miraculo. Et dicas, velim, quo authoritatis, aut rationis fundamento tot miracula comminiſcaris? Si ſecundum, contrà, quia vt aſſeratur, Moyſis animam non comparaſſe beatitudinem, quando animæ aliorum Patrum veteris teſtamenti eam nactæ ſunt; oporteret allegare expreſſum ſacræ Scripturæ teſtimonium, vel concordem multorum Patrum Eccleſiæ conſenſum: quorum vtrumlibet afferendo non eris.

153 Petrus Cellenſis explicari fortè poſſet alterutro, vel vtroque modo, quo Lorinus, & Sandæus exponunt ſuprà S. Hieronymum: vel fortè declarari poſſet de ſubleuatione reali animæ Moyſis in cœlum aliquod Sydereū, niſi & hæc ſubleuatio ſuſpecta ſit de errore, cùm animæ ſeparatæ omnium Iuſtorum decedentium ante aſcenſum animæ Chriſti ab Inferis deſcenderint illuc, vt probaui à n. 126. neque ſit fundamentum, vt in generali lege fieret exceptio quoad animam ſeparatam Moyſis, & multo minus vt in cœlo aliquo ſydereo, vel alibi extra ſinum Abrahæ maneret vſque ad mortem Chriſti, aut aſcenſionem in cœlum Empyreum. Adde, dictum Moyſi à Deo Numer. 31. v. 2. *Vlciſcere prius filiòs Iſraël de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuum.* Et Deuter. 32. v. 49. ac. 50. *Aſcende in montem iſtum ::: & morere in monte, quem conſcendens iungeris populis tuis; ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis.* De quo Aarone iuſſerat Deus Numer. 20. verſ. 24. *Pergat Aaron ad populos ſuos; non enim intrabit in terram, quam dedi filiis Iſraël.* In quibus verbis ſecundùm multorum Interpretum expoſitionem, de qua in n. 158. ſignificatur, animam Moyſis, corpore ſolutam, abituram in receptaculum commune animæ Aaronis, & aliorum Patrum antiquorum; quod receptaculum erat ſinus Abrahæ, ſeu Lymbus, & non cœlum aliquod.

154 Gregentius, ſi de loco animæ Moyſis ante tempus Transfigurationis Chriſti loquatur eodem modo, ac de loco fœlicium ſpirituum Angelicorum, præcludit viam ſano ſenſui. Sed forſitan non loquitur eodem modo. Adhuc tamen cautè legendus eſt, dum inquit, *Vbi tale carneum indumentum, non eſt, qui geſtet; omnes enim illic ſpiritus.* Nam fide Catholica certum eſt, Chriſtum in cœlo exiſtere cum corpore gloriæ dotibus ornato. De Philone, & aliis citatis in fine num. 149. curandum non eſt quoad præſens punctum, ſiue voluerint, Moyſem corpore, & anima, ſiue hac ſola eleuatū in cœlum. Et Philo quidem in libro, Quis rerum diuinarum ſit hæres, affirmat vniuerſim de animabus quorumuis ſapientium, & proborum hominum rediiſſe ſemper in aſtra. Platonizans ibi, vt ſæpe alibi. Admoneo in lectionis ora, S. Maximum, & Pachymerium ad c. 1. S. Dionyſij Areopagitæ de Hierarchia cœleſti referre ex Hebræis, Moyſem, cùm aſcendit in

Digitized by Google

in nebulam, Exodi 24. v. 18. *penetraſſe in vnum ex ſeptem firmamentis* cæleſtibus. Sed dummodò in Empyreum non penetrarit, dicant Hebræi quicquid velint de ingreſſu in aliud cœlum; nam etſi fabuloſus ſit, & merè recitatiuè proponatur à S. Maximo, & Pachymerio, Chriſtianæ Religionis decretis non repugnat.

SECTIO XII.

Soluuntur variæ aliæ obiectiones ex ſacris Litteris.

155 OBiicitur item locus Sapientiæ cap. 16. v. 14. vbi dicitur, *Homo autem occidit quidem per malitiam, & cùm exierit ſpiritus non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta eſt,* ideſt, quæ eſt *aſſumpta*, vt in Græco legitur. Vnde Vatablus interpretatur *ſublimem abeuntem*, videlicet in cœlum. Ergo in hoc ante mortem Chriſti, & aſcenſionem, abibant animæ. Reſpondetur, in propoſitis verbis, ſiue vt Latinè, ſiue vt Græcè leguntur, non aliud ſignificari, quàm animam recedentem à corpore conſtitui in ſede, vel ſtatione ſibi apta, & proportionata iuxta conditionem meritorum, & temporis. Quod ſi quid ſpeciale in Græco innuitur, id nimirùm eſt, animam deduci à Deo, aut à probo vel improbo Angelo, prout proba, vel improba fuerit, in ſtationem ſibi deſtinatam. Quare interpretatio Vatabli reiicienda eſt, maximè, cùm ſuperiora verba proferantur indiſcriminatim de quauis humana anima; quæ autem obſtricta reatu culpæ, aut pœnæ diſcedit à corpore, neque antiquitus, neque modò ſublimis abiit in diſceſſu, ſed fertur vel ad Orcum, vel ad Purgatorium.

156 Maioris difficultatis ſpeciem habet locus Eccleſiaſtis 3. verſ. 21. *Quis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Quorum verborum conſideratis antecedentibus, hic videtur eſſe ſenſus; Et ſi reuera illud ſit diſcrimen inter ſpiritum hominis Iuſti, & ſpiritum pecudis, quòd ſpiritus hominis iuſti aſcendat in cœlum quando ſeiungitur à corpore, & ſpiritus pecudis deorſum cadat, & intereat cum corpore; tamen quo certo authore cognouimus illud diſcrimen? Quis poteſt noſſe vtrùm verum, an falſum ſit, quod ſperatur? Certè non niſi vnus, vel alter, iſque ſapiens. Augetur difficultas ex cap. 12. eiuſdem Eccleſiaſtis verſ. 1. & 7. *Memento,* inquit, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ::: antequam reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum,* id eſt, anima pergat ad cœlum, qui eſt Dei, à quo fuit creata, thronus, & ſedes. Ergo Salomoni perſuaſum fuit, ſuo iam tempore Iuſtorum animas ad cœlum contendere. Reſpondetur, S. Hieronymum ex prioribus verbis confirmare potiùs Catholicam veritatem in hunc modum, *Hoc autem dicit Eccleſiaſtes, non quòd animam putet perire cum corpore, vel vnum beſtiis, & homini præparari locum; ſed quod ante aduentum Chriſti omnia ad Inferos pariter ducerentur. Vnde & Iacob ad Inferos deſcenſurum ſe dicit, & Iob pios & impios in Inferno queritur retentari: Et Euangelium, Chaos magnum interpoſitum apud Inferos, & Abraham cum Lazaro, & Diuitem in ſuppliciis eſſe teſtatur. Et reuera antequam flammeam illam rotam, & igneam romphæam ad paradiſi fores Chriſtus cum Latrone reſeraret, clauſa erant cœleſtia, & ſpiritus pecoris, hominiſque æqualis vilitas coarctabat. Et licèt aliud videretur diſſolui, aliud reſeruari, tamen non multùm intererat perire cum corpore, vel Inferni tenebris detineri.* Sic S. Hieronymus, quem ſequitur Albinus. Sed omiſſis nonnullis ſenſibus eorum verborum, iuxta quos nullum contra nos confici poteſt argumentum; accidet nobis is, qui & P. Lorino, vt nimirùm per verba, *Spiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, deſignetur remunerationis locus, qui licet interim erat ſub hac terræ ſuperficie, quandoque tamen eſſe debebat in excelſo cœlo, ſeu ſupra firmamentum,* vt Chaldæus vertit. Poſteriora Eccleſiaſtis verba communia ſunt animæ iuſtæ, & iniuſtæ; ideóque non debent intelligi de abitione in cœlum; ſed de animæ per Dei Creatoris virtutem conſeruatione ſine vnione ad corpus, ſiue in hoc, ſiue in illo loco, ſecundùm meritorum, ac temporis conditionem.

157 Multò melius pro Catholica veritate arguere promptum eſt nobis ex ipſo Eccleſiaſte aiente in cap. 9. verſ. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Vbi S. Hieronymus. *Quod autem ait in inferno, quo tu vadis illuc, nota, vt Samuelem quoque verè in Inferno credas fuiſſe: & ante aduentum Chriſti, quamuis Sanctos, omnes Inferni lege detentos. Porrò, quod Sancti poſt reſurrectionem Domini nequaquam teneantur Inferno, teſtatur Apoſtolus dicens, Meliùs eſt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Qui autem cum Chriſto eſt, vtique non tenetur Inferno.*

158 Opponitur rurſus, vſurpari in veteri Teſtamento quaſdam phraſes, & modos loquendi pro iuſtis morientibus, vt *apponi, colligi, congregari, iungi populo ſuo,* vel *ad populum ſuum, ire, pergere, apponi ad Patres ſuos, vel ad populos ſuos.* Ex quibus modis loquendi infertur, Iuſtorum animas tunc temporis in cœlum Angelorum, atque adeo in Empyreum conſcendiſſe. Vnde S. Auguſtinus lib. quæſtionum ſuper Geneſim quæſt. 168. exponens verba illa Geneſis 49. verſ. 32. *obiit Iacob, appoſitúſque eſt ad populum ſuum,* ſcripſit, *Ecce de Iacob quidem mortuo, ſed nondum ſepulto, dictum eſt, quòd appoſitus eſt ad populum ſuum. Sed ad quem populum appoſitus ſit, non in promptu eſt videre. Ex Iacob enim populus natus eſt, qui dictus eſt populus Iſraël: qui autem eum præceſſerunt tam pauci iuſti nominantur, vt eos populum appellare cunctemur. Nam ſi dictum eſſet, Appoſitus eſt ad Patres ſuos, nulla quæſtio fieret. An fortè populus eſt non ſolùm hominum Sanctorum, verùm & Angelorum? Populus, inquam, illius Ciuitatis, quæ de cœlo eſt Hieruſalem? De qua Paulus, Acceſſiſtis, inquit, ad montem Sion, & ad Ciuitatem Dei Hieruſalem, & ad millia Angelorum exultantium. Huic populo apponuntur, qui poſt hanc vitam placentes Deo fiunt; tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet ſolicitudo tentationum, & periculum peccatorum. Hoc intuens Scriptura dixit, Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Hucuſque S. Auguſtinus, qui eadem fermè repetit lib. 2. de peccato originali cõtra Pelagium & Cœleſtium cap. 30. Imitatus eſt S. Doctorem Anſelmus Laudunenſis in Gloſſa interlineari tum ad caput præallegatum Geneſis, tum ad 25. verſ. 8. vbi de Abraham dicitur, *Congregatúſque eſt ad populum ſuum.* Sequutus eſt etiam S. Eucherius Lugdunenſis, vel quiſquis eſt Author Explanationum in Geneſim ſub eius nomine. Sed Petrus Comeſtor in cap. 114. Hiſtoriæ Geneſis præoccupans obiectionem quæ contra hanc interpretationem facilè occurreret, ait de Iacob, *Appoſitus eſt ad populum ſuum, id eſt, ad*

Digitized by Google

Angelos certa ſpe, tandem in re. Notum quidem eſt quod appoſitus eſt ad Abraham, & Iſaac; ſed tam pauci populus dici non poſſunt. Vel populus dici poſſunt omnes ab Adam prædeſtinati, qui erant in ſinu Abrahæ. Et ad normam poſterioris iſtius additionis, quæ præhabetur à Ruperto, Nicolao de Lyra, & Caietano, explicat in cap. 62. qua ratione de Abraham tradatur, congregatum eſſe ad populum ſuum. Paulus Burgenſis videns, de iuſtis etiam viuentibus aſſeri poſſe, appoſitos eſſe ad Angelos, tunc certa ſpe, & poſteà tandem in re, ſi confirmati ſint in gratia, vel ſaltem prædeſtinati, addit, Patrum antiquorum congregationem, & appoſitionem ad populum ſuum ſignificare frequentem viſitationem, qua Angeli ſolabantur illorum Patrum animas deductas in ſinum Abrahæ: quæ viſitatio non improbatur à Salmerone tomo 4. in Euang. p. 3. tract. 21. pag. 717.

159 Sed adhuc aduersùs Paulum Burgenſem inſtari poteſt exinde, quòd multi iuſti viuentes habuerint Angelorum frequentes viſitationes; id tamen non ſufficeret, vt dicerentur congregati, & appoſiti in ſtatu vitæ mortalis ad populum ſuum. Et prætereà vrgentur fortiùs tam Paulus Burgenſis, quàm Petrus Comeſtor; tum quia ſicut in Scriptura dicitur, *Apponi ad populum ſuum,* ita dicitur *Apponi ad Patres ſuos.* Vt Machab. lib. 1. cap. 2. v. 69. Angeli autem non niſi durè ſignificarentur nomine Patrum; tum quia de Iſmaële ſcribitur cap. 25. Geneſis v. 17. *Deficiénſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.* & de Aſtyage Medorum Rege ſcribitur cap. 13. Danielis v. 66. *Et Rex Aſtiages appoſitus eſt ad Patres ſuos;* nec ideò ſentiendum eſt animas Iſmaëlis, & Aſtyagis tranſiſſe ad Societatem Angelorum in ſpe, vel in re quoad frequentem viſitationem: tum denique quia Scriptura ſacra ſæpiſſimè vtitur ſimili alia locutione, nempe *dormire cum Patribus ſuis*, narrans mortem aliquorum, quos certiſſimè conſtat neutro modo penes animas fuiſſe admiſſos ad ſocietatem illam.

160 Ob duas has rationes, additio illa Petri Comeſtoris intelligentis in phraſi *Apponi ad populum ſuum,* iuſtos exiſtentes in ſinu Abrahæ, repudiatur à Pereira diſp. 8. ad cap. 25. Geneſis v. 9. Torniello in Annalibus ſacris, anno 2213. Orbis conditi num. 2. & à Lorino in cap. 13. Actor. v. 36. in cap. 20. Numer. v. 24. Fatentur nihilominus, vt & S. Thomas, vel qui eius nomen præ ſe fert in Poſtilla ſuper Geneſim cap. 25. v. 8. per eam phraſim, & germanas alias denotari deductionem animarum in commune aliquod receptaculum, vbi poſt ſeparationem à corporibus, degant; ſiue illud receptaculum ſit ſinus Abrahæ, ſiue ſit Orcus, ſiue cœlum iuxta meritorum, & temporis conditionem; adiicítque Lorinus, non denotari locum Purgatorij, quia huius non eſt ſtata ſemper, firmàve ſedes. Verùm nec Limbi Patrum ſedes ſic futura erat. Quare non eſt, cur etiam Purgatorium non comprehendatur, & multò potiùs locus pro animabus non expiatis à peccato originali. Gaſpar Sanchez in Acta cap. 2. v. 29. quia defuncti poſteri includebantur in Parentum monumentis, ideò (ſatis genuinè) putat vſurpatas locutiones illas, S. Auguſtinus, & qui ipſum imitandum ſibi propoſuerunt, explicari queunt cohærenter ad interpretationem vel à Petro Comeſtore, vel à Paulo Burgenſi exhibitam Scripturæ ſanctæ. In Burgenſi illud duriſſimum, (& meritò) videtur Lorino, quòd dixerit, quorumcumque iuſtorum animas deſcendiſſe ad Purgatorium, tandiúque ibi manſiſſe, donec Abrahami anima in Inferis fuit. Abſurdiſſimum namque eſt, putare, omnes ab Abel probos obiiſſe cum reatu culpæ venialis, aut pœnæ temporalis, omnéſque vſque ad Abrahamum excruciatos indiſcriminatim in Purgatorio per tot annorum ſpatia.

161 Opponitur deinceps, *Sanctam ciuitatem, in quam,* vt refert Matthæus cap. 27. *venerunt, & apparuerũt multis Sancti* rediuiui exeuntes de monumẽtis *poſt reſurrectionem* Chriſti, eſſe Hieruſalem cœleſtem, quemadmodum interpretantur non pauci Patres apud Suarium in commentar. ad art. 3. q. 53. part. 3. Ergo Sancti illi rediuiui ingreſſi ſunt in cœlum Empyreum priùs, quàm Chriſtus. Reſpondetur, arbitrari ridiculè, indice S. Hieron. in epiſt. 17. qui in loco Matthæi ad litteram intelligunt cœleſtem Hieruſalem, *cum nullum ſignum potuerit eſſe apud homines Domini reſurgentis, ſi corpora Sanctorum in cœleſti Hieruſalem viſa ſunt*, & cum opus non fuerit, apparere Sanctos rediuiuos, vt in cœlo ferrent teſtimonium de Chriſti reſurrectione. Vnde Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 14. Illuminatorum ait, manifeſtum eſſe, quòd ingreſſi ſunt eam Hieruſalem, in qua ipſe tunc erat, ac loquebatur, & quæ Sancta dictitari conſueuit, vt videre eſt in cap. 9. Danielis v. 24. & in cap. 4. Matth. v. 5. *ad diſtinctionem omnium ciuitatum, quæ tunc idolis ſeruiebant,* vti aduertit S. Hieronymus in epiſt. 150. Nec ideò negamus in loco Matthæi cœleſtem Hieruſalem poſſe intelligi in ſenſu myſtico anagogico; quinimò eam optimè intellectam à S. Hieronymo tum in epiſt. 150. tum in cap. 27. Matthæi, a aliiſque Patribus, libentiſſimè concedimus; ita quidem vt Sancti, non quando reſurrexerunt; ſed poſt quadraginta dies cum Chriſto Hieruſalem cœleſtem ſint ingreſſi, ſiue penes animas ſolas, ſiue penes animas, & corpora ſimul. Quod præclarè annotatum eſt à S. Epiphanio in hæreſi 75. his verbis, *Sanctam autem ciuitatem, quam dicit? In ambabus enim ſermo hic impletur; in ea, quæ eſt hic, & in ſuperna. Quod enim in hanc Hieruſalẽ cum ipſo ingreſſi ſunt primùm, id manifeſtum eſt. Antequam verò aſcẽderet Saluator in cœlum, nemo aſcendit, donec cum ipſo aſcenderunt. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcendit, filius hominis, &c.* Beda etiam, Remigius, & S. Anſelmus conceptis verbis animaduertunt, Sanctos illos non antè, ſed vnà cum Chriſto aſcendiſſe in cœlum. Et in Alberto Magno ſuper 3. diſt. 22. art. 12. legitur. *Omnium opinio dicit, quòd nullus aſcendit ante Chriſtum. Vtrùm autem cum ipſo fuerint Sancti Patres, vbicunque ipſe apparuit Apoſtolis, quod ego credo eſſe verum propter iucunditatem, quam habebant in præſentia corporis, quo redempti erant; aut in paradiſo fuerunt per quadraginta illos dies, quod quidam alij dicunt? non eſt temerariè aſſerendum; ſed opinari ſine periculo vtrumque poteſt.*

162 Obiici poſſent alia ſacra teſtimonia, vt illud Sapientiæ 10. v. 17. *Reddidit Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum.* Eccleſiaſtici 11. v. 28. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas.* Lucæ 16. v. 25. *Nunc autem hic,* (id eſt Lazarus,) *conſolatur, tu verò,* (id eſt, diues epulo,) *cruciaris.* Epiſtolæ ad Hebræ. 11. v. 33. S. Patres antiqui *per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones.* Sed hæc teſtimonia nec in ſpeciem vrgent directè contra veritatem, quam ſuſcepimus illuſtrandam, de non adito cœlo Empyreo ab animabus Sanctorum vſque ad aſcenſionem Chriſti in illud, nec re

ipſa

Digitized by Google

ipſa vim vllam continent contra affinem aliam veritatem de non conceſſa viſione beata ante mortem Chriſti. Nam in primo, ſermo ad litteram eſt de mercede collata à Deo iuſtis Hebræis in diſceſſu ab Ægypto pro tot præteritis laboribus. Conſtat apertè id ex contextu antecedentium, & ſubſequentium verborũ. In ſecundo non dicitur, Deum retribuere vnicuique in die obitus, ſed Deo facile eſſe retribuere; neque dicitur, retributionem eſſe viſionem beatam, ſed eſſe ſecundùm merita; quod ſatis benè intelligitur ſiue de præmio, ſiue de ſupplicio, reſpectu habito ad conditionem tẽporis, & ſtatus, vt ſtatim magis declarabitur. In tertio & aſſeritur quidem, Lazarum conſolari, ſed non exprimitur conſolatio, quam tunc habebat; quæ non fuit viſio beata in re ipſa, ſed in ſpe certa, ac infallibili, cum adiunctis aliis ſolatiis abſq; ſenſus pœna proueniente ab igne, aut ab alio corpore. Et ea ſpes, reliquaque ſolatia vocari queunt retributio præmij licèt non vltima, Lazaro, & aliis Sanctis ante mortem Chriſti à Deo conceſſa in die obitus ipſorum; erat namque præmij retributio aliqualis ſecundùm merita, & tempus. In quarto loquitur S. Paulus de repromiſſionibus bonorum, & felicitatum temporalium, quas ſancti Patres antiqui adepti ſunt, dum adhuc mortalem vitam agerent; nam de repromiſſione viſionis beatæ tradit in v. 13. & in v. 39. acceptam non fuiſſe ante gratiæ legem, & mortem Chriſti.

163 Ex libro quarto, qui Eſdræ attribuitur vulgò, quique Canonicus non eſt, opponi etiam poſſent ſequentia verba in c. 2. à v. 40. *Recipe Sion numerum tuum, & conclude Candidatos tuos, qui legem Domini compleuerunt. Filiorum tuorum, quos optabas, plenus eſt numerus. Roga Imperium Domini, vt ſanctificetur populus tuus, qui vocatus eſt ab initio. Ego Eſdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Deum. Et in medio eorum erat iuuenis ſtatura celſus, eminentior omnibus illis, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui Angelum, & dixi. Qui ſunt hi Domine? Qui reſpondens, dixit mihi, Hi ſunt qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei. Modò coronantur, & accipiunt palmas. Et dixi Angelo. Ille iuuenis quis eſt, qui eis coronas imponit, & palmas in manu tradit? Et reſpondens dixit mihi, Ipſe eſt filius Dei, quem in ſeculo confeſſi ſunt. Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini ſteterunt.* Hactenus Author libri illius quarti; & animæ coronatæ viſæ ab ipſo exiſtebant in cælo, vt colligitur ex his anterioribus verbis à v. 33. *Ego Eſdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Iſrael: ad quos cum venirem, reprobauerunt me, & reſpuerunt mandatum Domini. Ideòque vobis dico gentes, quæ auditis, & intelligitis. Expectate paſtorem veſtrum, requiem æternitatis dabit vobis, quoniam in proximo eſt ille qui in fine ſeculi adueniet. Parati eſtote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram ſeculi huius, accipite iucunditatem gloriæ veſtræ. Ego teſtor palam Saluatorem meum. Commendatum donum accipite, & iucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cæleſtia regna vocabit. Surgite, & ſtate, & videte numerum ſignatorum in conuiuio Domini. Qui ſe de vmbra ſeculi tranſtulerunt, ſplendidas tunicas à Domino acceperunt.* Sed in primis reſpondetur, inuitatos, in verbis poſtremò trãſcriptis, vt ſurgant, & ſtent, videantque numerum Signatorum in conuiuio Domini, non eſſe illos ipſos, qui cernuntur cum coronis & palmis. Vnde etſi inuitati dicantur vocari ad regna cœleſtia, poteſt accipi ea vocatio quãtùm ad poſſeſſionẽ non præſentem, ſed futuram regnorũ cæleſtium, in quibus non aſſerit præfatus Author cõſpectos à ſe eos, qui palmas, coronaſque habebant; quatenus ſcilicet aliquod præmium iam acceperant, licèt non vltimum, & conſiſtens in viſione Dei. Deinde reſpondetur (& meliùs) in verbis ordine prioribus dirigi ſermonem ad gentes, quæ poſt aduentum Chriſti credituræ erant in ipſum, & cæleſti regno donandæ, in poſteriori verò contineri imaginariam viſionem beatitudinis ſanctarum animarum in cœlo, non iam tũc communicatæ, ſed communicandæ. Hæc interpretatio non apparet violenta, ſin minus, liber ille inter Canonicos non cenſetur, vt iam dixi.

164 Circa nomen regni cæleſtis in recitato loco obſeruo obiter, cũ liber ille Apochryphus ſit, permanere illæſam adnotationẽ Patrum, *de Regni cælorũ* voce, non audita in Teſtamento Veteri. Legatur Exercit. 2. poſtrema ſectio. Inſurgit tamen non contemnenda difficultas ex cap. 7. Danielis v. 18. vbi dicitur, *ſuſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi, & obtinebunt regnum vſque in ſeculum, & ſeculum ſeculorum.* Quibus verbis, cùm vſus eſſet Pelagius ad ſaluandam poſitionem ſuam de Regno cælorum promiſſo in Veteri etiam Teſtamento, nec Palæſtini Patres Conciliares, nec S. Auguſtinus recuſarunt concedere, Danielem loqui de Regno cæleſti: ſed non ſuſcipiendo ante Teſtamentum nouũ. Sic conſtat ex S. Auguſtino in lib. de geſtis Pelagij c. 5. & 35. Crediderim, S. Doctorem parùm ibi ſolicitum fuiſſe de nomine, quia nec Palæſtini Patres ſedentes Dioſpoli curarant, dummodò promiſſum Regnum cæleſte intelligeretur conferendum in Nouo Teſtamento ratione operum, quæ in antiquo fieri poterant ex gratia diſpenſata ob fidem Chriſti venturi: licèt Danielis verba alium, quàm de regno cæleſti, admittant ſenſum, vt in Interpretibus, præſertim Gaſpare Sanctio, animaduertere eſt. S. Hieronymus lib. 1. aduerſus Pelagianos, ait, ipſos ponere teſtimonia de apocryphis ad comprobandã promiſſionem regni cœlorum in lege ſcripta: ſuſpicor dixiſſe id, quia Pelagiani vſurparent recitatum locum ex lib. 4. adſcripto Eſdræ, ſomniaque continente, vt ait idem Maximus Doctor præfatione in Eſdram. Alia de hoc puncto inueniet ſtudioſus antiquitatis in Petauio tom. 3. Theolog. dogm. lib. vnico de Pelag. & ſemipelag. hæreſi, c. 6. à n. 12.

SECTIO XIII.

Explicantur Scriptores aliqui Eccleſiaſtici, & referuntur Hæretici, qui à veritate Catholica in præcedentibus ſtabilita deuiarunt.

165 PRudentius lib. Periſtephanon, hymno 5. ait, S. Vincentium Martyrem capeſſiuiſſe cœlum, & rectam ad Patrem viam.

Quam fratre cæſus impio
Abel beatus ſcanderat.

De eodem Abele inquit Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q. 31. *Corpore quidem ſedem ſepulchri, animum verò gaudium vitæ perennis intrauit, vbi vidit requieſcentem pauperem diues ille, cùm apud inferos ipſe torqueretur.* Gazæus Procopius in cap. 5. Geneſis ſcribit, Abel interfectum à fratre ad aſtra volaſſe. Mirum non eſt, dici id à Gazæo, qui etiam Henochũ, & Eliam in æterna tabernacula receptos dixit;

Digitized by Google

dixit; niſi velis, hunc Authorem, ſicut & primum, per Abelis volatum ad aſtra, & aſcenſum in cœlum denotaſſe ſanctum Abelis obitum, & cæleſtium ſedium poſſeſſionem, quæ ipſius animæ reſeruabatur conferenda futuris temporibus. Sic multi in hiſtoria ſimul, & parabola Lazari ac Diuitis per ſinum Abrahæ, ad quem ab Angelis portata refertur Lazari anima, ſubaudiunt cœlum non tunc reſeratum quando mortuus eſt Lazarus, ſed aperiendum poſteà; & per conſolationem, qua idem dicitur frui, intelligunt viſionem beatam comparandam poſt Chriſti mortem.

166 Hinc S. Chryſoſt. homil. in Pſ. 33. meditatur Diuitem *erexiſſe oculos in cœlum de loco tormentorũ, & clamaſſe ad Patrem Abraham.* Hinc S. Chryſologus ſerm. 124. de Diuite, & Lazaro ſic perorat, *Si eſt aſcendendi poſſibilitas ad ſuperna; ſi eſt facultas viuendi in cæleſtibus, ſi eſt Abrahæ ſinus bonis omnibus ad requiem præparatus, ſi eſt Lazarus in ſinu Patris tanti, imò quia dubium non eſt, vbi & loca, & perſona, & nomina deſcribuntur; quare non cœlo mutamus terram? Quare non caducis emimus æterna? quare non perituris manentia comparamus? vt & ſupplicia denitemus Inferni, & hæc, quæ audire deſideramus anguſtè, latè videre, habere, & tenere poſſimus.* Et S. Ambroſius oratione funebri de obitu Valentiniani inducit Gratianum iam anteà defunctum loquentem ſic Valentiniano tunc emortuo, *Veni in illum agrũ, qui eſt odor Iacob, hoc eſt veni in gremium Iacob, vt ſicut Lazarus Pauper in Abrahæ ſinu, ita etiam tu in Iacob Patriarchæ tranquillitate requieſcas. Sinus enim Patriarcharum receſſus quidam eſt quietis æternæ.* Hinc cœlum Empyreum vocatur ſinus Abrahæ à S. Iacobo in Liturgia, à S. Dionyſio Areopagita c. 7. de Eccleſiaſtica Hierarchia (vbi legendus eſt Georgius Pachymeras) & ab Eccleſia tam in ordine Cõmendationis animæ, quam in officio Defunctorum, & S. Martini; iſque in extremis aiebat, *Abrahæ me ſinus excipiet.* S. Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum c. 3. *Quicquid illud eſt, quod ſinus Abrahæ vocatur, ibi Nebridius meus viuit:* rurſus lib. quæſtionum Euangelicarum cap. 38. *Sinus Abrahæ requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in qui poſt hanc vitam recipiuntur,* Sed S. Bernardus ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorum animaduertit, *Sicubi fortè præſens quoque Sanctorum requies Abrahæ ſinus vocatur, certum eſt de Euangelio, hanc inoleuiſſe conſuetudinem; licèt neminem oporteat dubitare longè alium hunc ſinum eſſe, quàm illum; quippe cùm ille in tenebris, hic in luce multa: in Inferno ille fuerit, iſte in cœlo. Non incongruè tamen etiam nunc dictum videtur, Patriarcharum filios paternum in ſinum recipi, cum ad eorum conſortium ab hoc ſæculo tranſire meruerint.* Poëta Chriſtianus vetus apud Gaſparem Barthium lib. 1. Aduerſar. c. 3. Sic ludit de Militante Eccleſia in fine mundi,

Tranſlata nunc migrabit in ſinum Abrahæ
Viſura Chriſtum perpetim——

Epiſcopus Carnotenſis Iuo Epiſtola 198. ſcribit ad Reginam Mathildem, *Pro anima fratris veſtri religioſi Regis deuotas Deo preces effundimus, quamuis animam eius in ſinu Abrahæ collocatam, ſi vita eius ita ſe habuit, vt dicitur, indubitanter confidamus.*

167 Hæc incidenter; ſed non extra rem, nam fortè non nemo obiiceret nobis hunc loquendi modum repertum in Patribus, & iam in promptu cuiuis erit interpretatio Anaſtaſij Nicæni, vel Anthiocheni. Verùm quia S. Bernardum ad manus adduximus, non prætermittemus egregium eius ſuffragium pro Catholica doctrina in præcitato ſermone. Inquit itaque: *Donec veniret deſideratus ille, qui ſanguine ſuo deleret chirographum damnationis noſtræ, & flammeum attingens gladium aperiret credentibus regna cælorum, nullus omninò cuique Sanctorum ad ea patebat acceſſus, ſed prouiderat eis Dominus in Inferno ipſo locum quietis, & refrigerij, Chaos magnum firmans inter ſanctas illas animas, & animas impiorum. Quamuis enim vtraque in tenebris eſſent, non vtraque erant in pœnis, ſed cruciabantur impij, iuſti verò conſolabantur. Quod autem in tenebris eſſent Beati, Iob teſtimonio didicimus, qui ſe quoque in locum tenebroſum, & opertum mortis caligine perbibebat iturum.* Sic ille. Et nos inceptam proſequamur viam.

168 Victorinus Afer Rhetor Romanus, & Maſſilienſi antiquior, canit de Machabæis, eorúmque matre,

Sic ipſa, & nati, ſanctorum in pace recepta eſt.

Sed de receptione in pace, aut parte Sanctorum, quos Abrahæ ſinus continebat, accipi commodè poteſt. Venantius Fortunatus ludit etiã de eâdem,

Quæ ſeptem palmas cœlo tranſmiſit ab aluo,
Martyriique decus protulit illa vterus.

Valerianus Cemelienſis homilia 18. de Machabæis ait, *Beata inter omnes matres & ipſa orbitate felicior cui tantum fides contulit, vt ſub vna die ad cæleſtis regni gloriam cum tota ventris fœcunditate migraret.* S. Chryſoſtomus homiliâ 2. de Machabæis agens de poſtremo ex ſeptem fratribus, déque illuſtri eius certamine, inquit, *Hoc ſpectaculum adeo magnificum erat, & ingens, vt vel ipſum Angelorum cœlum, ſiue potius ipſos etiam fratres ſpectatores haberet, non iam è terra, ſed è cœlo. Nam coronati illic ſedebant, quemadmodùm in Olympiacis agonibus iudices.* Non diſſimili forma effantur aliqui Patres apud Serarium in cap. 7. lib. 2. Machab. Exponendi tamen ſunt, vt Prudentius ſupra, id eſt referendi ſunt ad tempus propalatæ viæ Sanctorum in cœlum per Chriſtum: eſt namque in more loqui de futuris atque præteritis, ac ſi eſſent præſentia. Vel dicatur, Patres ſic pronunciare, quia iam ſuo tempore animæ mulieris fortiſſimæ, & natorum conſcenderant in cœlum. Et ſiue vno, ſiue altero modo interpretandus eſt S. Leo Magnus ſerm. 1. de Epiphania, dum de occiſis ab Herode infantibus ſcribit, *Quos impius Rex eximit mundo, Chriſtus inſerit cœlo.* Et ſerm. 3. de eadem feſtiuitate, dum de eiſdem addit, *trucidari* ipſorum *infantiam in æternam gloriam tranſituram.* S. Bernardus epiſt. 99. ne aliquis falleretur, edocet nominatim, horum infantium, & illorum Machabęorum fratrum animas *pro tempore, non ad cæli mox gaudia; ſed ad Inferni tenebras deſcendiſſe: ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cælorum, agno videlicet de tribu Iuda, qui aperit, & nemo claudit, ad cuius introitum cum omni authoritate ſupernis poteſtatibus diceretur: Tollite portas, Principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

169 Euthymius in c. 14. Ioannis v. 3. & in c. 13. ac 16. Lucæ tradit apertè, animas Iuſtorum, qui deceſſerunt ante Chriſtum non in Limbum Patrum tunc deportatas, ſed in cœlum. Vnde Maldonatus in cap. illud 14. Ioannis colligit, Græcorum Authorũ fuiſſe hunc errorem, qui indicatur aliquatenus à Theophylacto in verbis exaratis n. 116. Sed Euthymius non videtur conſtans in eo manſiſſe: nam alibi dixit, ſciſſum templi velum ſignificaſſe ex tempore mortis Chriſti, *diuiſum iam eſſe medium parietem inter cælum, & terram,* qui

qui inter Deum erat, & homines; & factum eſſe cælum hominibus peruium. Buzerus in capite 27. Mathæi, Caluinus in Pſychopannichia, Beza lib. contra Brentium parte 2. de Chriſti maieſtate, vt fidei Catholicæ articulum de deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos negarent, affirmarunt, animas Sanctorum ante Chriſti aſcenſionem extitiſſe in cœlo, ſine viſione tamen beata, quod & ab Euthymio dictum fuerat, & aliquantò antea à Theophylacto. Benè quidem quoad ſecundum, ſed inconſequenter ad primum, conuictum de hæreſi in præcedentibus. Benè, inquam, niſi vlteriùs adderent, carentiam viſionis beatæ protendi vſque ad diem Iudicij vniuerſalis. Theophylactus, & Euthymius aliis erroribus inter Græcos Schiſmaticos communibus ſua ſcripta fœdarunt; ideóque nullam authoritatem conciliant ei, in cuius impugnatione verſamur.

170 De Buzero, Caluino, & Beza, illud dicam quod apud S. Chryſoſtomum homil. 5. ſuper epiſtolam ad Timotheum legebam, *Cùm quid noui fuerit inuentum, ſemper noua id parturit, infinitúſque fit error eius, qui tranquillam, fidámque ſtationem littoris egreſſus, per deuia cœperit diuagari.* Sic accidit nouatoribus iſtis hæreticis, quos in errorem de exiſtentia animarum in cœlo ante aſcenſionem Chriſti traxit ille alius antea conceptus contra proprium ac verum deſcenſum animæ eiuſdem ad loca ſubterranea. Nempe, vt S. Proſper commonuit.

———quem non recto via tramite ducit,
Quantò plus graditur, tantò longinquiùs errat.

SECTIO XIV.

Satisfit nonnullis argumentis à ratione.

171 PRimum: Angeli, qui in Dei gratia perſeuerarunt, aſcenderunt in Empyreum ſtatim poſt finitum terminum viæ, & meritorum, quin expectarent, vt Chriſtus præiret. Ergo idem dicendum eſt de animabus hominum ſanctis liberiſque ab omni perſonalis culpæ, & pœnæ reatu. Si reſpondeatur, Angelos conditos eſſe in ipſomet Empyreo; ideóque nullum eſſe deſumptum ex eis exemplum. Contra, tum quia extra Empyreum creatos defenditur in ſect. 2. exercit. 20. tum quia admiſſa creatione intra Empyreum, non minuuntur vires argumenti, ſed potiùs augentur. Nam ſi Angeli adhuc in ſtatu Viatorum incoluerint ſedes Empyreas antequàm Chriſtus; æquius videtur, vt eas etiam occuparint animæ iuſtæ, ac puræ, confirmatæ in gratia, & non iam viatrices. Secundum: Propenſior eſt Deus, vt beneficia, & præmia conferat, quàm vt ſupplicia, & pœnas infligat: Sed impiorum animas deiecit in barathrum ſæculis præcedentibus Chriſti aduentum: Ergo piorum animas immunes à reatu culpæ, & pœnæ euexit in Empyreum priùs, quàm Chriſtus illud intraret. Tertium: Multæ antiquorum Patrum animæ ſuperarunt in Sanctitate multas animas, quæ modò ſeparantur à corporibus ſine reatu culpæ, ac pœnæ: Ergo iniuſtum videtur, has in Empyreum mox deferri, & illas tandiu manſiſſe extra, ac in Inferis.

172 Ad primum dico, Si Angeli creati ſint extra Empyreum, ideo eos, qui perſeuerarunt in Dei gratia, admiſſos eſſe ſtatim ad illud, quia viſionis beatæ ſtatus, in quo ſtatim conſtituti ſunt permanenter, exigebat ſuo quaſi iure exiſtentiam Angelorum in Empyreo tanquam in loco proprio, & ordinario: Et quia peccatum Angelorum, qui defecerunt, non fuit commune toti naturæ Angelicæ, nec peccatum, pro quo ſatisfacturus eſſet Chriſtus moriens: quare nihil cauſæ apparet, vt Angelis perſeuerantibus in Dei gratia occluderetur aditus ad Empyreum. Si verò Angeli creati ſint intra hoc cœlum, militat æquè vtraque ratio diſcriminis ad Sanctorum animas: quæ ante mortem Chriſti donatę non ſunt viſione beata: nec ante eandem mortem ſatisfactum fuit pro tota ipſarum natura comprehenſa in peccato originali, licèt ipſæ ab hoc vt importante carentiam gratię, & reatum pœnę æternæ eſſent in particulari iam liberatæ per merita Chriſti antecedenter præuiſa, & applicata, vti etiam erant à macula, & pœna, ſiue æterna, ſiue temporali cuiuſuis peccati perſonalis lethalis, vel venialis, ſi quod perpetraſſent. Poſt ſatisfactionem autem à Chriſto exhibitam, & conceſſam ipſis viſionem beatam conuenientiſſimum proculdubio fuit, differri ingreſſum in Empyreum vſquedum Chriſtus victor illud penetraret, vt in omnibus naturalis Dei filius primatum teneret, iuxta Paulum ad Coloſ. cap. 1. verſ. 18.

173 Ad ſecundum reſpondeo, oſtendiſſe ſe Deum ſatis propenſum ad beneficia, & præmia conferenda, dum animabus antiquorum Patrum miſericorditer remiſit peccatum originale, & quoduis aliud perſonale perpetratum, ſiquidem iuſtiſſimè poſſet irremiſſa relinquere; proindéque & ipſas animas æternæ damnationi, excluſioníque à regno cœleſti obnoxias; & dum earundem bona opera auxiliante gratia præuenit, ſanctificantíſque gratiæ præmio remunerauit liberaliter, ſiquidem abſolutè poſſet auxiliantem gratiam, ſine qua bona opera non fierent, denegare, & poſt ea facta non concedere gratiam ſanctificantem. Vnde dilatio admiſſionis ad ſedes cœleſtes occupandas, quoadvſque Chriſtus præcurſor introiret, non eſt cenſenda præiudicare diuinę propenſioni ad benè faciendum, & pręmiandum; vt omittam multa alia, in quibus Deus prębuit maiora ſuæ miſericordię, quã iuſtitię indicia. Quòd verò impiorum animas vlla abſque mora in Tartarum deiecerit à primæuis iam tẽporibus, ideo fuit, quia pro differenda deiectione non apparebat ratio ſimilis ei, quam aſſignaui pro animabus piorum non introducendis in cœlum ante ſtratam à Chriſto viam.

174 Ad tertium dico, detentionem animarum extra cœlum, & in Inferis, neutiquam proueniſſe ex minori Sanctitate, ſed ex iuſtiſſima cauſa iam ſatis explicata: Et quamuis diſcurſu Theologico nullam hactenus aſſequuti eſſemus, ſufficeret pro ratione voluntas diuina nobis apertiſſimè manifeſtata in ſacræ Scripturæ monumentis.

SECTIO XV.

An ſi Deipara Virgo prius, quàm Chriſtus obiiſſet, aſcendiſſet in Empyreum anima ipſius?

175 NOn aſcẽſuram tunc animam Virginis Sacratiſſimam ad Empyreum, nec beata viſione ornandam, ſed deſcenſuram ad Limbum Patrum, tradunt Alenſis, S. Bonauentura, & Scotus, quos refert, & ſequitur Antonius Cordubenſis lib. 1. Quæſtionarij. q. 47. Prætereà S. Thomas 3. p.

quæſt.27. art. 1. ad 3. Nicolaus de Orbellis in 3. ſentent. diſt.3. quæſt. vnica, Pelbartus in Pomerio ſermonum de B. Virgine lib.4. parte, & art.2. ad 6, difficultatem, Raulinus ſerm. 8. de Conceptione Virginis glorioſæ, Philippus Faber in 3. diſt. 10. num. 25. Vorrillong. in 3. diſt.3. parte 1. in fine, Franciſcus del Caſtillo diſp.2. de Immunitate Virginis à peccato originali num.96. Bachonus in 4. diſt.2. quæſt.3. art.4. ad 2. Gordonus lib.1. Theologiæ Moralis quæſt.14. cap.4. in fine, Salmeron tomo 13. diſp.50. in epiſt. ad Romanos pag. 626. Nyſſe. in reſolutione Theologorum tract.4. part.1. portione 5. quæſt.1. Ambroſius Spiera in Quadrageſimali de floribus ſapientiæ ſerm. 32. Bartholomæus de Medina in 3.part. q. 49. art. 5. cenſens, non poſſe dici oppoſitum ſine temeritatis, & erroris nota. Suarez in eandem 3.part. tum Comment. ad art.1. quæſt.27. tum diſp.3. ſect.5. in fine, Granadus tom.4. contrmedian.2. de geſtis mirabilibus vitæ Chriſti tract.1. diſp. 3. ſect.28. Ægidius Luſitanus lib.3. de immaculata B. Virginis Conceptione q.1. art. vnico §.4. Duuallius in tract. de peccatis q.vlt. art.5. §. *ad tertiam*. Auerſa 3.part. quæſt.17. ſect.14. & alij Doctores communiter, dum tractant, an Virgo Deipara contraxerit peccatum originale?

176 Sed tamen Petrus Galatinus lib.7. de arcanis Catholicæ veritatis cap.10. exiſtimat in eo caſu aſcenſuram Mariæ animam ad aliquem locum cœlorum ſanctiſſimum, licèt non ad paradiſum cœleſtem, & Empyreum. Gerſon; Robertúſque de Licio apud Cordubenſem ſupra, Ioannes Baptiſta de Lezana lib. Apologetico pro Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione capite 31. & Gundiſaluus, Sanchez, Luceio diſcur.2. de eadem re c.12. aiunt, non deſcenſuram ad Limbum Patrum, neque aſcenſuram ad Empyreum, donandam nihilominus viſione beata. Et ſic fertur decreuiſſe Vniuerſitatem Pariſienſem circa annum Domini 1530. in idque videtur Suario propendere Scotum, nec implacidum eſt Buſto in ſerm. 2. de Conceptione parte 2. ad 3. argumentum. Franciſcus à Chriſto in prælectione de Incarnat. lib.6. quæſt.1. fol.191. & in 3. diſt.3. quæſt. 1. ad 6. deſignat Marianæ animæ paradiſum terreſtrem, nihil dicens de beata viſione. Dominicus Bollanus in quæſt. de Conceptione B. Virginis reſpondens ad 5. inconueniens primi articuli partis affirmatiuæ, inquit, *Si Virgo fuiſſet mortua ante paſſionem Domini, non iuiſſet ad Limbum; imo ſtetiſſet aſſociata cum Angelis, & Sanctis, & expectaſſet reſurrectionem filij ſui, quia ordo Vniuerſi ſic requirebat, quòd nemo ante Chriſtum fuiſſet beatus, & ad paradiſum iuiſſet*. Sic ille, cuius tractatus extat inter ſermones Roberti de Licio.

177 Pro quæſtionis huius deciſione aſſerendum eſt primò, ſi Deipara Virgo contraxiſſet peccatum originale, & ab eo mundata deceſſiſſet ante ſuum filium, deſcendiſſet ipſius anima in Sinum Abrahæ, & viſione beata caruiſſet. Probatur, tum quia iuxta eam opinionem de contracto peccato originali, in huius pœnam incurriſſet mortem Virgineum corpus. Ergo & anima incurriſſet dilationem viſionis beatæ, ac introductionis ad regnum cœleſte, vſquedum Chriſtus moreretur, & intraret Empyreum. Tum quia ſicut animabus antiquorum Patrum, etſi à peccati originalis macula eſſent iam expiatæ, non eſt conceſſa beata Viſio ante mortem Chriſti, nec permiſſus aditus ad Empyreum ante eiuſdem Chriſti aſcenſionem; ita prorſus cogitari debere quo ad Virginis animam ſi peccatum originale contraxiſſet, & ſi ab illius macula eſſet iam immunis, ſuadet æqualitas rationis. Quòd enim Virginis anima multò ſanctior eſſet poſt expiationem perſonalem à peccato originali, non faceret ipſam liberam à reatu communis pœnæ, cui per contractum ſemel peccatum originale reddita fuiſſet obnoxia. Alioqui antiquorum Patrum animæ, quò ſanctiores vt comparatæ inter ſe, eò breuiùs adeptæ eſſent viſionem beatam, & poſſeſſionem cœleſtium manſionum. Rationem à priori tradet num. 181.

178 Affirmandum eſt ſecundò; etiamſi Virgo Deipara præſeruata fuerit à peccato originali, vt conſtantiſſimè cenſeo, docuitque Hiſpanos S. Iacobus Apoſtolus, quod oſtenſum à ſe iri non infirmis fundamentis in libro ad lucem parato pollicetur Hiſpanæ gentis, & litteraturæ nouum decus Antonius Calderon cap.6. pro titulo Immaculatæ Conceptionis n.2. & vt cecinit Vrbanus VIII. in Virginis B. hymno vernaculo (qui factus eſt publici iuris, dum Eccleſiæ clauum Author teneret) Strophe 2.

Foſti ab eterno eletta,
E ſenza machia original concetta.

Tamen caſu quo ante Chriſtum exceſſiſſet è viuis, contendiſſet ipſius anima in Sinum Abrahæ, & ibi careret viſione beata, quoadvſque Chriſtus mortuus fuiſſet, nec in Empyreum auolaret priùs, quàm Chriſtus. Probatur primò, quia cùm Chriſti anima deſcenſura eſſet in Sinum Abrahæ, quando ſepararetur à corpore, par eſſet, vt inter Matris, & Filij animas ſeruaretur ſimilitudo in eo deſcenſu: Quòd ſi pro Matris morte aſſignatur ea congruentia à Patribus, & Theologis, vt filium iam defunctum Mater imitaretur; eadem congruentia valet pro deſcenſu animæ Matris in Sinum Abrahæ, vt nimirùm animæ Filij poſteà deſcenſuræ conformis eſſet. Secundò, quia Chriſti anima deſcendit ad Inferos, etſi à peccato originali contrahendo fuerit prorſus immunis: Ergo ex eo præcisè, quòd Deiparæ Virginis anima præſeruata fuerit ab eodem peccato gratioſè, & liberaliter, non ſequitur, non deſcenſuram ad Inferos, ſi à corpore fuiſſet ſeparata antè quàm Chriſti anima à ſuo. Sed quia dices, ſpeciales rationes pro animæ Chriſti deſcenſu non vrgere, quoad animam Deiparæ Virginis, & quia etiam inquies, Chriſti animam contuliſſe ſe ad Inferos, quin tamen reipſa, & de facto anima Deiparæ Virginis ipſam ſit imitata in ea deſcenſione, ideò aſſertio efficaciores alias probationes deſiderat.

179 Tertiò itaque, & efficaciùs probatur, quia, vt ſupponit caſus, Deipara Virgo non obſtante præſeruatione à peccato originali ſubiiſſet mortem; quam in eius peccati pœnam ſubeunt omnes meri homines: Ergo & ipſius Deiparæ Virginis anima adiiſſet Sinum Abrahæ, & beatæ viſionis dilationem incurriſſet: quod vtrumque patiebantur olim in pœnam peccati originalis omnes aliæ animæ antiquorum Patrum. Si eneruare coneris hanc probationem, eo quòd etſi Virgo ſubierit mortem, non tamen corruptionem corporis, & alia nonnulla, quæ nos experimur in pœnam peccati originalis. Ergo ſimiliter, etſi caſus ſupponat Virginem commutaſſe cum morte vitam, non inde infertur, retardandam ipſius animam à viſione beata, & incolatu Empyrei. Sed contra, quia in hac detentione nihil indecori ſe prodit reſpectu animæ Virginis, vti reſpectu corporis apparet, ſi corruptionis expers non fuiſſet redditum. Et confirmatur exemplo Chriſti, cuius animam non dedecuit deſcēſus ad Sinum Abrahæ; nec corpori indecora fuit mors, vti fuiſſet corruptio; ideóque impedita per diuinam virtutem. Sanè ſicut

Virgo

Digitized by Google

Virgo vi amoris ſine vlla ægritudine, & dolore mortem lætiſſima ſuſtinuit (de quo eruditiſſimè Carthagena homilia 4. de morte B. Virginis, & Sherlogus veſtigatione 32. in Cantic. n. 49. diſſentiente Petro Damiani opuſc. 55. c. 1.) vt dilectiſſimi filij voluntariè præmortui veſtigia ſequeretur, ita ipſius anima dilatam viſionem beatam, & cœli poſſeſſionem placidiſſimè ferret in eo caſu, expectans pro viſione beata, vt filij anima ſuas finiret paſſiones, & pro Cœli poſſeſſione, vt eiuſdem filij anima, ac corpus præirent.

180 Quartò, quia Virginis Chriſto præmortuæ corpus non reuixiſſet immortale, antequam Chriſtus reſurgeret: Ergo neque antequàm hic iniret poſſeſſionem cœli, & aſcendiſſet eò illius anima, vt enim æquum fuiſſet, Chriſtum eſſe primogenitum ex mortuis ad vitam immortalem, ita & ex hominibus primum eſſe poſſeſſorem Cœli, tanquam filium Dei naturalem, & cui non iure adoptionis, ſed natiuo perſonæ debebatur cœleſte regnum. Quintò, ex dictis in prima aſſertione; quia ſi Virginis Chriſto præmortuæ anima mundata à peccato originali detineretur in Limbo Patrum, vſquedum Chriſtus inde extraheret, & viſione beata non frueretur, vſquedum idem moreretur, neque aſcenderet in cœlum, vſque ad eiuſdem aſcenſionem, par ratio eſt in caſu ſecundæ huius concluſionis. Reſpondebis, diſparem eſſe rationem in præſenti caſu ob præſeruationem animæ Virginis à peccato originali. Sed contra, quia ſuppoſita præſeruatione militant adhuc rationes præcedentes, & hæc, quæ ſequitur, éſtque primaria probatio aſſertionis ſecundæ, ac primæ.

181 Carentia viſionis beatæ permanentis ante Chriſti mortem, & deſcenſus ad Inferos ante reditum animæ Chriſti ex illis fuit communis animarum conditio ex lege diuina ordinaria. Deeſt autem fundamentum, vt dicatur, Deum diſpenſaturum cum Virginis anima ſiue præſeruata, ſiue mundata à peccato originali. Imò adeſt poſitiuum fundamentum, & multiplex ad oppoſitum aſſeuerandum. Nam quemadmodùm in lege mortis non diſpenſaret Deus cum Virginis corpore, ſic nec in illa alia lege cum anima. Quæ ſi mundata eſſet à peccato originali ſubiret per modum pœnæ carentiam beatæ viſionis, & deſcenſum ad Inferos; ſi verò præſeruata eſſet, ſubiret ſolùm per modum pœnalitatis ob communem conditionem naturæ humanæ ex lege diuina interminata ratione peccati originalis commiſſi ab Adamo, cuius per actiuam viri generationem filia erat ſanctiſſima Virgo. Doctores, qui MARIAM putant obnoxiam proximè fuiſſe debito incurrendi originalem labem, poſſent ex hinc facilè componere præſeruationem cum carentia viſionis beatæ, & deſcenſu ad Inferos per modum pœnæ. Videatur Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſp. 115. c. 3. Sed ſi neceſſe eſſet fateri eam carentiam, & deſcenſum, debere habere ſe vt pœnam reſpectu animæ Virginis, ſæpè filij puniuntur propter delicta parentum, quin ipſi filij fuerint participes criminum, & tamen incommoda, ac damna, quæ ſentiunt, dicuntur propriè pœna. Quare ex hoc capite opus non eſſet, recurrere ad indicatam obnoxietatem proximam, atque actualem. Quam in Deipara non admitto adhærens Noſtratibus Alfonſo Salmeroni Romanorum 5. diſp. 46. pag. 596. D. 49. pag. 617. & 619. Franciſco Turriano in epiſtola de peccato originali, Ludouico de la Puente lib. 7. in Cantica, exhortatione 20. ſect. 3. num. 5. Ferdinando Salazario, Iacobo Granado, Ioanni Perlino, Pinto Ramireſio, Ambroſio de Pinaloſa, Pioræo, Sherlogo, Gueuaræ, Sforciæ Pallauicino, qui MARIAM à debito actuali, & proximo incurrendi peccati originalis liberam prædicant, & comprobant, prodibitque breui abſolutiſſimum P. Ioannis Antonij Velazquez opus de Beata Virgine MARIA Forma Dei, vbi ad extremos vſque apices prouehit Marianum iſtud priuilegium. Cui ex Authoribus extra Societatem IESV fauent grauiſſimi Theologi Andreas Duuallius, & Nicolaus Iſambertus, compluréſque alij inueniendi apud Ægidium Luſitanum lib. 2. de Conceptione quæſt. 3. art. & §. 1. quæſt. 4. art. 6. propoſitione 4. Auerſam 3. part. quæſt. 27. ſect. 16. & apud Salazarium, Perlinum, ac Granadum.

182 Poſtrema probatio præcidit directè vires principalis argumenti aduerſantium primæ, ac ſecundæ aſſertioni. Etſi enim in pœnam peccati originalis occluſum ſit hominibus regnum cœleſte, tam quo ad ius proximum adeundi illud ratione viſionis beatæ permanentis, quàm quo ad aditionem ipſam, conſtat iam ex poſtrema probatione, Virginis Chriſto præmortuæ animam ſiue mundatam, ſiue præſeruatam à peccato originali, ſubituram nihilominus illam pœnalitatem, vel pœnam, ſi mauis fortè ſic vocare reſpectu animæ Marianæ. Sed addunt aduerſantes, cogitatu etiam ipſo abſurdum videri, vt Mariana anima exiſtimetur ab aliquo piè, & reuerenter affecto deſcenſura ad Limbum Patrum, vbi ſub Diaboli eſſet poteſtate, & manibus, quemadmodùm de animabus aliis ibi exiſtentibus ait S. Thomas 3. part. quæſt. 49. art. 2. ad 2. Qui modus loquendi colligitur ex ſacris Litteris, conformiſque eſt aliis Patribus Eccleſiæ. Reſpondetur primò, exiſtimari à nobis vt poſſibilem ſolummodò deſcenſum animæ Marianæ ad Limbum Patrum; & à Deo prouidentiſſimè diſpoſitam mortem Matris eo pacto, vt deſcenſus ille animæ, ſi minus decens habeatur, non eueniret. Secundò, in caſu conſiderato tantùm vt poſſibili vtcumque, Marianam animam, ſi præſeruata exiſtimetur à peccato originali, non fore ſub poteſtate, & manibus Diaboli; nam ſic dicitur fuiſſe alias animas ob contractum tale peccatum. Si verò non præſeruata, ſed mundata putetur, ij, qui ita ſupponant, non magis refugient admittere futuram tunc ſub poteſtate, & manibus Diaboli ob reatum pœnę relictum ex peccato originali, quàm vereantur, perhorreſcántque concedere in primo inſtanti vnionis ad corpus fuiſſe reapſe ſub eadem poteſtate, & manibus ob reatus culpæ, ac pœnæ incurſos ſimul, importantéſque miſeram illam ſubiectionem, iuxta doctrinam Synodi Tridentinæ initio decreti de peccato originali. Reſpondetur tertiò, obnoxietatem exiſtendi ad tempus in Inferis, ſi anima prædita ſit ſanctificante gratia, non importare abſolutè captiuitatem ſub Diaboli dominio, vt liquet exemplo animarum commorantium modò in Purgatorio. Hinc S. Thomas prædallegatus ſcientiſſimè dixit, *Quantùm autem ad aliquid nullus poterat Diaboli manus euadere, vt ſcilicet non deſcenderet in Infernum, à quo poſt paſſionem Chriſti, ſe poſſunt homines eius virtute tueri.* Notentur verba illa, *Quantùm ad aliquid.* Et hoc modo intellecta captiuitas animæ Marianæ non ſolùm ſanctæ, ſed & liberæ ab omni pœna ob peccatum perſonale proprium, vtpote nunquam commiſſum infligenda, non eſt, cur in imaginario illo caſu abſonet piis, & doctis auribus.

183 Vrgebis adhuc, exiſtentia animæ Marianæ in Limbo eſſet contra Maieſtatis ſuæ decorum, vt & triſtitia, quam ibi pateretur ratione dilatæ viſionis

nis beatificæ. Poſſet non nemo reſpondere, Deum impediturum triſtitiam in eius anima ob dilationem beatæ viſionis, non ſecus, ac iuxta communem ſententiam apud Salam tomo 2. in 1. 2. tt.13. diſp.11. ſect.6. quæſt.2. Granadum tom.4. cont.2. tract. & diſp.1. ſect.18. à num. 114. alióſque memoratos circa finem Exercit. 10. cohibet nunc in pueris decedentibus cum ſolo peccato originali, etſi ipſis, non ad tempus, ſed in æternum, quod multò plus eſt, denegetur viſio beata. Quia tamen S.Auguſtinus, S.Gregorius Magnus, S.Thomas, & cum eis Suarius tom.2. in 3.p.diſp.42.ſect.1.v. *Quarta dubitatio*, Granadus tom.5. p.1. controu.13. de Nouiſſimis.tract. diſp. ac ſect.2. n.10. Becanus in opuſculis tom.5. opuſculo de Inuocatione Sanctorum quæſt.3. num.17. perſpicuè edocent, Sinus Abrahæ inquilinas animas aliquali triſtitia affectas, quippe *ſpes, quæ differtur, affligit animam*, vt ait Salomon Prouerb.13.verſ.12.& vt Seneca, *Cum expectatio longior eſt, conſeneſcit animus, & debilitatur mens*, Statius etiam,

——Spes anxia mentem
Extrahit, & longo conſumit gaudia voto.

Ideo Sanctiſſimæ Dei Genitricis animam dolore aliquo affligendam, ſatiùs eſt concedere vel in peccati originalis pœnam, ſi illud contraxiſſet, vel pro communi conditione humanæ naturæ ante mortem Chriſti, ſi ab illo peccato fuiſſet ſingulariter exempta. Et ipſa certiſſima ſpes obtinendæ tandem gloriæ, vt alia doloris lenimenta ſubticeam, *pareret requiem, ac ſolatium, ſicut in agone poſitis dolorem vulnerum, mitigat ſpes coronæ*: Quo exemplo vſus eſt Origenes homilia 9. in Exodum. *Integra ſpes*, aduertit Paſchaſius Rathbertus lib. 3. in Math. *omnia inter preſſuras, & varios euentus corroborat.* Atque vt Tibullus,

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Aureum Os homil. 46. in S.Iulianum tom. 1. editionis Ducæi noſtri ait, *Mala, quæ naturâ ſuâ grauia ſunt & intoleranda, ſpe futurorum redduntur leuia, atque facillima.* Declaratur ſimilitudine animarum commorantium in Purgatorio, quarum pœna acerbiſſima eſt, dicuntur tamen ab Eccleſia *dormire in ſomno pacis* ob certam ſpem ſalutis æternæ tandem comparandæ. Nec Marianæ animæ damnum vllum prouenirer ab extrinſeco corpore, ſeu à loco Limbi Patrum, neque locus hic improportionatus eſſet eius dignitati, vtpotè nondum fruentis viſione beata. Imò non defuerunt, qui dixerint, Virginis animam de facto, cùm ceſſit è corpore, excurſum feciſſe, quantumuis iam beatam, ad Inferos, vt Purgatorium euacuaret. Ita piè credi à nonnullis teſtificatur Salmeron tom. 4. in Euang. p.3. tract.16. pag.682. approbatque ipſe tom. 11. tract.39.pag.402. Quod an ſit probabile? diſcutiam in n.7. Exercitationis conterminæ. Præterea anima Chriſti, ex inſtanti creationis iam beata, inuiſit Sinum Abrahæ; & licèt iſte deſcenſus non fuerit conditio, ſed poteſtas, & benignitas, vt in ſimili de morte corporis notat S. Maximus Taurinenſis homiliâ circa ſymbolum, & in terminis explicat S. Thomas 3.p.q.52.art.1.ad 2. quatenus non deſcenderit anima *vt pœnæ debitrix, ſed vt eas, quæ erant pœnæ obnoxiæ, liberaret*; tamen inde ſufficienter demonſtratur, deſcenſum animæ Marianæ ad Limbum Patrum, neutiquam fore contra ipſius decorum.

184 Inſtabis ex Lezana: Virginis anima coniuncta corpori vidit ex priuilegio ſpeciali Deum ante mortem Chriſti. Quidni ſeparata à corpore videret eo in caſu? Reſpondeo, ſequi vt ſummùm ex antecedenti viſuram Deum ſemel, aut aliquoties, non verò permanenter; non enim ſic vidit in ſtatu vitæ mortalis ſiue ante, ſiue poſt Chriſti obitum, vt edocet Salazar in Cantica pag.221. tametſi quotidie, ſeu ſemel in die ab inſtanti conceptionis intuitam eſſe diuinum Numen per tranſennam, iudicetur probabile à Plaudo Nigidio in Cantica c.1. v.12.cap.2.v.17.

185 Supereſt argumentum aliud extricandum depromptum à pari proborum Angelorum, quibus ante mortem Chriſti conceſſa eſt beata viſio, quia non habuerunt culpam originalem. Ergo ſi neque eam habuit puriſſima Dei Mater, ſequitur, eius animam eleuandam protinus ad beatam viſionem, caſu, quo migraret è corpore, priuſquam Chriſti anima. Putaret forſan aliquis, huic ſe argumento feciſſe ſatis, ſi reſponderet, probos Angelos non adquiſiiſſe gloriam ex meritis Chriſti, vti compararet Mariana anima. Sed profectò non ſatisfeciſſet; tum quia ſi Angeli non adepti ſunt gloriam ex meritis Chriſti, ideóque ante huius mortem ſunt beatificati: Ergo è contrario ante mortem Chriſti nullus homo poſt lapſum Adami accepit dona, & auxilia gratiæ, ſiquidem obtinenda erant ex Chriſti meritis. Conſequens autem eſt falſiſſimum. Tum quia Angelorum gratia, & gloria, vt & Adami gratia in ſtatu innocentiæ fuit ex meritis Chriſti præuiſis, quemadmodum ex multorum, ſapientiſſimorúmque Theologorum ſententia probabilius mihi eſt cum Suario tom.1.in 3.p.diſp.42.ſect.1. Feuardentio in appendice aduerſùs hæreſes lib.1.hæreſi 6.

185 Quapropter occurro argumento, explicans extenſiùs, quæ dixi in n. 172. Non itaque fideles Angeli ſunt beatificati ante mortem Chriſti præcisè, quia non habuerunt culpam originalem, ſed quia neque ipſi peccarunt, neque peccatum Angelorum infidelium tale fuerit, vt alios remorè ſaltem reddiderit obnoxios debito illud contrahendi, & vt Chriſtus moriens ſatisfacturus pro illo eſſet. Hinc in promptu eſt diſcrimen ad Deiparam Virginem: imò adeò ex ſuperioribus claret, vt ſuperuacaneum ſit maiore luce affundere. Addiderim tamen, cum Auguſtiſſima Dei Genitrix electa prædicetur à S. Bernardino, vt eſſet *Primogenita Redemptoris Filij ſui IESV*, & à S.Ambroſio, ac Venerabili Beda, *vt prima fructum ſalutis hauriret ex pignore*, in quibus verbis plus ſignificatur quàm ſi vtcumque pro ea Chriſtus ſuum *ſanguinem obtulerit* ex ſententia Euſebij Gallicani homilia 1.de Natiuitate, atque aliorum Patrum, non decuiſſet, quòd perfectiſſimæ, & nobiliſſimæ redemptionis præſeruatiuæ effectu, & beatæ viſionis fructu frueretur, antequam Chriſtus moriens plenæ libertatis exolueret pretium. Addiderim rurſus, cùm eadem Angelorum, hominúmque Regina traxerit originem ab Adamo per ſeminalem propagationem, æquum fuiſſe, quòd beatam viſionem, & cœlum non anteà poſſideret, quàm Adamus Protoplaſtus redimeretur per Chriſtum: expediebat denique, vt ſicut *ille primus cecidit in Infernum*, ita, *iſte primus conſcenderet in cœlum*, quæ ſunt S.Fulgentij verba in ſerm.de duplici Natiuitate Chriſti. Et iam ſit finis propoſitæ quæſtionis, cui properam, ſed expolitam manum appoſuit nuper P. Andreas Pintus Ramireſius in opere ſelectiſſimo de præſeruata Deipara ab originis peccato n.22.

186 Sit etiam iam ſatis de tota exercitatione pertinente ad Chriſtum IESVM humani generis vindicem, vt Empyrei cœli incolam, & Regem, quem

Digitized by Google

quem tam auidè deſiderabat cœlum ipſum, vt *ad eius partum, cum in lucem ederetur, reſpexerit per ſtellam, quaſi ante tempus maturaret complecti eum, qui in ſpelunca latebat: ſed diſpenſationis opportunitatem, & terminum obſeruari oportebat.* Ita Sanctus Athanaſius oratione in Aſcenſionem. Vnde cùm Chriſtus receptus eſt in cœlum, adueniſſe huic ingens gaudium, meditatur S. Maximus Taurinenſis in homilia de expoſitione Symboli, vbi diſſerens Aſcenſionis articulum, inquit, *Decebat talis gloria hominem; qui de Virgine naſcebatur, nec impoſſibile ei fuit cœlum aſcendere, cui poſſibile fuit Inferos triumphare. Et neceſſe erat, vt qui ad mortem de regno venerat, poſt mortem rediret ad regnum. Fuit in hoc ſalutaris, & incomprehenſa mentibus humanis inter cœlum, terrámque communio: & ſicut terra Dei filium ſe ſuſcepiſſe lætata eſt, ita cœlum filium hominis ſe accepiſſe gauderet, vt cantatum eſt per prophetam: Lætentur cæli, & exultet terra. Nam ſicut manifeſtum eſt terram exultare de Deo; ita dubium non eſt cœlum gaudere de homine.* Hactenus S. Maximus. Nec mirum, gaudere cœlum de Deo homine, vt ſui incola; quippe Chriſtus, *vel tactu corporis ſui, vel tranſitu gloriæ ſuæ omnem ad momentum creaturam ſanctificat, viuificat, & illuſtrat. Aquas enim conſecrat, dum baptizatur; terram ſanctificat, dum ſepelitur; mortuos ſuſcitat, dum reſurgit; cœleſtia glorificat, dum aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram Dei Patris*, vt ponderat ipſe S. Maximus in homilia 7. de Epiphania, & baptiſmo Chriſti. Felicius multò eſt Empyreum, dum modò recipit Chriſti corpus, quàm terra, dum anteà ſuſcipiebat, vt colligere licet ex S. Gaudentio Brixienſi, qui tractat. 5. in Exodum, ideò Chriſtum calceatum inceſſiſſe vult, *quoniam terra ſuſtinere non poſſet maieſtatis eius nuda veſtigia.* Aſt Empyreum ſuſtinet nudas Chriſtiani corporis plantas, quibus immediatè ſanctificatur. Quod ſi Chriſtus inter mortales degens, *ibat de loco in locum, non ſolum vt plures lucraretur, ſed vt multa dedicaret loca*, vt arbitratur Sanctus Gregorius Nazianzenus relatus in Catena Sancti Thomæ ad cap. 8. Lucæ, verſ. 1. quantò maior erit dedicatio, & exornatio Empyrei ex perpetua Chriſti præſentia? Ambulabat IESVS per terram, *non tam greſſibus corporis, quàm irradiatione, & geſtatione ſuæ illuminationis*, vt ait Albertus Magnus in cap. 4. Matthæi, verſ. 18. anne nunc minus illuminabit Empyream Aulam? *Capharnaum*, quam Chriſtus frequentauit, dicitur Matthæi 11. verſ. 23. exaltata vſque in cœlum ob præſtitum Seruatori hoſpitium, vt floridè ibi Hieronymus. At quantò magis aſſurget, & nobilitabitur Empyreum ob continuam Chriſti ſtationem? Regnat nunc in cœlo Chriſtus caput noſtrum; ideóque putemus oportet, iuxta Sancti Chryſoſtomi monitum homilia 12. in Matthæi nihil nos cum terra habere iam commune, etſi corpora noſtra adhuc in illud tranſlata non ſint. Et verò *ſi cœlum deſideramus*, Chriſtíque inibi conſortium, *nihil nobis nunc in terra ſit negotij, non enim ſinit ipſa ad cœlum euolare*, ſi credimus S. Nilo in cap. Parænetico 183.

EXERCITATIO DECIMANONA.

De Virgine Deipara, vt Empyrei incola, & Regina.

SÆPISSIME Deipara Virgo appellatur à Patribus *Cœlum.* Congerunt plura loca Mendoza in lib. 1. Regum cap. 4. num. 11. annotatione 11. circa litteram ſect. 2. n. 7. Salazar in cap. 8. Prouerbiorum v. 27. à n. 349. Spinellus de Deiparæ laudibus c. 3. Raynaudus in Nomenclatore Mariano, verbo, *Cœlum.* Gueuara in c. 1. Matthæi obſeruatione 15. à n. 1. vſque ad n. 27. §. 5. ſect. 1. Ormaechea in Cantica c. 1. verſ. 3. §. 38. ſed inter alia inſignia, ſeligo illum S Epiphanij ſerm. de laudibus Virginis: *O Vterum*, inquit, *impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehenſum, in te verò comprehenſum portaſti! O vterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctaſti! O vterum, qui Cœlum es ſeptem circulis conſtans, & capacior illis exiſtis! O vterum ſeptem cœlis ſublimiorem, atque latiorem! O vterum, qui es octauum cœlum, ſeptem firmamentis celſiorem! O vterum habentem inextinguibile lumen lucentis gratiæ!* Hactenus Epiphanius. Cùm ergo MARIA fuerit *Cœlum*; *in cuius vtero virginali nouem menſibus tota diuinitatis plenitudo permanſit*, vt fatur Petrus Damiani ſerm. 3. & 1. de S. Ioanne Euangeliſta, meritò ad Empyrei cœli incolatum euecta eſt tam anima, quàm corpore, ab amantiſſimo & obſeruantiſſimo Filio, & ibi poſt ipſum occupat nobiliorem locum. Quare nos de tanta Empyrei Regina ſermonem habeamus, iuris, & dignitatis inſiſtentes ordini, quem in Chriſto Rege ſeruauimus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA

Deiparæ Virginis anima incolit Empyreum. An ad illud aſcenderit mox, vt ſeparata eſt à corpore?

1 DEi Parentis ſanctiſſimam animam incolere cœleſtes ſedes, firmiſſimum Eccleſiæ eſt, & Orthodoxorum pronunciatum; pro quo tot teſtimonia Patrum extant, quot verba ferè in ipſorum ſcriptis. Vnde Author ſermonis ſecundi de Aſſumptione ſub nomine S. Auguſtini dixit, à nullo Catholico dubitari, Virginem *eleuatam ſuper cœlos cum Chriſto regnare*, ſaltem quo ad animam. Et in eodem ſermone dicitur, *vera autem de eius Aſſumptione ſententia hæc eſſe probatur* : : : *vt aſſumptam ſuper Angelos eam eſſe credamus.* Quod adeò certum fuit Guerrico Abbati in ſerm. 3. de Aſſumptione, vt Virgini attribuat hæc verba nonnihil exaggerationis habentia; *Qui creauit me, creatus eſt ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non potuit mihi requiem cœli ſui. Qui enim vltrò gratiam cumulat aliis, quomodò non ferat Matri?* Hæreſiarcha Lutherus, qui aliorum Sanctorum animabus cœleſtem aulam, & viſionem beatam ante diem Iudicij denegauit, vt referam in n. 127. Exercit. 21. tamen in Poſtilla Euangelij feriæ de Aſſumptione, fatetur, MARIAM in cœlo viuere penes animam ſaltem. Ioannes etiam Brentius Hæreticus teſtatur homil. 1. de Aſſumptione, certiſſimum eſſe, quòd MARIA perpetuam conſequuta ſit felicitatem, permittítque ibidem cuique, vt vult, ſentire MARIAM in cœlum aſſumptam vnà cum corpore. Cathari tamen relati à Reynero in 6. contra Vualdenſes capite, ſceleſtiſſimè dixerunt, animam Virginis non eſſe in gloria, neque fore vſque ad diem Iudicij; ſed exiſtere nunc in aëre cum corpore Chriſti.

2 Aliquis parùm verſatus in Patribus ſi incidat in iſthæc S. Hilarij verba, enarratione ad Pſalm. 118. v. 20. *Meminit Propheta, arduum eſſe, & naturæ humanæ periculoſiſſimum, Dei deſiderare iudicia. Cùm enim nemo viuens in conſpectu ipſius mundus ſit, quomodo deſiderabile eius poteſt eſſe iudicium? An cùm ex omni otioſo verbo rationem ſumus præſtaturi, diem Iudicij concupiſcimus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis obeundus, in quo ſubeunda ſunt grauia illa expianda à peccatis animæ ſupplicia? Beatæ Mariæ animam gladius pertranſiuit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Si in Iudicij ſeueritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt, deſiderare quis audebit à Deo iudicari?* Si, inquam, incidat in iſthæc verba putabit forſan S. Hilarium in ea fuiſſe mente, quòd Deiparæ anima nondum exiſtat beata in cœlo: nam aliter, haud quaquam diceret, *venturam in Iudicij ſeueritatem*, neque indicaret, tranſituram per ignem extremum. Sed S. Hilarius debet intelligi, quatenus anima Virginis ventura ſit ſimul cum corpore ad Iudicium; quod reſpectu ipſius laudatorium erit, & remuneratiuum coram toto mundo; reſpectu autem aliorum, qui peccarunt, ſeuerum erit, ac diſcuſſiuum, interminatiuúmque præmij, vel ſupplicij, prout in gratia, vel in peccato deceſſerint lethali: & quatenus non formaliter, ſed materialiter, (vt ſummùm) tranſitura ſit per extremum ignem conteſtantem ipſius ſanctitatem, & iuſtitiam abſque læſione vlla. Appoſui *vt ſummùm*, quia tranſitus materialis per ignem, licèt reprobandus ſit, non tamen tanquam manifeſtus error contra principia Catholicæ fidei. Legatur Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 57. ſect. 1. v. *Ex hac igitur.* Non deſunt, qui innuant, corpus Virgineum rediuiuum exiſtere modò in paradiſo terreſtri, proindéque & ibi exiſtere animam. Sed eos poſteà refutabimus.

3 Præcitatus Suar. in eodem tomo diſp. 21. ſect. 2. pronuntiat conſtans eſſe ex certiſſimis Fidei principiis, animam Virginis ſtatim poſt ſeparationem à corpore vidiſſe Deum, atque in cœlum fuiſſe ſublatam. *Eſt enim* (inquit) *mors terminus viæ hominibus à Deo præſcripta, ad præmium promerendum, quod animæ perfectè purgatæ, & mundæ ſtatim, ac diſcedunt è corporibus, conſequuntur, poſtquam Chriſtus Dominus per mortẽ ſuam pro toto humano genere ſatisfecit. Sed anima B. Virginis abſque vlla macula, aut debito pœnæ, & perpetuò vixit, & à corpore diſceſſit. Ergo ſtatim beata fuit, & ad locum beatorũ euecta.* Ita Sapientiſſimus Doctor: In cuius argumentatione Maior propoſitio generaliter prolata traditur à Benedicto Papa, & à Concilio Florentino tanquam dogma Catholicum; tam quoad præmium viſionis beatæ, quàm quoad receptionem in cœlum, vt patebit in Exerc. 21. Minorem tenet Eccleſia, teſte Concilio Tridentino in can. 23. ſeſſ. 6. Conſequentia rectè videtur deduci.

4 Vnde cùm quondam lectitarem Elucidarium Deiparæ elaboratum à P. Poza, miratus ſum, quòd polliceretur lib. 2. tr. 16. c. 8. tractaturum ſe, an Virginis anima manſerit in terris, vſq; dum vnita corpori euolauit ad cœlum? Poſteà obſeruaui quæ ſequuntur. Sylueſter in Roſa aurea tract. 3. caſu 52. concl. 4. ait, licèt Virginis anima *ante reſurrectionem* corporis *fuerit beata, fortè tamen* ſtatim *cœlum non aſcendiſſe, vt poſt aſcenderet corpore glorioſa. Sed tamen hoc non eſt certũ.* Amadæus Frãciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis inquit Dei Parentis animam, vt depoſuit corpus, donatam eſſe viſione beata nunquam interrumpenda; ſed in cœlum non ſcandiſſe niſi iam coniunctam corpori, & intermedio tempore expeditiones duas in Purgatorium, ac Paradiſum terreſtrem ſuſcepiſſe. Noſter Hieronymus Natalis adnotatione in imaginem de Virginis Matris ſepultura lit. C. ſcribit, *Chriſtus animam beatiſſimam ſinu ſuæ diuinitatis, & recondita gloria fouet. At vbi? vbi voluit ipſe, & nos neſcimus. Quid ſi in paradiſo terreſtri? Quid ſi ſtatim animam in cæleſtem paradiſum inuexit? Quid ſi ſupra montem Oliueti, ſepulchro Matris imminens, quod in radice montis eſt ad Occidentem?* P. Salmeron tom. 11. tract. 39. pag. 402. proponens circumſtantias Aſſumptionis ſic ad longum fatur, *Dum corpus tanto honore, & manibus Apoſtolorum tumulatur, hora noctis tertia, vt meditantur quidam, anima eius ſanctiſſima Angelis comitata, ſed præcipuè Gabriele dimiſſo ad cuſtodiam corporis, & animis Sanctorum Ioannis Baptiſtæ, Annæ, & Ioachim Parentum, atque aliis innumeris in Infernum deſcendit, vbi primùm damnatos gloria ſua perterrefecit, ſerpentiſque antiqui caput pede calcauit. Et vt piè quidam meditantur, nonnullas animas ex Purgatorio eripuit; alij verò totum Purgatorium ex priuilegio, vt Filius, tradunt. Decebat enim tantam Reginam aſcendentem in cœlum, ac triumphantem, captiuam quoque ducere captiuitatem; non quidem ſua virtute, ſed omnipotentis Filij ſui munere, atque conceſſu. Et in aurora diei ſequentis meditantur illam rediiſſe ad vallem Ioſaphat, vbi Petro ſacrificium in gratiarum actionem offerenti, & præſentes omnes communicanti adſtitit. Peracto autem ſacrificio, ac precibus, ſiue hymnodiis in meridie, non quidem*

poſt

Digitized by Google

poſt quindecim dies; vt apud B. Brigittam corruptè legitur, neque die quadrageſimo vti Chriſtus fecit, ſed tertia die, vt Græci tradunt (etſi ſint, qui dicant in ipſo medio die quo etiam Chriſtus aſcenderat) Dominus Ieſus cum Michaele, & omnibus Angelis è cœlo ad eam deſcendit. Et cum à B. Matre vultu iucundiſſimo perquiſiuiſſet, num vniri corpori vellet? Reſpondit, arbitrio diuini beneplaciti ſaluo, ſe id, quàm maximè expetere; atque omnes adſtantes id ipſum à Chriſto Domino poſtulaſſe. Tum Dominus, coniungatur, inquit innocenti corpori innocens anima, viuátque in æternum dulciſſima Mater mea. Hucuſque vir ille, cuius eximia pietas, & doctrina tantæ admirationi fuit Tridentinis Patribus. Additque pag.404. loquens tam de hac circunſtantia, quàm de aliis à ſe propoſitis, *Hæc, quæ nos hoc loco adduximus, putamus nihil continere apocryphum, nihil aut pietati, vel Patrum traditioni contrarium reſonare. Deinde quædam produximus non vt mathematicas, ac euidentes demonſtrationes, ſed vt probabiles tantùm, ac veroſimiles, à fidéque minimè abhorrentes rationes: nam in pleriſque euidentiora requirere argumenta, planè ſtulti ſit, atque imprudentis. Si quis tamen ſolidiora, & veritati propiora poterit proferre, magnam apud nos inibit gratiam, ac minimè inuitos in ſuam ducet ſententiam.*

5 Tantorum virorum pace, Beatam Virginis animam notabiliter non manſiſſe in terris; ſed mox in cœlum aſcẽdiſſe aſſero cum P. Suario, & cum Benzonio in expoſitione Pſalmi 89. cap.40. traditione 35. nam pro exceptione Marianæ animæ à generali definitione Benedicti Papæ, & Concilij Florentini non video ſufficiens fundamentum ſiue ab authoritate antiquorum Patrum, ſiue à ratione. Non ab authoritate, quia in antiquis Patribus, qui agunt de obitu, & Aſſumptione Deiparæ, nihil tale reperire potui; imò contrarium exprimunt, aut indicant. Tranſcribo duorum vel trium verba. S. Damaſcenus oratione de dormitione Deiparæ inquit, *Quid deinde fit? Elementorum, vt mihi quidem videtur, factus eſt motus, & alteratio vocéſque, & ſtrepitus, laudéſque dignas canebant Angeli præcurrentes, conſequentes; partim quidem Sanctiſſimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes, & ſimul aſcendentes, donec regali throno* (ſcilicet cæleſti) *ſtitiſſent Reginam: partim autem diuinum, & ſacrum corpus circumdantes, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei Matrem celebrantes.* Rurſus in eadem oratione. *Et animam quidem per Angelos in Sancta Sanctorum, quæ ſunt exemplaria vera, & cæleſtia introducit* (Chriſtus) *ſub ipſas alas quadruplicis formæ animalium, & ſuo ſtitit throno in interiori tabernaculo, in quod præcurſor ipſe Chriſtus ingreſſus eſt corporaliter.* Sic de anima; & poſteà ſermonem habet de corpore relicto in ſepulchro. Similiter in his eiuſdem Orationis verbis, *Aer, æther, & cælum aſcenſu ſpiritus ſanctificabatur: terra autem depoſitione corporis.* Colludit Simeon Metaphraſtes in oratione de vita, & dormitione Deiparæ. Sophronius in epiſt. de Aſſumptione B. MARIÆ *Creditur, quòd Saluator omnium ipſe quantum datur intelligi, per ſe totus feſtinus occurrit, & cum gaudio eam ſecum in throno* (nempe cæleſti) *collocauit*, loquitur de anima ſtatim, ac ſeparata eſt à corpore; vt & S. Ildefonſus, dum ſerm. 9. de Aſſumptione ſic affatur Beatam MARIAM, *Gaudens ingredere paradiſum, quæ de terris ad cæleſtem vitam lata es ab Angelis, & inter choros Virginum, ſicut Sol fulgens, ſuſcepiſti principatum ſuper Archangelos in cælo.* Omitto alios Patres collectos à Chriſtophoro de Caſtro in Hiſtoria Deiparæ cap.20. & 21. S. Mecthildem lib. 1. ſpiritualis gratiæ cap. 57. & decantatiſſimam hac noſtra ætate Venerabilem Virginem Marinam de Eſcobar Recollectarum S. Brigittæ in Hiſpania Fundatricem lib.4. M.S. vitæ cap.33.§.1. Authore P. Ludouico de la Puente.

6 Neque item à ratione habet exceptio fundamentum. Nam ſi aliquod, maximè, ne anima poſtmodùm deſcenderet de cœlo, vt vniretur corpori, & huic vnita rediret iterum ad illud. Cæterùm in ſect. 5. nonnemo conatur alio pacto vitare eum deſcenſum. Et licèt admittatur, maioris momenti eſt, quòd beata Virginis anima trium dierum ſpatio abfuerit cœlo, quàm quod breui tempore diſceſſerit, vt vnita corpori poſtliminio regrederetur; præſertim cùm modiciſſimus diſceſſus non patiatur difficultates, quas triduana abſentia. Confirmatur ex doctrina Suarij tomo 2. in 3. p. diſp. 57. ſect.1. v. *vt verò* aientis, animas Iuſtorum nihil expiabile habentium, inter quorum mortem, & Reſurrectionem generalem breuiſſima ſit mora, recipiendas nihilominus ſtatim in cœlum. Hæc eſt enim lex ordinaria. Inquies, eſſe & aliud fundamentum pro exceptione; videlicet vt quemadmodùm Chriſti anima non aſcendit in cœlum vnita corporis; ſic neque Virginis anima aliter aſcenderet. Sed fruſtra in omnibus ſimilitudinem quæris, alioqui neque Virginis anima aſcendiſſet, niſi poſt quadraginta dies à reſurrectione corporis; & cuiuis conſtat fuiſſe ſpeciales rationes pro anima Chriſti quæ nullatenus militarunt reſpectu animæ Marianæ.

7 Huic aſcendenti in cœlum comites adſtitiſſe animas aliquas liberatas ex diſpenſatione diuina ab igne Purgatorij veriſimile eſt, non ſolùm Salmeroni, ſed etiam Gerſoni, Raulino, Barradæ tomo 1. in Euangelia lib.6. cap.12. Spinello cap.12. de laudibus Deiparæ n.16. Bonartio in cap.24. Eccleſiaſtici v. 45. Carthagenæ homilia 18. de Aſſumptione Virginis, Nouarino in vmbra Virginea n.786. Benzonio ſupra cap. 20. Non ideo tamen neceſſe fuit, vt priùs ad Purgatorium deſcenderit Virginis anima; ſatis namque fuit, ſi in ipſius honorem, & gratiam permiſerit Deus egreſſum è Purgatorio. Amadeus Minorita, Raptu 8 ſuæ Apocalypſis, & Baptiſta Mantuanus libr. 8. de diebus feſtis Aſſumptionem Virginis decantans proponunt excurſum animæ Marianæ ad terreſtrem paradiſum, vt ibi inuiſeret Eliam. Arripuit id auidè Franciſcus à S. Maria lib.1. Hiſtoriæ Propheticæ cap.28. n.11. pro ardenti illa ſua erga Eliam deuotione. Me verò, ne tam credulus ſim, mouent tum dicta anteà, tum dicenda in ſect.10. Exercit.21.

SECTIO II.

Virgineum corpus rediuiuum, ac glorificatum exiſtit iam in Cælo.

8 ITa ſibi perſuadet Eccleſia. Sed pia hæc perſuaſio, cui nemo niſi temerariè nunc refragabitur, fidei ſecuritatem, & ſtabilimentum hactenus non obtinuit, vt contra Catharinum obſeruat Suarez. Pro qua Eccleſiæ exiſtimatione ſcripſit opuſculũ memoratus Catharinus. & eruditos tres tractatus P. Salmeron. Caniſius etiã lib.5. de Deipara Virgine c.5. & 6. ac 7. Coccius lib.3. Theſauri art.3. Spin. c. illo 12. Suar. Barrad. Caſtr. in locis allegatis doctè, ac latè eam defenſant, ac obfirmant tum ex rationibus, tum ex luculentis cõpluriumPatrũ teſtimoniis. Ego ob meum erga Mariã affectum addã nonnulla.

Digitized by Google

9. Primum continetur in vita, ſeu Hodœporico S. VVilibaldi Epiſcopi Eiſtatenſis ſcripto à ſanctimoniali Heidenheimenſi conſanguinea eiuſdem Sancti qui anno 743. interfuit Synodo Liptinenſi, vt notat Aubertus Miræus cap. 216. Auctarij de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & obiit anno 781. iuxta Poſſeuinum in Apparatu. Dicitur itaque ibi, *Sancta Maria in loco in medio Hieruſalem exiuit de hoc ſeculo, qui nominatur Sancta Sion. Et tunc Apoſtoli vndecim portauerunt illam.... Et tunc Angeli venientes tulerunt eam de manibus Apoſtolorum, & portauerunt in paradiſum,* videlicet cœleſtem. Extat hoc opus apud Henricum Caniſium tom. 4. lectionis antiquæ part. 2.

10 Secundum ſit VValafridi Abbatis Augiæ Diuitis, qui in Poëmatibus apud eundem Caniſium tom. 6. pag. 606. canit:

Virgo Deigenitrix cum corpore ducta pudico,
In requiem Domini tranſiit ecce ſui.

Deceſſit ex hac vita VValafridus anno 849.

Tertium habetur in Martyrologio Notgeri Balbuli 18. Kalend. Septembris, poſt ſtatutam tamen communem perſuaſionem adiiciuntur hæc, quæ adnotare libuit, *Hoc tamen certiſſimè cum vniuerſali Eccleſia credimus, & confitemur, quia etſi rendiſſimũ illud corpus, ex quo Deus eſt incarnatus, adhuc alicubi in terra celatur, reuelatio vtique ipſius ad deſtructionem Antichriſti reſeruatur.* Florebat Notgerus anno 850. iuxta Arnoldum Vuionem relatum à Poſſeuino. Sed Miræus in ſcholio ad cap. 408. Sigeberti, ait, mortuum eſſe anno 912. Edidit Caniſius tom. 6. Martyrologium Notgeri.

11 Quartum ſit S. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis in ſerm. de Natiuitate Virginis, *Fuit autem ſepulta Sanctiſſima in valle Ioſaphat, vbi eſt edificata Eccleſia in honorem eius. Et S. Ioannes ſepultus eſt Epheſo: poſt verò cùm religioſi Chriſtiani reliquias Matris eius, videlicet Domini, reſpicere vellent, ſepulchrum vacuum inuenerunt. Sed & in ſepulchro Ioannis reſpicientes non inuenerunt niſi manna. Credit itaque Chriſtiana pietas, quia Chriſtus Dei Filius, Matrem ſuam glorioſè reſuſcitauerit, & exaltauerit ſuper cœlos; & quòd B. Ioannes Virgo, & Euangeliſta, qui ei miniſtrauit in terra, gloriam eius participare mereatur in cœlo.* Mortuus eſt S. Fulbertus anno 1028. vt tradit Baronius. Non abſimilia tranſcribam ex Petro Damiani; atque ex S. Anſelmo Cantuarienſi in n. 52. & 53. exercit. 22. Neque ſilendum eſt, Petrum Damiani in ſerm. de Aſſumptione, Abſalonem Abbatem Sprenkirsbacenſem in ſerm. 2. de eadem feſtiuitate clarè exprimere, & S. Anſelmum in lib. de excellentia Virginis indicare glorificationem Mariani corporis. Obiit Petrus anno 1080. S. verò Anſelmus anno 1106. & Abſalon claruit ad annum 1120.

12 Quintum ſit Honorij Auguſtodunenſis in Sigillo B. Mariæ cap. 8. *Cuius, id eſt Deipara, corpus poſteà reſuſcitatum, & in ſuperna gloria creditur collocatum.* Viuebat Honorius anno 1120. ſub Henrico V. Imperatore, vt inquiunt Trithemius, ac Sixtus Senenſis colligitúrque ex ipſius Honorij lib. 2. de Mundi imagine c. 93. licèt Bellarminus, & Poſſeuinus nonniſi anno 1220. floruiſſe ſcribant.

13 Obuiæ ſunt, quæ ante, aut paulò poſt illum annum 1120. prædicauit S. Bernardus in ſerm. 1. de Aſſumptione. Sed præterea adducit Gabriel Biel in ſerm. 2. de eadem feſtiuitate verba hæc: *Mater oſtendit Filio pectus & vbera, Filius oſtendit Patri latus, & vulnera.* Quæ tamen non ſunt S. Bernardi, ſed Arnoldi Carnotenſis in tract. de laudibus Mariæ; & attento contextu nimis remota ſunt. Idem Arnoldus circa finem eius tractatus ait, *Poſteà verò Ioanne in obſequiis Virginis perſeuerante, nondum vocatione dilata, migrauit ad Filium; & Angelis occurrentibus, & deportantibus inclitam illam animam, aſſumpta eſt in cœlum. Vtrum in corpore, aut ſine corpore? Nullius Canonicæ Scripturæ definiuit authoritas. Sed quocumque modo ſit, eam cum Chriſto eſſe, dubium non eſt.* Rurſus in tract. de operibus ſex dierum, *Præter ſolam Chriſti perſonam, qui primitiæ dormientium ſurrexit vnus inter mortuos liber, de nullo manifeſtè Scripturæ tradunt Canonicæ, quòd iam duplicia in terra ſua poſſideat; vel quod corruptibile hoc ante generalem Reſurrectionem induat incorruptionem, vel mortale immortalitatem, vt taceamus modò de ipſa Theotoco, vel de his, qui cum Chriſto reſurrexerunt: quoniam alia eſt, & nodoſiſſima quæſtio.* Loquitur Arnoldus maiori formidine, quàm vellemus. Coæuus fuit, & valdè amicus S. Bernardi.

14 Sextum Philippi Abbatis lib. 6. in Cantica cap. 50. *Eſt Mater cum Filio, non ſolùm ſpiritu, de quo vel tenuis dubitatio non habetur, ſed etiam corpore. Quod nimium incredibile non videtur, quia etſi hoc Scriptura Canonica non clamat euidentibus documentis, ad hoc tamen fides pia adducitur veriſimilibus argumentis. Quod etſi non ſatis probat quis in verbo, & ſcientia repentinus, illud tamen dignum credit, noſter ille aſſerit Auguſtinus.*

15 Septimum Venerabilis Petri Cluniacenſis lib. 3. epiſt. 7. *Sublimationis gloriâ poſt carnis mortem, fortaſſis & reſurrectionem decorata, glorificata, & ſuper omnes choros hominum, & Angelorum exaltata eſt.* Petrus Cluniacenſis, & Philippus Abbas claruerunt eodem tempore, quo S. Bernardus: vt & Victorini duo, Hugo nempe, ac Richardus; ex quibus ille Miſcellanearum eruditionum codicis 2. lib. 3. tit. 125. hic in Cantica cap. 42. commendarunt ſine ambiguitate glorificationem Mariani corporis, Petrus Abaëlardus, tantorum virorum contemporaneus, nec indignus referri vnà cum ipſis, vt qui ſuos errores recantarit, & piè pœnitens obdormierit poſt ſuſceptum habitum Monachi Cluniacenſis, promouet in ſerm. 25. de Aſſumptione idem Deiparæ priuilegium. Guerricus Abbas Igniacenſis diſcipulus S. Bernardi ſcribit in ſerm. 1. de Aſſumptione, *Nunc autem & in ea, & cum ea, ſicut interminabili æuo, ſic incomprehenſibili modo habitans, ſatiat eam beatificantium gloria viſionum, foris quidem glorificata carnis formam exhibens, intus verò formam Verbi glorificantis.* Sed fortè exhibitio carnis eatenus intelligenda eſt in Guerrico, quatenus à Deipara videatur in cœlo humanitas glorificata Filij. Cui ſenſui magis quadrare videntur ſubſequentia verba de exhibitione viſæ deitatis.

16 Octauum Petri Bleſenſis in inſtructione Fidei Catholicæ ad Soldanum Iconij miſſa nomine Alexandri tertij Pontificis Maximi, *Concepit Maria ſine pudore, peperit ſine dolore, & hinc migrauit ſine corruptione.* Et in ſerm. 28. (qui eſt de Aſſumptione) inquit, *Hodie autem veriſimile eſt, quòd B. Virgo & anima beatitudinem, & corporis glorificationem adepta eſt. Quod ne cui veniat prorſus in dubium authoritatibus adſtruamus, opinando tamen, non aſſerendo,* tanquam rem ſcilicet infallibiliter certam. Degebat vitam Bleſenſis anno 1116.

17 Refertur à Coccio S. Eliſabeth Schonaugenſis (quæ ad Superos migrauit anno 1164.) lib. 4. viſionum dicens ex quadam à ſe habita ann. 1157. aſſumptâ Deiparâ tam ſpiritu, quàm carne in cœlum;

ſed

ſed non reſurrexiſſe niſi quadrageſimo poſt mortem die. Cuius teſtimonij meminerunt Ioannes Belethus Author coætaneus in explicatione Diuinorum officiorum cap. 146. Guilielmus Durantes in Rationali eorundem officiorum lib. 7. cap. 24. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 7. cap. 65. Pelbartus in lib. 10. Pomerij Sermonum de B. Virgine part. 3. art. 2. Bellouacenſis lib. 7. ſpeculi Hiſtorialis cap. 80. lib. 29. cap. 3. S. Bernardinus Senenſis tom. 4. ſerm. de Aſſumptione B. Mariæ art. 3. cap. 1. S. Antoninus in 1. part. Hiſtoriali titulo 6. cap. 3. §. 1. rurſus 3. part. titulo 19. cap. 11. vbi alteri S. Eliſabeth, ſcilicet Regis Hungarorum filiæ, & vxoti Lantgrauij Thuringiæ ac Heſſiæ attribuit non bona fide teſtimonium illud. Cæſarius Heiſterbacenſis, qui viuebat anno 1237. narrat lib. 7. miraculorum, & viſionum cap. 38. Deiparam Virginem apparuiſſe Bertramo ſui ordinis Ciſtercienſis Monacho, qui functus eſt vita circa annum 1200. ſicque allocutam, *Noueris, Bertrame, pro certo, me in vtraque ſubſtantia, id eſt, corpore, & anima glorificatam, & die quadrageſima à mortuis ſuſcitatam.* In Martyrologio Bedæ recenſentur duæ Aſſumptionis Virginis, vna 18. Kalend. Septembris, altera 9. Kalend. Octobris, quaſi prima pertineat ad ſolam animam; ſecunda ad animam, & corpus, vt ſuſpicantur Baronius, & Suarez; indicatque Baronius poſteriorem additam Bedæ à ſciolo aliquo poſt diuulgatam famam reuelationum, quas commemorauimus.

18 Sed ſunt quidem valdè incertæ, & contra communem opinionem de Reſurrectione Virginis tertia die acceptam ex Iuuenali Patriarcha Hieroſolymitano, S. Ioanne Damaſceno, & Simeone Metaphraſte apud Caſtrum cap. 20. num. 9. vnde Chryſoſtomus Henriquez in Monologio Ciſtercienſi ad diem 4. Iulij corrigendus eſt, cum confidenter nimis ſcribit, nullum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, qui ſaltem ante trecentos annos vixerit, tradidiſſe quicquam de virgineæ reſurrectionis tertia die. *Nec per hoc detrahitur*, addit S. Antoninus, *Sanctitati Eliſabeth, ſi non credatur, quia & ſancti viri Prophetæ aliquando credunt à Deo ſibi aliqua reuelari ſpiritu prophetiæ, quæ ex phantaſia ſua trahunt in viſionibus ſuis, vt patet in Nathan Propheta.* Iamque diu anteà animaduerterat S. Gregorius homilia 1. in Ezechiëlem, *aliquando Prophetas ſanctos, dum conſuluntur, ex magno vſu prophetandi, quædam ex ſuo ſpiritu proferre, & ſe hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere, ſuſpicari: ſed quia ſancti ſunt per S. Spiritum citiùs correcti, ab eo, quæ vera ſunt, audiunt, & ſemetipſos, quia falſa dixerint, reprehendunt.* Legatur Noſter Raynaudus in opere, cui titulus eſt, Error popularis de communione pro mortuis n. 51.

19 S. Brigittæ lib. 6. Reuelationum cap. 62. lib. item 7. cap. 26. dixit Deipara: *Mortua iacui in iſto ſepulchro per quindecim dies, deinde aſſumpta fui in cœlum.* Cæterùm in oratione prima à Deo reuelata, & in ſerm. de Virginis excellentia cap. 21. *aliquantis* tantum *diebus* iacuiſſe, ait Angelus. Forſitan in priora loca irrepſit mendum. Amadæus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis Virginem quindecim poſt mortem horis reſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum adſeuerat; & vt maiorem fidem ſuæ reuelationi compararet, admonet, vitiatas fuiſſe alias S. Eliſabethæ, & Brigittę reuelationes, ex præpoſtera Confeſſariorũ, aut Patrum ſpiritualium intelligentia. P. Iacobus Gretſerus lib. 3. comment. in Codinum c. 10. credit cum Græcorũ Menæis Beatiſſimã Virginem eodem die mortuam, ſepultam, & à mortuis excitatam. Illa tamen Menæa, dum poſt titulum de *dormitione Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ* ſubiungunt Tranſlationem ipſius, ſignificant eodem celebrari die ab Eccleſia Græca, vti etiam fit in Romana obitum, & Aſſumptionem, ſiue eodem, ſiue diuerſis diebus acciderint. Et malim credere S. Damaſceno citato, cuius de reſurrectione Virginis die tertio narratio legitur ab Eccleſia Romana ad 18. Auguſti in 2. Nocturno, & lectione 5. Ipſe Gretſerus lib. illo 3. cap. 2. tradit ex Horologio Græcorum, Apoſtolos verè ſibi perſuaſiſſe Virginem tertio die, inſtar filij ſui, corpore rurſus indutam, ex mortuis reſurrexiſſe, & in cœlum aſſumptam eſſe.

20 Ioachimus Abbas Florenſis, qui inter viuos manebat anno 1195. proponit glorificationem Mariani corporis tanquam rem incertam. Ita lib. Introductorio in Apocalypſim cap. 27. & Expoſitione 1. in cap. 1. verſ. 18. Similiter Author vitæ, ſeu Itinerarij S. Vuillibaldi Epiſcopi Eiſtatenſis apud Henricum Caniſium tom. 4. p. 2. pag. 712. inquiens, *vtrum inde ſublata, & aliàs tranſpoſita ſit, an recepta vera immortalitate reſurrexerit? Melius dubitatur, quàm aliquid inde apocryphum definiatur.* Conſonant in hoc loquendi modo Vſuardus, & Ado in Martyrologiis ad 18. Kalend. Septembris, Beda cap. 6. de locis ſanctis, & Chriſtianus Druthmarus expoſitiuncula in Ioannem ſcribunt, *A quo, vel quando ſit ablatum* Virginis corpus *à monumento, neſcitur.* Anonymus Author in ſermone de Aſſumptione (qui extat inter Homilias de tempore & Sanctis collectas primùm ab Alcuino tempore Caroli Magni, iuſſúque eius) ait, *exaltata eſt, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcimus, Deus ſcit.* Loquuti ſunt hi omnes pro minori ætatis ſuæ luce, vt & Author ſermonis 35. de Sanctis inter alios S. Auguſtini, Sophronius etiam epiſtola de Aſſumptione, ac S. Ildefonſus in ſerm. 6. de eadem feſtiuitate. Qui tres eò præcipuè reſpexerunt, vt reſurrectionem, & glorificationem Mariani corporis non iudicarentur affirmare velut rem omninò conſtantem ex ſacris Litteris, aut ex traditione exploratiſſima, apertáve Eccleſiæ definitione.

21 Nonum teſtimonium ſit Alani de Inſulis, qui apud Delrium in cant. 1. verſ. 17. ſic fatur, *Domus hæ intelliguntur corpus Chriſti, & corpus Virginis; tigna domorum ſubſtantia corporum, quæ dicuntur Cedrina, id eſt, imputribiles. Cedrus enim imputribilis eſt. Sicut enim credimus, corpus Chriſti putredine non eſſe reſolutum: Vnde legitur Pſal. 15. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Ita probabile eſt, à corruptione putredinis alienum eſſe corpus* MARIÆ. *Vnde Auguſtinus in ſerm. de Aſſumptione Virginis: Non ſolùm carnem, quam Chriſtus aſſumpſit, ſed etiam carnem, de qua aſſumpſit credimus eſſe aſſumptam in cœlum. Vnde in oratione edita legitur, Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, &c. Et niſi reſurrexerit, quare de ipſa dicitur, Aſſumpta eſt in cœlum?* Hactenus Alanus, qui viuere deſiit an. 1294. Alia Alani fauentia verba exarat Delrius in cap. 6. verſ. 12. & antea in cap. 3. v. 5. reprehendit ipſum, quòd ibi dixerit, incertum eſſe, an Virgo reſurrexerit, & in carne aſcenderit. Excuſari tamen poteſt, quatenus ſolùm voluerit non eſſe certum certitudine Fidei.

22 Eo in ſæculo, quo vixit Alanus, omnes fermè Scriptores Eccleſiaſtici ſumma concordia conſpirabant, vt Mariani corporis in cœlo exiſtentiam profiterentur. Et omiſſo Innocentio tertio Pontifice ſummo, qui non ſatis clarè mentem ſuam pandit, videan

videantur Rodericus Ximenez Archiepiſcopus Toletanus relatus pag.292. Conciliorum Hiſpaniæ ex editione Loayſæ. Lucas Epiſcopus Tudenſis lib.2. contra Albigenſes cap.13. Iacobus à Vitriaco ſer.1. de Aſſumptione. Alenſis 3.part. ſummæ Theologicæ quæſt.20. membro 1.art.2. membro itidem 2. art.4. Vincentius Bellouacenſis lib.7. Speculi Hiſtorialis à cap.75. vſque ad 80. incluſiuè, Albertus Magnus in Mariali cap.172. ac 173. alibique ſæpè. Thomas Cantapratenſis lib. 2. boni vniuerſalis, cap.29. S.Thomas 3.p. quæſt.27. art.1.in corpore, quæſt. etiam 83. art.5. ad 8. & opuſculo 4. ac 5. item in Apocalypſim cap.12.v.1. S.Bonauentura in ſpeculo B.Mariæ cap. 2. & aliis locis. Guilielmus Durantes lib.7. Rationalis Diuinorum officiorum cap.24. n.1. poſt Ioannem Belethum cap.146. eorundem officiorum, Richardus Mediauillenſis in 4. diſt.43. art.4. q.2. Iacobus de Voragine in ſermonibus, & in Legenda de Aſſumptione, Guilielmus Petyte, ſeu Paruus apud Delrium in cap.1. Canticorum verſ. 17. & in cap.3. verſ.4. Auguſtinus Anconitanus in Canticum beatæ Mariæ lect. 9. quæſt. 5.

23 Sequentibus ſæculis nullus eſt ſcriptor Catholicus, qui ex profeſſo tractans de Aſſumptione Deiparæ decentiſſimam hanc prærogatiuam denegarit. Quam *ab Apoſtolis, & orthodoxis viris piè creditam, & fideliter prædicatam,* tradit Bellouacenſis ſuprà cap.79. eiúſque *inſtitutam ab Apoſtolis celebritatem,* putat Petrus Galeſinus in Martyrologio 18. Kalend. Septembris. Et Cantapratenſis ait, *Ego quidem ſatis miror, quòd poſt illam ſinceriſſimæ veritatis probatiſſimam authoritatem Doctoris omnium maximi Aurelij Auguſtini intrare cor potuit fidelis hominis Chriſtiani, Chriſtiferæ Virginis corpus, etſi incorruptum, vt quidam ſimplices crediderunt, in hoc ſæculo nequam, glorificata anima remanſiſſe.* Vnde dolemus, ſapientiſſimum Alfonſum Toſtatum Epiſcopum Abulenſem in capite 22. Mathæi quæſt.230. dixiſſe, *licere cuilibet, ſicut voluerit opinari* in hac re; niſi ſermonem habeat de licentia citra periculum hæreſis. Conuenienter ad iſtum ſenſum ſubiungit paulò poſt, *Tamen quia communiter tenetur, quòd reſurrexerit, rationabilius eſt hoc tenere.* Et in reſponſione ad 2.partem quæſtionis 1. ex quatuordecim Hiſpano idiomate ſcriptis inquit, *Aſſumptio eius ad cœlum an fuerit in corpore? rurſus eſt dubium. Sed quoad id magis ſe determinarunt ſancti Doctores, aliique viri docti, vt tenerent, in corpore fuiſſe aſſumptam.* Sic Abulenſis. Idque, iudice Didaco Couarruuia Antiſtite Segobienſi tomo 1. lib.4. variarum Reſolutionum cap. 17. n.5. adeò rationabile eſt, *vt planè impium ſit, ac temerarium hac de re dubitare in graue pientiſſimorum ſcandalum.* Et meritò quidem ſic iudicauit Couarruuias poſt Hoſtienſem, & Baldum in cap. 5. Decretalium, *Ne innitaris.* De Conſtitutionibus, titulo 2. Arnaldum Albertinum, tract. de agnoſcendis Catholicis, & Hæreticis aſſertionibus quæſt.17. num. 13. Nam teſte Baronio in Martyrologio ad diem 15. Auguſti, ſententia de Aſſumptione Virginis vnà cum carne videtur recepta iam, tum plurimorum (imò omnium) Theologorum authoritate, tum etiam communi conſenſu fidelium.

24 Certiſſimam eſſe veritatem hanc, audiuit ex Deiparæ ore S.Antonius de Padua, vt narrat Author Pomerij ſermonum de B. Virgine lib. 10. parte 1. art.10. in fine. Audiuit item S.Brigitta, vt legimus lib. 1. Reuelationum cap.9. ibi, *Deinde completo curſu vitæ meæ, primò animam meam, quia ipſa domina erat corporis, ad Deitatem excellentius cæteris eleuauit. Inde corpus meum, vt nullius creaturæ corpus ſit tam propinquum Deo, ſicut meum. Ecce quantum filius meus dilexit animam meam, & corpus. Sed aliqui ſunt, qui maligno ſpiritu, negant me aſſumptam corpore, & anima; aliqui etiam, qui neſciunt melius. Sed iſta pro certiſſimo eſt rei veritas, quòd cum corpore & anima ad Deitatem aſſumpta ſum.* libro etiam 6. cap.60. reperiuntur verba hæc obſeruatu digna, *Quod tibi dixit Magiſter ille ventilator verborum, quòd epiſtola Hieronymi mei, quæ loquitur de Aſſumptione mea, non eſſet legenda in Eccleſia Dei, quia videtur ſibi in legenda illa, quòd Hieronymus dubitauit de Aſſumptione mea, eò quod dixit, ſe neſcire, verùm ſit aſſumpta in corpore, vel non, vel à quibus perſonis aſportata. Ideò ego Mater Dei reſpondeo Magiſtro, quòd Hieronymus non dubitauit de Aſſumptione mea; ſed quia Deus non reuelauit apertè huiuſmodi veritatem; ideò Hieronymus maluit piè dubitare, quàm definire non oſtenſa à Deo.* Hactenus ex S. Brigitta, quæ euolauit ad Superos anno 1373. B.etiam Maria Oegniacenſis, quæ diem obiit anno 1213. *conſtanter aſſeuerat, Beatiſſimam Virginem* MARIAM *iam cum corpore glorificatam,* ſic narrat lib.2. vitæ cap.11. Iacobus de Vitriaco.

25 Sed vt reuertamur ad teſtimonium Alani, oratio, quam citauit, vt & Petrus Bleſenſis, ac Sylueſter ſupra, necnon Albertus Magnus in Mariali cap. 172. Abſalon Abbas in ſer.2. de Aſſumptione, Velloſillus in aduertentiis ad 10. tomum S.Auguſtini quæſito 28. Radulphus Decanus Tungrenſis lib. de Canonum obſeruantia propoſitione 23. Dominicus Sotus in 4. diſt. 43. quæſt. 2. art.1. Sic integrè tranſcribitur à Salmer. in tr. 38. pag.391. *Veneranda, Domine, huius diei feſtiuitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit: quæ filium tuum Dominum noſtrum, de ſe genuit incarnatum.* Orationem hanc vetuſtate commendabilem contentam in Miſſali Ambroſiano, & in Sacramentario Gregoriano editis à Iacobo Pamelio in Liturgiis Eccleſiæ Latinæ pag.414. tomi 1. & pag.330. tomi 2. dicebant antiquitus in Statione, qua procedebatur cum imagine Chriſti à S.Maria Minore ad S. Adrianum, vbi fiebat Statio, & ad S.Mariam Maiorem celebrabatur Miſſa. Grimoldus Abbas in præfatione libri Sacramentorum ait, Officium de Aſſumptione B.Mariæ non eſſe compoſitum à S. Gregorio; vnde Pamelius ſuſpicatur, antiquius eſſe; Sed præfatam orationem adſcribunt Sylueſter, Albertus Magnus, ac Ioannes Eckius apud Molanum lib. 3. Hiſtoriæ Sacrarum imaginum, & picturarum cap.32. Ioannéſque Raulin, & Gabriel Biel ſerm.2. de Aſſumptione Virginis S.Gregorio Papæ; Sotus loquitur de ea, vt quæ ſuo tempore in vſu Eccleſiæ eſſet; Salmeron teſtatur, & haberi in Miſſali Ambroſiano, & ab Eccleſia Romana non eſſe reprobatam. Vidi eam in Miſſali Romano anni 1519. & in Breuiario Ciſtercienſi nunc etiam recitatur, celebrémque fuiſſe in Eccleſiis Hiſpanis, & Gallicanis tradit Arnaldus præcitatus quæſt.18.n.24.

26 Adnotari hic velim cum Baronio in Martyrologio ad diem 15. Auguſti Eccleſiam Romanam adeò abeſſe à præiudicio communis inter fideles perſuaſionis, vt potius in hanc multò propenſiorem ſe oſtendat, dum proponit legendum in feſto Aſſumptionis illum S.Damaſceni ſermonem in quo reſurrectio, & glorificatio ac in cœlo exiſtentia Mariani corporis narratur. Et non multis ab hinc

annis

Digitized by Google

annis exhibebat recitandam ex S. Athanaſio homiliam, in qua dicitur Virginem Matrem aſſiſtere à dextris filij *indutam, quantùm ſpectat ad ſanctiſſimam eius carnem, incorruptibilitate, & immortalitate.... proindéque iſtam nouam Euam, matrem vitæ appellari, variegatámque permanere ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.* Licèt autem modò iſtam homiliam non exhibeat, ideò fortè fuit, quia inceptum eſt non immeritò dubitari inter doctos viros, an de ſanctiſſima Deipara ſermo, ex quo extracta erat homilia, habuerit Authorem S. Athanaſium? Cuius dubitationis fundamenta expendunt Eminentiſſimi Cardinales Baronius, & Bellarminus, ille tom. 1. anno Chriſti 48. & breuiùs vbi ſupra, nec non ad diem 25. Martij; hic in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis obſeruatione in 3. tom. S. Athanaſij. Nullus verò ambigit, Authorem eius ſermonis fuiſſe virum aliquem valdè illuſtrem in Eccleſia, pietate, doctrina, & antiquitate præſtantem: quæ ſunt Suarij verba; confirmaríque exinde poſſunt, quòd Michaël Glycas ſcriptor Græcus, qui vixit circa annum 1119. vtatur p. 3. Annalium, & in epiſtola ad Alypium prædicti ſermonis teſtimonio, imò & ſub nomine S. Athanaſij.

27 Vox *Aſſumptionis* vſitata in Eccleſia Romana ab antiquiſſimis temporibus, vt conſtabit legenti Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctorum c. 16. Suarium tom. 1. de Religione lib. 2. de diebus feſtis Sanctorum cap. 8. Ferreolum Locrium in Maria Auguſta Virgine Deipara lib. 6. cap. 9. Auguſtinum de Herrera lib. 2. de origine, & proceſſu officij diuini cap. 9. inſinuat non leuiter ipſius mentem; vt & Eccleſiæ Græcæ *Dormitionis* vox, quam vſurpat per multa retrò ſæcula. Res eſt communiter obſeruata, ideóque indicaſſe ſufficiat: addiderim tamen, primam Eccleſiam Toletanam in noſtra Hiſpania ſacratam Virginis Aſſumptioni ab Elpidio primo Toletano Præſule, & Apoſtolorum diſcipulo, vt memoriæ prodit Luitprandus in Chronico anno Chriſti 672. & in fragmentis n. 12. Iulianus autem Perez in Chronico n. 48. & 380. non niſi à S. Marco Marcello Eugenio Apoſtolorum etiam diſcipulo dedicatam refert, licet ab Elpidio, imò & à S. Iacobo Zebedeo inceptam Ædem ſacram Toleti in honorem B. Mariæ Virginis adhuc viuentis tradat in illo n. 380. rurſúſque n. 610. & prætereà in aduerſariis ad Chronicon n. 387. Exemplo templi maximi Toletani Cathedralia ferè omnia Hiſpaniæ dedicata ſunt Dei parenti Aſſumptæ.

28 Anceps fui, an huc afferrem Authorem quæſtionum ad Antiochum ſub nomine S. Athanaſij, dum in q. 24. ait: *In Reſurrectione ipſi quidem viri reſurgent viri; ipſæ autem mulieres reſurgent mulieres, ſicut & ipſa Theotocos; ſed erunt, inquit, ſicut Angeli Dei.* Nam erit, qui cenſeat, nullum fore exemplum deſumptum ex reſurrectione Deiparæ in ſexu fœmineo, ſi non præceſſiſſet. Alius autem cenſebit, cum Authorem primo aſpectu non fauere anticipatæ reſurrectioni Virginis Matris; ſed ex eius ſexu fœmineo reſtituendo argumentari ad alias mulieres. Si vltima hæc interpretatio magis placeat, obſtare non debet ille Author, quo minùs putemus iam factam reſurrectionem MARIÆ. Nam ſi tot ſunt pro ea, quid intereſt, vnum, & incertum contra fore? Incognitus in Pſal. 129. v. 23. & 24. ſcribit, *nullũ,* (præter Chriſtum,) *ante finem ſæculi reſurrexiſſe nec reſurrectiorũ immortalem.* Debuiſſet etiam excipere Deiparam, vt omittam modò duos alios, de quibus in exerc. 22. n. 63. & in n. 4. apponam hanc excluſionem quibuſdam verbis S. Ambr. in quibus inquit, *Solum* Chriſtum *adhuc reſurrectione perpetua reſurrexiſſe.* Certè ſi quo ad peccatum originale, & quo ad viſionem Dei quandoque habitam in vita mortali excipitur Sanctiſſima Virgo à generalibus propoſitionibus ſacræ Scripturæ dicentis, *Omnes peccauerunt in Adam: Non videbit me homo, & viuet: Deum nemo vidit vnquam,* excipitur, inquam, qua probabilitate, omnes norunt; nihil mirum, ſi generali propoſitioni S. Ambroſij quo ad reſurrectionem apponamus exceptionem, imò & credamus ſubintellectam ab ipſomet Doctore, in cuius Liturgia, teſte Caniſio ſupra c. 5. dies Aſſumptionis MARIÆ omni deuotione colendus aſſeritur.

29 Ex hoc principio celeberrimo inter Patres, & Theologos, quòd generales Scripturæ locutiones non debent extendi ad Deiparam, quando continent aliquid minus decens tantæ Dominæ dignitati, & excellentiæ, apparet reſponſio ad generalem illam ſententiam Geneſis 3. *In puluerem reuerteris;* ne propterea dicatur, Marianum corpus paſſum eſſe incinerationem: apparet etiam reſponſio ad vniuerſalia oracula in nouo Teſtamento de reſurrectione in fine mundi; nec non de conſummatione Sanctorum quoad corporis beatitudinem; ne proptrea dicatur, Sanctiſſimam Matrem adhuc non reſurrexiſſe, neque adhuc accepiſſe integram & completam beatitudinem corporis. Quòd ſi ea oracula probabiliſſimam admittunt exceptionem in multis Sanctis, de quibus in exercit. 22. potiori iure admittent in Sereniſſima Regina Angelorum, & hominum, *quam tanta ſeruat gratia & attollit dignitatis prærogatiua,* vt inquit S. Aug. ſerm. 1. de Aſſumptione inferẽs inde Virginem *non immeritò excipi à quibuſdam legibus vera æſtimatione.* Hactenus occaſione quæſtionis illius ad Antiochum; ſed non extra rem. E qua num ſint hæc verba in lib. de diuitiis, vetuſto quidem, perperam tamen ſub Sixti III. Papæ nomine, *Hoc illi,* (Ioanni Euangeliſtæ) *à Domino fuerat imperatum, vt eam,* (Dei parentem MARIAM) *donec reſurgeret, materno veneraretur affectu, vt eius vita filij ſolatio foueretur?* æquus penſitet lector.

SECTIO III.

Virgineum corpus non eſt tranſlatum ad Paradiſum terreſtrem.

30 NIcephorus Calliſtus lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 22. videtur tradere, rediuiuum corpus MARIÆ tranſlatum eſſe non ad cœleſtem, ſed ad terreſtrem paradiſum. Ait namque, *vbi autem ad Gethſemani peruentum eſt, ſepulturæ quidem illa filium imitata traditur: per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipſum ſcilicet paradiſum, vbi & vitæ arbor conſita eſt, ratione ea, quam qui hoc fecit Deus, nouit, transfertur.* Temeritatis, & impoſturæ in Nicephorum non me obiurgabis, ſi attenderis iis, quæ ipſe in lib. 1. cap. 31. ſcripſerat de Sanctis Patribus traductis à Chriſto è ſinu Abrahæ *ad ſacra, immenſáque luce refulgentia paradiſi tabernacula, velut ad quoſdam Arrhabones, & primitias earum, quæ in cœlis aliquando, poſt ſcilicet illam reſurrectionem omnium, condignis, atque idoneis parata ſunt, manſionum, ſempiternorúmque harediorum.* Dabo alia huius Authoris verba num. 54. exercitat. 22. Ex quibus ipſius mens ampliùs clareſcet.

31 In libro Apochrypho, & falſò adſcripto S. Melitoni Epiſcopo Sardenſi, de tranſitu S.Mariæ, dicitur Chriſtus tradidiſſe Angelis Matrem rediuiuam, *vt deferrent eam in paradiſum*. Sed forſan non eſt ſermo niſi de cæleſti, nam poſteà additur, *Cum hæc dixiſſet Dominus eleuatus in nube, receptus eſt in cælum, & Angeli cum eo deferentes Beatiſſimam Dei Genitricem Mariam in paradiſum Dei*.

32 Andreas Cretenſis in oratione de dormitione Deiparæ apud Salmeronem tract. 38. v. *Quintus accedit*, innuere videbitur alicui paradiſum terreſtrem, cùm ait, *quid ſplendidius, aut magnificentius, quàm Dei Matrem vocari, & eſſe, ingenij vllius acie poteſt conformari? Modum verò, & rationem, qua ex hominum conſortio, & conuictu fuit ſeparata, inde poteſtis cõiecturа conſequi, ſi locũ, & gradum reuoluatis animo, ad quem corpus noſtrum ex materia mortalis contagione compactum, & concretum, fuit à Deo tranſportatum*. Ita ille in ea oratione nondum editâ, aſſeruatâ tamen in Vaticana Bibliotheca, vt atteſtatur Salmeron. Cæterùm τὸ *noſtrum* non eſt intelligendum de noſtro in Adami corpore tranſlato ad terreſtrem, ſed de noſtro in Virgine aſſumpto ad cæleſtem paradiſum. Idque conſtat ex verbis his immediatis, *Corpus, inquam, Virginitatis flore mirificè honeſtatum, & à Dei Numine, & maieſtate aſſumptum, ex quo Chriſtus fuit, quantùm ad naturam humanam conſtitutus*. Prætereà ex duplici eiuſdem Andreæ oratione, quam apud Surium tom. 4. habemus, liquet maniſeſtiſſimè ipſius ſenſus de tranſportatione Deiparæ penes animam, & corpus, in cœleſtem paradiſum.

33 S. Damaſcenus in oratione de Dormitione Deiparæ inquit, *Portatur autem corpus manibus Apoſtolorum, Rege Regum id tegente ſplendore ſuæ, quæ ſub aſpectũ non cadit, diuinitatis, & toto cætu populi præcurrẽte, & ſacras voces emittente, & ſacrificãte ſacrificium laudis, donec in ſepulchro tanquam in thalamo, & per ipſum in delitiis Eden repoſitum eſt*. Verumtamen non loquitur de Eden terreſtri, ſed cæleſti, vt ſtatim declarat inquiens, *repoſitum eſſe in cæleſtibus tabernaculis*: & in tota ea oratione ſæpiſſimè repetit idipſum.

34 De cæleſti etiam paradiſo percipiendus eſt S.Gregor. Turonenſis in verbis exarandis n. 50. & in aliis ex c. 8. lib. 1. de gloria Martyrum, vbi inquit, *Mariam glorioſam Genitricem Chriſti ::: Angelicis choris canentibus in paradiſum, Domino præcedente, tranſlatam eſſe*.

35 Michaël Glycas ſuffragatur in 3. p. Annalium pro reſurrectione Deiparæ, & reprehendit Ioannem quendam Theologum in hunc modum, *Quòd ſi hæc vera ſunt, fallit oratio ea, etſi Theologi Ioannis inſcribatur, quæ tradit ad paradiſum fuiſſe tranſlatum ſacrum eius* (ſcilicet Virginis) *corpus, & ibi corruptionis expers aſſeruari*. Forſan ſic reprehendit, quia in ea oratione aſſerebatur MARIÆ corpus, ſiue mortis omninò expers, ſiue iam rediuiuum, fuiſſe tranſlatum ad terreſtrem paradiſum.

36 Fallit quidem, & fallitur quiſquis alius ſacrum theſaurum Mariani corporis à cæleſti remouet paradiſo. Nam Catholicæ fidei conſtantiſſimum Dogma eſt, Virginis beatam animam exiſtere in cœlo. Si autem vnita eſt corpori, vt ſine temeritate, & errore negari nunc non poteſt, exiſtet etiam in cœlo corpus gloriæ dotibus ornatum. Etſi enim, attentâ potẽtiâ Dei abſolutâ, concedatur non repugnare, quòd anima exiſteret in cœlo, ac in terreſtri paradiſo ſimul, & quòd in cœlo careret vnione ad corpus, ſecùs in paradiſo terreſtri: verumque tamen ex natura rei eſt impoſſibile; neque talis miraculi indicium aliquod præbent Eccleſiæ Patres; imò cõceptis verbis docent Marianum corpus vnà cum anima commorari in cœlo; & hæc eſt Occidentalis & Oriẽtalis Eccleſiæ perſuaſio, omniúmque Chriſtianorum benè ſentientium. Si Nicephorus aliter ſenſit, ideò fuit, quia Cœleſtis regni incolatum, & beatitudinem denegauit Sanctorum animabus vſque ad diem Iudicij vniuerſalis: contra quem errorem, & hæreſim inſtituam Exerc. 21.

SECTIO IV.

An Virgo Deipara reſurrexerit anticipatè ex merito perſonæ, vel ex mera prærogatiua ſingulari.

37 DOminicus Sotus ſuprà, ſemel, & iterùm aduertit Virginem anticipatè reſurrexiſſe ex mero priuilegio gratuito Dei, non autem ratione ſuæ ſanctitatis, quaſi iuſtitia retributionis exegerit à Deo anticipatam reſurrectionem ob meritum perſonæ. Et probat primò, quia anticipata reſurrectio ante finem mundi, ſi fieret ob meritum perſonæ, non fieret, niſi quia eius reſurrectio cauſa eſſet reſurrectionis aliorum. Id autem ſoli Chriſto competit. Probat ſecundò, quia ſi Beata Virgo ob meritum perſonæ reſurrexit tertio die, exigeret iuſtitia retributionis, vt qui ſanctitatis eſſet duplo minoris, reſurgeret ſexto die, & qui eſſet triplo minoris, reſurgeret nono die. Hoc autem opinari fas non eſt. Indicat & aliam probationem, quia ſi Virgo non meruit ratione ſanctitatis præſeruationem à morte, etiam ſi concedatur non incurriſſe maculam peccati originalis, dicendum ſimiliter eſt, neque meruiſſe anticipatam reſurrectionem. Ita doctiſſimus Theologus, addens, Virginem congruentiſſimè tertio die reſurrexiſſe, licèt ex mero priuilegio; *nam ſacratiſſimum corpus, quod tanta cum Virginitatis integritate apotheca fuerat carnis Chriſti, decuit, vt quod ipſe per naturam habuit, ipſa per priuilegium obtineret*. P.Caniſius c. 5. v. *cæterum* breuiſſimè inſinuat gratiam feſtinatioris reſurrectionis intentam à Soto tanquam ex mero priuilegio indulto Deiparæ. En Caniſij verba: *Quis ambigat porrò, Deiparam hanc accepiſſe gratiam, tali Matri, ac Reginæ, ſi non debitam, vt certè quidem honorificam, nullique ſanctorum iuſtiùs deferendam, ac tali Filio in amanda, & ornanda Matre maximè congruentem?* Pro hac parte non obſeruaui hactenus alium Theologum.

38 Aſt pro oppoſita ſtat P. Ripalda tom. 2. de ente ſupernaturali diſp. 79. ſect. 13. n. 102. vbi ait, *nullum eſſe fundamentum negandi Maternitati Dei condignitatem ad prærogatiuas* incorruptionis, & reſurrectionis anticipatæ, *cum Patres Eccleſiæ eas illi abſolutè debitas, & morali iure annexas oſtendant. Magis igitur pium, & probabile eſt admittere non ſolùm congruitatem, ſed etiam moralem condignitatem ad illas*. Et loquitur hic Author de condignitate fundata in præcelſo titulo Maternitatis, quam ipſe in inſigni ea diſputatione nouiter, & ingenioſiſſimè tentat, eſſe titulum, ex quo dignificentur opera ſupernaturalia Deiparæ ad meritum vitæ æternæ; eſſe etiam quid ſanctificans ipſam Genitricem Dei.

39 Vt ſuccinctè, & dilucidè meam mentem aperiam, præmitto primò, incorruptionem, & anticipatam

Digitized by Google

cipatam reſurrectionem corporis non fuiſſe debitam Virgini eo connaturalitatis iure, quo Chriſto debita fuit independenter à meritoriis actibus, quibus ipſe in vita mortali eam meruit de condigno. Nam tale connaturalitatis ius proprium, & ſingulare fuit Chriſti, fundatúmque in vnione hypoſtatica, vt docent Patres apud Suarium diſp. 45. ſect. 2. & prætereà dignitatis Matris, etſi celſiſſima, ſuperatur infinitè à dignitate Filij.

40 Præmitto ſecundò, incorruptionem, & anticipatam reſurrectionē corporis fuiſſe quaſi debitam Virgini ex congruitate, & decentia quadam morali independenter ab vllis eius actibus meritoriis. Id probant rationes, quibus Patres, & Theologi vtuntur, ad ſuadendas illas prærogatiuas: confirmatúrque à paritate aliarum; quæ titulo Maternitatis Virgini ſunt elargitæ, vt immunitatis à peccato originali, accelerati vſus rationis, & ſimilium.

41 Præmitto tertiò, Virginem obtinuiſſe à Deo incorruptionem, & anticipatam reſurrectionē corporis per actus impetratorios elicitos tam in ſtatu vnionis ad corpus, quā in ſtatu ſeparationis. Quòd enim in primo ſtatu elicuerit actus, quibus petierit à Deo prærogatiuas illas, proponitur, & exornatur venuſtiſſimè à Caniſio in cap. 5. & quòd in ſecundo ſimiles elicuerit, traditur à Salmerone ſuprà. Si autem poſtulauit, exaudita eſt ſine dilatione propter ſingularem dignitatem, & quaſi iure materno, vt infert Suarius diſp. 21. ſect. 2. licèt verò beatæ aliæ animæ expetant, & petant à Deo quātò citiùs reſurrectionem corporum, reſpondetur illis non ſine cauſa, *vt requieſcant adhuc modicum tempus, donec compleantur conſerui, & fratres*, vti legimus Apocalypſis 6. v. 11. His præmiſſis,

42 Dico primò, Virginem Matrem non meruiſſe de condigno incorruptionem, & anticipatam reſurrectionem corporis ſui. Quia meritum de condigno perſonæ creatæ iuſtæ totum occupatur ex natura rei circa augmentum propriæ gratiæ, & gloriæ. Ita ſuppono ex tractatu de merito.

43 Dico ſecundò, Deiparam per actus ſupernaturales elicitos in via, meruiſſe de congruo incorruptionem, & anticipatam reſurrectionem ſui corporis. Et in primis quòd actus ſupernaturales Virginis viatricis habuerint in actu primo vim congruè meritoriam incorruptionis, & anticipatæ reſurrectionis ſine diſpendio meriti condigni gratiæ, & gloriæ, videtur dubitari non poſſe, cum eam vim habuerint ad alia multò maiora. Deinde, quòd Deus incurando de incorruptione, & anticipata reſurrectione Corporis Virginei attenderit ad prædictos actus, vel ad aliquem ex illis, non eſt cur negetur: imò attendiſſe probatur poſitiuè; tum quia ſic Virgo habebit maiorem conformitatem cum Chriſto, qui per meritum, etſi de condigno, obtinuit incorruptionem, & anticipatam reſurrectionem ſui corporis; tum quia ſic nobiliori modo potietur Deipara eis prærogatiuis; quippe cæteris paribus perfectius eſt comparare aliquid per meritum, quàm ſine illo. Adde, Virginem petiiſſe, dum eſſet viatrix, eas prærogatiuas, & de facto obtinuiſſe poſtea à Deo. Si ergo Deus contulit, cur non intuitu petitionis? Si intuitu, quid defuit petitioni profectæ ex auxilio gratiæ actualis per Chriſtum, vt eſſet meritum de congruo earum?

44 Dico tertiò, ſi Maternitas dignificet Deiparam ad dona ſupernaturalia, non ſecùs ac ipſam dignificat habitualis gratia, diſcurrendum eſſe de Maternitate eodem modo, ac de gratia habituali in ordine ad non condignificanda, ſed congrua reddenda opera ſupernaturalia Virginis reſpectu incorruptionis, & anticipatæ reſurrectionis corporis. An autem Maternitas dignificet? non eſt huius loci tractare.

45 Sotum, & Caniſium adductos in n. 37. crediderim intendiſſe ſolummodò negare Virgini condignum meritum vtriuſque prærogatiuæ; prætertim cùm Sotus loquatur de merito obligante ex iuſtitia ad retributionem. Si tamen quis eius Authoris argumenta detorqueat contra meritum cōgruum; Reſpondeo ad primum, non ex merito congruo, ſed vt ſummùm ex condigno anticipatæ reſurrectionis inferri, quòd merens ſit cauſa reſurrectionis aliorum.

46 Ad ſecundum, perſonam Virginis, & opera exiſtere in tam ſublimi ſphæra, vt ex congruo anticipatæ reſurrectionis merito competente operibus ipſius non valeat illatio ad inferiores alios iuſtos. Sic etſi de Virgine concedatur, meruiſſe de congruo Maternitatem vt decoratam gratiis, ac excellentiis moraliter debitis tantæ dignitati, non ideò admittitur opera ſanctarum aliarum mulierū veteris Teſtamenti habuiſſe in actu primo vim congruè meritoriam eiuſdem Maternitatis cum ornamentis moraliter annexis. Sed gratis do, opera inferiorum aliorum iuſtorum continere in actu primo vim cōgruè meritoriam anticipatæ reſurrectionis; inde tamen non ſequitur, Deum de facto ex attentione ad vim illam debere conferre anticipatam reſurrectionem, vt patet in contritione à peccatore elicita; quæ cum habeat in actu primo vim congruè meritoriam remiſſionis pœnæ totius temporalis, non minus, ſed multò magis, quàm remiſſionis pœnæ æternæ, tamen non ſemper debet mouere Deum, vt ex attentione ad eam condonet totam pœnam temporalem. Et ratio à priori eſt, quia opus in actu primo congruè meritorium alicuius præmij non habet cum hoc æqualitatem; atque ideo fauor prorſus erit, & gratia collatio huius ex attentione ad illud; de quo fauore, & gratia non ſemper conſtat; imò aliquando conſtat de eius carentia, vt in exemplo appoſito contritionis, non enim intuitu cuiuſcumque remittit Deus totam pœnam temporalem, etſi de benignitate diuina credatur, remittere ſemper partem aliquam prædictæ pœnæ, & eam totam, quando contritio eſt valdè intenſa, ac feruens.

47 Hinc ad tertium reſpondeo, etſi opera Virginis admitterentur habuiſſe congruitatem in actu primo ad merendum præſeruationem à morte, noluiſſe Deum acceptare in ordine ad eam præſeruationem ob conuenientias, quas agnoſcunt Theologi, & præcipuè Suarez diſp. 21. ſect. 1. in eo, quòd Virgo mortem ſubierit.

48 Percontaberis, an Sanctis, qui reſurrexerunt cū Chriſto, & ad vitā immortalem, vt dicetur in Exerc. 22. anticipata reſurrectio collata ſit à Deo ex meritis ipſorum de congruo? Exiſtimo, non eſſe collatā niſi ex mero priuilegio, quicquid ſit, an Sanctorum illorum opera fuerint in actu primo, vel non fuerint congruè meritoria anticipatæ reſurrectionis? Ratio eſt, quia ſi Deus ex fine remunerandi merita, acceleraſſet reſurrectionem, contuliſſet hanc corporibus Patrum, quorum merita maiora fuerant: nam etſi ſecùs faciendo iniuſtus non fuiſſet, credibilius eſt, ſeruaturum proportionem iuxta gradum meritorum. Aſt Patribus, quorum merita maiora fuerant non contulit reſurrectionem corporum, ſiquidem S. Ioannes Baptiſta, nulli ex iis, qui reſurrexerunt, inferior in meritis, imò multis ſuperior, neutiquam

Digitized by Google

tunc obtinuit reſurrectionem corporis ad vitam immortalem. Sed de hoc iterùm in n.46. exercitationis præcitatæ.

SECTIO V.

An Deiparæ corpus reuixerit in ſepulchro, vel in Empyreo?

49 P. Franciſcus Coſterus de vita, & laudibus Deiparæ Mariæ Virginis meditatione 37. tit. de Aſſumptione corporis inquit, *Conſidera igitur ſecundò, poſt elapſum triduum, ſacrum corpus MARIÆ Virginis iuſſu Filij ab Angelis magna celebritate, ac reuerentia ex ſepulchro in cœlos transferri, in quod anima beatiſſima virtute diuina ingreſſa nouo ſplendore, & corpus, & vniuerſum cœlum illuſtrauit.* Hucvſque Coſterus noſtræ Societatis perdoctus, & pius Theologus, quem *eruditione, & virtutis laude in tota Eccleſia Dei celeberrimum, & decantatiſſimum* appellat Gretſerus lib. 3. comment. in Codinum cap. 18. Adfauere videtur Amedeus ex Monacho Ciſtercienſi, & S. Bernardi Coætaneo Epiſcopus Lauſannenſis hom. 7. de laudibus Deiparæ hiſce verbis: *Eleuata igitur cum vocibus exultationis, & laudis prima poſt Deum ſuper omnes cæligenas in ſede gloriæ collocatur. Ibi reſumpta carnis ſubſtantia, (neque enim credi fas eſt, corpus eius vidiſſe corruptionem,) & duplici ſtola induta Deum, & hominem in vtraque natura, quantò cæteris clarius, tantò ardentius vniuerſis mentis, & carnis oculis contemplatur.* Tantum Amedeus, innuens reſumptam à Maria carnis ſubſtantiam in ſede gloriæ. Sic eum intellexit P. Didacus de Baëza tom. 4. in Euangelia lib. 18. cap. 3. §. 9.

50 Tanto viro, (quem vt Parentem, & Magiſtrum multos per annos, fauſtum mihi fuit ſuſpicere in Valliſoletano Collegio S. Ambroſij,) præſens oſtendi S. Gregorij Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 4. manifeſtum teſtimonium in fauorem præconceptæ ab ipſo cogitationis de reſurrectione Deiparæ in Empyreo; & poſtea abſens miſi per litteras aliud Baptiſtæ Mantuani inſignis Theologi, & Poetæ lib. 3. Parthenices 1. deſcripſit vtrumque tom. 6. de Chriſto figurato lib. 12. cap. 5. §. 7. cui tomo operam dabat eo tempore. In hac re didici experimento illud S. Ioannis Chryſoſtomi homiliâ de ferendis reprehenſionibus, & conuerſione S. Pauli, *Sæpe abiectum quippiam, & vilis inuenit, quod magnus, & ſapiens vir præterit.* Cui ſententiæ conſonat & ea S. Damaſceni in ſerm. de iis, qui in fide hinc migrarunt, *Nonnunquam id, quod à perfectis relictum, reperit puellus, & in id, quod præter curſum à ſapientibus, incidunt idiotæ, & id, quod occultatum à magiſtris, comparuit diſcipulis.* En iam primum teſtimonium, *Diluculò autem leuauerunt Apoſtoli cum lectulo corpus eius*, (nimirùm Deiparæ,) *poſueruntque illud in monumento, & cuſtodiebant ipſum, aduentum Domini præſtolantes. Et ecce iterùm adſtitit eis Dominus, ſuſceptúmque corpus Sanctum in nube, deferri iuſſit in paradiſum*, (ſubintellige cœleſtem,) *vbi nunc, reſumpta anima, cum electis eius exultans, æternitatis bonis, nullo occaſuris fine perfruitur.* Ita Turonenſis. Si corpus reuixiſſet in ſepulchro, vt quid deferri iuberet Chriſtus? cùm ipſum dote propria agilitatis auolaret illicò in Empyreum paradiſum. Vt quid illa, *vbi nunc, reſumpta anima, &c.* Ne autem vlla ſit dubitatio de Turonenſis mente, do commentarium Petri Abaëlardi ſerm. 25. de Aſſumptione B. Mariæ, *Sacrum corpus clam priùs in paradiſum ſuſtulit, quàm reſuſcitauit, quò mirabilior exanimis corporis aſſumptio fieret, ac reſurrectio, nullatenus iam ipſum ſuſcitatum terreno contactu iudicans dignum. Creatum extra paradiſum legimus Adam, in paradiſo Euam, reſuſcitatum in terris Dominum, in cœleſtibus verò corpus Maternum. Perpendant fœmina, quanta inferiorem earum ſexum gloria Dominus ſublimauit, & quàm naturalis eis eſſe videatur tam cœleſtis, quàm terreſtris paradiſus, in hoc quippe fœmineus ſexus tam corpore, quàm anima primum creatus, in illum hodie anima pariter cum corpore ſublimatur.* Sic ex Turonenſi Abaëlardus, quem legere in multis, & citare, nefas non eſt.

51 En ſecundum teſtimoniũ, vel potiùs tertium:

— Imperio poſt tempore paruo
Ablutum Iordanis aquis, terraque refecto
Pondere, & ardenti veſtitum luce, nihilque
Iam mortale tenens, celeres in ſydera Diui
Tollentes, iterùm menti impoſuêre beatæ.

De Mariæ corpore loquitur Mantuanus, confingens ex Poëtica licentia ablutionem in aquis Iordanis. Non ſecus ac de Æneæ corpore in aquis Numicij Ouidius lib. 4. Metamorphoſ. cum immortalitatem Æneæ atque apotheoſim operâ Veneris fabulatur,

Hunc iubet Æneæ quæcumque obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre ſub æquora curſu,
Corniger exequitur Veneris mandata, ſuiſque
Quicquid in Ænea fuerat mortale repurgat,
Et reſpergit aquis, pars optima reſtitit illi.
Luſtratum Genitrix diuino corpus odore
Vnxit, & Ambroſia cum dulci Nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigitem, templóque, ariſque recepit.

vel reſpexit Mantuanus ad antiquum morem lauandi emortua corpora, & deinde inungendi, vt in Miſeni funere narrat Virg. lib. 6. Æneid.

Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpúſque lauant frigentis, & vngunt.

Illuſtrantque inter alios noſter Sopranes digreſſione de ritibus in priſco Hebræorum funere c. 4. & 5. Ioannes Kirchmanus lib. 1. de funeribus Romanorum cap. 7. 8. ac 9. Iacobus Gutherius de iure Manium lib. 1. cap. 15. Officium hoc perſolutum fuiſſe Chriſti Domini corpori ante depoſitionem in monumento exprimit S. Chryſoſtomus homil. 84. in Ioannem; & ablutionis inſigne monumentum ſeruatur in Brugenſi ciuitate Belgij, teſte Coſtero meditatione 49. de Paſſione: refértque ex eius authoritate Coſmas Magallanes in Ioſue c. 24. ſect. 3. annotat 6. n. 14. ex Lorino in cap. 9. Act. v. 37. Ioannes Iacobus Chiffletius in Hiſtoria Criſi de linteis ſepulchralibus Chriſti cap. 4. ex Meyero in Annalibus Flandriæ lib. 5. & ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgij, Martinus Breſſerus lib. 6. de conſcientia cap. 22.

52 Ablutio corporis Mariani, ſi non ſit in aquis Iordanis, & ab Angelis, non adeò diſplicere debet; traditur namque à S. Damaſceno, & Simeone Metaphraſte in orationibus de dormitione Deiparæ. Primus ait, *Sed nec aqua natura erat expers benedictionis; lauatur enim aqua pura, quæ non eam emundabat; imò verò ipſa ſanctificabatur.* Secundus inſiſtens primo ſic fatur, *Cæterùm nec aquæ quidem natura erat expers benedictionis; ſed ipſa quoque lauacro puriſſimi corporis fuit particeps ſanctificationis. Neque enim illud habebat opus purgantibus. Quis enim hoc diceret, niſi emotæ mentis? ſed ſuo contactu potius ſanctificabat id, quod attingebatur.* Accedit

Author

Digitized by Google

Author Pomerij ſermonum de B. Virgine lib. 10. p.5.art.1.cap.2.inquiens ex Coſma Veſtitore, *Tanta quoque ſtatim corpus eius claritate reſplenduit, vt tangi quidem à virginibus ad lauandum poſſet, videri non poſſet. Tandiu autem lux illa reſplenduit, donec corpus à Virginibus fuit lotum aqua mundiſſima, non ab ipſa mundatum, ſed potius à corpore ſacro aqua ſanctificata.* Ita Author ille. Et eadem fermè inueniuntur in libro de tranſitu S.Mariæ. Quiſnam fuerit Coſmas, cognomento Veſtitor, adductus à Pelbarto, nondum certò comperire potui. Græcorum liber, quem Triodium vocant, & quo in diuinis officiis celebrandis vtuntur à Septuageſima vſque ad Octauam Pentecoſtes, præfert in liminari pagina nomen S.Coſmæ, & ab hoc exaratus dicitur, vt cum Baronio ad annum 842. obſeruat Myræus cap.208. Auctarij. Suſpicor Triodij concinnatorem Coſmam denotari à Pelbarto, eritque valdè antiquus, ſi ea, quæ narrat de morte, & funeribus Virginis, didicerit ab iis, qui interfuerunt. Sic enim ex ipſo tradit Pelbartus. Sed Iacobus de Voragine in Legenda de Aſſumptione B.Mariæ tantùm ait, notitiam Coſmæ promanaſſe è poſteris eorum, qui fuerunt præſentes. Vnde minor Coſmæ arguitur antiquitas. Franciſcanus Amedæus raptu 8. ſuæ Apocalypſis reſpuit ablutionem Virginei corporis. Res eſt in vtramuis partem liberè opinabilis. Hæc occaſione carminum Baptiſtæ Mantuani, qui tamen lib. 8. de ſacris diebus in feſto Aſſumptionis reunitionem animæ cum corpore intra ſepulchrum cecinit.

53 Reſurrectio Mariani corporis in Empyreo nonnullas etiam habet pro ſe rationes. Prima ſit, quia *Aſſumptionis* nomen, vſurpatum ab Eccleſia Occidentali, denotare videtur, Marianum corpus extranea virtute tranſlatum fuiſſe in cœlum. Si autem reuixiſſet in ſepulchro, aſcendiſſet in cœlum propria virtute, ea videlicet, quæ per dotem agilitatis glorificatis corporibus eſt communis. Vnde ſicut ex nomine *Aſſumptionis* infertur communiter à Theologis deductio Mariani corporis in cœlum, tum quia illud nomen propriè & in rigore refertur ad corpus, tum quia ſola anima non tam diceretur aſſumpta, quàm aſcendens; abiiſſet quippe in cœlum natiua ſua virtute motiua; ita ex eodem nomine rectè infertur deductio Mariani corporis inanimis, & nondum glorificati; nam alio modo non ſaluabitur, tranſlatum fuiſſe in cœlum extranea virtute.

54 Secunda ratio, Eua formata fuit in paradiſo terreſtri. Ergo par eſt, vt Maria viuentium Mater fuerit reformata per reſurrectionem in paradiſo cœleſti. Tertia; non dedecet nobilitatem Empyrei ſi in ipſum introducatur corpus aliquod inanime, & à corruptione præſeruatum, vt exemplo Dominicæ Crucis æternaturæ in illo iuxta dicenda in ſect. 2. Exercitat. 25. ſatis apparebit. Et quidem Deiparæ corpus etiam emortuum nobilius eſt cruce Dominica, & vel ſic poſſet ſanctificare Empyream aulam, vti ſacrauit ſepulchrum, reddiditque *ſacrorum ſepulchrorum ſacratiſſimum, poſt Domini ſepulchrum,* vt ponderat S.Damaſcenus, qui Mariani corporis ſepulchrum rhetoricè cogitat loqui in hunc modum: *Nunc me defendunt Angeli, nunc diuina in me habitat gratia. Ego euaſi officina medicinæ ægrotantibus. Ego ſum fons perennis curationum. Ego remedium aduerſus Dæmones. Ego ſum refugium omnibus confugientibus::: Ex mea natura non habeo gratiam. Sepulchra fœtere ſolent, triſtitiam conciliare, lætitiæ eſſe aduerſa. Ego autem euaſi vnguentum pretioſum, & boni odoris particeps: vnguentum, inquam, tam odoriferum, & tanta efficacia, vt vel parua ſui portione donet defenſionem::: lætitiæ fontem excepi hoſpitio, & diues remanſi perenni eius ſcaturigine.* Hæc de ſe ſepulchrum apud Damaſcenum. Et putes, Empyrçum temerandum, ſi vel parua mora intra ſuum ambitū recipiat exanime corpus Marianum? Corpus videlicet *luminoſum, quod Dei Verbi totam capiebat plenitudinem, & quod, dum videbatur in lecto, vnguenti ſanctificationis ſuaui odore perfundebat totam creatam naturam, vt inquit* Andreas Cretenſis in oratione 2. de dormitione Deiparæ.

55 Quarta denique ratio ſit, quia cedit in maiorem Virginis laudem, ſi eius anima non deſeruerit vel breui temporis ſpatio thronum cœleſtem, ad quem fuit exaltata, ſed inibi exiſtens delato corpori ex tumulo ſe iterùm infuderit. Quòd ſi Marianæ animæ vnitæ corpori decet authoritatem, & maieſtatem ne frequenter relinquat locum cœleſtem, vt notat Suarez lib.6. de Angelis capite 21. num.23. imò ſi decet, ne vſque ad Iudicij magni diem diſcedat ab Empyrea ſede, vt ex dictis de eius diuino Filio in ſect. 4. Exercitat. præcedentis licet colligere; quid ni decebit ipſius adhuc non vnitæ dignitatem, & excellentiam? Si propter hanc rationem mediteris, MARIÆ animam permanſiſſe in ſua ſede Empyrea, ſimúlque diuinitus deſcendiſſe in ſepulchrum, vnitámque corpori remeaſſe, túncque amiſiſſe duplicatam præſentiam. Contra; quia duplicata præſentia animæ cum vnione ad corpus in vno loco, & ſine vnione in alio, inuoluit iuxta aliquos implicantiam contradictionis: & licèt non inuoluat, excogitatur ſine fundamento; cum facilius ſit, permanente anima in Empyreo, transferri illuc à Deo corpus miniſterio Angelorum.

56 Primæ ex his rationibus iam occurrerat Petrus Damiani ſerm. de Aſſumptione inquiens, *Intuere mentalibus oculis filium aſcendentem, & matrem aſſumptam; & videbis aliquid excellentius in Aſcenſione filij exhiberi, & aliquid glorioſius in Aſſumptione Virginis demonſtrari. Aſcendit enim Saluator in Cœlum poteſtatiua virtutis imperio, ſicut Dominus, & creator, Angelorum comitatus obſequio, non auxilio fultus. Aſſumpta eſt Maria in Cœlum; ſed gratiæ ſubleuantis indicio, comitantibus, & auxiliantibus Angelis, quam ſubleuabat gratia, non natura. Ideo dies hæc Aſſumptio, Aſcenſio illa vocatur, cùm aliud ſit potentia, aliud miſericordia, ſolúmque ſoli ſit priuilegium Creatori naturam rerum propria poteſtate ſupergredi. Hoc eſt illud excellentius, quod ſibi vendicat ſuper creaturam Creator, vbi etiam ſuperabundans & ſingularis gratia non audeat aſpirare. Sed ſi diligenter attendamus, Aſcenſionem Filij, & Matris Aſſumptionem, inueniemus profectò aliquid, quod nos inueniſſe gaudebimus. Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt; Matri verò cœlorum palatia penetranti Filius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quàm Iuſtorum ſolemniter occurrens euexit ad beata Conſiſtorium ſeſſionis.* Hactenus Purpuratus Pater, apud quem glorioſius illud, quod præ ſe tulit Aſſumptio Mariæ, non eſt reſurrectio in Empyrei adytis, vt inferre vult P.Baeza. Etſi ergo reuixiſſet in ſepulchro Marianum corpus, & huic vt glorificato competat propria virtus aſcendendi in cœlum per dotem agilitatis, poſſet nihilominus Virgo rectè dici aſſumpta, quatenus ipſius perſonæ non erat ſimpliciter debita, & connaturalis ea virtus, vti debita, & connaturalis eſt perſonæ Chriſti, in quo animæ, & corporis glorificatio non eſt ſupra exigentiam

Digitized by Google

exigentiam perſonæ. Et retorquetur argumentum; quia quando non habetur reſpectus ad perſonã, ſed ad animam, & corpus, quibus præciſè ſecundùm ſe non eſt ſimpliciter debita, & connaturalis glorificatio, proindéque neque virtus aſcendendi in cœlum, Chriſtus etiam dicitur aſſumptus in illud, vt Marci 16. v.19. act.1. v.2. ad Timoth.1. c.3. v.16. & tamen non inferes, corpus Chriſti inanime ſublatum in cœlum. Quare ad ſaluandum nomen *Aſſumptionis*, non requiritur motiua virtus extrinſeca omninò, & extranea; ſed ſatis eſt intrinſeca, & propria aliquatenus, dummodò non ſit ſimpliciter connaturalis, & debita Virginis perſonæ. Ita ferè Suarez diſp.21. ſect.2. vbi adnotat, vti etiam Velloſillus in aduertentiis ad 8. S.Auguſtini tomum quæſito 9. Ioannes Bonifacius in Hiſtoria Deiparæ lib.1. cap.20. Virginem quandoque aſſeri aſſumptam ab Angelis, quia honoris cauſa eam comitabantur, ſic vt aſſectantur Sanctorum animas aſcendentes in cœlum, & hac de cauſa dicuntur deportare eas illuc. Imò, & Chriſtus à S.Auguſtino creditur ad cœlum *ſublatus in manibus Angelorum, non quia ſi non portarent Angeli, ruiturus erat; ſed quia obſequebantur Regi ::: nec pertinebat ad infirmitatem Domini, ſed ad illius honorificentiam, ad illorum ſeruitutem.* Sic in Pſalm.90. v. 12. licèt S.Gregorius Magnus homilia 29. in Euangelia ſcribat, *Redemptor noſter non curru, non Angelis ſubleuatus legitur, quia qui fecerat omnia, ſuper omnia ſua virtute ferebatur.* Et S.Bernardus in tract.de gradibus humilitatis, *Non currus vehiculo, non Angeli adminiculo, ſed propria virtute ſubnixum ſuſcepit eum nubes ab oculis diſcipulorum.*

57 Secunda, & tertia ratio, non tam factum, quàm poſſibilitatem ſuadent; & ex puris congruentiis in hac & ſimilibus materiis vix quicquam ſolidum poteſt deduci; nam facile eſt pro oppoſita parte adinuenire alias cum Ioſepho de la Cerda in libro, cui titulus eſt, *Maria effigies, reuelatióque Trinitatis, & attributorum Dei* 29. Academia, ſect. 5. vbi maiori verborum, quàm argumentorum apparatu cruentum bellum indicit Neotherico cuidam innominato, qui abs dubio eſt Noſter Didacus de Baëza. Quarta ratio inuenuſta non eſt. Sed reſpondebitur, non dedecere Virginis animam, quòd in occaſione adeò graui, qualis eſt adſportatio ſui corporis in cœlum, deſerat, ad tempus breuiſſimum, habitationem cæleſtem.

58 Verùm nec pro reſurrectione Mariani corporis in ſepulchro offerunt ſe ſe conuincentes omninò rationes. Nam ſi obiicias primò S. Hieronymum, qui explicans locum illum Iſaiæ cap. 66. verſ.24. *egredientur, & videbunt cadauera mortuorum, qui præuaricati ſunt in me*, ait, *omnem carnem, quæ adoratura eſt in conſpectu Domini, vel in Hieruſalem cæleſti ::: egreſſuram non loco, ſed intelligentia, vt videat cadauera hominum mortuorum ::: neque enim cadauera mortuorum poſſunt intus eſſe cum Domino.* Reſpondebitur, S. Hieronymum, attento contextu accipiendum eſſe de cadaueribus *hominum mortuorum, qui præuaricati fuerunt in Deum.*

59 Si obiicias ſecundò, Chriſti Domini animam deueniſſe ad ſepulchrum, vt ibi reſumeret corpus. Ergo æquum eſt, Mariæ animam deſcendiſſe etiam in ſepulchrum, vt ibi denuò informaret corpus: ſic enim Matris reſurrectio ſimilior erit reſurrectioni filij. Et fuit quidem ſimilis in aliis circunſtantiis, vt in eo, quòd tertiã die ab obitu, & quòd relictis veſtibus in ſepulchro. Hinc Placidus Nigidius explanatione in cap. 8. Canticorum verſ. 5. ante Baëzam edixit, minus veram eſſe *illam putantium opinionem, in aëra proceſſiſſe obuiam animæ* Marianæ *corpus, Angelorum miniſterio ſubleuatum.* Sed reſpondet Baeza in hunc modum, *IESV anima non deſcendit à throno, in quo nondum erat; imò aſcendit ab Inferis, & venit ad corpus ſepultum: quod quidem vnitum erat diuinitati, & ex hac parte æqualis erat perfectionis cum ipſa anima, æqualitérque per ſe æſtimabatur. Rurſus reſurgens in terra Chriſtus, mirum in modum terram augebat, innumeraſque praſtitit hominibus vtilitates, tandiu cum illis conuerſatus. MARIÆ anima in throno erat regali, longeque præſtantior erat, quam corpus in ſepulchro iacens; nec decorum videbatur quod præſtantior pars relinqueret ſedem gloria, vt deſcenderet ad inferiorem partem, quando hæc faciliùs ad illam poſſet tranſportari.* Sic Baëza.

60 Si obiicias tertiò, beatiſſimas animas deſcenſuras de cœlo paulò ante Iudicium vniuerſale, vniendáſque corporibus in eo loco, in quo præextiterit maior pars materiæ ipſorum. Ergo ſimiliter putandum eſt, beatam MARIÆ animam deſcendiſſe de cœlo, & vnitam fuiſſe corpori in ſepulchro. Reſpondebitur, ſecundam Antecedentis partem non eſſe certam: nam Granadus 2. part. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tractat. 2. diſp.8. num.5. cum Soto, Sala, & aliis, cenſet, reſurrectionem generalem, futuram in eo loco, in quo peragendum eſt Iudicium, delatis illuc miniſterio Angelorum cineribus, & pulueribus reſuſcitandorum. Sed quicquid de hoc ſit, beatæ animæ ea de cauſa deſcendent de cœlo, quin ad iſtud deferantur emortua corpora; quia cùm Iudicium celebrandũ ſit in terra, non oporteret, vt emortua corpora transferentur in cœlum, & poſtea animabus vnita deſcenderent ſine mora, tranſlatio namque illa eſſet ſuperuacanea, quantùm ratione aſſequi poſſumus in re, quæ aliunde conſtat ex ſacris Litteris. Aſt contra tranſlationem inanimis corporis Mariani in cœlum nihil innuitur in ſacris Litteris; & videretur ſuperuacaneus aſcenſus animæ, ſi poſteà tertio die deſcenſura eſſet, vt ſimul cum corpore rediret. Hac forſan de cauſa Authores memorati in n.4. dixerunt, MARIÆ animam mox, ac ſeparata eſt à corpore, non abiiſſe in cœlum; & cum id aſſerendum non ſit, exiſtimatur non ineptè, dum pro vitando ſuperuacaneo aſcenſu aſſeritur, Mariæ corpus inanime deportatum fuiſſe in Empyreum.

61 Si obiicias quartò, affirmari ab Eccleſiæ Patribus, Virginem perductam in cœlum comitantibus Angelis, & ipſo Angelorum Rege Chriſto IESV. Si autem corpus Mariæ inanime tranſlatum fuiſſet in cœlum, vt quid tantus, & tam honorificus comitatus? Reſpondebitur, Patres, qui illud affirmant, loqui expreſsè de comitatu Virginis aſcendentis penes animam in cœlum. Cuius reſponſi veritas comperta erit legenti Patres apud Caſtrum cap. 20. n.13. & 20. ac 21. & apud Spinellum de laudibus Deiparæ cap.26. n.12. Nec ideò negabitur, multos Angelos adſtitiſſe comites emortuo corpori Virginis, dum eleuatum eſt in cœlum: vti triduo, quo iacuit in lecto, & ſepulchro, multi iam adſtiterunt, *circumdãtes ſacrum corpus, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei Matrem celebrantes*, vt in n.5. referebamus ex S. Damaſceno; cui conſonant Sophronius, & S.Ildefonſus. Nam primus ait in epiſtola de Aſſumptione Virginis, *Ad cuius profectò exequias, quantùm eſt fas credere, famulabantur Angeli, & vniuerſa cœlorum gratulabantur Curia.* Secundus verò ſerm.3. de Aſſumptione.

Digitized by Google

ne. *Quòd ſi ad partum Virginis talia Angeli cantarunt, credimus, quòd hodie dignas concelebrarunt exequias, & ſuſcipiunt cum gloria Matrem ſui Creatoris gaudentes.* Græci præterea in quodam hymno canunt: *Supernæ ſacratiſſima, ac longæua Angelorum Virtutes, rei miraculo velut attonitæ, atque inter ſe ſe mutuò conferentes aiebant, Attollite portas veſtras, & eam ſuſcipite, quæ & cæli, & terræ opificem peperit. Præterea hymnus, ac laudibus venerandum illud, & ſacrum corpus, quod inaſpectabilem Deum, ac Dominum geſtauit, dignè vos, & officioſè concelebrate.*

62 Si obiicias quintò, reſurrectionem Mariani corporis in cœlo eſſe contra Eccleſiæ Patres, qui non niſi in ſepulchro eueniſſe tradunt. Reſpondebitur, antiquos aliquos Scriptores Eccleſiaſticos innuere quidem, Mariæ corpus reſuſcitatum in ſepulchro. S. Damaſcenus inquit, *Hodie Eden noui Adami paradiſum recipit rationalem:* quod de corpore exanimi nequit intelligi. Rurſus idem S. Pater, *quemadmodùm illud ſanctum, & corruptionis expers corpus Chriſti tertio die à monumento ſurrexit; ſic etiam hanc à tumulo eripi, ac matrem ad filium migrare, par erat.* S. Germanus *Par erat, te viuentem ad cœleſtem domum in vitam traduci.* Michael Syngelus encomio in S. Dionyſium Areopagitam, *E quo quidem delubro, ſimul atque in monumento condita eſt, & depoſita, incolumis prorſus, ſuóque reſtituta corpori, in cœleſtem aſſumpta eſt requiem, ac virtutum omnium choris, prælata cæleſtibus, denique & dominio totius inaugurata creaturæ.* Michael Glycas 3.p. Annalium. *Ipſa de ſepulchro reſurrexit prorſus vti, filius eius, idémque Deus etiam fecerat, ſolis ſepulchralibus exuuiis in monumento relictis.* Leo Imperator, *An non illam, ex qua carnis indumentum, quo inter homines verſari poteſt, ſuſceperat, carne veſtiuit, & ad ſumma faſtigia cœlorum euexit.* In Græcorum Horologio refertur, Virginem, cum primùm reſurrexit è ſepulchro, apparuiſſe Apoſtolis circundatam Angelorum choris, & nubibus in ſublimi aëris. Præter hos Authores, non inuenio Græcos alios, qui ſignificent, corpus MARIÆ iam animatum aſcendiſſe in cœlum cæteri namque ſolummodò tradunt, tranſlatum fuiſſe in cælum, quin declarent, an animatum, vel inanime.

63 Ex Latinis Scriptoribus antiquis Author Libelli de tranſitu S. Mariæ c.17. ſcribit apertè, MARIAM ſurrexiſſe in ſepulchro. Sed Libellus hic cenſetur Apocryphus à Gelaſio Papa in c. 3. *Sancta Romana.* 15. diſt. nec eſt S. Ioannis Euangeliſtæ, cui inconſultè affinxere aliqui apud Iacobum de Voragine in Legenda de Aſſumptione, Petrum de Natalibus lib.7.c.65. Petrum Viegam in vita B. Mariæ c.28. neque item eſt S. Melitonis Epiſcopi Sardenſis, cui attribuitur à Iuliano Perez in Chronico n. 91. & à Trithemio. Legantur Couarruuias ſuprà, Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ v. *Maria tranſitus*, Bellarminus, Poſſeuinus, Miræus in Melitone, Indéxque librorum Expurgandorum pro Catholicis Hiſpaniarum Regnis. S. Auguſtinus ſerm.1. in Aſſumptione ait: *De ſanctiſſimo igitur corpore perpetuæ Virginis MARIÆ eiúſque ſacræ animæ Aſſumptione, quantum Dominus donauerit, loqui ſuſcipientes,* &c. Sed verba hæc non exprimunt Marianum corpus animatum deductum fuiſſe in cœlum. Quòd ſi teſtimoniis non manifeſtis vtaris, afferentur & alia, quæ in ſpeciem fauent tranſlationi corporis inanimis, quale eſt illud Ioannis Belethi cap.141. de diuinis officiis, *verum eſt, Beatam Mariam, quòd ad animam eius attinet, aſſumptam fuiſſe certò nouimus. An verò corpus eius poſteà etiam aſſumptum fuerit, profectò incertum eſt; piè tamen credimus, ipſam integrè fuiſſe aſſumptam, ſed prius anima, ac deinde corpore.*

64 S. Thomas in opuſculo 4. inquit: *Credimus, quòd poſt mortem reſuſcitata fuerit, & portata in cœlum.* S. Brigitta in ſermone Angelico c.20. *Remota omni ambiguitate credendum eſt, quòd ſicut à Dei amicis corpus illud Virginis beatiſſimæ ſepulturæ tradebatur mortuum, ita ab ipſo Deo filio ſuo amantiſſimo ad vitam perpetuam viuum cum anima venerabiliter eſt aſſumptum.* Conſonat Venerabilis Virgo Marina, imitatrix Brigittæ lib.4. vitæ M S. Authore P. Ludouico de la Puente c.2.§.3. latiúſque parte 2. eiuſdem vitæ, Authore P. Pinto Ramireſio lib.1.c.40. Guilielmus de Bandenſel ait Hodœporico ad Terram ſanctam apud Henricum Caniſium tom.5. lectionis antiquæ p.2.pag.130. *Non diu corpus illud ſanctiſſimæ Virginis ibi* (idest in ſepulchro) *dimiſſum eſt, ſed ſtatim anima reaſſumpta, reſurrectionis, & immortalitatis dotibus gloriatur.* Beata Veronica de Binaſco vidit in raptu qualiter ad cœlum aſcenderit Virginis animatum corpus. Ita refert Iſidorus Iſolanus in vita B. Veronicæ lib. 5. cap.9. additúrque ibi, traductum Virgineum corpus per medium Purgatorium, vt inde extractæ animæ comites forent in itinere ad Empyreum. S. Bernardinus Senenſis, Amadeus Luſitanus, Richardus de S. Laurentio, aliíque Authores Latini non adeò veteres conceptis verbis pronuntiant, Mariæ corpus iam rediuiuum aſſumptum fuiſſe. Reſpondebitur. S. Thomam non contradicere omninò expreſsè; licèt autem reliqui tranſcripti ſic contradicant; id tamen non ſufficere, vt cogitatio tentata de reſurrectione Mariæ in Empyreo cæcè, & ſine diſcuſſione damnetur. Nam quamuis hac tempeſtate videatur noua, traditur non obſcurè à S. Gregorio Turonenſi (qui obiit anno 596.) à Petro Abaelardo (qui naturæ conceſſit anno 1142.) ab Amedeo Lauſannenſi (cuius fœlix mors anno 1158.) aliiſque viris non contemnendæ authoritatis, quales ſunt Baptiſta Mantuanus, & Franciſcus Colletus; habet pro ſe non incongruas rationes, cedereque videtur in maiorem Deiparæ gloriam, *de qua ter Sacroſancta Virgine, qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam quidem à veritatis ſcopo aberrabit,* iudice S. Baſilio Seleucienſi, in oratione de Verbi Incarnatione.

Si obiicias ſextò, Amedeum in periodo illa accipiendum ſic, MARIA in ſede gloriæ collocata, ibi Deum, & hominem in vtraque natura contemplatur mentis, & carnis oculis, vt pote quæ reſumpſerit carnis ſubſtantiam, & duplici ſtola ſit induta. Iſque ſenſus ſuadetur, quia ipſe Amedeus in homilia 8. conteſtatur Virgineum corpus non mortuum, ſed rediuiuum aſcendiſſe in cœlum. Ait enim: *At glorioſiſſima carne integerrima, mente ſereniſſima, viuentium mitiſſima, quò cunctis humilior, & ſanctior extitit, ſuper omnes eleuata, & in cælum à cæli ciuibus honorificentiſſimè, & ex more Imperiali ſuſcepta à Patre ſupremo in regno claritatis æternæ, & in throno excellentiſſimæ gloriæ prima poſt Filium, quem ex ſe genuit incarnatum, iuſſa eſt reſidere.* Et rurſus, *Sublimata itaque ſuper omnia ligna paradiſi, & ſuper altiſſimorum montium præcelſos vertices exaltata, ipſos cœlos ineſtimabili magnitudine penetrauit cæleſtium ordinum ſtipata choris, & virginum choreis adornata.* Quæ poſtrema verba nullus de corpore defuncto intelliget; ſed nec de ſola anima, ſiquidem reſpectu huius magnum non eſt, quod cœlos penetret. Accipi igitur debent

de

Digitized by Google

de corpore, & anima ſimul. Vnde Amedeus potiùs contrarius eſt, quàm faueat reſurrectioni Virginis Matris in Empyreo. Reſpondebitur, poſtrema verba intelligi de anima penetrante cœlos abſque conſortio corporis; quæ penetratio magnum quid fuit tum ob aſcenſum *ſuper omnia ligna paradiſi, & ſuper altiſſimorum montium praceſſos vertices*, id eſt, ſuper choros Angelorum; tum ob iſtorum, & beatarum aliarum animarum ſplendidum comitatum. Quòd ſi magnum quid non eſſet, animam ſolutam corpore penetrare ſic cœlos; ſanè nec eximium eſſet, coniunctam glorificato corpori penetrare: tam enim facile foret hoc ſecundum, quàm illud primum, attenta dote ſubtilitatis, & agilitatis communicata corpori glorificato. In anterioribus Amedei verbis nullum veſtigium extat aſcendentis animæ cum corpore. Finge, Amedeum non edidiſſe homiliam 7. aut eam temporum iniuria ad nos non perueniſſe; tunc neque ex prioribus, neque ex poſterioribus verbis homiliæ, quæ nunc eſt 8. in ordine, inferre quiſpiam poſſet Lauſannenſem Antiſtitem tradidiſſe reſurrectionem Mariani corporis, multóque minus aſcenſionem cum anima vnita. Senſus, qui aptatur periodo ex homilia 7. improbabilis non eſt; ſed collata ea periodo cum altera S. Gregorij Turonenſis, quem præ oculis habitum ab Amedeo, (vt & habitus fuit ab Abaëlardo in ſerm. 25. de Aſſumptione, imò & tranſcriptus,) vehemens mihi ſuſpicio inſidet, cordatus nemo reprehendet Baëzam de adulterato Lauſannenſis ſenſu; nec dicet cum Ioſepho de la Cerda, *Odit fucum hunc Amedeus; prauè conſtruitur, clara periodus eſt.* Si hic Author luſtraſſet oculis, aut diligenti mentis trutina expendiſſet Turonenſis, & Abaëlardi verba, ac Mantuani carmina, vellet, ni fallor, indictam, vel deletam ſuam hanc aſſeuerationem, *Certè ſincera veritatis amator nullum Patris veſtigium, nullam vel leuem coniectura vmbram huic poſſe imaginationis licentia fauere, facili negotio conficiet.*

66 Hæc cum ita ſint, nihilominus P. Baëza poſt multa ingenioſè cogitata pro reſurrectione Deiparæ in Empyreo concludit dicens, *Ego ſubſcribo aliquibus Patribus contrarium expreſsè ſupponentibus, ne videar de meo aliquid moliri etiam in laudem Maria; cui credo noua, & vetera reſeruari à Filio.* Modeſta quidem verba. Irreligio tamen non eſſet, moliri aliquid noui in honorem Virgineæ Matris: *De qua non ſolùm dicta ſunt glorioſa, ſed etiam dicuntur quotidie, & dicentur vſque in æternum. Chriſtus enim Maria Filius, qui antiquos inſpirauit, vt de Matre ſua ſub ænigmatibus glorioſa prædicerent; ipſe & quoſdam modernos illuſtrat; & etiam vſque ad finem mundi ſemper aliquos illuſtrabit, vt Matris præconio, noua ſemper aliqua, & glorioſa ſuperaddant.* Ita Richardus de S. Laurentio lib. 4. de laudibus Mariæ.

67 Iam ſi meum iudicium expectes, non penitus damnabo reſurrectionem Mariæ in Empyreo, ſuſpicorque, non defuturos, quid id ſi cedere putent in ſanctiſſimæ Matris gloriam promouere curent; præſertim qui ſciant ex Petro Cellenſi lib. 9. epiſt. 10. *Suum in laudem Virginis impendere ingenium, & ſtudium, nec improbabile, nec irremunerabile eſſe.* Abſolutè autem cenſeo, Deiparam reuixiſſe in ſepulchro; ſic enim innuitur à Patribus, traditur communiter à Doctoribus, creditur à Fidelibus; & ex reſurrectione in Empyreo nihil peculiare laudis, & honoris intereſſe Beatiſſimæ Virgini proſpecto.

SECTIO VI.

An quoties celebratur anniuerſaria dies Aſſumptionis, ſubleuentur pœnis damnata anima?

68 S. Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſumptione ait, *totus mundus hodie condigna iubilatione latatur, & gaudet; tantummodò vlulat, fremit, & ſubmurmurat; quoniam gaudium, & lætitia huius diei clauſtris infernalibus incluſis aliquod remedium, & refrigerium præſtat. Non audent, vt opinor, miniſtri Tartarei hodie attingere ſuos captiuos, quos recolunt redemptos illius ſanguine, qui pro mundi ſalute eſt dignatus naſci de Virgine.* Hactenus Virgini addictiſſimus Pater, qui videtur ad commendationem diei ſacri Aſſumptioni tranſtuliſſe, quæ Prudentius in hymno Cerei Paſchalis cecinit de Peruigilio Reſurrectioni Chriſti dicato,

Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus
Pœnarum celebres ſub ſtyge feriæ,
Illa nocte, (ſacer qua rediit Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis
Non ſicut tenebras de face fulgida
Surgens occeano Lucifer imbuit,
Sed terris Domini de Cruce triſtibus
Maior Sole nouum reſtituens diem)
Marcent ſuppliciis Tartara mitibus
Exultátque ſui carceris otio
Vmbrarum populus liber ab ignibus
Nec feruent ſolito flumina ſulphure.

S. Ildefonſum verbatim deſcripſit S. Odilo Abbas Cluniacenſis in ſermone de Aſſumptione, & S. Odilonem Nouarinus in vmbra Virginea n. 779. vbi non longè abeſt, vt ſubſignet.

69 Frater Alfonſus Vaſquez lib. 4. de S. Ildefonſo cap. 8. poſt Alfonſum Mendozam in quæſtionibus quodlibeticis q. 6. ſcholaſtica n. 5. interpretatur ipſum, quatenus loquatur de mitigatione pœnarum Purgatorij. Sed hæc explicatio aliena valdè eſt à contextu verborum; vt omittam animas in Purgatorio non torqueri à Tartareis miniſtris, ſeu Dæmonibus: ait autem S. Ildephonſus, *Non audent, vt opinor, miniſtri Tartarei attingere ſuos captiuos.* Vt, inquam, omittam. Nam etſi probabilius ſit, per Dæmones tanquam miniſtros non infligi Purgatorij pœnam, vt docent communiter Theologi in 4. diſt. 20. ac 21. & cum eis Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 3. tamen non eſt omninò certum; ideò inter ſecreta, quæ nobis ſuo tempore aperientur, relinquitur ab Eminentiſſimo Cardinali Bellarmino lib. 2. de Purg. c. 13. Prudentium exponit Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. 2. art. 10. pag. 534. Sic quidem vt per ferias ſignificarit diuerſitatem pœnarum, & mutationes iuxta illud Iobi 24. v. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium.* Verum tamen Prudentius ſubleuationem aliquam in pœnis, quàm diſertè exprimit; & mutatio à calore in frigus non leniret ſupplicia, alioqui viciſſitudo caloris, & frigoris, quæ in damnatorum corporibus aſſeritur à multis Theologis, importaret leuamen aliquod ipſis damnatis.

70 Satius eſt fateri, Prudentium more Poëtico exceſſiſſe, & S. Ildefonſum, vt oſtenderet lætitiam diei Aſſumptionis, populari modo, & hyperbolico loquutum. Sed aduertendum eſt cum Valentia tom. 4. diſp. 11. q. 1. punct. 3. v. *Etſi autem.* Petauio tom. 3. Theologicorum dogmatũ lib. 3. de Angelis c. 8. n. 18. non eſſe errorẽ in fide, quòd damnatorum animabus

Digitized by Google

animabus leuamenti quidpiam in tormentis indulgeatur quandoque ad tempus ante diem extremi Iudicij. Et mitigari tantillùm earum cruciatus ſuffragiis viuorum, indicarunt aliqui Patres, docuerunt nonnulli Theologi antiqui, & ab Alfonſo ſapiente Hiſpaniarum Rege traditur tit. 4. Partita 1. lege 42. his verbis, *Orare debent Deum, qui viuunt in hoc ſeculo, pro animabus defunctorum, nam ob bona, quæ hic faciunt illarum gratiâ, alleuat Deus pœnas commorantium in Inferno.* Sed de hoc puncto conſulantur S.Iulianus Toletanus lib. 2. Prognoſticôn cap. 25. S. Thomas in 4. diſt. 45. quæſt. 2. Dionyſius Carthuſianus, Dominicus Sotus ibidem, Gregorius Lopez in Gloſſa ad legem Hiſpanam præcitatam. Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ ſanctæ, annotatione 47. Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 18. Suarez tomo 4. in 3. part. diſp. 48. ſect. 4. concluſ. 2. Granadus 1. part. controuerſ. 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſp. 4. Duuallius, Mendoza, Valentia, & Petauius ſuprà. Quorum poſtremus perdoctè notat, reſpirationem infælicium animarum in tormentis ob ſuffragia fidelium aduerſari iam communi Catholicorum ſenſui, & præiudicium pati exinde, quòd Eccleſia nunquam pro damnatis preces fundat; ſi verò intermiſſionem aliquam pœnarum ſperaret, ſolicita proculdubiò eſſet, vt ipſis ſubueniret.

SECTIO VII.

De materiali throno Deiparæ in Empyreo, & de eminentiſſimo loco, quem poſt Filium occupat.

71 NOſtri muneris non eſt tractare de gloria eſſentiali, & accidentali animæ, ac corporis Deiparæ. Non poſſumus tamen non dicere obiter, eam eſſe ingentiſſimam. *Nam quantum gratiæ in terris adepta eſt præ cæteris* MARIA, *tantum obtinuit in cœlo gloriæ ſingularis*, teſte Bernardo in ſerm. 1. de Aſſumptione: iuxta quem Deus, *qui Matrem ſuam ſingulari in cœleſtibus donaturus erat gloria, ſingulari in terris præuenire curauit, & gratia.* Ita homilia 2. ſuper *Miſſus eſt.* Et apud Guerricum in ſerm. 1. de Aſſumptione introducitur Chriſtus ſic loquens, *Nullus mihi plus,* quàm Maria, *miniſtrauit in humilitate mea: nulli abundantiùs adminiſtrare volo in gloria mea.* Vnde, vt docet S.Ildefonſus ſerm. 2. de Aſſumptione, *Etſi impertit præmia iuſtus Iudex Chriſtus Dominus, ſecundùm Apoſtolum, vnicuique iuxta opera ſua, huic tamen Sacratiſſimæ Virgini genitrici ſuæ, ſicut incomparabile eſt, quod geſſit, & ineffabile donum, quod percepit; ita & inæſtimabile, atque incomprehenſibile præmium, & gloria, non dico inter cæteras ſacras Virgines, verùm etiam vltra omnes ſanctos, quam promeruit.* Subditque Harphius lib. 1. Theologiæ Myſticæ parte 2. cap. 57. Beatiſſimam Virginem, *tantùm excedere in gloria naturam tam Angelicam, quàm humanam ſimul iunctam, quantùm in magnitudine centrum ſuum excedit circumferentia Firmamenti.* Tanta certè eſt MARIÆ *gloria, quæ eam ex hoc mundo tranſeuntem excepit, vt,* encomiaſte Petro Damiani in ſerm. de Natiuitate, *principium ignoret, neſciat finem.* Tanta præterea eſt, *vt ei prædicandæ neque hominum, neque Angelorum lingua ſufficiat, & quia diſcerni non poſſit, honorari debeas ſilentio,* quemadmodùm inſtruimur à S.Epiphanio, & ab Andræa Cretenſi in Sermonibus de Laudibus, & Dormitione Deiparæ. Quapropter hoc negotio liberi pergimus ad alia, quæ ad locum Virginis in Empyreo ſpectant.

72 P.Caniſius cap. 4. verſ. *Reliquum eſt,* refert, *quoſdam ſenſiſſe ſingularem thronum, & ſpeciale Regis ſolium excelſum* MARIÆ *in cœlo eſſe tributum, vt ſuper choros Angelorum, & cœlitum omnium exaltata, nihil contempletur ſuper ſe Mater niſi Filium ſolum, nihil miretur ſuper ſe Regina, niſi Regem ſolum, nihil veneretur ſuper ſe Mediatrix noſtra, niſi Mediatorem ſolum.* Hactenus Caniſius. Illi autem, quorum meminit, habuerunt proculdubiò ſermonem de materiali throno, ſi quid ſpeciale ſenſerunt: nam de ſpirituali celebre eſt pronunciatum Eccleſiæ, quòd *ſancta Dei Genitrix exaltata ſit ſuper choros Angelorum ad cœleſtia regna.* Conteſtantur paſſim Patres, inter quos Bernardus in ſermone 1. de Aſſumptione ait, *Nec in terris locus dignior Vteri virginalis templo, in quo Filium Dei* MARIA *ſuſcepit; nec in cœlis Regali ſolio, in quo* MARIAM *hodie* MARIÆ *Filius ſublimauit.* Similia alia ex multis Patribus congerunt Caniſius in eo cap. 4. & Caſtrus cap. 20. num. 21. quæ etſi præcipuè intelligenda ſint de excellentiori beatitudine, & gloria Mariæ præ ſingulis ſaltem Angelis, & hominibus, excepto homine Deo; non eſt, cur non poſſint etiam intelligi de ſplendidiſſimo aliquo ſolio materiali valdè proximo ei, in quo Chriſtum exiſtere diximus ſect. 3. anterioris Exercitationis, conſentiente Hieronymo Columbo in Angelica, & humana Hierarchia lib. 4. cap. 74. num. 8. lib. 8. cap. 20. num. 4.

73 Nonnulli apud Pelbartum lib. 10. Pomerij ſermonum de B.Virgine parte 2. art. 1. c. 2. dicunt *Beatam* MARIAM *in eodem throno glorioſiſſimo eſſe cum Domino* IESV *ad dexteram.* Et ſic quidem tinniunt verba Alberti Magni in Mariali cap. 190. Sed mens eò præcipuè collineat, vt Dei Parens in cœlo eleuata ſit ſuper omnes Angelicos ſpiritus, vel forſitan ſubintelligi voluit Albertus, quatenus in eodem throno altior eſſet ſedes Filij, quàm Matris. Videatur idem Albertus ſerm. 38. qui eſt 3. de Natiuitate B.Mariæ, vbi ex S.Hieronymo profert hæc verba, *Etſi in domo Patris manſiones multæ ſint, credimus ſplendidiorem manſionem Matri Filium præparaſſe.* Eadem habentur apud Thomam Angelicum, vel Anglicum in cap. 12. Apocalypſis verſ. 1.

74 Deipara Virgo ſublimiorem occupat locum in Empyreo poſt diuiniſſimum Filium. In cuius veritatis confirmationem aurea ſunt quædam Guilielmi Parui verba apud Delrium in cap. 3. Canticorum verſ. 4. quibus etſi longis, nolui vel vnum apicem adimere. Interpretans itaque Guilielmus illa Sponſæ Verba: *Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea,* ſubiungit hæc: *Forſitan igitur Angeli reſponderunt Sponſæ interroganti; Num quem diligit anima mea vidiſtis? Planè vidimus eum, & nobis ſuperiorem, & nobis inferiorem. Infra nos hominem, ſupra nos Deum: infra nos apud te, ſupra nos apud Patrem. Erit autem quando eum totum videbimus ſupra nos, quando humanitas de te aſſumpta poſt laborem ſacræ, & ſalutiferæ paſſionis clarificabitur, & ad dexteram Patris collocabitur. tum etiam, tu Domina, ſupra nos aſſumeris, vt inuenias* IESVM *tuum, in diuinitate ſua, in Patris æqualitate. Pertranſibis nos, & inuenies quem nunc quæris. Tranſiſti nos, ſed nondum pertranſiſti: illud tibi tribuit prærogatiua meritorum; iſtud denegauit pondus carnis obnoxia corruptioni. Verùm cùm* IESVS *tuus in cœlum aſcenderit, & tu poſt illum aſſumpta fueris pertranſibis nos, vt quadam ſingularitate honoris, & gloriæ*

Digitized by Google

ſuper omnes choros Angelorum eleueris. Cæteris enim Sanctis æqualitas noſtra promittitur, tu autem ſola inter puros homines, gratia prolis tuæ, etiam Angelicam ſublimitatem tranſcendes. Pertranſibis ergo nos, ſed paululùm: Nam IESVS tuus pertranſibit nos longè, & multùm, aſſumptus in dexteram Patris, vt ab omni creatura intellectuali non tantùm in diuinitate ſua, ſed etiam in humanitate adoretur, & in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Significat itaque Deipara, hanc vigilum prophetiam fuiſſe adimpletam, & nequidem vnum eorum verborum cecidiſſe in terram. Paululùm, inquit, cum pertranſiſſem eos, inueni &c. Nam aſſumpto IESV meo in gloriam ſuam, & ego poſt eum, & ſic pertranſiens paululùm Angelos, inueni eum, & aſpexi facie ad faciem in æqualitate Patris conſidentem, & tunc conquieuit omnis inquiſitio mea, ſiquidem tenui eum, nec dimittam. Hæc Guilielmus dulciter, & venuſtè.

75 Porrò autem etſi Virgo loco, & dignitate tranſcendat puras omnes creaturas Angelicas, & humanas, exaltata tamen non eſt ad cœlum Trinitatis, vt conatur probare Chaſſanæus 12. parte Catalogi gloriæ mundi, conſideratione 5. addens, *Et hæc dico ſolùm pro quadam inueſtigatione, non tamen iſtud aſſero; ſed me remitto ad Dominos Theologos.* Sed nec tentare debuiſſet; felicéſque eſſent artes, ſi de illis ſoli artifices iudicarent. Nam cœlum Trinitatis eſt diuina Celſitudo, & Immenſitas, vt docent Origenes homilia 2. in Ioannem. S. Anſelmus in Elucidario, V. Beda in c. 1. Geneſis & apud ipſum S. Hieronymus, S. Anaſtaſius Synaita lib. 2. Anagogicarum contemplationum in Exameron, Bellouacenſis lib. 3. ſpeculi naturalis cap. 85 & 86. Albertus Magnus in 2. diſt. 3. art. 7. & in ſumma de quatuor Coæquæuis, q. 4. art. 9. cum duob. ſeqq. S. Thomas 1. p. quæſt 61. art. 4. ad 3. & q. 68. art. 4. in corpore, Incognitus in Pſalm. 57. n. 1066. & in Pſalm 148. n. 2571. Richel in Elementatione Theologica, propoſitione 105. Quod cœlum alio nomine vocatur *ſuperſubſtantiale* tum à proximiori Authore, tum à B. Thom. Villanouano concione 2. in Aſcenſione. Non ergo aſcendit Virgo ad Cœlum Triados ſi doctrina Alberti ſuprà art. 8. prioris operis, articuloque 11. poſterioris, & vocis retineatur ſignificatio, recepta à Patribus, & Theologis; cui non ſtetere Petrus Damiani ſerm. de Aſſumptione, & Richardus de S. Laurentio lib. 12. de laudibus B. Mariæ in ſerm. 1. de Aſſumptione. Nam primus ait, *Sublimis iſta dies, & ſplendidiore Sole refulgurans, in qua Virgo Regalis ad thronum Dei Patris euehitur, & in ipſius Trinitatis ſede naturam etiam Angelicam ſollicitat ad videndum. Secundus, triplex eſt cœlum, Aëreum, Sydereum, Empyreum, in quo Angeli Deum laudant. Sed nec in primo; nec in ſecundo, nec in tertio; cùm ſuper omnes Angelorum choros non dubitetur collocata Deipara. Sed in altiori, ſi quod eſt altius, vel in ſuperiori parte Empyrei, vbi eſt thronus diuinæ Maieſtatis, quod dicitur Cœlum Sanctæ Trinitatis. Nihil enim creditur altius in cælo, Sede MARIÆ; quæ ad dexteram Filij ſedere creditur in throno Maieſtatis.* Hos duos Scriptores ſic percipe, quatenus B. Virgo ſecunda poſt Chriſtum poſſideat in Empyreo ſpecialem, altiorémque ſedem, & conſtituat in Beatitudine ſingularem chorum ſupra omnes Angelos Diſce etiam ex S. Thoma in 4. diſt. 12. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 2. ad 3. B. Virginem non dici propriè ſedere ad dexteram Dei, quia *quamuis ſit ſuper Angelos exaltata, non eſt tamen exaltata vſque ad æqualitatem Dei, vel ad vnionem in perſona.* Dici verò propriè adſtare à dextris, *inquantum honor filij aliquomodo participatiuè, non plenariè, redũdat in ipſam, inquantum dicitur Mater Dei, ſed non Deus.* Et de loco Virginis Beatiſſimæ in cælo vide S. Thereſiam c. 39. ſuæ vitæ.

SECTIO VIII.

De Regio diademate Virginis in Empyreo.

76 P. Suarez diſp. 21. ſect. 4. v. *Ex his,* exiſtimat, Virginem *ob ſingularem Filij generationem caſtiſſimam, atque puriſſimam habere in corpore ſingularem aliquem, & admirabilem ſplendorem, vel aliquid aliud, quod ſit veluti inſigne Regiæ dignitatis, ac diuinæ Maternitatis, ac principatus, & dominij in omnes Beatos.* Citat S. Bonau. qui in ſpeculo B. Virginis c. 6. ſcribit, *Re vera in capite eius Rex Regũ diadema regni poſuit. Diadema certè tã inpretiabile diadema tam delectabile, diadema tam mirabile, quòd hoc omni linguæ inenarrabile, omni ingenio inſcrutabile eſt.* Sic Seraphic. Doctoris, cuius, & Suarij pia exiſtimatio cõprobatur exinde, quòd iuxta Sotum in 4. diſt. 49. q. 5. in fine articuli 2. *ſunt conjecturæ, vt appareant in capitibus corporum glorificatorum coronulæ figuratæ. Neque probabilitate caret, vt quandam colorum varietatem præ ſe ferant aureolæ; nam & corpora ipſa colorata erunt. Non quòd ex commixtione qualitatum, quæ in Beatis ſunt naturales, varietas illa colorum in aureolis oriatur: quippe cùm ſint ſupernaturalia inſignia; ſed quòd claritas ipſa gloriæ in capitibus Virginum decorem quendam album præ ſe ferat, & in Martyribus ſubrubeum, & in Confeſſoribus ſubuiride. Et fortaſſe in manibus Virgines candida lilia geſtare apparebunt, & Martyres palmam::: & in Doctoribus apparebunt ſubuirides rami. Nihil enim vetat quominus cæleſtis claritas illas repræſentet varietates.* Hæc Sotus laudatus à Barrada tom. 3. in Euangelia lib. 10. cap. 3. Henriquez lib. vlt. de fine hominis c. 27. §. 6. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 8. ſect. 3. n. 74. (cauet is Author d. 14. ſ. 15. n. 120. ne quis cum Anabaptiſtis relatis ab Spencæo dicat reſurrecturum epulonem cum inſigni farciminis, ebrioſum cum poculo, militem cum gladio) Duuallio tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt. 3. art. poſtremo pag. 585. Granado 3. p. controu. 13. de Nouiſſimis tr. 3. diſp. 8 ſect. 1. à n. 7. Tannero tom. 2. diſp. 1. q. 4. dub. 3. n. 38. Roa de ſtatu Beatorum c. 15. Cornelio à Lapide in c. 12. Danielis v. 3. Tirino ibid. Theophilo Raynaudo p. 2. de Martyrio per peſtem c. 6. n. 33. Ioſepho Angles, q. de Beatitudine art. 6. Felice c. 5. de Beatitudine, diffic. & n. 4. Philip. Gamacheo in 1. 2. q. 5. c. 6. in fine. Bonac. in 3. p. diſp. 3. q. 5. punct. 4. §. 3. propoſ. 2. n. 11. Præiuere S. Auguſtin. in variis locis citatis à Raynaudo. S. Anſelm. in Elucidario, S. Bernardus lib. de Paſſione Domini, c. 31. S. Bonauentura in Breuiloquio, c. vlt. S. Antonin. 3. p. ſummæ Theologicæ tit. 30. c. 8. Paludanus in 4. diſt. 49. q. 8. art. 4. Maior q. 23. Carthuſian. q. 8. eiuſdem diſtinctionis. Viguerius in Inſtitutionibus c. 14. §. 3. Nec ſilẽdus S. Thom. in additionibus ad 3. p. q. 96. art. 10. in corpore vbi docet, *Sicut ex gaudio eſſentialis præmij, quod eſt aurea, redundat quidam decor in corpore, qui eſt gloria corporis; ita ex gaudio aureolæ reſultare aliquem decorem in corpore: vt ſic aureola principaliter ſit in mente; ſed per quandam redundantiam refulgeat etiam in corpore, vel in carne.* Si autem decor redundans in corpus ex gaudio aureolæ non ſe habeat eo modo, quem excogitat Sotus, non di-

diſtingue

Digitized by Google

diſtingueretur à dote claritatis glorioſæ. Præter hanc ergo, aureola corporis importabit varios colores apparentes ex refractione ipſius claritatis in contiguo Empyrei corpore aliquantulùm condenſato, ſeu compreſſo inſtar coronulæ, aut palmæ; quæ condenſatio, vel compreſſio partium Empyrei anteà liquidarum fiet vel à ſolo Deo, vel ſimul etiam à virtute agilitatis Beatorum coronula, aut palma præfulgentium.

77 Et cum hæc adeo ſint probabilia pro aureolis Martyrum, Virginum, & Doctorum, multò propius veritati erit, quod de ſpecioſiſſimo diademate apparente in Deiparæ capite, & repræſentante non tantùm dignitatem Virginis, & Magiſtræ, ſed & Matris, ac Reginæ cœlorum dictum eſt ex S. Bonauentura, & Suario; idémque indicatur à Granado ſect. 3. n. 16. traditúrque expreſsè à Salas n. 75. Spinello c. 6. de laudibus Deiparæ n. 7. Benzonio in canticum *Magnificat* lib. 1. c. 18. Sherlogo in Cantica, volumine 3. veſtigatione 37. n. 21. Gonſaluo Duranto nota 4. ad c. 26. lib. 7. Reuelationum S. Brigittæ, Carthagena homilia 14. & 15. de Aſſumptione Virginis, Pioræo in Corona Virginis tract. 1. cap. 18.

78 Confirmatur iterùm, quia ſi teſte Lorino in Acta c. 2. v. 42. non defuerunt, qui affirmarint, glorificata corpora eorũ, à quibus in vita mortali Chriſtus ſub ſpeciebus Sacramentalibus dignè ſit ſumptus, habitura peculiarem quaſi ornatum in ſimilitudinem aureolæ, quod arriſit Andreæ Lucæ Arcones in c. 1. Iſaiæ, v. 13. diſcurſu, & n. 7. Maximiliano Sandæo in Theologia Iuridica commentatione 44. Cur Virgineo Matris corpori, quod non ſolùm dignè ſuſcepit Chriſtum, ſed ex ſuis puriſſimis ſanguinibus miniſtrauit materiam ad corporis à verbo diuino aſſumpti efformationem, non putemus conceſſum ſpeciale aliquod inſigne externum? Ex hoc inſigne reſpondebit aureolæ exiſtenti principaliter in anima beata, ſiue talis aureola ſit quoddam ſpirituale, ac indelebile ſignum, ſiue gaudium perceptum de dignitate Matris Dei, Reginæq; cœlorum. Licèt autem, vt cognoſcatur præfata dignitas à reliquis Beatis, non ſit neceſſarium ſpeciale inſigne externum; tamen quia conducet ad maiorem gloriam accidentalem corporis Virginei, ideò admittendum in eo eſt vti externæ aureolæ in Virginibus, Martyribus, Doctoribúſque & vti in Martyribus ſigna, & cicatrices vulnerum *relucentes, ac Solis ſplendorem ſua claritate ſuperantes*, docente S. Ephræmo de laude Martyrum; ſúntq; apud homines in vſu inſignia dignitatum, etſi hæ alios non lateant, quia nimirùm illa maiori decori & ſplendori deſeruiunt, adhuc quando ſine illis dignoſceretur, & æſtimaretur ab aliis ſtatus ipſorum. Salas, & Granadus ſuprà, necnon Ægidius Luſitanus tom. 3. l. 5. de Beatitudine q. 9. art. 7. n. 15. fatentur, exiſtere etiam in Chriſti corpore eximiam pulchritudinem, & inſigne aliquod, èx quo ſtatim omnes cognoſcant eſſe omnium Regem, ac Redemptorem, ſiue vocanda ſit aureola, vt contendit Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 55. n. 23. ſiue non ſit vocanda aureola, vt communiter cenſetur.

79 Cùm meditor Virginem Regia inſignitam corona, occurrunt menti illa, quibus apud Rupertum Cantic. 4. affatur ipſam Virginem ſuus Filius, *Coronaberis, vt in cœlis Regina ſanctorum, & in terris Regina ſis Regnorum. Vbicumque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum; Minuiſti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: prædicabitur de te, quòd ſis dilecta, & mater huius Coronati, ac proinde Regina cœlorum, toto iure poſſidens Filij regnum.* Occurrunt etiam illa, quibus apud S. Laurentium Iuſtinianum ſerm. de Aſſumptione alloquitur eandem Virginem idem Filius, *Thronum paratum conſcende, coronam gemmis ornatam ſuſcipe, ſtoláque immortalitatis te indue, vt meritò ſublimeris in me, quæ me præcipuo dilexiſti charitatis affectu; & quidem volo, vbi ego, ibi & tu, eadémq; fruaris gloria, quanquam aliter.* Imò Arnoldus Carnotenſis tract. de laudibus B. Virginis, *non tam cõmunem, quam eandem indicat Filij gloriam cum Matre.* Quam ſic rursùs alloquitur Guerricus in ſer. 8. de Aſſumptione, *Perge MARIA, perge ſecura in bonis Filij tui, fiducialiter age tanquam Regina, & Sponſa. Requiem quærebas, ſed amplioris gloriæ eſt, quod tibi debetur regnum, & poteſtas: indiuiſum tecum cupit habere imperium, cui tecum in carne vna, & vno ſpiritu indiuiſum fuit pietatis, & vnitatis myſterium.*

80 Sed vt luculentius appareat, quàm indiuiſum ſit IESV, & MARIÆ imperium, non ſubticebo præclara S. Bernardini verba tom. 4. ſerm. de Natiuitate B. Mariæ art. vnico c. 6. pag. 118. *Ille, qui Filius Dei eſt, & Virginis benedictæ, volens paterno principatui principatum æquiparare maternum, ipſe, qui Deus erat, Matri famulabatur in terra, & erat ſubditus illis. Propterea hæc eſt vera propoſitio, Diuino imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterùm hæc eſt vera, Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus.* Si ergo ipſe etiam Deus famulatur Virgini commoranti in terra, nihil mirum, ſi cum Virgine commorante iam in cœlo indiuiſum habeat imperium erga Angelos, & homines, cunctaſque Vniuerſi creaturas. Vnde S. Bonauentura in ſpeculo Virginis c. 8. ait, *Quia Dominus potentiſſimus tecum eſt, ideo & tu es potentiſſima ſecum, potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, ita vt verò dicere poſſis illud Eccleſiaſtici 24. In Hieruſalem poteſtas mea. Nam verè tam in cœlis, quàm in terris poteſtatem habet Mater potentiſſima Creatoris.* Non abſimiliter Richardus de S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. Virginis, *Cum eadem ſit poteſtas, & communis Matris, & Filij, quæ ab omnipotente Filio omnipotens eſt effecta, verè dicit cum Filio Matth. 28. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo.* Petrus Damiani ſerm. 1. de Natiuitate Virginis cùm ſcripſiſſet, datam huic omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, ſubdit, *Quid tibi negabitur? Nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem beatitudinis releuare.*

81 His plena ſunt Sanctorum ſcripta. Et ne voluntas ieiuna abeat, perpende cum S. Anſelmo lib. de Excellentia B. Virginis cap. 9. *Qua exultatione exultabunt Beati pro tanta gloria MARIÆ quo honore ſubleuabuntur in tanta potentia eius, cum ipſam Dominam, per quam tanta bona eis prouenere præ oculis habuerint iuxta Deum, quem de ſuo vtero Virgo Filium peperit, reſidentem, & iure materno cœlo, terraque cum eodem Filio præſidentem. Omnis itaque creatura defert eis honorem, non ſolùm quia videbunt natura ipſorum conſortem eſſe ſuum Creatorem, ſed etiam quia Dominam ſummam, & vnicam Dominatricem cœli, & terræ MARIAM ex his conſpicient eſſe factam Reginam Angelorum. His igitur ita conſideratis, tu quicumq; ex humana ſtirpe progenitus es, quomodo potes, & quantùm potes, erige aciem mentis tuæ in eam, & quas potes laudes perſolue, conſiderans quas grates, quas laudes, quæ obſequia ei perpetuò debeas, per cuius beatam, & integerrimam fœcunditatem de tanto malo ad tantum bonum, vt breui oſtendimus compendio, ſis prouectus, gnarus attende. Nulla te ab horum conſideratione ſæculi delectatio moueat, nulla cuiuſuis amoris*

deſidia à debita laudum exhibitione retardet. Hæc ex Anſelmo.

82 Ex cuius verbis ſumpta occaſione animaduerterim, ſi Virgineæ mammæ *ſpecie, & pulchritudine ſua ſanctos Angelos oblectabant, cum ab eis penderet Speciosus præ filiis hominum.* Vt conſiderat deuotiſſimus Guilielm. Paruus apud Delrium in c.4. Cant. v.4. quantò magis nunc Angelos,& beatas animas recreabit ipſius cum Filio regnantis Majeſtas? Ipſi etiã Virgini Matri *incomparabilis,& ſingularis gloria erit,* vt obſeruat Guerricus ſerm.4.de Aſſumptione, *Videre Deum Regem omnium in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoſcat & adoret corpore proprio,& corpus proprium glorificatum videat in Deo.* Vbi prætermittenda non ſunt S.Auguſtini verba in lib.de Aſſumptione Mariæ c.6. *Quantùm contueor,quantùm intelligo,quãtùm credo,* MARIÆ *anima claritate fruitur Chriſti, & glorioſis conſpectibus, cum ſemper videre ſitiens, & ſemper conſpiciens, dum inæſtimabiliter paſcitur, excellentiori quadam, ſpecialique prærogatiua à Filio honoratur; poſſidens in Chriſto corpus ſuum, quod genuit, clarificatum in dextera Patris: etſi non ſuum per quod genuit,tamen ſuum,quod genuit. Et quare non ſuum,per quod genuit? Si enim non obuiauerit necdum perſpecta authoritas,verè credo,& per quod genuit,quia tanta ſanctificatio dignior cœlo eſt,quàm terra. Quoniam thronum Dei,thalamum Domini,domum, atque tabernaculum Chriſti, dignum eſt ibi eſſe, vbi ipſe eſt. Tam pretioſum enim theſaurum dignius eſt cœlo ſeruari, quàm terra.* Sic Auguſtinus. Et vbinam niſi in cælo ſeruaretur corpus eius, quæ Encomiaſte Andrea Cretenſi in oratione 1. de Dormitione Deiparæ, *cœlorum naturam puritate ſuperaueras?* Decebat quippe,docente S.Damaſceno,in ſimili oratione, *vt quomodo verbum ad eam deſcendit, ita etiam eam illi dilectiſſimam ad ipſum extolli in maius, & perfectius tabernaculum,* quàm ſit terra.

83 S.Ildefonſus ſerm.6. de Aſſumptione infert, non potuiſſe Virginem diu in terris remanere poſt Domini Aſcenſionem,quia ipſam *deſiderabant Angeli,& cœlum etiã de eius aſcenſione querebatur.* Ideo autem cœlum querebatur, quia *Virginea lampadis irradiatum fulgore rutilaturum erat,* vt S.Bernardus ait in ſerm.1. de Aſſumptione,ſeu quia per Mariæ *glorificationem omnia, quæ ſunt in cœlo, decoranda erant ineſtimabiliter.* vt inquit S.Anſelmus lib. de excellentia Virginis c.8. Et paulò ante dixerat loquens de Aſſumptionis die, *O dies tanti occurſus glorioſa,& felix,dies tam præclara exultationis beata,& celebris,dies tam ſublimis glorificationis feſtiua,& omni ſæculo admirabilis. Dies enim illa non ſolùm te, Domina ineffabiliter ſublimauit, ſed cœlum ipſum, quod penetraſti,necnon cuncta,quæ in eo ſunt noua, & ineffabili gloria decorauit. Noua quidem cœlum gloria decorauit,quia priorem gloriam eius ex præſentia tui, vltra quam dici poſſit,aut cogitari,magnificauit. Nam cùm tu,Domina illuc aſcendis, noua illud, & precellenti virtutum tuarum dignitate irradias,immenſáque miſerationum tuarum, & gratiarum luce perluſtras. Eadem quoque dies aſcenſus tui eorum, qui ciues eius ab initio creaturæ eſſe meruerunt, ſolito feſtiuiori exultationis gaudio induit, quia per glorioſum fœcundæ Virginitatis tuæ fructum ſemirutam vident ciuitatem ſuam redintegrari. Verè in tuo aduentu, per quam tantum bonum meruerunt,gaudij ſui magnitudo debuit augmentari.* Hactenus ex S.Anſelmo. Manilius ſummam per adulationem hoc ad Octauianum carmine lib.4. Aſtron. claudit.

Maius & Auguſto creſcit ſub Principe cœlum.

Nos verè ſub Auguſta Virgine Matre Empyreum maius creuiſſe poſſumus pronuntiare.

84 Guerricus in ſerm.2.de Aſſumptione,non ſolùm cœlum,ſed & ipſum Chriſtum glorificatum ait ex præſentia MARIÆ in cœlo; ſic enim inducit Chriſtum loquentem, *vt Patrem honorarem in terram deſcendi: nihilominus vt Matrem honorarem,in cœlum reaſcendi. Aſcendi,& præparaui ei locum,thronum gloriæ,vt à dextris Regis Regina coronata ſedeat in veſtitu deaurato circumdata varietate. Neq; hoc dico quòd in Patre thronus ei collocetur, quin potiùs ipſa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum, in te mihi quandam Regni ſedem conſtituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Concupiui ſpeciem tuam etiam deſiderantiùs,quàm tu meã. Nec ſatis glorificatus videbor mihi donec tu glorificeris.* Et hæc eſt vna ex cauſis, ob quas cœlum querebatur de dilata Aſſumptione Virginis. Altera ſit, quia cœlum tanquam dos pro deſponſatione cum Verbo incarnato, & tanquam penſio pro domo,& hoſpitio exhibito eidem Verbo debebatur Virgini,vt explicant S.Epiphanius in ſerm.de laudibus Deiparæ,& S.Chryſolog.ſer.140.

85 Reliquum eſt, Sanctiſſima Domina, & Præpotens cœlorum Regina, vt *places Dominum pro communi figmento. Nam quandiu quidem verſabaris in terris, te habuit parua terræ portio; ex quo autem tranſlata es è terra,te vniuerſus mũdus continet commune propitiatorium:* Ita Andreas Cretenſis in oratione 1. de Dormitione Deiparæ: & ego cum ipſo. Quod ſi,ô alma Mater, *facta es ſcala cæleſtis, quia per te Deus deſcendit ad terras,vt per te homines aſcendere mereãtur ad cœlos,* quemadmodum ait S.Auguſtin.ſer.11.de Natiuitate Domini. Eſto mihi ſcala, vt conſcendam ad Empyreum. Et hæc ſatis de præſenti exercitatione, quam qui attentè legerit, commiſeritq; noſtri ſæculi, proximéque antecedentium, firmam ratamque perſuaſionem de Aſſumptione corporis Virginei in cœlũ cum incertitudine remotiorum aliarum ætatum,haud quaquam mirabitur, Conceptionem Virginis abſq; peccati originalis macula haberi noſtro tempore in tanto cultu, altéq; infixam Chriſtiani populi animis, etſi priſcis temporibus non adeò conſtanter de ea exiſtimatum fuerit. Deſiderabantur expreſſa Scripturæ ſacræ teſtimonia conteſtantia anticipatam Matris Dei reſurrectionem;imò occurrebant aliqua,quæ in ſpeciem contradicere dicebantur:Eccleſiæ Patres antiquiſſimi vix de ea reſurrectione ſermonem habuerunt;qui poſterioribus ſæculis ſcripſerunt, loquuti ſunt non ſine formidine;& complures tradunt ſparſim propoſitiones quaſdam generales,quibus ſignificant, ſolum Chriſtum iam reſurrexiſſe ad immortalem vitam. Si ergo nunc eò deuentum eſt,vt ingentis temeritatis inſimulatetur,qui hanc Virginis prærogatiuam diffiteatur, ſperemus illam aliam de puritate Conceptionis adquiſituram certitudinis parem gradum,vt ſicut egreſſus Virginis ex mortali vita fauſtiſſimus fuit,non ſolùm ob animæ, ſed ob corporis etiam glorificationem;ſic ingreſſus feliciſſimus fuerit ob præſeruationem animæ ob originaria labe.

EXERCI

Digitized by Google

EXERCITATIO VIGESIMA.

De Angelis vt Empyrei incolis.

SVCCEDVNT Angelici Spiritus beati ordine dignitatis poſt Deum, Chriſti humanitatem, & Virginem Matrem. Licèt enim duos hos ſacratiſſimos Empyrei incolas anteceſſerint domicilij antiquitate, loco tamen, & nobilitate longè ſunt inferiores.

SECTIO PRIMA

Comprobatur ex ſacris & prophanis monumentis, necnon ex rationibus, Cælum eſſe beatorum Angelorum domicilium.

1 SCRIPTVRA ſacra innumeris in locis vocat beatos Angelos, cœli Ciues, Math. 18. v. 10. dicitur, *Angeli eorũ in cælis ſemper vident faciẽ Patris mei, qui in cœlis eſt.* Rurſus cap. 22. v. 30. *Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Ad Hebræos 12. v. 22. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Alia teſtimonia in ſequentibus proponentur. Conteſtantur paſſim Patres Eccleſiæ, quos in re nota non ſine legentium faſtidio, proferrem in medium. Quare aberrat libri Chriſtianorum Author cod. 36. Bibliothecæ Photij, cum ſcribit, *Angelos in cœlo non eſſe, ſed tantùm ſuprà firmamentum, & nobiſcum verſari.* Nemo, qui cœli Empyrei exiſtentiæ fidem adhibuerit, negabit, ſacram Scripturam, & Patres intelligendos de Angelorum beatorum in eo locatione.

2 Cæterùm nonnulli Patres videntur innuere Sydereum cœlum eſſe beatorum Angelorum ſedem. Primus eſt S. Gregorius Nyſſenus oratione de Infantibus, qui præmaturè abripiuntur: ait namque, *Cum igitur in hæc duo diuiſa ſint omnia, quæ ſunt, in ſenſibile, inquam, & in id, quod per mentis agitationem, & cogitationem conſideratur, & intelligitur: Atque Angelica quidem, & incorporea natura, quæ ex inuiſibilibus eſt, in ſupermundanis, & ſupercæleſtibus partibus domicilium habeat; proptereà quod ea ſedes illi naturæ conueniens, & accommodata ſit; nam ſicut natura intellectualis, tenuis quædam, pura, ponderis expers, & agilis eſt, ita corpus quoque cæleſte, tenue, leue, & ſemper mobile eſt.* Secundus S. Cyrillus Hieſolymitanus Catecheſi 3. Illuminatorum, dum ſic fatur, *Magnum quiddam eſt aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum Angelorum habitaculum eſt cœlum. Atqui ex aquis ſunt cœli.* Tertius S. Hieronymus lib. 13. in Iſaiam c. 45. inquiens ſub Dei perſona, *Ego enim ſum Deus, qui non in vacuum creaui terram, vt eſſet deſerta, & ſqualida, ſed vt homines habitarent in ea. Ego extendi, ſiue firmaui cœlos, vt Angelorum eſſent habitaculum; ſtellarúmque eos varietate diſtinxi.* Putandum tamen non eſt, hos Patres, & alios ſimiliter loquentes denegare beatis Angelis Empyreas ſedes, ſed ſolùm velle, aut Aſtrigerum cœlum eſſe velut pauimentum ipſorum, aut licere Angelis per huius ſpatia diſcurrere. Addo ex Martinengo pag. 246. Gloſſæ in cap. 1. Geneſis intendiſſe per viſibiles, & ſplendentes ſphæras ad inuiſibilem, & coruſcantiſſimam manuducere, neque opportunum reputaſſe, Empyrei ſemper meminiſſe; ſe enim agnoſcebant debitores ineruditis, & inſipientibus, quibus inconſpicabilis cœli doctrina eſſet intellectu difficilis. Eodem in ſenſu familiari loquutus eſt de Deo S. Chryſoſtomus homilia 4. in c. 4. Math. *In cœlo celatur Deus. Hoc cælum corporale omnes quidem homines vident, non autem adſpiciunt Deum inhabitantem in eo.* Item Lactantius lib. 2. diuinarum Inſtitutionum cap. 10. *Fecit igitur Deus primum omnium cœlum, & in ſublime ſuſpendit, quod eſſet ſedes ipſius conditoris; ſuum verò habitaculum diſtinxit claris luminibus.*

3 Angelorum in cœlo exiſtentiam agnouere & ipſi Ethnici, Plato, teſte Tertulliano cap. 24. Apologetici, *Iouem magnum in cœlo comitatum exercitu deſcribit Deorum pariter, ac Dæmonum.* Orphæus ſcribens ad Muſæum inter varia Dæmonum genera recenſet cæleſtes, quia putabat in cœlis degere, vt ait Delrius lib. 2. diſquiſitionum Magicarum q. 27. ſect. 2. Mercurius Triſmegiſtus apud Iamblicum de Myſterii, §. de opinione Ægyptiorum de Deo, atque Diis, numerat tres ordines dæmonum, *Æthereos*, ſcilicet, *Empyreos*, ac *Cæleſtes*. Porphyrius apud S. Auguſtinum lib. 10. de ciuitate Dei cap. 9 & 27. meminit Angelorum incolentium *loca Empyrea, ſublimitatéſque mundi Empyreas*, quibus nominibus ſignificaſſe cœlum ſydereum, notat S. Thomas 1. p. q. 66. art. 3. in corpore, quia Porphyrius tanquam Platonicus, cœlum ſydereum igneum eſſe exiſtimabat: ſed Triſmegiſtus nomine *Empyreorum* Dæmonum denotat eos, quos cenſebat degere in ignis regione: & Marcus Eremita apud Pſellum in lib. de Dæmonibus primum horum genus vocat Igneum, eo quòd circa ſublimiorem aërem peruagarentur. Marcum imitatus eſt Trithemius in lib. quæſtionum ad Maximilianum Cæſarem q. 5. legatur Delrius ſuprà, credens fictitium iſtud Dæmonum genus, & meritò. Philo Iudæus lib. de mundi opificio, tranſcriptus in ſect. 5. Exerc. 2. infert cœlum primum eſſe *Deorum non apparentium ſacratiſſimum domicilium, quia præſtantiſſimum ex iis, quæ facta ſunt & è puriſſima conſtet eſſentia.* Vbi Deorum non apparentium nomine, ſignificatos Angelos à Philone, admonet Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annotat. 2. multóque anteà Chalcidius Commentario in Timæum Platonis directo ad Oſium Epiſcopum Cordubenſ pag. 375. ex editione Meurſij.

4 Tam certa cunctis eſt proportio inter cæleſtem & Angelicam naturam, vt dixerit Theodulus Presbyter Cæleſirienſis comm. in ep. ad Rom. c. 1. v. 20. *Eum, qui cœlum intuetur, cogitaturum omnino, quòd intra ipſum ſint ſpiritus nonnulli adminiſtratorij.*

Eadem ibi habet Oecumenius. Rationem vnam conuenientiæ aſſignauit ſupra S. Gregorius Nyſſenus, quæ non latuit Iamblichum, dum in tract. de Myſteriis,§.de differentia inter Deos & Dæmones ſcripſit, *Cæleſte corpus rebus eſt incorporeis cognatiſſimum propter naturam ſimplicem, ideſt, circuitum & lucem ſibi congenitam* Rationes alias inuenies in ſectione ſubſequenti, & multo plures in Exerc. 21. ſect. 5. Nam quæ in ea afferentur pro exiſtentia beatarum animarum in cœlo, idem de Angelis conuincunt.

SECTIO II.

An Angeli omnes fuerint à ſua creatione incolæ cœli Empyrei?

5 SOli beati ex Angelis ſunt modò municipes cœli Empyrei. Verumtamen tam de ipſis, quàm de iis, qui rebelles fuere quæritur, an conditi ſint in Empyreo?

Patrum, & Scriptorum ſententia.

ILlos, & hos creatos eſſe in Empyreo, hóſque inde depulſos, perſiſtētibus illis, videntur tradere, quin exprimant nomen iſtius cœli, Patres permulti, dum pronuntiant, ruinas, ſeu ſedes vacuas ex ruinis Angelorum implendas, & reparandas eſſe à Chriſto ex hominibus in cœlo. Nam cum in Empyreo futuri ſint conciues fidelium Angelorū electi homines, ſequitur iuxta Patrum mentem, creatos ibi eſſe eos etiam, qui infideles fuerunt, & in pœnam criminis inde poſteà deturbatos. Referam infra nonnullos ex Patribus. Prætereà Euſebius Cæſarienſis lib. 7. de Præparatione Euangelica c. 6. inquit, *Perlucida, diuina, Regia, beatáque habitatione, ad conuenientia ſibi, ac omnibus impijs loca Tartari ſententia Dei depulſos Dæmones.* In quibus verbis innuit Empyreum: nec minus S. Anſelmus in his Elucidarij, *De paradiſo eſt propulſus Dæmon, in carcerem detruſus.* S.Thom. 1. p. q. 61. art. 4. in corpore, vt probet omnes Angelos conditos eſſe in Empyreo ſubiicit ex Iſidoro, *Quòd ſupremum cælum, eſt cælum Angelorum.* Sed ſi hæc verba reperiantur in operibus, quæ nunc extant, S. Iſidori Hiſpalenſis, intelligi commodè poſſent de Angelis iam glorificatis. Primaſius inter alias cauſas, cur homo ſit reparatus potiùs, quàm Angelus, hanc proponit, *videlicet homo necdum venerat ad locum, vbi æternaliter cum Deo regnaturus erat; ſed in paradiſo terreno morabatur, de quo transferendus erat in cælum completo numero electorum; Diabolus autem in cœlo iam erat collocatus.*

6 Beda in c. 1. Exameron ait, Empyreum, *non eſſe creatum inane, & vacuum, ſed mox creatum ſuis incolis, hoc eſt, beatiſſimis Angelorum agminibus impletum eſſe.* Strabus Fuldenſis in Gloſſa ordinaria ad cap. & v. 1. Geneſis dicit, *Empyreum ſtatim repletum eſſe Angelis.* S.Thomas ſuprà ſic ſcribit, *Ex creaturis corporalibus, & ſpiritualibus vnum Vniuerſum conſtituitur. Vnde ſic creatæ ſunt ſpirituales creaturæ, quòd ad creaturam corporalem aliquem ordinem habent, & toti creaturæ corporali præſident. Vnde conueniens fuit, quòd Angeli in ſupremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præſidentes, ſiue id dicatur cælum Empyreum, ſiue qualitercumque nominetur.* Hi tres Authores citantur communiter pro creatione omnium Angelorum in Empyreo. Aſt Martinengus pag. 201. oppoſitum deduci arbitratur ex verbis primi, & ſecundi. *Nam ſi ſtatim vt creatum eſt Empyreum, ſanctis Angelis expletum eſt: igitur in eo conditi non ſunt. Deinde Dæmones Angeli ſancti nuncupari minimè poſſunt: Igitur illis Empyreum ornatum non eſt, neque in illo producti.* Ita ſubtiliter doctus vir; ſed an ſincerè? poteſt ambigi. Rurſus ex vltimis verbis tertij conatur ſuadere, voluiſſe ſolummodò creatos Angelos in ſupremo corpore ſenſibilis mundi. Laudo affectum erga S.Thomam: ſuaſioni non acquieſco. *Eſt enim à ratione alienum,* vt opinor cum S.Dionyſio Areopagita c. 4. de diuinis nominibus §. 11. *& abſurdum, non vim ipſam inſtituti attendere, ſed verba.* Mens Angelici Doctoris fuit adſtruere creationem Angelorum in ſupremo totius Vniuerſi corpore, ſiue tale corpus vocetur Empyreum, ſiue aliter; non enim nominis curam habere tunc voluit.

7 Poſt Bedam, & Strabum affirmatunt creationem Angelorum in Empyreo Hugo de S. Victore in ſumma ſententiarum; tract. 2. c. 1. Petrus Lombardus lib. 2. ſententiar. diſt. 2. Petrus Comeſtor in hiſtoria Geneſis c. 4. Petrus Bleſenſis ſerm. 21. Innocentius III. Pontifex ſerm. 3. de Annuntiatione; Guilielmus Pariſienſis in primæ partis de Vniuerſo, parte 1. c. 58. & in ſecundæ partis parte 2. c. 78. ac 86. Alexander de Ales 2. parte ſummæ, q. 19. membro 3. art. 2. Vincentius Bellouacenſis lib. 1. ſpeculi Hiſtorialis c. 9. & in conſolatione ſuper morte amici, ad S.Ludouicum Regem Galliæ c. 6. poſt S.Thomam S.Vincentius Ferrer. in ſerm. de Conceptione Deiparæ. S. Antoninus 3. p. ſummæ Theologicæ tit. 31. c. 5. §. 1. & c. 6. in principio, Gabriel in 2. diſt. 18. q. vnica art. 3. dub. 2. & anteà diſt. & q. 2. art. 3. dub. 5. Carthuſianus ibid. q. 4. & in elementatione Theologica propoſ. 59. Franciſcus Ximenez Epiſcopus Elnæ tract. 4. M.S. de Angelica natura cap. 1. Lanſpergius ſerm. 6. de S.Michaele, Manburnus in Roſeto tit. 25. Alphabetho 61. lit. D. & N. Catharinus in opuſculo de Angelorum bonorum gloria. Viguerius in Inſtitutionibus c. 3. §. 2. v. 6. & c. 14. § 1. v. 2. Chaſſaneus 3. p. Catalogi gloriæ mundi conſideratione 6. ac 18. Sotus in 4. diſt. 48. q. 1. art. 3. Rada 2. p. contr. 6. in explanatione Scoti concluſ. 2. Monrepiloſus tom. 1. partis 2. diſp. 8. art. 4. Caietanus, Bañez, Nauarrete, Nazarius, Gamachæus, Auerſa, Peſantius, Molina, Valentia, Vaſquez, Præpoſitus, Meratius, Granadus, Franciſcus Amicus, Franciſcus de Lugo, Luiſius Turrianus, Raphael Ripa, Vuiguer. Araujus, & communiter alij Interpretes S.Thomæ. Vlteriùs Pineda in c. 4. Iobi v. 19. n. 3. Salianus c. 7. apparatus ad Annales num. 9. Cornelius in 2. Petri cap. 2. v. 4. & in cap. 14. Iſaiæ v. 13. Pereyra, Delrius, Tyrinus, Gordonus, Bonfrerius in Geneſ. 1. Antonius Ruſca lib. 4. de Inferno cap. 12. Cerda cap. 7. de excellentia cæleſtium ſpirituum num. 4. Columbus lib. 1. de Angelica Hierarchia cap. 2. n. 11.

8 Nihilominùs extra Empyreum conditos eſſe Angelos in inferiori aliquo corpore, vel ſaltem ex hoc, qui peccarunt deiectos, indicat Clemens Alexandrinus Commentario in epiſt. Iudæ v. 6. ad illud de rebellibus Angelis dictum, *ſed dereliquerunt ſuum domicilium*, ſubiūngit enim, *cælum videlicet, ac ſtellas.* Sed poſſet quis explicare Clementem Alexandrinum nihilo ſeciùs, ac nos interpretati ſumus Patres, de quibus in num. 2. Didymus Alexandrinus exaratus in n. 45. Exercitationis 18. tradit apertè, Luciferum non cecidiſſe è cœlo, in quo Chriſtus Dominus modò exiſtit. S. Hieronymus adductus in 53. Exerc 2. inquit, eundem Luciferum, cùm eſſet in firmamēto, cupiiſſe aſcendere

in

Digitized by Google

in cœlum, vbi ſolium Domini eſt S. Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad litteram cap. 10. ait, *Superior pars aëris propter puram tranquillitatem cœlo, cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur. In qua fortaſſis parte, ſi fuerunt ante tranſgreſſionem ſuam tranſgreſſores Angeli cum Principe ſuo, nunc Diabolo, tunc Archangelo, (nam nonnulli noſtri non eos putant cœleſtes, vel ſupercœleſtes Angelos fuiſſe,) non mirum, ſi poſt peccatum in hanc ſunt detruſi caliginem, vbi tamen & aër ſit, & humore tenui contexatur.* En S. Auguſtinum non renuentem concedere, Angelos ante tranſgreſſionem extitiſſe in ſuperioris aëris parte pacata, & lucida; poſt tranſgreſſionem verò deiectos in turbulentam, & caliginoſam eiuſdem aëris regionem: & loquitur manifeſtè de parte aëris ſuperioris elementaris, vt conſtat ex prioribus verbis, de omnibus autem Angelis non loquitur. Vnde iuxta S. Thomam ad 2. intelligi valet de illis, *qui peccauerunt, qui ſecundùm quoſdam, fuerunt de inferioribus ordinibus. Nihil autem prohibet dicere, quòd ſuperiores Angeli habentes virtutem eleuatam, & vniuerſalem ſupra omnia corpora, ſint in ſupremo creaturæ corpore creati. Alij verò habentes virtutes magis peculiares, ſint creati in inferioribus corporibus.* Sic Doctor Angelicus. Et aduertatur, S. Damaſcenum lib. 2. de fide cap. 4. ſequutum eſſe nonnullos illos, quos tacito nomine memorat S. Auguſtin. tum ibi, tum lib. 13. eiuſdem operis cap. 17. ſentit quippe ille, tranſgreſſorem extitiſſe Angelum, *qui terreſtris ordinis principatum tenebat, cuique cuſtodiendæ terræ cura à Deo commiſſa fuerat.* S. Damaſceno tribuit ſuprà Viguerius ea verba, quæ in n. 6. appoſui ex Beda. ſed fuit, aut calami, aut memoriæ error.

9 Rupertus lib. 1. in Geneſim, cap. 11. & 17. lib. 1. de victoria Verbi Dei, cap. 25. nec non lib. 6. de gloria, & honore Filij hominis repetit, omnes Angelos conditos eſſe in aëre, etiam caliginoſo, & ex hoc omnes tranſlatos in primum, & ſummum cœlum, indéque poſteà præcipitatos, qui tranſgreſſores fuerunt. Tranſcribo verba ſolius capitis 11. *Numquid putamus quod in cœlo fuerint Angeli, & non potius hic,* (nimirùm in aëre,) *facti, & in cœlum tranſlati? Nempe non magis Angeli facti ſunt in cœlo, quàm homo plaſmatus in paradiſo.... Ita nimirùm Angeli extra paradiſum conditi, & in cœlum tranſlati, non natura, ſed gratia cœlum inhabitant. De cœlo namque nemo venit, niſi qui ſuper omnes eſt.* Et in fine capitis. *Quare, inquis, non de cœlo fecit Deus Angelos, vt eſſent naturâ cœleſtes? videlicet, quia non idcircò fecerat Deus cœlum, vt inde eos crearet, ſed vt creatos ſola in cœlum gratia ſubleuaret.* Innocentius III. Pontifex in Pſalm. 5. Pœnitentialem v. 28. ait, *De ſuperioribus autem cœlis cum ſyderibus, & aliis Luminaribus non eſt certum omninò vtrùm & ipſi ſint aliquatenùs immutandi, cùm ad eos fœtor, & fœditas ex prauis hominum operibus non prouenerit; quamquam in illis Angeli peccauerint Apoſtatici, qui ſunt de cœlo proiecti.* Attamen in loco ſuprà allegato ſtat clariùs pro altera ſententia, dum inquit, *Cùm Lucifer eſſet in Empyreo conſtitutus, non erat cœlum ſuperius, quò poſſet aſcendere.* Quare in illis verbis, *de ſuperioribus autem cœlis,* comprehendere forsàn intendit Empyreum.

10 Ex Authoribus non adeò antiquis Auguſtinus Steuchus lib. 7. de perenni Philoſophia cap. 38. & lib. 9. cap. 29. Martinengus ſuprà, Laurentius Ananias lib. 1. de natura Dæmonum, Suarez lib. 1. de Angelis cap. 4. Tannerus 1. p. diſp. 5. q. & dub. 1. num. 35. Alarcon diſput. 1. de Angelis cap. 3. Arriaga tom. 2. in 1. part. diſp. 1. ſect. 4. Martinonus tom. 1. diſputationum Theologicarum diſput. 35. ſect. 2. num. 18. diſp. 44. ſect. 2. num. 23. Ludouicus Tena in cap. 1. epiſt. ad Hebr. difficultate 13. ſect. 2. n. 12. Franciſcus de Lemos in Threnos Hieremiæ cap. 1. verſ. 6. §. 2. num. 8. Iſambertus 1. part. ad quæſt. 50. diſp. 1. art. 4. Lorinus in 2. Petri cap. & verſ. 2. rurſùs in epiſt. Iudæ v. 6. Celada in Benedictione 1. de Adam, & Eua, ad cap. 1. Geneſis verſ. 1. num. 11. ac 12. Ormaechea in Cantica, Prologo 4. num. 144. defenſant, Angelos omnes creatos extra Empyreum in inferiori aliquo corpore, ex quo, & non ex Empyreo deiecti ſint, qui peccarunt.

Antefertur ſententia de Angelorum extra Empyreum creatione.

11 IN hac quæſtione, cuius vtraque pars tam inſignes habet propugnatores, ſubſcribo poſtremis, exiguis numero quidem, ſi comparentur cum prioribus, ſed bello viuida virtus. Moueri nonnemo poſſet, quia Angeli circumactores cœlorum non ſunt conditi in Empyreo. Ergo neque alij Angeli. Hæc tamen ratio debilis eſt, tum quia penes plures cœlum mobile non eſt productum vſque ad ſecundum diem, & penes alios non cœpit gyrari vſque ad quartum: tum quia non eſt certum, cœleſtes globos circumferri ab Angelis: tum deniqùe quia Molina, & Amicus non recuſant admittere Antecedens; aiunt quippe ex præuiſis Angelis non peccaturis deſtinaſſe Deum ſtatim ab initio aliquos gyrandis ſydereis ſphæris, in quibus non oportebat creari alios deputatos ad ſimile munus. Et id fatendum eſt à noſtræ ſententiæ Authoribus, qui euaſiones prælibatas non approbent. Nam etſi omnes Angeli conditi ſint extra Empyreum, ſed non omnes in eis ſphærarum punctis, vel partibus, in quibus exiſtunt Angeli motores.

12 Quare, omiſſa ea ratione, ſit prima; quia homo creatus fuit extra paradiſum, *ne*, vt inquit S. Baſilius Seleucienſis oratione 2. *regnat ont naturæ donum adſcriberet, quàm gratuitæ potiùs munificentiæ.* Et, vt Hugo de S. Victore in Dialogo de Sacramentis legis naturalis, & ſcriptæ, *ne beneficium Dei imputaret naturæ, ſed gratiæ.* Conſonat S. Thomas 1. part. quæſt. 102. art. 4. in corpore dicens, *Paradiſus fuit locus congruus habitationi humanæ, quantùm ad incorruptionem primi ſtatus. Incorruptio autem illa non erat hominis ſecundùm naturam, ſed ex ſupernaturali Dei dono. Vt ergo hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra paradiſum fecit, & poſteà eum in paradiſo poſuit, vt habitaret ibi toto tempore animalis vitæ; poſtmodùm, cum ſpiritualem vitam adeptus eſſet, transferendus in cœlum.* Ergo ſimiliter conueniens fuit, Angelum creari extra Empyreum, vt ſtatus intra ipſum imputaretur munificentiæ, & gratiæ Dei, non Angelicæ naturæ. Licèt enim huic Empyreum ſit locus congruus, non tamen exactus. Quare ſi Deus non decreuiſſet, eleuare ipſum ad ſtatum gratiæ, & gloriæ, ſatis ei eſſet factum, ſi locaretur ſupra cœleſtes aquas, vel primum Mobile, vt poſteà amplius declarabo. Et hinc videtur amittere vim diſparitas, quam articulo proximè citato præſtat S. Thomas ad 1. hiſce verbis, *Empyreum eſt locus congruus Angelis, quantùm ad eorum naturam, & ideò ibi ſunt creati.*

13 Confirmatur, hominibus viatoribus diuerſus eſt locus viæ, & patriæ, vt enim breuiter & elegan-

Digitized by Google

ter notat S.Ambroſius lib.5. epiſt.38.ad Horantianum, *Terra exercitium eſt hominis, cælum corona*.Ergo & Angelis viatoribus diuerſus erit. Angeli verò *ſtatim creati*,viatores fuerunt,*& non viderunt Deum facie ad faciem*, vt ex conſenſu Summi Pontif. Sixti IV. declaratum eſt Romæ, anno 1482. ab Eminentiſſ.Cardinalibus,referente Diago lib.1.de Prouincia Aragoniæ ord. Prædicat. c. 33. & Alphonſo Fernandez in concertatione Prædicatoria pag. 28. Confirmatur rurſus,Angeli creati ſunt abſque dono beatæ viſionis,vt illud mediis ſuis meritis aſſequerentur.Ergo creati etiam ſunt extra locum ſpacialiter pro beata viſione habenda deputatum,quale eſt Empyreum, vt tam viſionem, quàm locum mediis meritis obtinerent.

14 Secunda ratio ſit, quia ſi creati ſunt in Empyreo Angeli,ſequitur peccaſſe ibi eos, qui rebelles fuerunt; nam cùm via bonorum, & malorum Angelorum comprehenderit pauca inſtantia phyſica, deeſt fundamentum cogitandi peccaſſe hos in alio loco ab eo,in quo creati ſunt. Aſt dignitas Empyrei exigit, ne vnquam ibi commiſſum fuerit vllum peccatum, quo velut fœdaretur, & obtenebreſceret mundiſſima,& fulgentiſſima Regia cœleſtis. Si enim iuxta Ioannem in Apocalypſi cap.21. v. 27. *Non intrabit* in cœleſtem Hieruſalem *aliquid coinquinatum* per peccati maculam, multò minus decebit, vt aliquando intùs ſic coinquinata fuerit vel aliquid intus contraxerit aliquando coinquinationem peccati. Adde, dici à Ioanne,non intraturum in cœleſtem Hieruſalem *aliquid abominationem faciens, aut mendacium*: apparétque dignum domicilio Dei, vt ſemper permanſerit *locus purus à vitio*, vti ait S.Chryſoſtomus in Pſalm.113. & è contrariò indecorum videtur, *in regno pace munito bellum illud omnium cruentiſſimum committi,& hoſtiles haberi ob peccatum inimici*, vti ponderant Martinengus, & Ormaëchea.

15 Confirmatur primò, quia ob contractam à cœlis maculam ex peccato Angelorum ſcribitur cap. & v.15. Iobi, *Cœli non ſunt mundi in conſpectu eius*,ſcilicet *Dei*,prout interpretatur ibi Didacus de Zuñiga; congruum autem videtur,ne ea labes deturpet Empyreum, proindéque quòd non in ipſo, ſed in aliis inferioribus cœlis perpetratum fuerit Angelorū ſcelus. Secundò,quia alioqui Empyreum indiguiſſet luſtratione, ſi in eo peccaſſent Angeli; *quamuis enim res corporalis ſubiectum infectionis culpæ non poſſit propriè eſſe,tamen ex culpa quædam incongruitas in rebus corporalibus relinquitur, ad hoc quod ſpiritualibus dedicentur: & inde videbimus, quòd loca, in quibus aliqua crimina ſunt commiſſa, non reputantur idonea ad aliqua ſacra in eis exercenda, niſi purgatione quadam præmiſſa*. Ita S.Thomas in 4.diſt.47.quæſt.2.art.1. vt aſſignet rationem,ob quam per ignem conflagrationis purgabitur mundi pars,quæ ab hominibus incolitur, & quæ per ipſorum peccata recipit quandam inidoneitatem ad ſuſceptionem gloriæ,ſeu renouationis extremæ. Si reſpondeatur ex Soto in 4. diſt.48. art.3. Duuallio in tract de quatuor Nouiſſimis q.4.art.3.pag.601. Empyreum nullius egere purgationis, eo quòd protinus Dæmones inde expulſi ſunt.Contrà,quia mox ſubſequuta expulſio non tollit antecedentem infectionem, ſeu incongruitatem moralem, quæ reſultauit ex Dæmonum peccatis, licèt faciat, ne diu continuetur,quæ reſultaret ex Dæmonum præſentia. Et prætereà quantùm infectio decreuiſſet ob inſtantaneam expulſionem, tantùm creuiſſet ob numerum adeò magnum peccantium. Si reſpondeatur iterùm ex eiſdem,nulla alia opus eſſe luſtratione, vbi Deus ſe Beatis oſtendit. Contrà, quia digniùs exiſtimatur de loco, vbi Deus ſe Beatis oſtendit, quòd nulla in eo præceſſerit infectio. Si tertiò dicatur, etſi in aliis cœlis deliquerint Angeli iuxta noſtram ſententiam,eos tamen non eſſe mundandos,quia nullas contraxerunt ſordes corporeas, nulliſque extraneis corporibus fuere permixti; & peccatum Angelorum,vtpote merè ſpirituale, non induxit contaminationem,quæ deberet elui expiatione corporea. Ergo quòd Angeli defecerint in Empyreo ſecundùm contrariam opinionem,non eſt ſufficiens caput oſtendendæ in ipſo indigentiæ luſtrationis.Fuit ad homines confirmatio ſecunda,& eatenus valeat per nos. Accedit tertia confirmatio: mundi innouatio fiet peracto Iudicio vniuerſali,& non ante; quia vt inquit Suarez tom.2. in 3.part. diſp.58. ſect. 1. vſque dum reprobi ex hoc mundo eiiciantur, contaminatur quodammodò ex eorum præſentia;nec expedit eos vel ad modicum tempus frui luce, & pulchritudine mundi innouati, & ad quendam gloriæ ſtatum perducti. Vtraque autem hæc ratio flecti poteſt non ineptè ad noſtrum intentum.

SECTIO III.

Argumenta pro Angelorum in Empyreo creatione enodantur.

16 ARguunt principaliter aduerſæ factionis Authores ex variis ſacræ paginæ teſtimoniis 1.Iſaiæ 14.v.12. *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer,qui manè oriebaris?* 2.Ezechielis 28.13.*In deliciis paradiſi Dei fuiſti*, & v. 14. *Poſui te in monte ſancto Dei*. 3. Lucæ 10. v. 18. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*.4.epiſt.ad Coloſ.cap.1. v.16. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis,& in terra viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, &c.* 5.epiſtolæ ad Epheſios cap.1.v.10. *Propoſuit.... inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo*. 6.epiſtolæ Iudæ v 6.*Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in iudicio magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*. 7.Apocal.12. v. 7. *Factum eſt prælium magnum in cœlo.* & v.ſeq. *Neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.*

17 Explico perſtrictè vnumquemque ex his locis. Primus eſt ad litteram de Balthaſare Babyloniorum Monarcha victo, & occiſo à Cyro. Quia ergo in Balthaſare defecit ſtirps Regia,verbs, & regnum Babyloniorum; ideò dicit Iſaias cecidiſſe de cœlo. Sic Ieremias Threnorum cap.2. v. 1. lamentatur, *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion, proiecit de cœlo in terram inclytam Iſrael?* Et licèt Propheta deſcribat ibi caſum Diaboli inſtar Parabolæ, & Poëtico veluti ſchemate depingat graphicè ruinam Luciferi; ſatis eſt,hunc cecidiſſe ex cœlo, ſeu ſphæra ſuprema mundi ſenſibilis.Imò neque ad id cogit Myſticus ſenſus.Siquidem v.14.inducitur Diabolus inquiens, *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo*,quaſi eſſet in infima aëris regione. Quòd ſi prædicto teſtimonio vtuntur aduerſarij,vt probent,Luciferum cecidiſſe ex Empyreo, vtemur etiam nos verbis v.13. *In cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* vt probemus, conditum non eſſe in illo; non enim iactitaret,aſcenſurum ſe in ſuperius cœlum,ſi in Empyreo exiſteret.Rurſus ſi ipſi interpretantur

pretantur

Digitized by Google

pretantur hæc verba de aſcenſu in cœlum Trinitatis, cur nobis non licebit interpretari illa alia de deſcenſu à primæua dignitate, quam habuit Lucifer in ſui à Deo creatione? Sanè ex voce *Cœlum* vtcumque prolata, & litteraliter etiam accepta, nihil ſolidi deduci poteſt, cùm ſæpè in Scriptura ſancta, vt animaduertit S. Auguſtinus lib. de natura boni cap. 33. lib. de agone Chriſtiano, cap. 3. ſignificet aërem, in quo volucres verſantur; nec minus aſſiduè eum ſeruat ſenſum apud Prophanos Authores, quorum plures aggeſſerunt Guilielmus Hamerus in Geneſim fol. 10. Franciſcus de Corduba cap. 5. Didaſcaliæ. Vſurpant etiam pro ignea regione, vt ad verſ. 62. lib. 1. Æneidos notat Cerda; & vniuerſim pro mundo, vt ad verſ. 896. lib. 6. ad verſ. 63. lib. 9. ipſemet obſeruat, Pontanus ad v. 5. lib. 1. Metamorphoſ. Ouidij, & ad verſ. 710. lib. 4. Franciſcus Sanctius Brocenſis ad verſ. 105. Eclogæ 3. Virgilianæ, necnon in Minerua. Addo ego Pythagoram in Phocij bibliotheca cod. 249. Ariſt. lib. 1. de Cœlo c. 9. text. 96. Chalcidium Comm. in Timæum Platonis, pag. 191. ex editione Meurſij.

18 Secundus locus eſt ad litteram de quodam Rege Tyri, licèt ſub typo, & parabola Diaboli. Eum Regem volunt aliqui fuiſſe Hiramum, de quo fit mentio in libris Regum, & Paralipomenon. Sed Hiramus coætaneus fuit Dauidis, ac Salomonis; multiſque proinde annis anteceſſit Prophetam Ezechielem. Ideo malim cum Petauio lib. 9. de Doctrina temporum cap. 63. parte item 2. Rationarij temporum lib. 2. cap. 13. Auguſtino Torniello in Annalibus ſacris anno 3435. conditi Orbis, Saliano in eiſdem Annalibus anno illo n. 2. Præterea cum Prophetæ Interpretibus Gaſpare Sanctio, & Titino, fuiſſe alium Syncronum Ezechiëlis, & cognominatum Ithobalum, vt colligitur ex Ioſepho lib. 1. contra Apionem: lib. etiam 10. Iudaïcarum antiquitatum cap. 11. deplorarique à Propheta eius, & Tyri ruinam per Nabuchodonoſorem, ſeu Chaldæos. Carpit itaque Ezechiel arrogantiam iſtius Regis, propoſita priùs ob oculos felicitate, ad quam à Deo fuerat euectus, quæque ipſi præbuit ſuperbiendi occaſionem. Eras, inquit, in Tyri vrbe ditiſſima, & amæniſſima, vt conſtat ex toto cap. 27. Eras quaſi in paradiſo terreſtri. Diuitiæ enim, & amænitas paradiſi Adamici abiere in prouerbium ſacrum. Rurſus inquit Ezechiel, ſeu Deus ore illius, *Poſui te in monte ſancto*, id eſt, in monte ſito intra terminos terræ ſanctæ. Erat quippe Tyrus in tribu Aſar, quam tamen vrbem non obtinuerunt Iudæi. Scio, S. Hieronymum non dubitaſſe, *quin paradiſum ſignificet* (Propheta) *ad quem poſt cœlum tertium Paulus Apoſtolus raptum ſe eſſe dicit.* Scripſerat & anteà, *Quo ſermone demonſtrat, nequaquam hominem eſſe, de quo ſcribitur, ſed contrariam fortitudinem, quæ quondam in Dei paradiſo commorata ſit.* Sed cum in verbis indicatis num. 8. tam apertè faueat noſtræ ſententiæ, liceat credere liberam alterutrius reliquiſſe optionem.

19 Tertius, vt ſummùm, conuincit, Luciferum de [illegible] elo aliquo deturbatum, non verò de Empyreo; ne[illegible] e in eo, aut in alio cœlo conditum fuiſſe: nam & Adamus eiectus fuit è paradiſo, quin tamen ibi fuerit creatus. Dixi, *vt ſummùm*, conſcius, locum hunc à multis Interpretibus non accipi de caſu Sathanæ è corpore aliquo cœleſti.

20 Quartus non magis probat, Angelos conditos eſſe in cœlo, quàm in terra. Imò, neutrum probat, cùm eius ſenſus ſit, condita eſſe in Chriſto vniuerſa, quæ ſunt modò in cœlis, & in terra. Et licèt probaret Angelos fuiſſe creatos in cœlis; de Empyreo nihil.

21 Quintus aliquantulùm propitius eſt, ſi attendatur interpretationi exhibitæ à SS. Auguſtino, & Gregorio Magno. Ille enim in Enchiridio c. 62. ait, *In Chriſto inſtaurantur, quæ in cœlis ſunt, cùm id, quod inde in Angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur.* Hic lib. 31. Moralium cap. 19. *In ipſo inſtaurantur ea, quæ in cœlis ſunt, dum illuc humilitate homines redeunt, vnde Apoſtatæ Angeli ſuperbiendo ceciderunt.* Placuit hæc interpretatio V. Bedæ, S. Anſelmo, Authoribus Gloſſæ Interlineatis, & ordinariæ, nec non Nicolao de Lyra; qui eodem modo exponit illud Pſalm. 109. verſ. 6. *Implebit ruinas.* S. etiam Anſelmus eodem modo declarat id, quod Paulus ſcribit ad Epheſios cap. 4. verſ 10. *Aſcendit ſuper omnes cœlos vt impleret omnia.* & videtur præluxiſſe S. Chryſoſtomus inquiens ibi, *Hæc quoque omnia* (videlicet cœli) *olim impleta fuerant.* Sed tamen reſpondeo, inſtaurata in Empyreo, quæ in ipſo ſunt, impletas etiam, & reparatas per Chriſtum ex hominibus ruinas Angelorum, quatenus ni hi deliquiſſent, occuparent illicò Empyreas ſedes; & quatenus illi ſuccenturiati ſunt per Chriſtum, vt expleant numerum Ciuium, quem habuiſſet Empyreum, ſi omnes Angeli perſeuerâſſent in gratia, ſiue ſubſtitutio hominum fuerit poſterior reprobatione Angelorum in ordine tantùm executionis, ſiue in alio etiam ordine. Patet ex his ad præcitatos Patres interpretatio, extendendaque eſt ad alios, quos congerit P. Didacus Ruiz diſp. 52. de Prædeſtinatione num. 2. dum vniuerſim dictitant, homines prædeſtinatos eſſe ad reparandas Angelorum ſedes. Et cùm Patres præcipuè loquantur de ruinis Angelorum quoad amiſſionem beatitudinis conſiſtentis in Dei viſione non obtenta, ſed obtinenda ab Angelis, ſi infideles non fuiſſent; ſicque ab omnibus explicari debeant; nulli forſan apparebit violenta noſtra explicatio de ruinis eorundem quoad amiſſionem ſedium localium in Empyreo nondum obtentarum, ſed breui obtinendarum. Sanctiſſima Virgo Tereſia vidit in Inferno locum ſibi deſtinatum, vti ipſa refert cap. 32. & 33. ſuæ vitæ; nec tamen tunc peccarat lethaliter, vt piè creditur, nec vnquam abſolutè illuc damnata deuentura erat; ſed quia niſi benigna Dei manus ab incepta via retraxiſſet, eò tandem caderet noxis mortiferis grauata: Ideò noſter Ribera lib. 1. vitæ eiuſdem c. 8. viſionem illam congruè exponit de loco cõditionatè futuro. Liceat more ſcholæ ita loqui; & hoc exemplo interpretationem noſtram ſuperiorem de Empyreo loco elucidare.

22 Sextus eſt æquè aptus, vt intelligatur ſiue de Empyrei, ſiue de Firmamenti, ſiue de Aëris domicilio, vt optimè obſeruat Auguſt. Quiros in eius Commentario: Et Iacobus Bolducius interpretatur locum de prauis hominibus primæui temporis.

23 Septimus vt ſummùm, expoſcit commiſſum eſſe prælium inter Michaëlem, & deſertores Angelos in cœlo ſydereo; & deſertorum locum non eſſe in hoc inuentum, *vt ſummùm*, inquam, nam frequenter exponitur non de prælio inter bonos & malos Angelos geſto in Orbis natalitiis, ſed de eo, quod quotidiè geritur in Eccleſia militante, maximéq; de eo, quod tempore Antichriſti gerent cauſa hominum. Legatur Michaël Nauens lib. 5. Chronici apparitionum, & geſtorum S. Michaëlis c. 30.

24 Deſumunt Aduerſarij ſecundum argumentum ex inde, quòd Angeli prima die cõditi ſũt in cœlo; vt inter alios Patres docet Theoph. Pontifex. Alex. in

Digitized by Google

in epiſt. 1. Paſchali ſtatuens *Principatus, & Poteſtates conditas eſſe in cælorum regionibus.* Nobilitas etiam Angelorum ſuadet id ipſum, Aſt cœlum ſydereum non eſt creatum vſque ad ſecundam diem, cùm iuſſit Deus fieri firmamentum in medio aquarum; imò neque ſyderibus eſt ornatum vſque ad quartam diem. Ergo Angeli conditi ſunt in cœlo Empyreo, quod prima die fuit creatum. Confirmant argumentum, quia Angeli rebelles ſunt deturbati ex cœlo, vt eſt commune aſſertum Patrum, quos referunt Suarez lib. 1. de Angelis c. 3. n. 18. & Vazquez 1. p. diſp. 225. cap. ac n. 1. & vt in Exorciſmis ſentit Eccleſia, inquiens, *Ipſe tibi imperet, qui de ſupernis cælorum ad inferiora demergi præcepit.* Sed in inſtanti tertio ſuæ conditionis, in quo ſunt deturbati, nullum aliud exiſtebat cœlum, quàm Empyreum. Ergo &c. Tum quia etſi cœlum ſydereum dicatur creatum in eodem inſtanti in quo Angeli, & Empyreum, tamen cùm cœlum ſydereum ſit mobile, non videtur locus congruus Angelis.

25 Omiſſo, plures ſentire creatum eſſe prima die cælum ſydereum; imò Sole, Luna, & Stellis condecoratum quoad ſubſtantiam; admitto Maiorem, & Minorem principalis argumenti, & nego Conſequentiam. Nam licèt inter cœlum Empyreum, & terram prima die eſſet ſolùm rudis, indigeſtáque moles aquarum, rectè dicitur, Angelos conditos eſſe in cœlo, quatenus in ſpatio ab eis occupato matrix illa materia poſteà digeſta eſt in ſphæram aut ſupercæleſtium aquarum, aut primi Mobilis, nouâ inductâ formâ. Hinc ad primam confirmationem (quicquid ſit, an Angeli peccauerint tam citò, & ſententiam damnationis acceperint in tertio inſtanti phyſico ſuæ conditionis?) patet ſolutio: eatenus quippe dicuntur deturbati ex cœlo, quatenùs ſunt eiecti ex loco, in quo paulò poſt, nimirùm die ſecunda conſtruxit Deus ſphæram aut ſupercæleſtium aquarum, aut primi Mobilis. Ad ſecundam nego, cœlum mobile eſſe locum incongruum Angelis, ſiquidem hi ſtare poſſunt motâ ſphærâ, intra quam locentur. Adde, immotum ſtetiſſe cœlum ſydereum vſque ad quartam diem, cùm ad id tantùm moueatur vt lucem, & interuentu lucis influentias diffundat, vti obſeruat Noſter Mendoza lib. 4. Viridarij, n. 178. Adde etiam, non moueri aquas ſupercæleſtes. Vnde ſi Empyreo proximæ ſint, iã aſſignatur Angelis locus immotus, & quietus. Nam in earum ſphæra (quæ laxè dicetur cæleſtis, quæque erit ſuprema ex pertinentibus ad ſtatum naturalem Vniuerſi, ſi rerum naturis conformis ſit) conditi erunt à Deo.

26 Argumentatur tertiò exinde, quòd Angeli ſunt ſtipatores throni Dei. In Empyreo autem erexit Deus thronum ſuum. Ergo in Empyreo ſunt conditi. Non tenet conſequentia, nam ſatis eſt, Angelos vt eleuatos ad ſtatum patriæ eſſe ſtipatores ſpecialis throni Dei, id eſt, loci ſpecialiter deputati, vt Beati ibi videant Deum. Hinc à S. Gregorio Nazianzeno in Carmine de laudibus Virginitatis dicuntur,

——Sedemque Dei, ſoliumque beatum
Cingentes————— —————

Hinc Baptiſta Mantuanus lib. 2. Parthenices 5. modulatur de ſublimi Patris ſolio,

—— —— quod plurima circum
Turba, leues animi volitant, decimoque ſedenti
Orbe Deo aſſiſtunt vigiles, & cuncta fideli
Iuſſa miniſterio peragunt ————

Goropius Becanus in Gallicis l. 4. quia Deus Seraphico ordine cinctus eſt, hinc dæmum notat, vocari Empyreum illud cœlum, in quo ſingulari quodam modo habitare dicitur. Vide eundem Becanum in Hieroglyphicis l. 5. pag. 67. vbi de Empyreo digniſſimè fatur.

26 Obiiciunt quartò, Angeli ſunt conditi vt præſiderent mundo corporeo tanquã nobiliſſima Vniuerſi pars. Ergo conueniens fuit, vt collocarentur in corpore ſupremo, quale eſt Empyreum. Sed ſi ob Antecedens argumenti huius, oportuit, vt Angeli conſtituerentur in ſupremo corpore; quid ni etiam, vt conſtituerentur in ſublimiori parte ſupremi corporis, ac proinde vt occuparent ſublimiorem locum in Empyreo deſtinatum Chriſto Domino, & Deiparæ? Dicendum ob id eſt, oportuiſſe, vt collocarentur in ſupremo corpore pertinente ad ſtatum naturalem Vniuerſi: Empyreum autem non eſſe conditum à Deo ob ſtatum naturalem Vniuerſi, ſed ob ſupernaturalem beatificum creaturarum rationalium, & maximè earum, quæ reunitæ ad corpora conſpecturæ eſſent permanenter Deum. Vnde ſi Deus ſupra Empyreum crearet modò nouum aliquod cœlum, non deberent Angeli in eo locari, quia non pertineret ad ſtatum naturalẽ huius Vniuerſi, etſi eſſet locus congruus ipſis ea ratione, qua nunc eſt Empyreum. Et cum in hoc Angeli beati habeant manſiones, & ſedes altiores ſpecialiter deputatas pro altiori gradu viſionis beatæ, & non pro maiori perfectione entitatiua naturali; nam fortè aliqui minus perfecti in natura habent altiorem gradum viſionis beatæ, quàm alij magis perfecti, de quo benè Arriaga tomo 2. in 1 p. diſp. 2c. ſect. 4. fit etiam ex hoc capite, non competere Angelis locum in Empyreo, niſi vt eleuatis ad ſtatum patriæ.

27 Hactenùs pro creatione Angelorum omnium extra Empyreum; quam ſententiam temerariam eſſe dixit Malonius in 2. diſt. 2. diſp. 6. ſequutus Paulum Griſaldum in deciſionibus catholicis; verbo *Angelus.* n. 11. ſed cenſuram hanc præſenti tempore expertus quiſque Theologus ridebit. Quòd ſi antiquitus creatio in Empyreo recepta fuit ab omnibus ferè Theologis, tribuendum id eſt non tam meritis cauſæ, quàm omiſſioni cuidam examinandi impensè fundamenta vtriuſque partis. Aſt poſtquam Eximius Doctor P. Suarez id præſtitit, receſſerunt plures Theologi ab auita illa opinione, præſuppoſita potiùs ex fide Magiſtri ſententiarum, quàm diſcuſſa, & alteram, nec ſacris litteris, nec Patribus Eccleſiæ diſcordem inuenerunt. Etſi verò alij recentes Theologi perſiſtant in antiqua opinione valdè probabili. ſatis id non eſt, vt oppoſita cenſeatur temeraria; quin forſan eſt probabilior à ratione, aut ſaltem æquè probabilis, & ab authoritate habet non leue pondus. Sufficeret ſuffragium vnius Suarij ad eius commendationem, vt pote quod ſit præſtitum ab homine conſideratiſſimo, poſt accuratam expenſionem. Et quamuis, vt dicitur leg. vnica, Codice Theodoſiano de reſponſis prudentum, *Vbi diuerſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat Authorum*; tamen non ſemper ex *multitudine Authorum quod melius, & æquius eſt,* iudicare oportet, *cùm poſſit forſitan & deterioris ſententia, & multas, & maiores in aliqua parte ſuperare,* vt habetur animaduerſum à Iuſtiniano, leg. 1. *§. Sed neque* 6. Codice de vet. iur. enuc. & exornatum longiſſimè à Ioanne Angelo Boſſio in Variis Moralibus, parte 1. per totum ferè titulum 1. ſed præſertim § 16. n. 94.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Quandonam Angeli fideles contulerint ſe in Empyreum?

28 ILlicò poſt acceptam beatitudinem ſupernaturalem, vel eo inſtanti, quo eam Dei fauore compararunt, extitiſſe in Empyreo relicta ſtatione inferioris loci, vbi creati ſunt, & viatores exſtitere, conſentaneum videtur ad ſententiam, cui ſubſcripſimus in ſectione præcedenti. Neque apparet vlla ratio, ob quam beatificatis Angelis habitatio Empyrei prorogaretur in aliud tempus. Et ſicut rebelles damnatique Angeli depulſi ſunt mox in Tartarum; ita congruum fuit, fideles, & beatos admitti incunctanter ad Empyreum, qui eſt locus Beatis deſtinatus. Exemplo animarum, quibus viſio Dei conceditur, id etiam comprobatur; nam in Empyreum ſe protinus conferunt.

29 Et verò fideles Angelos breui poſt creationem tempore donatos eſſe viſione beata, ratum, fixumque eſt apud Theologos. Nam fidelium, & infidelium via fuit durationis æqualis: de his autem conſtat ex cap.8. Ioannis v.14. & ex 1. eiuſdem epiſt. cap.3. v.3. peccaſſe ab initio, ſeu tempore propinquo creationi antecedenti mundi, ſuccedentéque hominis lapſui, & in peccato non permanſiſſe ante damnationem, inflictionémque pœnæ æternæ, niſi per vnum, aut alterum inſtans phyſicum, conſentiunt Theologi. Illud certiſſimum eſt, cùm Eua per ſerpentem in paradiſo decepta eſt, iam tunc Diabolum, qui in ſerpente vero, vel apparente tentauit, fuiſſe extra viam per ſententiam damnationis, & conſequenter, fideles Angelos fuiſſe etiam tunc extra viam per ſententiam glorificationis. Videatur Molina 1.p.q.63.art.6.concluſ.2. vbi aduertit, negari non poſſe abſque errore in fide, Luciferum peccaſſe, ceptúmque puniri ante lapſum primorum parentum; indéque infert, cæteros Angelos malos & deliquiſſe, & incurriſſe damnationem, bonos verò beatitudine ſempiterna coronatos ante eum lapſum.

30 Hieronymus Columbus lib. 2. de Angelica, & humana Hierarchia cap.19 à n.5. reuocat in dubium, an Angeli fideles fuerint beati, Deúmque viderint ante Incarnationem Verbi? & quamuis litem Eccleſiæ dirimendam relinquat, parùm tutum mihi videtur ad terminos litis redegiſſe poſſeſſionem Angelorum, antiquo Patrum, & Theologorum conſenſu protectam, firmatámque non inefficaciter Chriſti oraculo cap.18. Matthæi v.10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Vbi illud *ſemper* non tantùm ſignificat continuatam ſucceſſionem videndi, poſtquam cœperunt videre, ſed etiam longæuitatem multò anteriorem. Sed de hoc abundè Suarius lib.6. de Angelis cap.2. Franciſcus de Lugo 1. p. Theologiæ ſcholaſticæ lib. 3. diſp.21. cap.1. Moncæus in Selectis d.6. c.1.

31 Inter Patres, qui patrocinij cauſa aduocari poſſunt, inexpenſus non abeat Leo IX. Papa tranſcribendus n.21. exercitat. ſequentis. S. Gregorius Magnus lib.2. Moralium cap.3. S. Auguſtin. c.28. Enchiridij. Sanctiſſimus is Doctor, dum ſæpè loquitur de cognitione matutina habita à ſanctis Angelis primo die creationis mundi, totieſque cognitionis matutinæ, & veſpertinæ phraſim tradidit Theologorum Lycæis, confirmat ſat luculenter beatam Angelorum viſionem primo illo die. Nec prætereundus eſt veteris Teſtamenti mos inuocandi directè Angelos ſanctos, vt qui viderent clarè diuinam eſſentiam, & in ea tanquam in viuo ſpeculo, orationes, neceſſitatéſque ſupplicantium, prout doctè notat Becanus in Analogia veteris, ac noui Teſtamenti cap.3 q.6. Sanctos autem homines, qui obierant, conſuetum non fuit ſic directè inuocare; quia non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoſcere poterant ordinariè preces mortalium; vt obſeruat Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap.11. Si quærat quis, cur hominum animæ Sanctæ, ac puræ non viderint diuinam eſſentiam ante mortem Chriſti, nec in Empyreum aſcenderint, antequam Chriſtus; cùm tamen ſecùs fuerit de Angelis fidelibus? iam in anteceſſum exhibuimus rationem num.172. & 185. exercit. 18.

SECTIO V.

An Dæmonibus patuerit aliquando aditus ad Empyreum?

32 MAximè in caſu Iobi, cùm *Venerunt filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, & affuit inter eos etiam Sathan.* Quæſtio hæc eſt duodecima inter eas, quas ad Antiochum miſit S. Athanaſius, vel neſcio quis ſub eius nomine, *Cùm ex cœlo*, inquit, *Diabolus prolapſus ſit, quomodò ſcriptum eſt in libro Iob cap.1. v.6. quòd ingreſſi ſunt Angeli Dei, vt ſtarent in conſpectu Dei, & in medio eorum Diabolus?* Reſpondet, *non dicit Scriptura; quòd in cœlis Diabolus venerit in medium Angelorum: manifeſtum igitur eſt, quòd in terra. Etenim vbicumque ſunt Angeli, adſtant Deo. Verum ſciendum eſt, quòd per ſanctum aliquem Angelum Diabolus eſt Deo loquutus, quemadmodum etiam Reges per hominem aliquem intermedium ſuum alloquuntur aduerſarium.* S. etiam Cæſarius in dialogo 1 rogatus, *ſi verſus ad deterius Diabolus ex cœlis decidit ſupra ſe habens eos, qui permanſerunt immutabiles, quomodo ipſi licet cœlis appropinquare, & cum Angelis Deo aſſiſtere, ac depoſcere Iobum?* Occurrit ſimiliter inquiens, *Non quod poſſit in cœlos aſcendere, qui inde præcipitatus eſt ob furorem ſuum Diabolus, aut cum Angelis ad Deum accedere, aut vlla ex parte ſuprà cœlorum circumferentiam venire; hoc ita præſcriptum eſt; ſed quia diuina natura quantitatis, & magnitudinis expers, & incomprehenſibilis, vbique præſens ſit, & omnia impleat. Nam Deus noſter in cœlo eſt, & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis*, inquit Dauides diuinorum carminum Author. *Ex quibus docemur, in conſpectu eius eſſe, & conſpici ab ipſo non ſolùm Angelos, ſed & Diabolum, & Dæmones.* Dicta à S. Athanaſio accipiuntur à Suario lib.1. de Angelis cap.6. n.19. non ſolùm de cœlo Empyreo, ſed etiam de ſydereo, ita vt neque ad hoc ſit Dæmonibus aditus, prohibente Deo. Quà attinet ad Empyreum, traditur expreſsè à Guilielmo Pariſienſi ſecundæ partis de Vniuerſo, part.2. cap.70. & 94. à Chaſſaneo 3. p. Catalogi gloriæ mundi conſideratione 18. ab Arriaga ſuprà diſp.15. num. 37. à Franciſco Alfonſo diſp. 22. Phyſicorum num. 42. à Bolducio in Iob cap.1. v.5. §.3.

33 Illuſtro id ex antiquioribus aliis. Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis ait, *Angeli cum cœlis excidiſſent circa aerem, & terram obuerſantes, non ampliùs euehi ſupra cœlos potuerunt.* S. Zeno Veronenſis ſerm. de ſomnio Iacobi, *Angeli refugæ poſt*

peccatum

Digitized by Google

peccatum, in cœlum nunquam recepti noſcuntur. Euſebius Gallicanus, homilia in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, *Primus Angelus per ſuperbiam, & elationem validiſſimam ſeram inter ſe & cœlum miſit.* S.Gaudentius in tract.5. *Beati mites, ait Dominus, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Non vtique terram iſtam, quam poſſident peccatores, ſed illam, in qua non ſunt ſpinæ, & tribuli, in qua non ſunt ſerpentes, & ſcorpij, ſed vbi Diabolus cum cæteris immundis ſpiritibus non accedit.* Victor Cartennenſis Epiſcopus in Mauritania, lib. de pœnitentia cap.30. *Ad cælum Diabolo nullus acceſſus.* Author libri de Agone Chriſtiano, apud S.Auguſtinum cap.3. *Ne quis exiſtimet, ibi habitare mala Dæmonia, vbi ſolem, & lunam, & ſtellas Deus ordinauit :::. Non ergo arbitrentur in ſummo cælo habitare Diabolum cum Angelis ſuis, vnde lapſum eſſe credimus.* Hildebertus Turonenſis Antiſtes epiſt. 36. *In cælo nata eſt ſuperbia, ſed velut immemor, qua inde via ceciderit, illuc vltrà redire non nouit.* Apud S.Alcimum lib.2. de peccato originali inclamat Lucifer,

Si nequeo clauſos iterùm conſcendere cælos,
His quoque claudentur———

Apud S.Epiphanium in oratione de Aſcenſione ſic etiam fatur Dæmon, *En video eum non abſque ingenti gloria, & maieſtate, vnde ego cum magno probro, & dedecore excideram, ſubuolare: volui ponè illum inſequi, & ecce veluti plumbum deorsùm deturbor.*

34 Neque deeſt præſidium à ſacris litteris. Nam Apocalypſis 21. v. 27. dicitur de Ciuitate cœleſti, *Non intrabit* in eam *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.* cap.22.verſ.15.*foris* (id eſt, extra eandem Ciuitatem) *canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.* Ioelis 3. verſ. 17. *Et erit Hieruſalem ſancta; & alieni non tranſibunt per eam amplius.* Huc reſpiciens Baptiſta Mantuanus in Alfonſo lib.1. cecinit,

———*decor ille nitentis Olympi*
Prædicat in pulchro, qui circuit omnia, mundo,
Immundis non eſſe locum———

Huc traho illud S.Ambroſij lib.4. in Lucam, *Paradiſi incola eſſe non poteſt, niſi nudus à culpa.* & illud S.Chryſologi ſerm.83. *Credat homo etiam peccatorum remiſſionem, quia cæleſtis Regia, cùm ſit latiſſima, non capit peccatorem.* illud etiam S.Hieronymi in epiſt. ad Paulam, & Euſtochium, *Aula cæleſtis non ſuſcipit niſi Sanctos, ſimplices, & iuſtos.* Illud denique Ruſtici Helpidij in carmine de Adamo, & Eua pulſis è paradiſo,

Semper amica piis peccantes reſpuit Aula.

Sed quando de aula incidit ſermo, cœleſti aulæ veniunt aptandæ, quæ de Regia reperio apud ſanctum Chryſologum in ſer.149. *Quantum ſecretum cubiculi ſit Regalis, quali reuerentia, quo tremore locus habeatur, vbi ipſa Principis requieſcit maieſtas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc, & permittatur acceſſus, quàm munda, quàm caſta, quàm fidelia ibidem præſtolentur obſequia, imperialis aulæ manifeſtis docetur inſignibus. Quis ad ipſas palatij fores, quis propinquat indignus?*

35 Hæc quidem apprimè ad rem aptata; ſed nata illa, quæ latè proſequitur S.Hilarius, vel Euſebius Gallicanus homilia 1. de Aſcenſione, hiſce verbis: *Quantum nitorem, quantam debeant habere munditiam, qui Iuſtorum cupiunt intrare regionem, qui attingere optant Chriſti aulam, & cæli Regiam? Si aliquis ciuitatem magnam nobilibus, & illuſtribus viris ſplendidam, immundis veſtigiis, aut horridis adire præſumpſerit indumentis; ſi eam pannis obſitus, ac ſeminudus intraret, ſi dilacerata facie, ſi vel liuore fœdata, vel vulnere, quanta illum confuſio pudoris operiret? quantum verecundiæ pondus obrueret? Nonne illum circunſtantia venerandæ congregationis officia, de conſpectu reuerendi Iudicis præcipitem perturbarent? Et putamus, quod animam peccatis horridam, & cœno fœtidæ corruptionis infectam, præferentem luxuriæ fœditates, dedecoroſas impudicitiæ cicatrices, putamus, quòd eam capere potuerit ſplendor cæleſtium manſionum?* Huc vſque S.Hilarius. Et cùm iuxta S.Ambroſium lib.5. de Sacramentis c.4. *Cælum ſit ibi, vbi ceſſauit culpa; cælum ſit ibi, vbi flagitia feriantur; cælum ſit ibi, vbi nullum mortis eſt vulnus,* longè ab Empyreo conſiſtent Dæmones.

36 S.Iſidorus lib.14. originum cap.3. agens de terreſtri paradiſo, ſentit, Deum appoſuiſſe illi cuſtodiam, & præſidium boni Angeli ex ordine Cherubinorum, eo fine, vt ab ingreſſu arceret malos: Conſentit Pereyra lib. 6. in Geneſim num.206. & Stephanus Vveberus in diſp. Theologica de officiis Angelorum circa homines, cap. ac num.7. vel potiùs Noſter Martinus Becanus Magiſter Vveberi. Cornelius in cap.3. Geneſ. verſ.29. Si autem terreſtris paradiſi aditus occluſus eſt Dæmonibus, multò magis cœleſtis. S. Damaſcenus lib. 2. de Fide cap.11. ait, nullum irrationalium animalium habitaſſe in paradiſo terreſtri, cenſens non decuiſſe huius dignitatem, vt illuc intrarent animalia irrationalia. Rupertus lib.3. de Trinitate, & eius operibus cap.2. in eadem eſt exiſtimatione; quia alioqui *ille deliciarum locus non tantæ beatitudinis exiſtimandus fuerit, vt meritò paradiſus voluptatis appellaretur, & ab ipſo Deo plantatus fuiſſe crederetur.* Philo in lib. de Plantatione Noe dixerat idipſum: quod etſi nobis neutiquam placeat, ideo tamen refertur, vt conſtet, quàm ſublimiter cogitarint alij de loco hominum pro ſtatu innocentiæ, & quàm maiori iure negetur Dæmonibus acceſſus ad cœleſtem paradiſum.

37 Si roges, quemnam obicem habeant Dæmones, ne ad Empyreum aſcendant? Reſpondeo, Dei prohibentur lege; neque alius eſt obex, quàm diuini Numinis voluntas *vinculis æternis ſub caligine,* ſiue Tartari, ſiue aëris nebuloſi *reſeruans*, ne vltrà aſcendant, vt addit Carthuſianus in commentario ad v. 6. epiſtolæ Iudæ. Nam ſi per Deum liceret, poſſent vtique aſcendere, & penetrare vſque ad Empyreum. Idémque eſt de damnatorum animabus; quæ quia ſua ſponte aſcenderent in cœlum, ideò inuitæ, & reluctantes, quantùm ex ſe eſt, impellūtur in Infernum, vtente Deo miniſterio Dæmonum, vt notant Valentia tom.4. diſput. 11.q.1. punct.2. Granadus 1.p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract.2. diſp. 7. n. 2. quin ſciamus *quo itinere perferantur, quia in diuina authoritate non legitur,* vti inquit Caſſiodorus in Pſalm.86. & Rabanus in cap.3. Hieremiæ.

38 Opponet aliquis S.Ambroſium, qui explicans Pſalm. 118. v. 64. *Miſericordia Domini plena eſt terra* ſcribit, *Fortaſsè dicas, qua ratione non dictum eſt, miſericordiâ Domini plenum eſt cælum? Quia ſunt etiam ſpiritales nequitiæ in cæleſtibus: ſed non illæ ad commune ius indulgentiæ Dei, remiſſionémque pertinent peccatorum, quibus ignis ſeruatur æternus: & illa, quæ cæleſtium vel poteſtatum, vel miniſteriorum ſunt, licet auxilio Domini fulciantur, tamen non tantâ eius indigent miſericordiâ, quantâ ea, quæ ſunt inferiora, atque terrena. Non enim illa carnis in vo-*

lucro

Digitized by Google

lucro veſtiuntur, in qua eſt frequentis erroris illecebra. Ideóque in ſuperioribus ait idem Propheta, quia Deus dedit cœlum cœli Domino, terram autem filiis hominum. Vnde cœlum purius, & defæcacius ab omni labe peccati eſt, longéque remotius ab illo, de quo ſcriptum eſt, ſicut volatilia cœli. Hoc enim cœlum velut medius quidam inter cœlum, & terram aërius locus dicitur, in quo ſunt etiam ſpiritales nequitiæ in cœleſtibus. Nam in illo non appellatiuo, ſed vero cœlo, etiamſi Diabolum legerimus in conſpectu Dei Angelorum non defuiſſe concilio; puto tamen nulla operari tentamenta nequitiæ. Opponet prætereà S. Victorinum in fine commentarij ad Apocalypſ. vbi inquit, *Dæmonem habuiſſe poteſtatem aſcendendi in cœlum, & Angelos refugas vniuerſos.* Poſtremum hunc Patrem facile eſt interpretari de cœlo aëreo, non ſic primum, ſi omnia ipſius verba ponderentur. Quare ingenuè fateor, S. Ambroſium putaſſe, actum eſſe in Beatorum cœlo Concilium de rebus Iobi, eóque conueniſſe Sathanam. Quod præter citatos negat etiam Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q. 31. in Scripturam, non tamen Origenes, aut quiſquis eſt Author eius in Iob commentarij, qui Origeni tribuitur. Sed vt probaui.

Nulli fas caſtum ſcelerato attingere limen.

SECTIO VI.

An beati Spiritus Angelici, & Animaſtici habitent intra regionem mediam Empyrei, vel ſupra eius conuexam ſuperficiem?

39 NAclantus in medulla Scripturæ ſanctæ pag. 478. ait, Angelos exiſtere naturâ ſuâ ſupra Empyreum immediatè. Et loquitur de Beatis. P. Suarez tom. 2. in 3. p. q. 57. commentario ad articulum ſcribit, *Sicut corpus Chriſti, & cætera beata corpora ſunt, vel erunt extra conuexum cæli, & ad ſummum illud contingent plantis pedum; ita ſubſtantiæ Angelorum ſecundùm ſuam realem præſentiam eſſe poterunt extra ambitum cæli; nulla enim eſt ratio, ob quam neceſſarium ſit, ſubſtantias ſpirituales contineri intra cœlum, cùm corpora humana non contineantur.* Hactenùs Suarez, qui tamen, cùm in lib. 4 de Angelis tractet latiſſimè de ipſorum loco, nullibi innuit, eos exiſtere extra mundum; imò cap. 11. n. 29. ſtatuit, non poſſe ex lege Dei exiſtere de facto extra omnem locum corporeum extrinſecum. Eandem legem ſupponit cap. 2. n. 10. & cap. 3. n. 2.

40 Poſterius hoc eximij Doctoris placitum præhabendum eſt. Pro quo ſtant quotquot Patres ſub nomine cœli, vti continentis, intelligunt Angelos, vti contentos, ſignificari à Moyſe in primoribus verbis Geneſeos. Stant etiam quotquot dicunt Angelos circumſcribi loco corporeo; non enim id dicunt, quia cenſeant exiſtere circumſcriptiuè more corporum in loco corporeo extrinſeco; ſed vt declarent, ita eſſe præſentes intra Vniuerſum alicubi loco, vt neque extra Vniuerſum, neque extra locum illum ſint. Theodoretus quæſt. 3. in Geneſim contendit, Angelos creatos non eſſe ante mundum corporeum, quia loco corporeo opus habent; ſpectatâ ſcilicet ipſorum exigentiâ, quatenus ſunt pars Vniuerſi conflati ex creaturis corporalibus, & ſpiritualibus. Rupertus lib. 1. de victoria verbi Dei, cap. 28. vſurpat eandem rationem, ac Theodoretus; inquit enim, *Cum locus extra cœlum, & terram, nullus ſit Angeli, qui vtique locales ſunt, & circumſcripti, quo in loco eſſe potuerunt, ſi ante creationem cæli & terræ fuerant conditi?* Et ſaltem ſuppoſita Vniuerſi productione, *Ea, quæ ſunt, alicubi eſſe, omnes, exiſtimamus*, teſte Ariſtotele lib. 4. Phyſicorum cap. & textu 1. Hinc Cicero lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum, rogat, *vbi ſunt ij, quos miſeros dicis, aut quem incolunt locum? Si enim ſunt, nuſquam eſſe non poſſunt.* Rurſus l. 1. qq. Academicarum ait, *Nihil eſt, quod non alicubi eſſe cogatur.* Seneca epiſt. 65. ſcribit, *Si non fuerit, vbi ſtat aliquid, ne quidem fiet.*

41 Effatum hoc celebre etiam eſt apud Patres Eccleſiæ. S. Hilarius canone 5. in Matthæum ait, *Omne, quod creatum eſt, in aliquo ſit neceſſe eſt.* S. Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Theologia, *Quod non eſt, nuſquam eſt.... Et quod eſt, omnino alicubi eſt.* S. Gregorius Nyſſenus apud Cypariſſiotum decade 6. cap. 8. *Non poteſt quidquam eorum, quæ creata ſunt, vel creantur, non eſſe vel in loco, vel in tempore.* Extant hæc verba in lib. 1. contra Eunomium. Iunilius lib. 2. de partibus diuinæ legis c. 11. *Omnia* creata, *& aliquando cœperunt, & alicubi ſunt.* Rurſus S. Nyſſenus oratione 8. de Beatitudinibus, *Duo hæc in creatura rerum vniuerſarum ſunt elementa habitationi rationalis naturæ attributa, cælum, & terra. Locus eorum, qui per carnem vitam ſortiti ſunt, terra; cælum autem incorporeorum eſt. Neceſſe eſt igitur, vitam noſtram prorſus alicubi eſſe, niſi ex terra pulſi, & eiecti fuerimus, in terra prorſus manemus; ſi hinc abierimus, in cælum traducemur.* S. Auguſtinus lib. de immortalitate animæ cap. 1. *Quod eſt, nuſquam eſſe non poteſt.* Claudianus Mamercus lib. 3. de ſtatu animæ cap. 2. *Si nuſquam eſſet anima, nihil eſſet.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 3. cap. 17. *Quod nuſquam eſt, ipſum omnino nihil eſt*, S. Anaſtaſius Sinaita lib. 2. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, *Corporibus, cæteriſque creaturis proprium eſt, loco vt circumſcribantur.* Cuius effati ſenſus is ad minus eſt, vt creaturæ à ſuprema ſphæra diſtinctæ ſiue corporales, ſiue ſpirituales, nequeant ſecundùm naturæ curſum, & naturalem cuiuſlibet exigentiam, quatenus ſaltem ſunt pars Vniuerſi, exiſtere actu, & non eſſe præſentes loco extrinſeco reali, ac poſitiuo.

42 S. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 6. ſatis apertè locat Angelos intra cœlum, dum ſcribit, *Cælum eſſe circumdationem viſibilium creaturarum, & inuiſibilium. Intra enim ipſum & intellectuales Angelorum virtutes, & omnia ſenſibilia concluduntur, ipſóque determinantur ambitu.* Germana alia ex Beda lib. 2 de mundi imagine cap. 7. referuntur (qua fide, tu videris,) â Barthonio in 4. diſt. 47. q. 1. art. 2. & ex Rabano in Exameron, à Bartholomæo Angelico lib. 8. de proprietatibus rerum, cap. 4. in Damaſceni verbis denotari Empyreum aduertunt Seraphicus Doctor in 2. diſt. 2. art. 4. q. 1. Carthuſianus ibidem q. 3. allegans Albertum. Nec ſilendus eſt S. Hilar. in Pſalm. 135. dicens: *Cùm regionem cognitionis ſuæ, qui infinitus eſt, collocaret, cælo ſuperiore, atque primo, eodémque in orbem collocato terminum quendam virtutibus, quæ primum ad cognoſcendum ſe gignerentur, incluſit.* Sic S. Hilarius, & Patribus aliis ſatis in vſu eſt dicere, Angelos exiſtere, & contineri intra cœlum, ac mundum. Concordant Theologi, nullum enim ſiue antiquum, ſiue modernum, exceptis Naclanto, & Suario, reperies contradicentem expreſsè. Loquor de illis, qui non negant, Angelos verè, & propriè poſſe præſentes eſſe corporeo loco, certóque, & determinato; vt videntur negare Petrus Abaëlardus lib. 3. introductionis ad Theologiam

n.6.Herueus, opuſculo de motu Angeli q.& art.1. §.*quantùm ad* 1. item in 1. diſt.37. q.1. Durandus ſecunda parte eiuſdem diſtinctionis q.1.n.38.Quod hæreticum eſt ex cenſura S. Thomæ ad illam diſtinctionem q.3. art.1. Legeſis Alenſem 2.p.q.32. membr.1.Syluestrum in Roſa aurea tract. 3. q.43. ad 4. & 5. quæſitum. Ægidium Romanum 2.part. Exameron cap.23. & in 1.diſt.37.q.1. Dionyſium Ciſtercienſem in 2.diſt.6.q.& art.1.in 3.concluſione.Bartholomæum Amicum 4.Phyſicor. tract. 20. q.5. dub.2. n.11. Angelum à Montepiloſo tom. 1. part.2.diſt.18. art.1. Hieronymum Columbum de Angelica, & Humana Hierarchia, lib.1.cap.36.n.1. Franciſcum de Lugo diſp.5.de Angelis cap.8.n.18. cap.9. n.3. Tannerum tom. 1. diſp.5. q. & dub.2. Moncæum in Selectis d.1.cap.8.in fine,Bañez 1.p. q.52.art.1.dub.2. ad 7. Gamachæum q.53. c.1.in fine. Merat. tract.de Angelis, diſp.12.ſect.1.diſp.19. ſect. 1. Arriagam, & Alphonſum citatos iam in n.32.Exhibebo ſtatim Doctorem vtrumque,Angelicum, ac Seraphicum, & fundamentum petitum ex ſacris litteris.

43 Pergo ad rationes. Prima ſit; Angeli creati ſunt ſimul cum mundo corporeo, quia ſunt pars Vniuerſi conflati ex ipſis,& creaturis corporalibus: nulla autem perfecta pars ſeparata eſt à ſuo toto; vt docet S.Thom.1.p.q.61.art.3.in corpore.Creati etiam ſunt intra mundum corporeum,tanquam intra locum, *non quia dependentes ſint ſecundùm ſuum eſſe,vel ſecundùm ſuum fieri à loco corporeo*, ſed quia, vt docet ipſe S.Thomas in art. ſequenti ad 1. *ſic oſtenditur ordo eorum ad naturam corpoream,& quòd ſua virtute corporea contingunt*.Ergo ob eaſdem cauſas Angeli beati permanent intra mundum corporeum tanquam intra locum.

44 Confirmatur, Angeli beati, non ſolùm poſſunt eſſe intimè præſentes,& indiſtantes ab aliquo corporali loco; ſed etiam ſunt præſentes intimè,& indiſtantes à certo, & determinato loco corporali, quale eſt cœlum Empyreum. *Exinde enim ſpiritualibus ſubſtantiis debetur, ſecundùm quandam congruentiam locus cæleſtis Empyreus, qui eſt ſupremus locorum, quia illæ ſubſtantiæ ſunt ſupremæ in ordine ſubſtantiarum.* Quæ ſunt S.Thom.verba 3.p.q.57. art.5.in corpore. Prætereà ſacris ex litteris comperimus,Angelos beatos eſſe in cœlo; deprædicatur id à Patribus, & Theologis.Si verò exiſterent longè extra ambitum cœli Empyrei, non eſſent ipſi intimè præſentes, & indiſtantes tanquam loco corporali,certo,& determinato. In lib.Eſther, cap.13. v.10.dicitur ad Deum, *Tu feciſti cœlum, & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es.* In quibus verbis compendiariò colliguntur omnes creaturæ à Deo factæ,& inter eas Angeli.Continebuntur itaque hi intra cœli circuitum.In Apocalypſi cap.10.v.6. ſcribitur, *Qui creauit cœlum, & ea,quæ in eo ſunt.* Vbi Thomas Angelicus, vel Anglicus intelligit Empyreum,& Angelos in eo contentos. Verba Exodi 20.v.11.*Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt*, eandem admittunt explicationem. Confirmatur iterùm ex Molina diſp.3. de opere ſex dierum v. *ad ſecundum dicendum, Vt enim licet Deus manufactis templis non indigeat, in quibus ſit, decet tamen, eum in decoris, pulchris, ac ornatis templis coli, idque in honorem ipſius cedit: ſic etiam licet Angeli beati à loco corporeo non pendeant, cùm tamen alicubi in ſpatio eos eſſe neceſſe ſit, decens eſt, eos potiùs eſſe in loco corporeo pulcherrimo, ac nobiliſſimo, quàm in ſpatio inani.*

45 Mutuor ſecundam rationem à S. Thoma in quæſtionibus diſputatis q.3.de potentia Dei art.19. ad 2.ſic aiente, *Nihil prohibet etiã nunc, Angelos non eſſe in loco, ſi voluerint, & ſi etiam ſemper ſint in loco propter ordinem, quo creatura ſpiritualis præſidet corporali ſecundùm Auguſtinum.* Aſt hic ordo præſidentiæ,vel cauſalitatis ad corpora perſeuerat in Angelis eleuatis ad ſtatum beatitudinis.Ergo & perſeuerat exiſtẽtia in loco corporeo extrinſeco.Vnde cùm S.Thom.quodlib.6.q.2.a.3.ſcribit, *Angelus non dependet à primo continẽte....& ideò nulla neceſſitas eſt.... quòd Angelus ab aliquo loco ambiatur*, percipiendus eſt de neceſſitate fundata in natura Angelica ſecũdùm ſe,non habito reſpectu ad ordinem Vniuerſi,& præſidentiã creaturæ ſpiritualis ſupra corporalem. Rurſus cùm in 1.diſt.37.q.3 art.1,ad 4.ait, *Non reputo inconueniens, quòd Angelus ſine loco eſſe poſſit, & non in loco, quando nullam operationẽ circa locũ habet; nec eſt inconueniens, vt tunc nuſquam, vel in nullo loco eſſe dicatur*, intelligendus eſt de exiſtentia in loco reali extrinſeco per potentiam, ſeu per contactum metaphoricum virtutis applicatæ, vel operationis modo declarando in ſect.10.n.92. Confirmatur ex S.Bonauentura in 2.diſt.2.art.4.q.1.n.48. dicente, *Ratio autem, quare Angeli continentur loco, ſiue aliquo ambiente, eſt ordinatio partium Vniuerſi. Si enim non haberent aliquid continens, non eſſet eorum exiſtentia ordinata ad inuicem.* Tunc ſic: ſed ordinationi partium Vniuerſi non eſt præiudicatum per Angelorum beatitudinem. Ergo ſi ordinatio partium Vniuerſi exigit, vt Angeli contineantur loco ambiente, beati Angeli eo non carebunt. Si obiiciatur loci ad locatum eſſe mutuam indigentiam. Reſpondet S. Bonauentura in n.52. *verum eſſe de iis, quæ locantur propter defectum ſui; ſed non eſſe verum de iis, quæ locantur propter ſeruandum ordinem Vniuerſi. Vnde ſi quæratur, vtrùm lapis poſſit eſſe extra cælum? Dicendum, quòd non, tum propter ſuam indigentiam, quia non haberet locum conſeruantem: tum quia non patitur hoc ordo Vniuerſi. Sed de Angelo, quòd cælum non exeat, non eſt ratio loci corporalis indigentia; ſed corporis vltimi vniuerſalis continentia, ſecundùm quod Vniuerſum eſt perfectũ, & ordinatum.*

46 Vltima ratio eſto; quia exiſtentiæ beatorum Angelorum extra Empyreum nihil aliud fauere poteſt, niſi paritas accepta ab exiſtentia glorificatorum corporum extra illud; ſed, vt viſum eſt in ſect.2. exercit.18. glorificata corpora non exiſtunt, niſi intra Empyreum. Ergo, &c. Tannerus addit aliam rationem,quia ſcilicet ſicut Angelus non poteſt diſcontinuare res Vniuerſi; ſic non poterit ſeparare ſe ab Vniuerſo.Huic tamen argumentationi parùm deferet, qui conſiderauerit, nullum incommodum deriuari in Vniuerſum ex ſeparatione Angeli ab ipſo, ſi Angelus non ſit ex iis qui mouent cæleſtes orbes.Vnde quia ex diſcontinuatione corporum Vniuerſi ſequeretur incommodum vacui, ideo inter vtrumque apparet latum diſcrimen.Alij, vt Arriaga, &Alfonſus, exinde probant, Angelos beatos non diuagari ſupra Empyreum, quia eſſet inutilis,& impertinens talis motus,cùm tamen Angeli beati nihil operentur niſi ordinariſſimè, & propter honeſtiſſimos fines. Hæc probatio optima eſt, ſi ſupponatur, glorificata corpora non exiſtere ſupra Empyreum; ſecùs ſi oppoſitum ſupponatur; tunc enim vtilitate, & honeſtate non careret exiſtentia beatorum Angelorum ſupra Empyreum, vt Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, & glorificatorum aliorum hominum comites eſſent. Iuxta quam ſuppoſitionem, abſque magno negotio reſponderi poſſet primæ, & ſecundæ rationi ad-

ductis

Digitized by Google

ductis in num. 43. & 45. Sed cùm nos ſupponamus, glorificata corpora exiſtere intra Empyreum, & ſacræ litteræ, dum prædicant, beatos Angelos exiſtere in cœlo, planiùs, & ſuauiùs intelligantur de locatione intra ipſum; Patreſque, ac Theologi ſic ſibi perſuadeant: ſtandum omnino eſt pro exiſtentia beatorum Angelorum intra limites Empyrei, & Vniuerſi; ita quidem vt extra non exeant ad ſpatia imaginaria, in iiſque ordinariè, aut per multum tempus commorentur. Videatur ſect. illa 2. exercit. 18. & recenſis Theologis adiiciatur Eminentiſſimus Cardinalis Lugus tom. 1. de Iuſtitia diſp. 3. ſect. 1. num. 6. nam ſuffragium tanti viri, etſi aliud agentis, in magno ſemper pretio debet eſſe.

47 Oppones Platonem aſſerentem in Phædro, beatos omnes, & proinde Intelligẽtias extra cœlum eſſe; haſq; ab Ariſt. lib. 1. de cœlo c. 9. text. 100. conſtitui ſuper extimã lationem; Ait namque, *Patet ergo, neq; locum extra cœlũ eſſe; neq; vacuum, neque tempus. Quocirca neque apta ſunt ea, quæ illic ſunt, & eſſe in loco, neque tempus ſeneſcere ipſa facit, neque vllius eorum eſt vlla mutatio, quæ ſuper extima ſunt diſpoſita latione: ſed nullis alterationibus, nullis paſſionibus prorſus ſubiecta, optimam in vniuerſa ſempiternitate vitam, & ſufficientiſſimam habent.* Maximus Tyrius diſſertatione 28. n. 168. ſcribit, *Poſtquam hinc illuc tanquam è Cimmeriorum terra ſe ſubduxerit anima, claróque frui cœperit æthere, nec ampliùs cum corpore, morbiſve, aut vllis luctatur calamitatibus, tum demùm veritatem ipſam perſpicit, puráque ratione aſſequitur. Tum in Deorum, Dearúmque recepta conſortium ſupra ſummos cœli, cum iis vagatur fornices, diuineque aciei adſcribitur, cui Imperator præeſt, ac Dux Iupiter, Tunc integra vtitur memoria, nunc tantum reminiſcitur. Tunc confidit ſibi, nunc errat tantùm.* Reſpondet Meratius in tract. de Deo diſp. 6. ſect. 2. eatenus Philoſophum voluiſſe intelligentias eſſe extra, & ſuprà cœlum, quatenus ſunt in extima, ſeu conuexa cœli, quod mouent, ſuperficie; quæ quodammodò eſt extra, & ſupra cœlum, cuius eſt ſuperficies. Sed hæc interpretatio eſt extorta, vt contextum intuenti patebit. Si enim Intelligentiæ beatæ eſſent in extima ſuperficie cœli, quod mouent, iam non ſolùm aptæ eſſent exiſtere in loco, ſed actu exiſterent in illo. Neque Philoſophus loquitur de Intelligentiis mouentibus cœlos; ſed de exiſtentibus ſuper primum Mobile, quod putauit eſſe ſupremum cœlum. Ad hæc: in eodem ſenſu concedit, beatas intelligentias eſſe diſpoſitas ſuper extimam lationem, & extra cœlum, vbi neque eſt locus, neque vacuum, neque tempus, quo negat à textu 97. vſque ad 100. poſſe exiſtere vllum corpus ſuper vltimam conuerſioné, & extra cœlum. Atqui de corpore negat apertè poſſe exiſtere ſuper vltimæ conuerſionis, & cœli ſuperficiem. Et ita intelligitur à S. Thoma 3. p. q. 57. art. 4. ad 2. Ergo de Intelligentiis beatis concedit idipſum. Quare ſi ob hanc rationem reiicit Meratius eos, qui cum P. Vaſquez tom. 1. in 1. p. diſp. 29. c. 4. n. 20. Moncæo d. 1. Selectarum c. 6. conantur Ariſtotelem loquutum eſſe metaphoricè, quatenus ſolùm velit, Intelligentias beatas eſſe ſupra, & extra conditionem, ac ſortem naturæ corporeæ circumſcriptæ intra cœli, & Vniuerſi quantitatem, meritò ob eandem rationem diſplicet nobis ipſe Meratius.

48 Fateamur itaque, neceſſe eſt, vt tandem fatetur Vaſquez, Ariſtotelem conſtituiſſe Deum, & Intelligentias non aſſiſtentes gyrandis ſphæris cæleſtibus ſupra, & extra primum Mobile. Et de Deo quidem ſcribit in lib. de Mundo ad Alexandrum (ſi hic fœtus ſit Ariſtotelicus) *Ipſe ille Deus ſummam, & principem adeptus eſt ſedem, atque ob eam rem ſublimis appellationẽ meruit; reſidétque, vt Poeta ait, ſummo in vertice vniuerſi cœli.* An autem Dei exiſtentiam ibi coarctarit? noſtri muneris non eſt diſcutere. Cõſulatur Suarez diſp. 30. Metaphyſicæ ſect. 4. n. 48. & diſp. 35. ſect. 2. n. 24. ac 25. vbi conectatur, ipſum deueniſſe in cognitionem & numerum Intelligentiarum non ex ſolis motibus orbium cœleſtium, ſed ex aliis etiam indiciis. Et hinc conſtabit contra Meratium, non repugnaturum ſibi Ariſtotelem, ſi in ſenſu intento à Meratio non excipiatur. Tamen Philoſophi authoritas in præſentiarum non viget, vt & nos conſtituamus Intelligentias beatas extra ambitum Vniuerſi in ſpatio imaginario, ſiue cum vbicatione intrinſeca, ſiue ſine illa. Nam cùm ille non agnouerit cœlum immobile, quod eſt aptiſſimum beatitatis ſtatui, nihil mirum, ſi extra cœlos omnes, & Vniuerſi ambitum conſtituerit beatas Intelligentias non deſtinatas circumuolendis ſphæris cæleſtibus. Idémque iudicium ſit de Platone, & Maximo Tyrio.

49 Ex dictis de Angelis beatis colligitur, ſeparatas animas rationales, beatitudine donatas, non exiſtere ſupra Empyrei conuexam ſuperficiem. Nam pro eis militant eædem rationes; & aliæ ſe ſe manifeſtabunt in ſect. 5. exercitat. 21. Si quis obiiciat Michaëlem Syngelum in encomio ad S. Dionyſium Areopagitam, vbi inquit: *O cum primis diuinam, & admirabilem illam animam, quæ choro ſtipata Angelico in cælorum vſque apſidas ſublimiter euolauit: quàm honoratiſſimè ad totius gloriæ Dominum, coronarúmque Largitorem IESVM aſcendentem, celeberriimque laborum authoramenta relaturam, vnaqueque cæleſtium virtutum laudibus proſequuta eſt.* Reſpondetur, Syngelum loqui de aſcenſu animæ S. Dionyſij ſuper cœlos mobiles, qui ſunt velut pauimentum cœli Empyrei. Obiici vlteriùs poſſunt S. Hieronymus, Olympiodorus, & Albinus, dum in illud Eccleſiaſtis cap. & v. 1. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cœlo,* excipiunt à generali propoſitione ſubſtantias ſpirituales, quia *nec ſub cœlo, nec tempore continentur.* Sed reſpondetur, intelligendos eſſe, quatenus ſubſtantiæ ſpirituales non contineantur ſub cœlo mobili, nec eius tempore extrinſeco, ſeu motu numerante menſurentur; vel quatenus non contineantur ſub cœlo etiam Empyreo inſtar corporum, nec durent tempore, ſed æuo. Et vniuerſim pro nonnullis Patribus, qui quandoque dicunt, ſubſtantias ſpirituales in loco non eſſe, adnotari oportet, eos habere ſermonem de exiſtentia in loco reali extrinſeco inſtar corporum. Sic obſeruant in tractatu de Angelis Theologi, & copioſè Suarez lib. 4. c. 1. Adde Toſtatum in opuſculo de ſtatu animarum poſt hanc vitam concluſione 3. in principio.

50 Vnus reſtat ſcrupulus circa mentẽ Ariſtotel. nã verba ex ipſo appoſita in n. 40. Nimirùm, *ea quæ ſunt, alicubi eſſe, omnes exiſtimamus:* non videtur cõcordare cum interpretatione à nobis adhibita aliis verbis tráſcriptis in n. 47. Erit qui vtraque conciliet, eo quòd in prioribus loquutus ſit Philoſophus vel iuxta vulgarem exiſtimationem, vel de loco ſumpto pro ſpatio imaginario. Sed in hac conciliatione animus non quieſcit, ſiquidem Philoſophus incipiat tractare in lib. 4. Phyſicorum cap. 1. de loco reali extrinſeco competenti corporibus reipſa, & non ex vulgari tantùm perſuaſione. Ideò dixerim, priora verba prolata ab Ariſtotele reſpectu ſolùm habito ad corpora diſtincta ab ſphæra ſuprema:

Digitized by Google

Patres autem Eccleſiæ dum vſurparunt ſimilia, reſpexiſſe tam ad corpora, quàm ad ſubſtātias ſpirituales.

SECTIO VII.

Infertur ex proxima doctrina beatos Spiritus Angelicos, & Animaſticos nunquam exiſtere abſolutos ab omni loco extrinſeco imaginario. Quæritur, an ipſi, quantum ex ſe eſt, poſſent naturaliter ſe abſoluere, vel an ſaltem Deus poſſet miraculosè id præſtare.

51 SI, vt probatum eſt in ſectione ſuperiori, impediuntur Angeli beati ne ſe conſtituant in loco imaginario ſupra Empyreum, & ne deſerant omnem realem extrinſecum, multò vtique potiùs, ne ſe abſoluant ab omni tam reali, quàm imaginario, ita vt exiſtant à parte rei, ſed nullibi maneant ſiue intra, ſiue extra ambitum totius Vniuerſi, & Empyrei cœli. Quæſtionis eſt, num poſterius hoc impedimentum proueniat præcisè, vt illud prius, ex lege extrinſeca Dei, vel aliunde etiam?

52 Sunt Theologi plures, qui putent, Angelos non tantùm naturaliter, ſed etiam obedientialiter eſſe impotentes exiſtere, quin exiſtant alicubi loci extrinſeci realis, vel imaginarij. Ita Suarez lib. 4. de Angelis cap. 3. & 11. Molina 1. p. quæſt. 52. diſp. vnica, Tannerus tom. 1. diſp. 5. quæſt. & dub. 2. num. 19. Albertinus in 5. Corollario Theologico ex Prædicamento Quantitatis; & Vbi dub. 1. n. 12. Arriaga diſp. 14. Phyſicorum ſect. 4. Cardinalis Lugus diſp. 12. de Incarnatione ſect. 7. n. 93. Franciſcus Lugus tract. de Angelis diſp. 5. c. 9. à n. 19. Martinonus tom. 3. diſp. 41. ſect. 4. n. 31. ſ. 6. n. 49. Bartholomæus Amicus tract. 20. Phyſicorum quæſt. 5. dub. 1. art. 3. concluſ. 4. Auerſa in 1. p. q. 52. ſect. 1. Franciſc. Amicus diſp. 5. de Angelis ſect. 1. à n. 11. Et probari primò poteſt, quia implicat contradictionem corpus exiſtere, quin exiſtat alicubi: Ergo & Angelum. Suadetur Antecedens, tum quia repugnat, quantitatem non eſſe extenſam, vel inextenſam, quippe hæc duo opponuntur priuatiuè. Si eſt extenſa, habebit præſentiam, ratione cuius extendatur. Si eſt inextenſa, partes illius erunt in eodem loco, cum ſint penetratæ, & proinde afficientur præſentia, vi cuius penetrentur: Tum quia partes quantitatis carentes omni præſentia, vel eſſent intra alias, vel extra: ſi primum; Ergo in eodem ſpatio: Si ſecundum; Ergo in alio ſpatio. Tum quia vel inter corpus priuatum omni vbicatione, & inter me poſſet interiici quantitas bipalmaris v. g. vel non poſſet: ſi poſſet; quidnā aliud exigit poſitiua diſtantia? Si non poſſet quidnā aliud poſtulat poſitiua indiſtātia? Tum denique quia S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 3. in corp. ait: *Non poteſt poni, quod corpus nuſquam ſit, quia ſic eſſet aliqua quantitas dimenſiua non habens ſitum; quod eſt impoſſibile.* Sed fortè loquitur Angelicus Præceptor de impoſſibilitate tantum ex natura rei.

53 Secundò, intra, & extra ſunt contradictoriè oppoſita: Ergo ſi Angelus exiſtat, & non intra hunc mundum, exiſtet neceſſariò extra atque adeò in ſpatio imaginario; quod enim extra eſt, in aliquo ſpatio eſt. Si autem è contrario Angelus exiſtat non extra, ſed intra mundum, exiſtet in loco reali. Tertiò, huius aulæ annihilato aëre, in quo Angelum eſſe ſupponatur, & nullo alio corpore ſuccedente, manebit adhuc Angelus intra aulam. Ergo erit in inanitate, quam imaginamur intra aulæ parietes. Si verò ſuccedat aliud corpus, exiſtet nouiter in eo, vt in loco reali. Semper igitur verum erit, exiſtere in loco vel imaginario, vel reali. Quartò, Angelus debet eſſe vel diſtans à mundo, atque idcirco habere vbicationem alibi; vel debet eſſe præſens mundo, proindéque habere vbicationem in mundo, cùm per hanc conſtituatur formaliter præſens. Quintò, in eodem inſtanti reali non poteſt ſimul eſſe Angelus, & carentia Angeli: ſed ſi is exiſteret in inſtanti reali, & nullibi, daretur ſimul Angelus, & eius carentia. Etenim carentia rei non deſtruitur niſi per vbicationem rei, cum carentia rei conſiſtat in cumulo carentiarum vbicationum omnium rei.

54 Sextò, impoſſibile eſt, Angelum exiſtere & non coexiſtere tempori reali, vel imaginario: Ergo ſimiliter impoſſibile erit, exiſtere, & non inexiſtere loco reali vel imaginario. Septimò, ſi exiſteret Angelus ſine vbicatione, non eſſet Deus intimè præſens Angelo, ſiquidem hic careret præſentiâ, ratione cuius conſtituendus eſſet in loco, in quo Deus ipſi intimè præſens adeſſet. Ex quo ſequeretur, Deum non fore immenſum, non enim foret præſens Angelo; ſequeretur etiam, Deum agere in diſtans, quia Angelus produceretur & conſeruaretur à Deo non præſente ipſi. Octauò, Deus, quia abſolutè non poteſt non exiſtere, nequit non exiſtere in loco. Ergo Angelus, quia ex ſuppoſitione, quòd exiſtat, non poteſt non exiſtere, nequibit non exiſtere in loco. Nonò, ſpatium imaginarium nihil aliud eſt, quàm inanitas, in qua excipi poſſunt quæcumque corpora. Sed Angelus non poteſt non eſſe in tali inanitate, ſi ſupponatur non exiſtere in loco reali. quia non poteſt eſſe extra omnem non repugnantiam & negationem reſiſtentiæ ad continenda, & locanda corpora.

55 Decimò, Angelus eo ipſo, quòd exiſtat, habet ſuum eſſe poſitum extra cauſas: Ergo indiſtans ab aliquo loco. Nam Angelus ſtatim ac habet ſuum eſſe extra cauſas, poteſt operari erga hoc potiùs, quàm erga illud extrinſecum ſubiectum; quæ facultas erga vnum potiùs, quàm erga aliud, ſupponit indiſtantiam ab vno potiùs, quàm ab alio. Vndecimò, nequit à nobis percipi Angelus, niſi cum aliqua præſentia. Ergo ſine aliqua non poteſt reapſe exiſtere. Duodecimò probatur ex Patribus & Philoſophis priſcis citatis in n. 40. ac 41.

56 Sed duodecim hæc argumenta non me adigunt, vt ſentiam, repugnare de potentia Dei abſoluta, quod Angelus exiſtat, & nullibi exiſtat. Ad poſtremum reſpondeo, Patres, & Philoſophos loqui de rebus ſecundùm cuiuſlibet naturalem exigentiam, vel ordinem Vniuerſi, vel legem extrinſecam Dei; eo ipſo enim quòd exiſtat Angelus verbi gratia, debet vno ex præfatis titulis habere non ſolùm locum intrinſecum, ſeu vbicationem, ſed etiam locum realem extrinſecum: quare ſicut non eſt contra Patres dicere, Angelum poſſe ſaltem diuinitus non exiſtere in loco extrinſeco reali, ſic neque aſſerere poſſe diuinitus non exiſtere etiam in imaginario, & priuatum eſſe omni vbicatione. Ethnicorum Philoſophorum Ariſtotelis, & Tullij authoritas in quæſtionibus de potentia Dei abſoluta, quæ ipſos latuit, non miniſtrat argumentationis Theologicæ locum.

Ad

Digitized by Google

Ad vndecimum dico, varias eſſe hominum imaginationes, & ſupra aliquorum non eſſe Angelum, qui nullibi exiſtat etiam naturaliter. Sed quamuis ſupra omnium foret, corrigi eam oportet, nóſque fateri cum S. Auguſtino, Deum aliquid poſſe, quod nos aſſequi non valeamus.

57 Ad decimum aio, Angelum poſſe exiſtere extra cauſas, & prædictum non eſſe potentia proxima agenti tranſeunter circa ſubiectum vnum extrinſecum potiùs, quàm circa aliud. Ea enim potentia proxima conſtituitur connaturaliter ex approximatione ad vnum potiùs, quàm ad aliud; quæ approximatio inuoluit vbicationes tum Angeli, tum ſubiecti extrinſeci. Scripſi *conſtituitur connaturaliter*, quia de potentia Dei abſoluta vti Angelus valet agere in diſtans, ſic etiam agere, etſi nullibi exiſtat; & determinatio ad agendum in hoc præ illo ſubiecto prouenitet præciſè ex diuina voluntate. Quòd ſi Angelus manens in Empyreo, queat diuinitùs eleuari ad operandum in terra, poterit etiam nullibi locatus operari ex eleuatione ſiue in Empyreo, ſiue in terra; & vtrobique ſimul. Ad nonum, quidquid ſit de illa ſpatij imaginarij definitione, Angelum, qui neque in loco reali, neque in imaginario exiſteret, non futurum intra, neque extra non repugnantiam, & negationem exiſtentiæ ad continenda, locandáque corpora, ſed habiturum abſtractionem ab vtroque, vt poſteà magis declarabitur.

58 Ad octauum, in propatulo eſt diſparitas Deum inter, & Angelum, nam ille eo præciſè, quòd exiſtat, quicumque locus realis, & imaginarius ſit capax illius excipiendi, debet ratione perfectionis immenſitatis identificatæ ſecum reſpondere formaliter vtrique loco; neque opus eſt additione nouæ formæ, vt reſpondeat. At hic, nempe Angelus, indiget vltra ſubſtantiam, & perfectionem ſuam entitatiuam ſuperueniente forma aliqua, vt exiſtat in loco ſiue reali, ſiue imaginario, alioqui vbiuis exiſteret, non ſecùs, ac Deus. Cùm autem etiam ex ſuppoſitione contingenti, quòd Angelus exiſtat, poſſit Deus denegare formam eam aduentitiam, poterit proinde & exiſtentiam in loco.

59 Ad ſeptimum dico primò, Angelum productum ſine vbicatione, fore Deo intimè præſentem negatiuè, ſeu non habiturum vbicationem fundantem relationis diſtantiæ à Deo: idque ſatis eſſe ad immenſitatem, & ne Deus agat in diſtans abſolutè. Doctrinam hanc nemo improbabit, niſi qui iudicium præcipitanter ferat. Nam quiſquis attentè mediretur, Angelum pro priori naturæ ante productionem ſuæ primę vbicationis gaudere hac ſola negatiua præſentia cum Deo, ſiquidem pro priori naturæ ante vbicationem exiſtat Angelus conditus à Deo, & pro eo priori non ſit Deo præſens poſitiuè localiter, ſed tantùm negatiuè: quiſquis etiam penſiculatè ſecum recogitet, Angelum pro priori ad productionem primæ ſuæ vbicationis eſſe negatiuè tantùm præſentem ſpatio, cui reſpondentem vbicationem efficit, non poterit non noſtri diſcurſus probabilitatem agnoſcere. Secundò dico, Angelum Deo præſentem conſtitui per ſuam entitatem & per immenſitatem diuinam abſque ſuperaddita aliqua vbicatione; per immenſitatem, inquam, diuinam, tanquam per quid extrinſecum entitati Angeli, ſed intrinſecum denominationi Angeli præſentis Deo; quia nunquam poteſt diſtare à Deo, nec eſt indifferens, vt diſtet, & non diſtet; neque item eſt indifferens ad diuerſas approximationes reſpectu Dei, ſiue enim Angelus exiſtat Salmanticæ, ſiue Romæ, eandem Deus cum ipſo intimam ſeruat præſentiam; & è conuerſo Angelus cum Deo. Quare deficit fundamentum ad diſtinguendam ab Angelo præſentiam reſpectu Dei, vti deeſſet ad diſtinguendam præſentiam reſpectu huius gymnaſij, ſi ei eſſet affixus eſſentialiter, ita vt eandem ſemper retinere deberet indiſtantiam. Replicabis, Angelum eſſe præſentem Deo, nihil aliud prorſus eſt, quàm exiſtere in aliquo ſpatio, in quo Deus. Sed Angelus niſi ratione vbicationis non eſt in ſpatio, neque in vno potiùs, quàm in alio; non enim exiſtit in omni ſpatio imaginario, ſicut Deus. Ergo, &c. Qui inficiantur, Deum exiſtere in ſpatio imaginario, licèt concipiatur à nobis in ordine ad illud, negabunt Maiorem. Ego, admiſſo, Deum exiſtere in omni ſpatio imaginario, reſponderem, Angelum potiri duplici præſentia, alia ad Deum alia ad ſpatium aliquod imaginarium determinatum: illa conſiſtet præciſè in entitate Angelica, & immenſitate diuina, independébitque ab ſpatio; hæc conſiſtet in vbicatione ſuperaddita: illa erit omninò neceſſaria Angelo exiſtenti, & forſan reſpectu illius vocatur Deus à S. Dionyſio de diuinis Nominibus capite primo, Domicilium omnia conſeruans, & continens. capite 10. Sedes, & fundum, in quo omnia recumbunt; ab Arnobio libro 1. aduerſus Gentes, Fundamentum cunctorum, quæcumque ſunt, & quaſi ſpatium increatum poſitiuum; hæc à Deo poterit ſuſpendi, ſeu negari.

60 Ad ſextum concedo Antecedens, & nego conſequentiam. Diſcriminis ratio eſt, quia duratio Angelica (vt ego cenſeo) eſt indiſtincta à coëxiſtentia Angeli, & inſtantis vel realis, vel imaginarij, Angelus autem, ſi exiſtat, non poteſt non coëxiſtere inſtanti, quod tunc exiſtat ſuo modo; indéque fit, Angelum non poſſe abſolui ab omni duratione. Cæterùm vbicatio Angelica eſt diſtincta à coëxiſtentia Angeli, & loci, ſiue realis, ſiue imaginarij, vnde nihil mirum, ſi coëxiſtentibus Angelo, & loco, queat Angelus orbari vbicatione.

61 Qui diſtinguunt à coëxiſtentia præfata durationem; & hanc docent eſſe modum ſubſequutum pro poſteriori naturæ ad rem, quam durantem reddit, admittent, poſſe Angelum exiſtere, & non durare. Si obiicias, omne, quod cauſatur fit in aliqua temporis differentia, incipitque eſſe, alioqui erit ſine tempore, & propterea ab æterno. Contra, quia nec in tempore, nec in æternitate debet fieri, quod cauſatur, nec quod ab æterno non eſt factum, debet, ſi fiat, incipere eſſe, quatenus inceptio ſignificet rei in vno inſtanti exiſtentiam non habitam in alio proximè præeunte; ſecus verò quatenus merè ſignificet extractionem rei de non eſſe ad eſſe.

62 Si rurſus opponas, nulla res exiſtere actu poteſt, quæ reſpectu aliorum non ſit prior, aut poſterior: Sed priorem eſſe, aut poſteriorem habet ratione durationis: Ergo hæc nequit non competere rei exiſtenti actu. Contra, quia de prioritate, aut poſterioritate temporis poteſt diſcurri eodem modo, ac de diſtantia, & præſentia. Quapropter ſicut res valet exiſtere, quin ſit diſtans poſitiuè, & quin ſit poſitiuè præſens, ita & quin tempore ſit poſitiuè prior aut poſterior. Si vlterius arguas, hæ propoſitiones, *Petrus eſt*: *Petrus non eſt*: contradictoriæ ſunt, ideóque vna ex illis verificari debet de Petro, & vtraque non poteſt. Igitur enunciaretur, verificaretúrque de Petro exiſtente, & non in tempore, vel quòd eſſet,

vel quòd non eſſet. Si quòd eſſet ; Ergo & quòd non exiſteret, & exiſteret in tempore : quòd non exiſteret, ſic enim ſupponitur : quòd exiſteret, quia verbum *Eſt* ſignificat exiſtentiam tempore præſenti exercitam. Si quòd non eſſet ; Ergo quòd daretur, & non daretur abſolutè carentia Petri: quòd daretur, quia negatio afficiens terminum abſolutè ſumptum deſtruit illum abſolutè ſumptum : quòd non daretur, quia ita fert ſuppoſitio. Contra, nam etſi *Eſt* ſignificet ordinariè exiſtentiam rei, vt tempore præſenti exercitam ; tamen ſubintelligendo participium exiſtens acceptum nominaliter, poteſt præciſè ſignificare exiſtentiam ſecundùm ſe, & abſolutam à tempore. Omitto, non inconuenire, vt ſimul enuntiaretur, verificaretúrque de Petro, quòd eſſet, & non eſſet penes diuerſum ſenſum, ſi eſſe ſcilicet ſumeretur tantùm pro oppoſito cum nihilo, & non eſſe ſumeretur ſolùm pro non exiſtente in tempore.

63 Si prætereà argumenteris, decretum diuinum efficiendi rem non poteſt terminari præciſè ad rei exiſtentiam ſecundùm ſe ; ſed debet terminari ad rem, vt exiſtentem, & durantem, alioqui habita ſemel à Deo volitione efficaci cauſandi præciſè exiſtentiã rei, talis res ſecundùm ſe, non poſſet deſtrui à Deo, quod eſt cõtra diuini dominij perfectionem: Deus enim, vt ait Petrus Damiani opuſculo 36.c.4. *Poteſt facta quæque deſtruere, vt iam non ſint.* Probabis ſequelam. Nam vt res deſtrueretur, opus eſſet decreto, quo Deus præciſè nollet efficaciter exiſtentiam rei ſecundùm ſe, ſeu quo præciſè vellet efficaciter carentiam rei ſecundùm ſe, tum quia ſermo eſt de deſtructione rei non durantis, tum quia Deum velle efficaciter carentiam durationis rei, ſatis eſſet, vt res non duraret, non verò vt abſolutè non exiſteret. At decretum, quo Deus vellet efficaciter carentiam rei ſecundùm ſe eſt incompoſſibile prorſus cum decreto illo alio, quo efficaciter voluiſſet exiſtentiam rei ſecundùm ſe : opponerentur enim contradictoriè virtualiter, vt ſatis compertum eſt. Confirmabis, vt res à Deo poſſit deſtrui, debet habere determinatam durationem, poſt cuius exiſtentiam deſtrui valeat; nam deſtructio ſupponere debet durationem aliquam rei, & impedire aliquam aliam, cuius capax eſſet res, vt ſic abſque contradictione ſaluetur extitiſſe rem, & modò non exiſtere. Contra, quia iuxta plures non eſt impoſſibilis creatura, quæ ſi ſemel exiſtat, non poſſit in poſterum deſtrui à Deo, ita vt ipſi creaturæ ſit eſſentialis indeſtructibilitas ; & multò minus impoſſibilis erit creatura, quæ ex ſuppoſitione extrinſeca, & à ſe, nec naturaliter exacta ; ſcilicet ex ſuppoſitione, quòd ſupra ſui naturam producatur abſque duratione, nequeat iam annihilari, aut corrumpi. Sed neceſſe non eſt ad id recurrere, cùm facile explicatu ſit, qua ratione Deus, ſi vellet, deſtrueret creaturam productam ſine duratione. Nam decretum producendi creaturam, etſi non terminaretur ad durationem, vellet tamen exiſtentiam creaturæ, & reſpiceret viginti v.g. tantum inſtantia, quibus coexititura eſſet, ſed ſine duratione, ac ſi diceret, *Volo exiſtentiam creaturæ coexiſtentem ſolis viginti inſtantibus.* Non eſt autem incompoſſibile cum tali decreto aliud, quo vellet Deus carentiam exiſtentiæ creaturæ coexiſtentem ſuo modo ſequentibus inſtantibus ; & volitâ ſic à Deo efficaciter eâ carentiâ, deſineret creatura; non enim coexiſteret vlterioribus inſtantibus, quæ poſt viginti ſuccederent. Ego quidem vix, & ne vix percipio coexiſtentiam formalem, poſitiuamque creaturæ, & inſtantium, quin creatura duret formaliter, ideóque non diſtinguo durationem à coëxiſtentia ; ſed nunc loquor ad mentem diſtinguentium abſolutè, vel modaliter. Et licèt aliqui ex eis fateantur, coexiſtentiam formalem, ac poſitiuam eſſe durationem, quæ tamen diſtincta ſit ab exiſtentiis creaturæ, & inſtantiis; verum id eſt de exiſtentiis ſeorſim ſe habentibus, ſed non ſimul ; & vt habeant ſe ſimul, opus non eſt entitate diſtincta ; ſicut etſi Deus extiterit anteà, quin coextiterit hodierno diei, nihilominus vt ſimul cum illo exiſtat non requiritur alia entitas præter Deum, & hodiernum diem. Quòd verò Deus, & non creatura, ſit determinatus, vt ſi exiſtat hodiernus dies, habeat cum hoc coexiſtentiam, argumentum quidem eſt præuiæ eſſentialis exigentiæ in Deo, & non in creatura coexiſtendi hodierno diei, ſi is exiſtat ; ſed nullo pacto inde deducitur, creaturam accipere durationem diſtinctam, ſiquidem exiſtente iam hodierno die, tam neceſſarium eſt creaturæ exiſtenti, quàm Deo, quòd ſimul exiſtat. Confirmatio langueſcit ex dictis, quia ad deſtructionem rei ſatis eſt, ſi ſupponatur coexiſtentia rei cum inſtanti antecedenti, & impediatur coexiſtentia cum ſubſequenti, ſi intelligibilis ſit coexiſtentia cum inſtanti, quæ non ſit formaliter duratio, vti pro priori naturæ ad huius productionem intelligitur ab iis, quibus arridet duratio diſtincta, cauſataque à re durante.

64 Si tandem obiicias, cauſare non poteſt res, nec alterius eſſe effectus, niſi duret. At quælibet creatura, ſi exiſtat, debet producere ſaltem ſuas proprietates, & paſſiones debétque eſſe effectus Dei. Ergo implicat, creaturam exiſtere, & non durare. Contra, tum quia non eſt, cur diuinitus exiſtens ſine duratione res teneatur efficere aliquid in ſe, aut in ſubiecto extraneo. Et quamuis non poſſit non eſſe effectus Dei, non affertur ratio, quæ demonſtret effectum cauſatum à Deo debere vltra coexiſtentiam cum ipſo habere durationem in aliquo inſtanti reali, vel imaginario. Tum quia res exiſtens, ſed non durans, poſſet diuinitus producere effectus, qui exiſteret etiam, ſed non duraret. Nam licèt duratio ſit conditio naturaliter requiſita in cauſa exiſtente, vt operetur phyſicè alias entitates diſtinctas à duratione, & ad exiſtentiam communicatam effectui ſequatur naturaliter duratio ipſius effectus, non apparet penes potentiam Dei abſolutam neceſſitas durationis, vt conditionis præuiæ in cauſa exiſtente ad operandum ; nec vt proprietatis ſubſequutæ in effectu ad acceptam exiſtentiam. Tum quia à cauſa, quæ coexiſteret inſtanti *A*, v.g. ſed in eo non duraret, prodiret magis connaturaliter effectus cum duratione in eo inſtanti, quàm ſine illa; imò ſine illa non niſi magis miraculosè, ſiue enim duratio in aliis caſibus producatur ab effectu, ſiue à cauſa, quæ dat eſſe effectui, deberet etiam in noſtro caſu fieri connaturaliter, quandoquidem cauſa, aut effectus coexiſtens inſtanti *A*, habeat ex ſe determinationem naturalem ad producendam durationem in illo, nec vllatenus poſſit, vt coexiſtens tali inſtanti producere durationem in alio. Vnde vti miraculoſum eſſet, quòd cauſæ coexiſtenti cum inſtanti *A*, negaretur à Deo determinata duratio pro tali inſtanti, quia naturaliter exigitur à cauſa ; ita miraculoſum etiam eſſet, impedire durationem effectus, qui produceretur coexiſtens eidem inſtanti, cum æquè naturaliter poſtuletur ab effectu duratio producenda ab ipſo, aut à cauſa, à qua accipit exiſtentiam.

65 Noteтur, me non concedere cum aliquibus

Digitized by Google

Thomiſtis, entitatem, quæ non exiſtat, dummodò extiterit immediatè anteà, poſſe phyſicè operari; id enim contradictionem inuoluit, vt noſtri Authores ſolent abundè probare ad lib. 2. Phyſicorum, & vt inquit Chalcidius commentario in Timæum Platonis pag. 292. *Omne, quod operatur, ſit neceſſe eſt.* Quod ergo à me admittitur eſt, entitatem exiſtentem, & non durantem poſſe operari efficienter, ſupplente Deo defectum durationis, non ſecùs ac ſupplere valet defectum approximationis ad paſſum, & omnis vbicationis, eleuarique agens creatum, vt cauſet effectum cum vbicatione, qua ipſum agens ſit penitus orbatum. Notetur deinde, non ſolùm cauſam extrinſecam, qualis eſt efficiens; ſed intrinſecam etiam, quales ſunt materialis, & formalis, & formalis; poſſe ſi exiſtat, exercere diuinitus ſuam cauſalitatem, etiamſi expers ſit durationis. Vnde poterit materia exiſtens, ſed non durans vnita eſſe formæ, ſiue hæc careat etiam duratione, ſiue non. Modernus quidam concors nobiſcum quoad cauſam extrinſecam, diſcors eſt quoad intrinſecam. Rationes tamen eius non aliud conuincunt, quàm cauſam intrinſecam debere exiſtere, vt cauſet. Et cur nequibit homo quin duret, exiſtere, proindéque dari vnio animæ, ac corporis non durantium, etſi anima, & corpus tanquam formalis, & materialis cauſa conſtituant humanum compoſitum? Eſt mihi valde mirum in eodem Recentiore, quod cùm aduersùs operationem cauſæ extrinſecæ exiſtentis, ſed non durantis propoſuiſſet hanc obiectionem, fore ſcilicet, vt homo mortuus poſſet diuinitus ſentire, & ratiocinari, reſpondeat, hominem mortuum poſſe quidem diuinitus efficere ſenſationes, & ratiocinationes, non verò eas recipere, & vnitas ſibi habere. Mirum, inquam, mihi eſt; nam homo, qui mortuus eſt, non modò non durat, ſed neque exiſtit; entitas autem non exiſtens, efficere nihil poteſt diuinitus, vt ipſe Modernus fatetur. Ad hæc: hominem ſimul eſſe abſolutè mortuum, & viuum, repugnat patentiſſimè. At ſi homo mortuus poſſet vt homo efficere ſenſationes, & ratiocinationes, poſſet eſſe vnà viuus, quia vt hominem poſſe efficere huiuſmodi actus, eſt poſſe viuere. Hactenus de ſexto argumento.

66 Ad quintum dico, carentiam Angeli aliam eſſe à cumulo carentiarum vbicationum omnium Angeli, vti alia eſt à cumulo carentiarum, ſubſiſtentiarum omnium Angeli. Sanè cùm Angelus exiſtens diſtinguatur realiter à cunctis vbicationibus; quarum eſt capax, nequeunt harum carentiæ non eſſe diſtinctæ à carentia illius. Ad quartum reſpondeo, Angelum productum ſine vbicatione fore à mundo diſtantem, non poſitiuè, ſed negatiuè; fore etiam mundo præſentem, non poſitiuè, ſed negatiuè, quatenus habebit diſtantiæ carentiam, quæ neque eſt formaliter præſentia, neque eam neceſſariò infert, aut ſupponit; & quatenus etiam habebit præſentiæ carentiam, quæ non eſt formaliter diſtantia, neque cum ea vt priori, aut poſteriori connectitur eſſentialiter. Vrgebis, diſtantia, & præſentia Angeli reſpectu mundi opponuntur contradictoriè. Ergo Angelus vel erit diſtans à mundo, vel ei præſens. Contra, quia diſtantia poſitiua, & præſentia poſitiua non opponuntur contradictoriè formaliter, vtraque enim eſt ens poſitiuum, ac reale: quare diſtantiæ poſitiuæ opponetur contradictoriè formaliter ſola non diſtantia, & præſentiæ poſitiuæ ſola non præſentia, poteritque Angelus neque eſſe diſtans poſitiuè à mundo, neque eſſe præſens poſitiuè, ſeu habere ſimul carentiam tam diſtantiæ poſitiuæ, quàm præſentiæ poſitiuæ, licèt nequeat eſſe vnà diſtans poſitiuè, & non diſtans, præſens poſitiuè, & non præſens. Sic eadem res non poteſt eſſe ſimilis, & non ſimilis alteri, quia ſimilitudo conſiſtit in aliquo poſitiuo, cuius contradictorium formaliter eſt non ſimilitudo; ideóque in se debet dari ſimilitudo, vel non ſimilitudo, ſeu carentia ſimilitudinis: at poteſt res neque eſſe ſimilis poſitiuè, neque diſſimilis poſitiuè; quia ſimilitudo poſitiua, & diſſimilitudo poſitiua conſiſtunt in qualitatibus, quibus carere valet res; vnde paries denudatus ab albedine, & nigredine, neque ſimilis poſitiuè, neque diſſimilis poſitiuè eſſet alteri parieti habenti albedinem, aut nigredinem; ſed eſſet negatiuè ſimilis, pariterque negatiuè diſſimilis. Premes, ſi Angelus non eſt diſtans à mundo, ergo eſt indiſtans; vel è conuerſo, ſi non eſt indiſtans, ergo eſt diſtans, non enim aſſignare eſt medium. Contra, quia ſi ſermo ſit de diſtantia, & indiſtantia negatiuis, Angelus, qui nullibi exiſtat, erit diſtans, & indiſtans; ſi de diſtantia & indiſtantia poſitiuis, neutram ſortietur Angelus nuſquam exiſtens, ſed contentus manebit medio diſtantiæ, & indiſtantiæ, quæ negatiuæ ſint; haud aliter, ac ſi in rerum natura non exiſteret, tunc namque eius carentia nec diſtaret, neque indiſtaret poſitiuè.

67 Ad tertium dico, Angelum perſeueraturum intra aulam hanc, dummodò retineat antiquam vbicationem, vel nouam aliam adquirat, vt poteſt, quamuis fiat vacuum in ſpatio medio. Si tamen priuetur omni vbicatione, nec intra, nec extra perſiſtet: vt iam declaro reſpondens ad ſecundum, intra, & extra non opponi contradictoriè, tum quia ſunt entia poſitiua, & realia; tum quia corpus Chriſti exiſtit diuina virtute de facto intra, & extra cœlum ſine contradictione. Quare huic, quod eſt intra, non opponetur extra, ſed non intra; & huic, quod eſt extra, non opponetur intra, ſed non extra; mediúmque inter vtrumque erit non intra, & non extra, competétque Angelo experti omnis vbicationis, nec poſitiuè intra, nec poſitiuè extra mundum eſſe. Claritatis ſtudio condonet lector duriuſculum, & inſuauem ſtylum. Sæpè

Ornari res ipſa vetat, contenta doceri.

Mihi ſemper claritas in optatis eſt. Nam, vt teſtatum reliquit Iſacius Argyrus in altera computi ſui parte, *non ſolùm tyronibus artis cuiuſlibet, ſed eorum pleriſque, qui in ea perfectiores ſunt, iucundiora ſolent eſſe, quæ ſunt clariora, quòd faciliùs capiantur.*

68 Argumenti primi inficior Antecedens. Cuius prima, & ſecunda probatio diruitur dicendo, partes quantitatis ſine vbicationibus fore extenſas, & extra alias non poſitiuè, ſed negatiuè, & inextenſas, atque intra alias ſimili modo. Adde, vnam, & alteram probationem non militare contra punctum abſolutum à præſentia locali. Vt tertiæ ſatisfaciam, rogo an inter carentiam Antichriſti, & me; poſſit, aut non poſſit interiici quantitas? Si poteſt, igitur ego habeo diſtantiam poſitiuam à carentia Antichriſti: ſi non poteſt, ego habeo indiſtantiam poſitiuam: vtrumuis autem non niſi deridiculè concedetur. Vnde ſicut reſpectu carentiæ Antichriſti, mea ad locum præſentia eſt impertinens, ita etiam reſpectu corporis vbicatione carentis, inter quod, & me, nec valebit interiici, nec poterit non interiici quantitas. Rogo iterùm, num pro priori naturæ, in quo intelligitur corpus ante vbicationem in ſpatio occupando pro poſteriori, queat, vel non queat concipi interiectio quantitatis inter me, & corpus? Si primum, ergo intelligimur diſtare poſitiuè: ſi ſecundum, ergo

Digitized by Google

intelligimus diſtare poſitiuè: ſi ſecundum, ergo intelligimus indiſtare poſitiuè. Et ſiue primum, ſiue ſecundum, continet abſurditatem, ſiquidem pro priori naturæ præſcinditur à præſentia corporis localis, in qua fundari deberet conceptus de diſtantia, aut indiſtantia poſitiua. Quòd ſi pro priori naturæ abſtrahit corpus ab omni præſentia, & ſic à nobis concipitur, progredi hinc licet, vt cogitemus, poſſe diuinitus pro toto inſtanti reali abſolui, dum manifeſta ratio aliud non ſuadeat; qualem huc vſque nec audiuimus, nec legimus.

69 Sed potiùs nonnullas, quæ in ea cogitatione non confirment poſitiuè. Et vt nunc prætermittam adductas in exercit. 11. ſect. 6. in exercit. 12. ſect. 4. Non videtur prætereunda quæ deſumitur ex materia, cuius exiſtentia abſque forma ſubſtantiali eſt diuinitus poſſibilis; & non apparet, vnde materia debeat eſſe magis alligata vbicationi, quàm ſubſtantiali formæ; nec vnde aliæ creaturæ connectantur arctiùs cum vbicatione, quàm materia cum ſubſtantiali forma. Inſuper ipſa materia poteſt diuinitus exiſtere ſine quantitate, & forma ignea v. gr. ſine calore, & ſine materia. Quid ni materia, forma ignea, aliæque creaturæ ſine vbicatione? Cur tam ſtricto, & ſpeciali vinculo iungentur creata entia vbicationi?

70 Addunt aliqui exemplum carentiarum, quæ ſuo modo exiſtunt, ſed necubi, tum quia alioqui carentia Antichriſti v.gr. exiſteret vbique, ſiquidem non detur maior ratio, vt in vno loco, & non in alio exiſtat; tum quia ſi alicubi exiſteret ea carentia, vel per ſe ipſam, vel per carentiam vbicationis Antichriſti in aliquo loco determinato Non prius, alioqui & Antichriſtus quando producetur, exiſtet etiam per ſe ipſum abſque ſuperaddita vbicatione, quin obſtet, quod non ſit determinatus ad exiſtendum in tali loco, & quòd coexiſtere queat loco, & non exiſtere in eo, vti non obeſt reſpectu carentiæ. Non poſterius, nam poteſt dari carentia vbicationis Antichriſti in loco A. v.gr. & non dari abſolutè carentia Antichriſti, eo quòd iſte in alio loco exiſtat. Conficiunt non abſimile argumentum in eiſdem carentiis, vt improbent entitates reales poſſe exiſtere, & non durare. Etenim carentia Antichriſti non durat per ſe ipſam, ſicut neque ipſe Antichriſtus durabit per ſe ipſum, neque item durat per carentiam durationis Antichriſti in hoc inſtanti præſenti v.gr. nam cùm in reliquis antecedentibus, & per totam retrò æternitatem fuerit carentia Antichriſti, præceſſiſſent iam infinitæ carentiæ ſucceſſiuæ durationum Antichriſti contra communem ſententiam de repugnantia infiniti ſucceſſiui in æternitate à parte antè. Prætereà carentia durationis reſpondentis alicui inſtanti hodierni diei extitiſſet ab æterno, quia talis duratio non fuit ab æterno; aliunde autem non extitiſſet, quia carentia durationis debet eſſe tranſiens inſtar ipſius durationis. Denique non intelligitur, qui poſſit carentia durationis eſſe duratio carentiæ Antichriſti, quandoquidem conceptus carentiæ durationis ſaluetur præcisè in non eſſe durationis, cui opponitur, & quam excludit.

71 Ego tamen his exemplis haud quaquam vtor, non quia non dentur carentiæ rerum diſtinctæ ab omni ente reali, & ab omni formali ente rationis, vt cœpit defenſari ab ingenioſis Modernis deſitam quorundam antiquorum opinionem ad ſcholam reuocantibus; ſed in primis, quia ſi carentiæ rerum nuſquam, nunquàmque exiſtant, concedendum etiam eſt, non poſſe vſquam, vnquàmque exiſtere. Vnde ex carentiis aut nihil, aut nimis arguitur ad exiſtentiam entis creati poſitiui ſine vbicatione, & duratione; cùm ens poſitiuum exiſtens debeat ſaltem aptum eſſe ad vbicationem, & durationem. Deinde quia Antichriſti ſecundùm ſe carentia non habet exiſtentiam ſimpliciter, & propriè, ſed quodam modò, & abuſiuè, ideóque pro cuiuſuis arbitratu abſque vlla conſecutione ad entia realia dici poteſt vel vbique per ſeipſam, vel nullibi exiſtere, ſicut coexiſtit toti æternitati à parte antè, ſiue durauerit, ſiue non. Si magis tibi placeat, quòd nullibi exiſtat, non inde cogeris admittere, Antichriſtum exiſtere vbique; ſtat enim optimè, vt etſi nullibi ſit carentia Antichriſti, exiſtat tamen, non ſecus ac ipſe Antichriſtus poteſt exiſtere, & non alicubi. Iam verò ſi Antichriſti ſecundùm ſe carentia detur, ſequitur, Antichriſtum neque in omni loco, neque in aliquo exiſtere. Hæc de Antichriſti ſecundùm ſe carentia. Nam carentia eiuſdem vt vbicari in loco *A*, alligata eſt eſſentialiter ad *A*, vt quæ ſit carentia ſolius vbicationis, in *A*, proindéque exiſtit per ſe ipſam ibi. Idem dicendum eſt de carentia vbicationis ad locum *B*. & ad quemcumque alium, in quo Antichriſtus non exiſtit. Quia verò in nullo exiſtit, nullus eſt, in quo non detur Antichriſti, vt vbicari carentia, quæ conflatur ex tot carentiis vbicationum, quot ſunt loca, in quibus poteſt vbicari Antichriſtus, & eo ipſo, quòd ille exiſteret in vno loco, deficeret abſolutè carentia illius vt vbicari. Nec eſt inconueniens, vt quemadmodùm nunc dantur infinitæ carentiæ hominum v. gr. non exiſtentium, poſſibilium tamen, ſic etiam infinitæ vbicationum Antichriſti, ſitque quaſi immenſum aggregatum earum carentiarum. Diſtinxi carentiam Antichriſti ſecundùm ſe à carentiis vbicationum ipſius; aliter namque nequiret ipſe exiſtere, & abſolui diuinitus ab omni vbicatione, ſi in carentiis vbicationum conſiſteret carentia ſuæ exiſtentiæ. Et quidem pro priori ad vbicationem præſcinditur ab huius exiſtentia, & carentia, quin præſcindatur ab exiſtentia rei vbicandæ; ſed potiùs poſitiuè intelligitur, & proinde excluſa eius carentia, quod eſt clariſſimum argumentum diſtinctionis inter carentiam rei, & carentias vbicationum. Ex dictis circa iſtas carentias poterit quiuis diſcurrere expeditè circa alias carentias rei ſecundùm ſe, & durationum, vt carentia rei non duret, & durationis carentia duret per ſeipſam, ſi agnoſcantur durationes diſtinctæ à re, aut à carentia, & ab inſtanti coexiſtente. Carentiæ, ſeu priuationes infinitæ ſucceſſiuæ durationum admittendæ erunt, aut negandæ, prove quiſque apud ſe ſtatuerit de poſſibilitate; aut impoſſibilitate durationum, quæ infinitæ ſint, & ſucceſſiuæ ab æterno. Carentia durationis reſpondentis alicui inſtanti hodierni diei concedi poteſt exiſtens ab æterno non ſub ratione priuationis, quia ante tale inſtans, nequit exiſtere duratio, cuius eſt carentia, ſed ſub ratione negationis non durantis. Sufficiet vnius durationis carentia, vt detur carentia rei, quatenus durantis: nam cùm non coexiſtant plura inſtantia, ſicut coexiſtunt plura loca, ſi in vno inſtanti non duret res, iam eo ipſo non durabit abſolutè. At non eo ipſo, quòd in vno loco non eſſet vbicata, ſequeretur, non eſſe abſolutè vbicatam, poſſet enim exiſtere in alio ſimul exiſtente. Nec de ſ carentiis plura; abſurdum enim eſt, vt aiebat S. Auguſtinus lib. de Magiſtro cap. 1. Si nihil nos teneat, & moras patiamur.

72 Valeant

Digitized by Google

72 Valeant itaque carentiæ, & ex eis petita exempla; fixúmque maneat, poſſe diuinitus Angelum exiſtentem abſolui ab omni vbicatione, cùm ob alia exempla ſuperiora, tum præcipuè quia non demonſtratur id repugnare. Referri ſolet pro hac ſententia P. Gregorius de Valentia lib. 1. de controuerſia vbiquitaria cap. 20. vbi vel de corpore docet, poſſe diuina virtute conſeruari abſque vll. accidenti præſentiæ ad quemquam locum. Sed videtur loquutus de ſola præſentia ad locum realem. Citari poſſet Bartholomæus Amicus tractat. 20. Phyſicorum quæſt.5. dub.1. art.3. concluſ.6. quatenus ait, problema ſibi eſſe, an ens creatum poſſit abſtrahi ſupernaturaliter ab omni vbi intrinſeco. Sed cùm hic Author in 4. concluſione tradiderit, non poſſe vllum ens creatum abſtrahi diuinitùs ab omni parte ſpatij vagè ſumpta, non videtur conſtare ſibi. Nam ſi Angelus non valet exiſtere abſque formali, & primario vbicationis intrinſecæ effectu, qui eſt conſtitutio Angeli in ſpatio, neutiquam poterit exiſtere ſine vbicatione intrinſeca, quippe formalis effectus primarius alicuius formę ſit prorſus inſeparabilis ab ipſa forma. Tutiùs allegantur Philippus Moncæus in ſelectis diſput. 1. capite 8. & ſequentibus, Ludouicus Meratius tract. de Angelis diſput. 12. ſect. 1. & tota diſput. 19. Franciſcus Alfonſus diſp. 22. Phyſicorum ſect. 7. à n. 71. Franciſcus Ouiedus controuerſ. 15. puncto 7. Gaſpar. Hurtadus diſputat. 4. de Incarnatione difficultate 6. num. 21. Ioannes Gonſalius Martinius lib. 4. Phyſicorum pag. 352.

73 Supereſt, vt examinemus, an Angelus queat naturaliter, quantùm ex ſe eſt, exiſtere, quin alicubi loci ſaltem imaginarij vbicetur? Thomiſtæ, cum præſentiam localem Angeli velint conſiſtere in operatione tranſeunte, vel huic illam indiſpenſabiliter annecti, inferunt inde, Angelum poſſe pro ſuo arbitrio abſoluere ſe ab omni loco tam reali, quàm imaginario. Sed aſſumunt principium falſum, vt in ſect. 10. toto conatu probabo; & permiſſo eo principio, illatio non rectè procedit, tum quia reſpondebitur, Angelum non poſſe naturaliter temperare ſe ab omni operatione tranſeunte, etſi à quacumque determinate poſſit; ſicut nequit eſſe naturaliter abſque vllo cognitionis actu, quamvis à quolibet in particulari valeat continere ſeſe. Tum quia dicetur nequire Angelum abſtrahere ſe à loco imaginario, vt vt ſit de reali; nam præſentia ad illud non requiret operationem tranſeuntem, licèt ad hunc præſentia eam exigeret. Certè S. Thomas docens quodlibeto 6. art. 3. Angelum æquè, ac corpus glorioſum poſſe eſſe ſupra Empyreum, vbi non datur locus realis, ſed ſpatium imaginarium, non reſtrinxit præſentiam Angelicam ad locum realem, in quo operaretur tranſeunter Angelus. Nec fas erit aſſerere, Angelum exiſtentem ſupra Empyreum non eſſe præſentem alicubi, alioqui nullibi exiſteret Chriſti corpus, de quo ait S. Thomas eſſe ſupra totam continentiam Empyrei. Præterquam quòd implicat in terminis, vt Angelus ſit ſupra Empyreum, & non præſens alicubi. Thomiſtæ ipſi fatentur, Angelum poſſe ſe mouere in vacuo, ſiue terminato, quod fieret intra Vniuerſum, ſiue interminato, quod datur vltra Empyreum. Et tunc motus Angelicus non fieret ſine acquiſitione vnius præſentiæ, & amiſſione alterius, neutra autem eſſet operatio tranſiens circa vacuum, aut eam ſecum afferret.

74 Ioannes de S. Thoma q. 17. Phyſicorum art. 2. in fine occurrit huic argumento inquiens, Angelum in vacuo poſſe ad corpus diſtans moueri diſcretè non tranſeundo per medium ob defectum corporis, cui aſſiſtat, & quod operatione ſua continuata tangat. Sed contra primò, quia tranſire de extremo ad diſtans extremum, non percurrendo medium, ſuperat facultatem naturalem motricem Angeli, vt in Exercitat. 33. ſect. 3. tractabo: quin tamen erroneam, aut fatuam appellem contrariam opinionem, vt in Summa de quatuor coæquæuis, quæſt. 9. art. 1. fecit Albert. Magn. Secundò, quia in vacuo, ex quo moueretur Angelus, præextitiſſet Angeli vbicatio, quæ neque eſſet tranſiens operatio, neque quidpiam cum operatione connexum. Tertiò, quia alioqui Angelus exiſtens in conuexo Empyrei, non poſſet naturaliter ciere ſe verſùs partem ſuperiorem, ſeu abire longiùs à nobis, ſiquidem deſit corpus, ad quod accedat. Et ob eandem rationem non poſſet ex regione media Empyrei aſcendere vltra ambitum ipſius, ſi vltra non ſit corpus aliquod glorioſum. Licèt verò ex ſententia S. Thomæ corpus Chriſti maneat extra Empyreum, Angelus aſcendens non penetraretur cum Chriſti corpore, proindéque non locaretur in eo, & ante exiſtentiam corporis Chriſti ſupra Empyreum non potuiſſet Angelus illuc ſe leuare. Quartò, quia alioqui caſu, quo non daretur aliquod corpus in rerum natura, impotens eſſet Angelus mouere ſe. Concedit Thomaſius conſequutionem; & paulò anteà admiſerat, immobilem fore hominem, quem ſolum Deus produxiſſet, itavt nullum aliud corpus exiſteret. Mirum mihi vtrumque videtur, ne abſonum, aut abſurdum dicam, & mirabile nimis; ſi nec Deus potentia ſua abſoluta valeret mouere Angelum in vno caſu, & hominem in alio. Tenetur autem Thomaſius fateri hoc etiam, niſi tranſeuntis operationis neceſſitatem ad motum Angelicum aliquando recuſet, & niſi ad motum corporis non ſemper requirat aliud corpus, à quo magis, vel minus diſtans fiat illud, quod mouetur. Nec percipio, quo iure præfatus Author ad motum vnius corporis poſtulet aliud vt neceſſarium, ſi ad præſentiam vnius in ſpatio imaginario aliud non eſt neceſſarium. Et ipſe quidem exertè tradit, fore in ſpatio imaginario corpus, quod vnicè conditum eſſet à Deo. Colligitúrque ex Angelico Doctore 1. part. quæſt. 8. art. 4. animaduertente, milij granum, aut animal fore vbique ſuppoſito, quòd nullum aliud corpus eſſet. At quod aliquo modo vbique eſt, in ſpatio eſt; non reali, ſi deſit ſuperficies continens: ergo imaginario; ſed eo pacto vt granum milij, aut animal faceret locum realem, præter quem non daretur realis alius.

75 P. Vaſquez 1. part. diſp. 29. ſect. 3. diſp. 188. cap. 7. diſput. 195. cap. 3. & 4. cùm cenſeat, præſentiam localem Angelicam conſiſtere in vnione quadam accidentali ad corpus dependente ab arbitrio Angeli, aliundéque putet, ſpiritum in vniuerſum non poſſe exiſtere in vacuo vel priuatiuo, vel negatiuo, affirmat conſequenter, Angelum ſuapte natura poſſe abſque vlla præſentia exiſtere. Fundamenta, ſuper quibus aſſurgit illatio P. Vaſquij, firma nobis non ſunt, vt in progreſſu huius Exercitationis partim compertum erit, & in Exercit. 11. partim patefecimus, & vel exinde nobis minus probarentur, quòd indifferentiam, quam habet corpus exiſtendi ſupra Empyreum, ex diuina ſaltem eleuatione adimant Angelo, niſi corpori vniatur. Vaſquium protegit Marcon 1 part. tract. 6. D. 6. cap. 5. n. 7 c. 7. à n. 10. ſed nihil affert, quo fundamenta illa ſtabiliora fiant.

Digitized by Google

76 Sfortia Pallauicinus lib. 2. de vniuerſa Philoſophia, cap. 8. à n. 502. accedit propè ad opinionem Vaſquij, negat enim vbi intrinſecum quo res in loco conſtituantur, ſed non vnionem, ſiue applicationem ad locum; quam applicationem ait non poſſe eſſe ad ſpatium imaginarium. Vnde ſi Angelus, vt ex ſe valet, non applicaretur ad locum realem, exiſteret nullibi. Verùm ſi ea applicatio non ſit virtutis tranſeuntes operatiuæ, aut operantis, competere poſſet Angelo reſpectu ſpatij imaginarij æquè, ac reſpectu realis, & non minus, quàm vbi intrinſecum à nobis adſtructum, & immeritò negatum ab Sfortia, ne ſuperfluè entia addantur, & ne Ariſtoteli quid oppoſitum, aut parùm conforme aſſeratur. Immeritò, inquam, cùm ipſe addat applicationem diſtinctam realiter à re locata, & loco non magis à à Philoſopho expreſſam, quàm intrinſecum vbi; diſſidiúmque ſit merè de nomine, an appellanda vbi intrinſecum, nécne, eo quòd applicatio, & vnio ad locum, qui dici ſolet Vbi, non rectè vocetur vbi intrinſecum, ſicut vnio corporis cum colore nuncuparetur præpoſterè Color. Scio percrebuiſſe apud graues Philoſophos, & Theologos nomen intrinſeci Vbi, locique pro forma, qua res eſt in loco intrinſeco. Si Sfortiæ ingrata eſt hæc nomenclatura, vſurpet aliam vbitatis, aut vbicationis, aut quam ipſe maluerit. Nec contrarius eſt nobis Ariſtoteles dum lib. 4. Phyſicorum textu 45. docet, vltimam ſphæram non eſſe alicubi, dum lib. 5. textu 9. ait, motum ad vbi, eſſe motum ad locum, & dum lib. 8. textu 59. diſtinguit motum localem ab aliis motibus, quatenus per illum nihil adquirat mobile, ſecùs per hos. Nam vltimæ ſphæræ non denegat locum, & vbi intrinſecum, ſed extrinſecum; & motus ad vbi intrinſecum eſt identicè motus ad locum intrinſecum, ſicut & motus ad vbi extrinſecum eſt identicè motus ad locum extrinſecum; diuerſitas motus localis ab aliis motibus declarata iam eſt à me in ſect. 6. Exerc. 21. iuxta Ariſtotelis, ac S. Thomæ mentem, quin inde argui poſſit vel apparenter contra vbi intrinſecum. Cuius etſi Ariſtoteles in lib. 4. Phyſicorum, & in Prædicamentis cap. vltimo non fecerit tam claram mentionem, quàm quæ hodie frequens eſt apud Philoſophos, & Theologos, non idcirco ab Scholis eiici debet potiùs, quàm ad eas admitti applicatio inuenta ab Sfortia, & Ariſtotelis patrocinio nuſquam commendata.

77 P. Moncæus in ſelectis diſp. 1. c. 8. & ſequentibus, Meratius tract. de Deo diſp. 3. ſect. 4. tract. de Angelis diſp. 19. conueniunt etiam cum Vaſquio, niſi quòd præſentiam Angelicam ad locum realem non dicunt conſiſtere in forma eius conditionis, qualis à Vaſquio deſcribitur. Quare in reliquis ſeliquis ferendum eſt de Moncæo, & Meratio idem iudicium, ac de Vaſquio.

78 Alij Authores, quos vidi, docent, aut ſupponunt, Angelos non poſſe naturaliter, quantùm ex ſe eſt, non habere vbicationem aliquam, nec poſſe naturaliter non eſſe præſentes ſpatio ſaltem alicui imaginario, ſi exiſtant à parte rei, nam ad ſpatium præſentia videtur eſſe proprietas naturalis tam Spirituum creatorum, quàm corporum. Sed Sfortia lib. 2. de vniuerſa Theologia num. 14. ait, inconueniens eſſe inſtar materialium, quæ ſenſibus noſtris ſubiiciuntur, ſpiritualia metiri. Et quod caput eſt Angelicus Doctor in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. ad 4. etſi fateatur inimaginabile à nobis eſſe, entitatem aliquam exiſtere, & non in loco, quia imaginatio continuum non tranſcendit, tamen nón reputat abſurdum, quòd Angelus ſine loco poſſit eſſe. Loquitur S. Thomas de loco reali; ſed præbet anſam, vt quoad locum etiam imaginarium diſcurratur de Angelis diuerſimodè, ac concipimus, & imaginamur de corporibus. Prætereà ſi Angeli queunt naturaliter eſſe in loco non adæquato, ſeu non maximo, & quoad id inter ipſos, & corpora deficit ſimilitudo, coniectari hinc licebit, deficere etiam quoad abſtractionem ab omni loco, & vbiate.

79 Nihilominus authoritate magis, quàm conuincenti ratione ductus exiſtimo, Angelos, qui de facto ſunt producti, non poſſe naturaliter necubi exiſtere, ſed ex ſe exigere vbicationem, & definitionem in ſpatio aliquo. Authoritas eſt Patrum dictitantium, eſſentiam Angelorum eſſe circumſcriptam; & hoc loquendi modo non tantùm ſignificant, Angelos non eſſe immenſos, ſed etiam non eſſe abſtractos à loco, quin potius ſuapte natura definitos, & limitatos ad aliquem locum; ſicut cùm de Chriſti corpore pronuntiant, eſſe circumſcriptum, legitúrque in Concilio Lateranenſi ſub Martino 1. Canone 4. Excludunt vbiquitatem corporis Chriſti, & denotant exiſtentiam naturalem in loco certo, ac determinato. Rurſus, quantùm ad Angelos, & corpora, fauent non obſcurè Patres allegati num. 41. Hæc de Angelis, qui de facto ſunt creati à Deo. Nam in ſphæra poſſibilium continentur forſan aliqui, qui ſi conderentur, peterent exiſtere nuſquam, aut ſaltem eſſent indifferentes ſuopte genio, vt alicubi, vel nullibi manerent.

SECTIO VIII.

An Angeli beati, qui ſunt motores cæleſtium Sphærarum, habitent intra, vel infra Empyreum?

80 EOs intra Empyreum exiſtere, tenent P. Alarcon 1. p. tract. 6. de Angelis diſp. 7. cap. 2. n. 11. ne dicatur à cæleſti Empyrei patria exules perpetuò fore. Poſt multa autem in vtramque partem diſcuſſa concludit num. 17. Angelum motorem Solis v. g. non poſſe, ſi exiſtat in concauo Empyrei, imprimere impulſum Soli, quia in aliis orbibus mediis, non ſolùm non imprimit impulſum, ſed neque producit alium effectum. De impulſu conſtat, quia medij alij orbes habent ſuos Angelos, à quibus moueantur. Conſtat etiam de alio effectu, quia nullus diſtinctus ab impulſu, vel motu eſt producibilis ab Angelis in orbibus cæleſtibus. Quare cùm Angelus motor Solis nequeat exiſtens in Empyreo operari in diſtans, quin prius operetur in medio, & nihil ſit, quod operetur in medio, ſequitur, eum non exiſtere in Empyreo, ſed in Solis ſphæra.

81 Non facilè impugnaretur, qui vellet dicere, Angelum motorē orbis Solaris circumuoluere ipſum diſtantem producta in medio qualitate aliqua, quæ impulſiua ſit illius ſphæræ, non tamen aliarum. Sic ſuccinum trahit ad ſe paleam per qualitatem impulſiuam, magnes ferrū, & in acu nautica ipſum magnetem ſtella inter nauigandum obſeruari ſolita; Sol helyotropium, Luna mouet marinas aquas; quin tamen moueant intermedia corpora. Et communiter quidem ſupponitur, producere qualitatem impulſiuam, ſeu attractiuam in corporibus intermediis; etiam ſi ſolida ſint, vt de magnete mouente ferrum, immoto argento inter vtrumque medio, vti narrat

Digitized by Google

narrat S. Auguſtinus lib.21.de Ciuitate Dei cap.4. aſſeuerans ſe audiuiſſe à Coepiſcopo ſuo Seuero Mileuitano, cui,quaſi ipſe vidiſſet, credit,atque id ex multis experientiis confirmant Nicolaus Cabeus lib.4. Philoſophiæ Magneticæ cap.11. Guilielmus Gilbertus libr. 2. Phiſiologiæ nouæ de magnete cap. 16. Cæſius libr. 4. de Mineralibus parte 1. c.6. num.16. Getaldinus p.3. de Meteoris diffic.1. quæſt. 4.

82 Nihilominus cum ſphæra Saturni v.g. habeat diſpoſitiones æquè aptas ad motum, ac ſphæra Solis, arbitrariè diceretur, illam non moueri per qualitatem impulſiuam traductam per ipſam. Præterea perſuaſum cunctis eſt, Angelos rebelles, ſeu Dæmones eſſe præſentes energumenis, quorum linguas, & membra mouent. Si verò Angeli poſſent naturaliter mouere corpora diſtantia, immoto medio, perſuaſio illa firmo careret fundamento. Vt quid etiam Angeli irent de vno loco ad alium, vt notum eſt ex ſacra Pagina, ſi mouere poſſent naturali virtute corpora remota, quin proxima mouerent? Denique Angelos fixos eſſe ſphæris, quas rotant, frequens eſt ferè omnium conſenſus cum S.Thoma 1. p. quæſt. 52. art.2. in corp. S. Bonauentura in 2. diſt.2. art. & q.2. ad 2. Scoto ibidem q.3. v. *Præterea*. Suario lib.4. de Angelis c.3. n.3. c.31.n.12. Vaſquio tom.2. in 1.p. diſp.192. cap.3. Addunt Conimbricenſes lib 2. de cœlo cap.& q.5. art.4. v. *illud tamen*, ita eſſe affixos, vt interim, dum rerum ortus, & occaſus in inferiori mundo perſeuerant, diuelli ab eis citra miraculum non poſſint.

83 Si Angeli nequirent mouere corpora per impulſum, ſeu per impetum impreſſum ipſis ad modum proiectorum, ceſſaret omninò propoſita difficultas, cùm iuxta receptam Theologorum ex S.Damaſceno lib.2. de fide orthodoxa c.3. ſententiam, vt moueant immediatè corpora ad modum, quo ſe ipſos mouent, opus ſit approximatione ad illa. Sed opinione negante Angelis vim productiuam qualitatis impulſiuæ corporum non egemus in præſentiarum; imò ex dictis exarmatum manet præcipuum eius opinionis argumentum apud Suarium c.31. num.10. Nobiſque probabilius videtur Angelum poſſe mouere corpus,& Angelum alium per impulſum: ducimùrque tum exemplo hominum, qui talem impulſum poſſunt imprimere corporibus; tum quia ſiquidem Angelo competat productiua virtus motus localis in aliis: quid ni etiam virtus productiua qualitatis impulſiuæ ordinatæ primò,& per ſe ad efficiendum motum localem, & quaſi participantis virtutem motiuam: tum denique quia nobilitatem Angeli decet, vt queat immotus propellere corpus, aliùmve Angelum inferioris ordinis de vno loco in alium; ſic autem nequiret propellere, niſi per impetum impreſſum. Sed de hoc aliàs.

84 Inconueniens, quod obiiciebatur, nempe beatos Angelos motores orbium cæleſtium nunquam adeſſe Empyreo, conſiderabile non eſt. Etenim ex ſuis ſtationibus videbunt tam clarè diuinam eſſentiam, ac ſi commorarentur in Empyreo; & à die vniuerſalis Iudicij in illud ſe conferent. Vnde ſicut Angeli ordinariè habitantes in illo, mittuntur quandoque ad terras, vt ex diuinis Litteris ſcimus, traditùrque in Concilio Aquiſgranenſi 1. celebrato ad annum 816. c.132. quin beatitudinis diſpendium aliquod patiantur; & *quin internæ contemplationis gaudiis priuentur*, vti admonet S. Gregorius Magnus lib.2. Moralium c.3. & S.Bernardus ſerm.5. in Dedicatione Eccleſiæ, ita Angeli motores cœlorum aberunt ab Empyreo ſine vllo incommodo,& violentia.

85 Hîc obiter adnoto duo Patrum loca indigentia explicatione. Primus eſt Authoris quæſtionis ad Antiochum quæſt. 26. aientis, *Quomodò enim (cedo mihi) vna exiſtens B. Petri, aut Pauli anima poteſt in eodem momento apparere in ſuo monumento, & in mille templis ſuis per totum mundum. Hoc enim nec Angelus vnus facere poſſet aliquando. Solius enim Dei eſt in duobus locis, & per totum mundum in eodem momento inueniri; cùm & ipſæ intellectuales Virtutes omninò derelinquantur ab ea, quæ in cælis eſt, glorificatione, quatenus demittuntur in miniſterium ſuper terram.* Secundus eſt S.Zenonis Veronenſis in ſermone de ſomnio Iacob dicentis, *Angeli lucis nunquam in terris, ſed ſemper in cælis manſerunt.* Senſus primi eſt, Angelos, qui mittuntur in terram derelinqui à glorificatione quaſi extrinſeca, & accidentali conſiſtente in congruentia habitationis Empyreæ, & Curiæ cæleſtis, cuius tamen viſionem non intermittunt, vt admonet Angeſtus cap.4. Moralium. Secundi ſenſus eſt, Angelos lucis ordinariò manſiſſe in cœlis, & non in terris. Vel dici poteſt, S. Zenonem loqui de Angelis aſſiſtentibus, qui nunquam mittuntur extra cæleſtem Curiam, vt docet S.Thomas 1.part. quæſt.112.art.2. poſt S.Dionyſium Areopagitam in Hierarchia cœleſti cap.6.§.2. cap.7.§.2. fuſiúſque per totum c.13.& poſt S.Gregorium Magnum homilia 34. in Euangelia.

86 Tranſcurſim item animaduerto indigere ſpongiâ Claudium Sainctefium, cum repetitione 4. de Eucharistia cap.7. inquit, Angelos ex diſpenſatione diuina miſſos ad homines, permanere ſimul in cœlo, quatenus per miraculum vtrobique exiſtant definitiuè. Vnde à ſimili deducit aduerſus Hæreticos poſſe diuinitus idem corpus conſtitui definitiuè in duplici loco. Sed vt grauiter Facundus Hermianenſis pro defenſione trium Capitulorum Concilij Chalcedon.lib.6.c.1. *Suas habet [illegible]tiones veritas, non à mendacio mutuatas, quibus teſtimonio conſcientiæ non repugnet, & inuicta permanens aduerſariorum calumnias frangat, quas ſiquis inuenire non poteſt, tacere potiùs eligat, quam mentiri*, ſeu falſum adducere fundamentum contra Eccleſiæ Patres, de quibus in ſ.7. Exercit.10. Omnes namque conceptis verbis atteſtantur, Angelos venientes ad nos non perſeuerare de facto in cœlo, quicquid ſit, an diuinitus id fieri potuiſſet. Sacræ Litteræ ſat expreſsè diſceſſum Angelorum à cœlo proclamant quoties legantur ad mortales. Idque Theologorum ſcholis in diſputatione de loco, & motu Angelico conſtantiſſimum eſt. Inuiſe certamen 3. expoſitiuum Laureæ Salmantinæ Antonij Perez Benedictini c.9. à n.92. Vbi Chriſti apud Matthæum verba cap.18.v.10. quæ videntur prima fronte obſtare, ediſſerit quàm appoſitè. Inuiſe etiam Robertum Holkot in 2.q.4.principali 5.art.6.ad 7. Vbi orationem Eccleſiæ pro Miſſa de Angelis votiua, aduerſantem ſpecie tenus Patrum & Theologorum ſenſui daclarat ſat benè. Proxima animaduerſio deſeruit quoque aduerſus Hieronymum Columbum in Angelica, & Hnmana Hierarchia, lib. 2. c.57. n. 3. cap. 61. num. 11. quibus in locis aſſenſor eſt Sainctefio.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IX.

An aliquis ex Angelicis incolis ſit cuſtos Empyrei?

87 QVæſtio hæc per tranſennam tacta eſt à Suario lib.6.de Angelis cap.19.n.10. vbi decernit, Empyreum non habere Angelum cuſtodem, ſeu ſibi præpoſitum. Sed in contrarium hæc ſe offerunt argumenta. Primum; cœlis ſydereis præpoſiti ſunt cuſtodes Angeli: Ergo Empyreo ſuus cuſtos non deeſt. Secundum, Geneſ.3. Verſ.24. dicitur, Deum *collocaſſe ante paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Ergo ſimiliter par eſt, vt Empyreum habeat Angelum cuſtodem, qui ab eius ingreſſu arceat Dæmones. Tertium, pro Regnorum, & Prouinciarum cuſtodia ſunt deputati peculiares Angeli, vt ex Scriptura, & Patribus firmat præcitatus Doctor cap. 17. à n.22. Ergo veriſimile eſt, deputatum aliquem eſſe pro cuſtodia Regni cœleſtis. Quartum, Patres generaliter aſſerunt, rebus omnibus corporeis Angelos eſſe præfectos. Legantur apud Suarium ſuprà in 25.n. Quintum, Archangelus Michaël nuncupatur ab Eccleſia *Præpoſitus* Paradiſi, videlicet cœleſtis.

88 His non obſtantibus, ſtandum eſt iudicio eximij Doctoris. Primò, quia, cùm cœlum Empyreum non moueatur; & aliunde ſit incorruptibile, careat contrariis, & agat, quantùm potit, ſi præditũ ſit virtute operatiua, nihil eſt circa quod ſe occupet cuſtodia Angelica reſpectu Empyrei. Secundò, quia quando homo *ad terminum viæ peruenerit, iam non habebit Angelum cuſtodem, ſed habebit in regno Angelum conregnantem,* vt inquit S.Thom.1.p.q.113. art.4.in corpor.& vt S.Cypr.ſerm.de Aſcenſ. *Ceſſabunt de cætero conſummatis omnibus, miniſtratorij Angelicarum virtutum diſcurſus,* eo quòd tunc nulla erunt pericula, quæ arceat Angelus cuſtos. Ergo Empyreum, cùm nulli ſubiaceat periculo, nõ habebit Angelos cuſtodes, ſed incolas. Tertiò, poſt diem iudicij Angeli deſiſtent à cuſtodia cœlorum mobilium. Ergo modò eam non habent Empyrei, cum de facto non moueatur, neque appareat alia ratio, ob quam eius cuſtodia demandanda eſſet Angelis à Deo. Conſentit Suario, & nobis Hieronymus Columbus lib.2. de Angelica Hierarchia c.59.n.4.

89 Ad primum ex argumentis in contrarium reſpondeo, præpoſitos eſſe Angelos cœlis ſydereis ob motum; quo quidem caret Empyreũ. Ad ſecundum, locatum à Deo Cherubinum cum flammeo gladio ante paradiſũ, ne Adamus, & Eua auderent propiùs accedere: Dæmones autem arceri ab ipſo Deo, ne conſcendant Empyreum, ideóque opus non eſſe beatorum Angelorũ miniſterio. Ad tertiũ, Regnum cœleſte nullis eſſe expoſitum periculis, vt mundalia regna, & prouinciæ; illúdque proinde non poſtulare Angelos cuſtodes ad ſui conſeruationem, & indemnitatem. Ad quartum, Patres intelligendos tantùm eſſe de ſphæris cœleſtibus mobilibus, & mundo ſublunari. Ad quintum, S.Michaëlem vocari Præpoſitum Paradiſi ob eius poſt Deum ſupra omnes Angelos principatum, & præſidentiam in cœlo. Sic Bellarminus lib.1.de Romano Pontifice cap.9. Naueus in Chronico S. Michaëlis lib.5. cap.21. Nieremberg.c.6.de eiuſdem patronicio. Non hîc tacebo, perſonæ cuidam inſignis probitatis reuelatum fuiſſe cœlitus, quantùm humana fide credere nobis licet, *Paradiſi* Angelos vocari eos, qui in Empyrei quadã parte comitantur beatorũ animas infantium obeuntiũ ante vſum rationis ſuſcepta luſtrali aqua.

SECTIO X.

An Angeli beati commorantes in Empyreo operentur aliquid erga illud?

90 CVm ordinarius locus beatorum Angelorum ſit Empyreum, & à S. Thoma 1.part. q.52.art.1.dicatur, eos eſſe in loco corporeo *per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque,* inde quam plures Thomiſtæ ſumpſere occaſionem ad affirmandum, Angelos in Empyreum operari aliquid. Ferrarienſis lib.3.contra gentes cap.68. v.*conſiderandum tertiò,* ait: *Non oportet ſolicitari, qua operatione agat* Angelus *in cælum Empyreum, aut in aliquem alium locum, quod dicitur eſſe; quia ſicut nobis planè cognita non eſt natura Angelica, neque cæli Empyrei natura: ita neque nobis notæ ſunt omnes operationes, quibus poteſt aliquid in cælo Empyreo, & in corporibus operari.* Rurſus v.*ad primum reſpondetur,* ait: *Similiter de animabus, quæ ponuntur in cælo eſſe, dicendum eſt, quòd aliquid ibi operentur, quicquid illud ſit.* Dominicus Bañez in commentario ad art.illum 1.v. *Quapropter,* cenſet, Angelos eatenus operari in Empyreum, quatenus perficiunt virtutem, quam illud habet in inferiora, *vt efficaciùs attingat ſuum effectum, & fortaſſis, vt attingat aliquem effectum ſpecificum, ad quem non attingeret niſi vt inſtrumentum perfectum ab ipſis Angelis.* Capreolus in 2. diſt.2.q.1.art.3.ad 7. ſcribit, Angelos habere in Empyreum operationem prout hæc ſignificat *præſidentiam, vel vnitionem* ad illud. Subiungit poſtea, *Illa præſidentia non eſt influxus alicuius qualitatis, aut virtutis in cælum Empyreum, ſed dicit quandam nobilitationem, & exornationem corporis per ſpiritum.* Recentiores Thomiſtæ, vt Ioannes de S.Thoma, & Franciſcus de Araujo, iam hunc, iam illum ex præcitatis ſequuntur.

Eneruantur argumenta, quibus Thomiſtæ probant vniuerſim Angelorum in quouis loco exiſtentiam per operationem.

91 VT nos tamen ſequamur, neque authoritas Sancti Thomæ, neque argumentum vllum ſuadet. Non authoritas S. Thomæ, vt poſteà conſtabit in n. ſequenti, vbi Angelici Præceptoris mentem genuinè ediſſeremus. Non argumentum vllum: Nam ſi aliquod, maximè ex his tribus. Primum; ratio præſentiæ corporum ad locum eſt contactus quantitatis: Ergo & ratio præſentiæ Angelorum erit contactus virtutis ſiue exercitæ, ſiue applicatæ in actu primo. Secundum; ratio præſentiæ Dei ad entia creata eſt operatio, aut omnipotentia applicata: Ergo ſimiliter, &c. Tertium, Angelis debet conuenire talis ratio præſentiæ ad locum, vt pro ſuo libito poſſint ſe abſoluere ab omni loco; At niſi operatio, aut applicatio libera ſit ratio præſentiæ ad locum, non poterunt pro ſuo libito abſoluere ſe ab omni loco: ergo, &c.

92 Sed ad primum dicimus, rationem præſentiæ corporum ad locum etiam realem extrinſecum circumſcribentem non eſſe formaliter contactum quantitatiuum, ſed quandam habitudinem, ac ſitum corporum, & loci conſiſtentem in entitatibus ſuperadditis affigentibus corpora, & locum ſpatio, cui reſpondent. Hanc habitudinem, & ſitum ſemper, & neceſſariò concomitatur contactus quantitatiuus;

Digitized by Google

tatiuus; qui proinde eſt indicium præſentiæ corporum ad locum realem extrinſecum circumſcribentem ipſa. Ex hinc, ſeruata proportione inter corpora, & Angelos, ratio præſentiæ horum ad locum realem extrinſecum definientem ipſos non eſt contactus metaphoricus actiuæ virtutis, aut operationis; ſed eſt quædam habitudo Angelorum, & loci, conſiſtens in entitatibus affigentibus Angelos, & locum ſpatio, cui reſpondent. Et hãc habitudinem concomitatur, ſeu potiùs ſubſequitur quandóque contactus ille metaphoricus; non tamen ſemper, & neceſſariò: quapropter ſolummodò eſt indicium præſentiæ Angelicæ ad locum. Quia verò Angeli nequeunt aliter contingere prædictum locum, taliſque contactus eſt regulariter, imò ſemper apud nos indicium præſentiæ ipſorum: ideo S. Thomas poſt antiquiores quoſdam Patres apud Petauium tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 1. de Angelis c. 13. n. 8. per eum contactum explicuit cõgruenter rationem præſentiæ Angelorum in loco reali extrinſeco definiente. Sic S. Doctorem explicant multi ex Societatis Theologis, ac Philoſophis, & vltra noſtros, Franciſcus Piccolomineus cap. 30. de cœlorũ motoribus, Ludouic. Coronel lib. 4. Phyſic. perſcrutationum, folio ſeptuageſimoquinto, aliique complures. S. Iuſtinianus lib. de caſto connubio Verbi, & animæ c. 24. inquit, *Angelica natura datũ eſt, vt vno ſit tãtum in loco, ibique operetur, vbi eſt.* Sed aliud eſt, ibi operari, vbi exiſtit Angelus; aliud ibi exiſtere, & tantùm ibi, vbi operatur; quorũ prius, & non poſterius dicitur à S. Iuſtiniano, Patribúſque nonnullis, qui contra nos indiſcretè obiectantur.

93 Ad ſecundum reſpondetur, Deum eſſe in loco per eſſentiam, non ratione operationis, nec ratione omnipotentię, ſed immenſitatis; quę eſt attributum diſtinctum ab omnipotentia, conſiſtitque in Dei eſſentia, vt exigente coëxiſtere omni loco. Et aduertendum eſt, Deum etiam eſſe in rebus per potẽtiam, & præſentiam intentionalem, quatenus omnia poteſt, & in conſpectu habet. Sic proportione ſeruata Angelus eſt in prima ſphæra mobili v. g. tum per eſſentiam, tum per potentiam, tum per præſentiam intentionalem. Per eſſentiam, inquam, quatenus ſubſtantia Angelica habet adiunctam entitatem affixiuam ipſius ad ſpatium, cui coëxiſtit orientalis pars primæ ſphæræ mobilis. Per potentiam verò, quatenus poteſt mouere, & mouet actu ipſam. Per præſentiam denique intẽtionalem, quatenus ipſam cognoſcit. Quòd ſi alicui noua videatur diuiſio hęc exiſtentiarum in loco tranſlata ad ſubſtantias ſpirituales creatas, ſciat S. Thom. 3. p. q. 52. art. 2. in corpore adſtruere, poſſe eas alicubi eſſe tum per eſſentiam, tum per operationem, ſeu effectum: & primo modo Chriſti animam extitiſſe in Sinu Abrahæ; in Inferno autem damnatorum non niſi ſecũdo modo. Hinc ſi Thomiſtæ exiſtentiam Angelicam in loco per potentiam dicant conſiſtere in applicatione virtutis, aut in operatione; non renuam, dummodò exiſtentiam in loco per eſſentiam obtineam cum Ferdinando Velloſillo Epiſcopo Lucenſi in Aduertentiis ad 3. tom. S. Auguſt. quæſt. 9. conſiſtere in alia entitate diſtincta, cui non ſit neceſſariò concatenata operatio. Aduertendum deinde eſt, ſicut Angelorum operatio eſt apud nos indicium præſentiæ ipſorum, ibi, vbi exercetur operatio, quin huic formaliter competat, vt diximus, ratio præſentiæ, ita diſcurri oportere de operatione; & intelligere S. Thom. quãdo 1. p. q. 8. videtur ad operationẽ reuocare exiſtentiã Dei in loco, ſeu immenſitatem.

94 Ad tertium reſpondetur, Angelos poſſe quaſi diſſimulare, ſeu occultare nobis ſui præſentiam in loco, quia etſi ſeipſa deberent exiſtere in aliquo loco, ſuſpendere queunt operationem, per quam deueniendum à nobis erat in notitiam ſuæ præſentię. Rurſus reſpondetur, etiam ſi præſentia Angelica ad locum realem extrinſecum conſiſteret in alio, quàm in applicatione virtutis, aut operatione, fore, vt poſſent ſe ipſa Angeli, quantùm eſt ex ſe, abſoluere ſe naturaliter ab omni loco, niſi obſtaret ordo Vniuerſi: ex cuius ſuppoſitione contineri debent naturaliter intra limites ſupremæ ſphæræ, ac proinde alicubi eſſe intra mundum corporeum. Sic ſtabiliui in ſect. 6. ex S. Thoma. Et loquor de abſolutione à loco reali extrinſeco. Nam ab imaginario abſolui nequeunt naturaliter, ſpectata præciſè vel ipſorum natura; ita quidem vt exiſtant, quin alicubi exiſtãt. Imò multi cenſent, nec diuinitùs poſſe abſolui, vt viſum eſt in ſect. 7.

95 Age iam, & Ferrarienſem, Bañez, ac Capreolum ſigillatim impugnemus.

Reiicitur Ferrarienſis tribuens Angelis operationem erga Empyreum.

Contra Ferrarienſem ergo inſurgo primò; quia Angeli nihil tranſiens operantur in Empyreum. Si quid enim; maximè motum, aut lucem. Non motum, quandoquidem Angeli in primo inſtanti, quo ipſi extiterunt, & Empyreum, fuerint in hoc tanquam in loco, vt ſentit præfatus Author: eo autem primo inſtanti non potuit dari motus localis, debet namque ex communiori Philoſophorum placito fieri in tempore, & ſucceſſiuus eſſe. Præterà Empyreum ſemper eſt immotum omninò iuxta eum Authorem. Et licèt per nos aura regionis mediæ Empyreæ ſit mobilis, ridiculum planè eſſet, dicere, Angelos occupari in ea commouenda, dum intra eam ſunt. Si verò, vt poſſunt, ſe conſtituant intra tectum, vel pauimentum immobile eiuſdem Empyrei, quem motum, rogo, tunc efficient? Rurſus, non lucem, quia Theologi communiter docent, nihil præter motum, vel impulſum poſſe in corporibus produci ab Angelis. Pro quo Theologorum placito confirmando locuples eſt Suarez lib. 4. de Angelis cap. 26. Equidem non video, quo iure Thomiſtæ concedant Angelis potentiam immediatè productiuam lucis, & negent potentiam immediatè productiuam ſpecierum impreſſarum in intellectu humano, vel Angelico. Nam ſi Angeli poſſunt producere lucem potiùs, quàm calorem, aut colorem, quia lux eſt qualitas aliquatenus pertinens ad qualitates intentionales; poterunt multò meliùs producere ſpecies impreſſas, quæ verè, & propriè ſunt qualitates intentionales. Et ob eandem rem non video, cur Angeli penetrati cum corpore animato requirent ſimul cum corporis anima producere partialiter, penes Thomiſtas actus ſenſitiuos, & materiales; qui ſunt qualitates magis intentionales, quàm lux.

96 Inſuper nulla eſſet potentia in Angelis, cui productio lucis reſpondeat in Thomiſtarum ſententia. Neque enim reſpondebit intellectui; aut voluntati, aut potentiæ locomotiuæ: præter quas potentias nulla alia hactenus ab ipſis eſt aſſignata diſtincta à ſubſtantia Angelica. In primis non intellectui, tum quia huic neque in Deo, neque in nobis reſpondet operatio materialis, & tranſiens ad extra: tum quia omnis actus intellectus eſt intellectio, & actus immanens: quorum neutrum conuenit productioni lucis: tum quia ſi diſtinguitur realiter potentia intellectiua à volitiua in Angelis,

Digitized by Google

quia tam diuerſæ operationes, vt ſunt intellectio, & volitio, debent reſpondere diſtinctis potentiis; cùm magis diuerſæ ſint intellectio, & productio lucis, maiori de cauſa vendicabunt ſibi diſtinctas potentias. Deinde non voluntati ob eaſdem rationes: & quia alioqui ſicut voluntas valet tendere per amorem in obiecta toto cœlo, & terra diſtãtia, ita per productionem lucis valeret ferri in ſubiecta ſimiliter diſtantia, nihil producendo in medio. Addo, S. Thomam, vel qui eius ementitur perſonam in Poſtilla ſupra Geneſ. c. 1. v. 3. *putare, decipi illos, qui dicunt, quod Angeli cœlũ mouent ſolùm per actum intellectus, & affectus.* Ergo multò potiùs putaret, falli eos, qui aſſererent, fieri ab Angelis lucem ſola potentia intellectiua, & volitiua, actibúſque vtriuſque. Tandem non potentiæ locomotiuæ, vtpote cui alius effectus diſtinctus à motu, & impulſu reſpondere nequeat, ſi diſtinctio potentiarum intenta à Thomiſtis manſura ſit tecta, & ſarta in Agelis. Semel enim admiſſo, Angelos per eandem realiter facultatem poſſe mouere ſe, & alia localiter, producerèque lucem in corporibus; quid cauſæ erit, ne per eandem queant hæc omnia, & præterea efficere intellectionem, & amorem?

97 Dices cum Ioanne de S. Thoma, productionem lucis ab Angelis conuenientem eſſe pluribus locis Scripturæ, vt Math. 28. v. 3. Lucæ 2. v. 9. Actorum 12. v. 6. in quibus narratur, illuminata ſenſibiliter aliqua corpora ab Angelis. Sed contrà; quia ex eis locis, ſolùm conſtat, productam eſſe lucem in præſentia Angelorum; & quemadmodùm albedo, quę candicauit in veſtimento aſſumpto ab Angelo, Lucæ 2. v. 9. non fuit producta ab ipſo; ſic neque lux, qua facies aſſumpta reſplenduit, vt fulgur. In illis ergo euentibus produxit Deus lucem ad præſentiam Angelorum, vt & aliquando ſuauiſſimum odorem, de quo in hiſtoria S. Machatij Romani Noſter Mathęus Raderus pag. 79. Viridarij Sanctorum. Solent etiam Dæmones diſcedentes ab obſeſſis corporibus relinquere fœtidiſſimũ odorem, vt multis exemplis confirmat Petrus Thyræus c. 52. de Dæmoniacis; nec ideo odor dicetur effici ab ipſis Dæmonibus. Addes ex Thomaſio, Sathanam transfigurare ſe aliquando in Angelum lucis, vt dicitur 2. ad Cor. 11. v. 14. ea autem lux produci debet à Sathana per virtutem propriã naturalem, & non à ſolo Deo ad nutum illius, aut ab illo diuinitus eleuato. Cõtra tamen eſt, nam in primis Angelus bonus non ideo Lucis nuncupatur, quia hanc efficiat, ſed quia beatus, & glorioſus eſt, vel quia veritatẽ, iuſtitiam, pietatémque colit, ac ſuadet. Deinde Diaboli in Angelum lucis transfiguratio non eſt lucẽ producere, ſed ſub ſpecie boni Angeli decipere homines. Quòd ſi aliquando cum luce appareat, erit applicando actiua paſſiuis, aut igneum corpus aſſumendo.

98 Verùm permiſſa adhuc in Angelis potentia productiua lucis, hanc in Empyreo non producent. Etenim illud habet lucem ab intrinſeco, & in ſumma intẽtione naturali. Ergo ſicut Angeli nequeunt igni ſummè calido addere naturaliter vel vnũ gradum caloris ſupra octauum; ſic nequibunt addere naturaliter Empyreo ſummè lucido vel vnum gradum lucis ſupra octauum. Confirmatur ex Ioanne de S. Thoma in tr. de opere ſex dierum ad q. 66. v. *quòd autem*, vbi ait, conueniens fuiſſe, quòd *Empyrei perfectio, & ornatus non daretur illi ſucceſſiuè, & per motum, ſicut aliis corporibus, ſed in primo inſtanti ſuam perfectionem habuiſſe; ſicut etiam Angeli in tota ſua perfectione creati ſunt.* Ergo cùm Angeli miſſi in terram redeunt poſtliminio ad Empyreum, nullus iſti accreſcit lucis ornatus, & perfectio.

99 Si ob hæc fatearis, fieri ab Angelis in Empyreo, non quidem lucem, ſed aliam occultam qualitatem; & fieri non per virtutẽ naturalem ipſorum, ſed per obedientialem eleuatam à Deo. Contra; quia occultam illam qualitatem vix liberabis commentitię notâ: & actio miraculosè productiua talis qualitatis poſſet eam producere in paſſo diſtanti: Cùm tamen Angeli nequeant exiſtere vt in loco in re diſtanti. Et præterea iam Angeli non poſſent naturaliter exiſtere in Empyreo; ſiquidem non poſſent exiſtere niſi eleuati diuinitus ad cauſandam occultam qualitatem, quam gratis excogitas. Quòd ſi Alenſis impugnatur communiter, dum tradit 2. p. ſummę Theologicæ q. 32. memb. 1. Angelorum pręſentiam ad locum conſiſtere formaliter in quodam modo à Deo indito, qui non ſit in poteſtate naturali Angelicæ voluntatis; potiori, vel æquo iure impugnanda eſt exiſtentia Angelorum in Empyreo per ſupernaturalẽ productionẽ qualitatis occultæ; quæ diuinatoria eſt, iudice Peſantio 1. p. q. 52. art. 1. D. 2.

100 Inſurgo ſecundò contra Ferrarienſ. quia animæ ſeparatæ à corporibus nullam tranſeuntẽ actionem poſſunt naturaliter exercere, nec mouere alia corpora, vt docet S. Thom. 1. p. q 117. art. 4. Et tamen ſunt in loco, aliæ nimirùm in Empyreo, aliæ in Purgatorio, *&c.* Ergo quemadmodum illæ nihil operantur in Empyreum, ſic neque Angeli. Confirmatur; anima Chriſti Domini in triduo ſeparationis à corpore deſcendit ad Inferos, fuitque in Sinu Patrum vt in loco, quin tamen in eum ſit aliquid materiale operata. Agitauit ne aërem, vel corpus aliquod illius loci? Et quamuis probabile ſit, quod cum S. Thoma, & Richardo Mediauillano tradunt Capreol. in 3. diſt 21. & 22. art. 3 ad 1. Durandi contra 3. concluſ. Richard. Pampolitanus in expoſitione Symboli Apoſtolorum, Syluester in Roſa aurea tr. 2. in die Paſchæ Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 43. ſect. 2. ſcilicet ad præſentiam animæ Chriſti illuminatum ſenſibiliter Sinum Abrahæ; tamen vel ea lux non fuit producta niſi à ſolo Deo, vel ſi ſimul ab anima Chriſti per potentiam obedientialem, durũ videtur dicere, id fuiſſe neceſſariũ, vt anima Chriſti exiſteret in Sinu Abrahæ tanquã in loco, neque id vllo modo dicitur à S. Thoma, qui in 3. diſt. 22. q. & art. 2. quæſtiuncula 1. ſolùm ait, congruum fuiſſe, vt ſicut Chriſtus oſtenſione ſuæ deitatis expulit interiores tenebras, ita exteriores oſtenſione ſuæ humanitatis expelleret ab Abrahæ Sinu. Simile argumentum efformari poteſt de paruulorum animabus reſidentibus nunc in Limbo, & de animabus SS. Patrum exiſtentibus in Sinu Abrahæ, vſquedum Chriſtus inde extraxit; nam neque motum, neque quidquam aliud materiale cauſant, aut cauſarunt in eis locis.

101 Vlteriùs, animæ exiſtentes in Purgatorio, aut in Inferno, nequaquam mouent, aut accendunt ignem, aut gradum aliquem caloris in ipſo producunt; quia ſecundùm S. Thomam virtute naturali carent ad hæc omnia. Et licèt cõtenderetur, non carere virtute locomotiua ignis, diceretur ſine fundamento occupari continuò in motione ignis: præſertim cùm exiſtentia animarum ibi non ordinetur ad hoc, vt moueãt ignem; ſed vt ab eo patiãtur. Ex quo etiam cõuincitur, non eleuari diuinitùs ad operandum aliquid in Purgatorio, aut in Inferno. Rogo namque, an eleuatio talis diuina, & miraculoſa ſit, vel non ſit neceſſaria ad ſaluandum dogma de exiſtentia animarum in Purgatorio, aut in Inferno? Si ſit neceſſaria, ſequitur præſentiam animarum ibi eſſe miraculoſam, ac ſupernaturalem, &

fore

Digitized by Google

fore etiam in quouis alio loco reali extrinſeco, ſi in quouis alio animæ nequeant naturaliter operari ad extra. Vnde relictæ ſuis naturis nullibi loci realis extrinſeci exiſtent, ſuppoſito adhuc Vniuerſi ordine; quod eſt contra S. Thomam. Si non ſit neceſſaria, cur ad eam recurritur ſine ſacræ Scripturæ, aut Patrum authoritate?

102 Ob has rationes Ioannes de Neapoli Dominicanus, & ſuppar S. Thomæ ſcripſit q. 22. ex variis punct. 4. pag. 195. *Angelus, & anima etiam ſeparata ſecundum eſſentiam ſuam, etiam ſi non operentur, poſſunt eſſe in loco: modus tamen, quo ſunt in loco, eſt nobis ignotus. Et hoc videtur neceſſarium dicere ſecundum fidem propter animas puerorum non baptizatorum, & Patrum antiquorum, qui dicuntur eſſe, & fuiſſe in Limbo; vnde nec patiebantur pœnam ſenſus ab aliquo corpore, neque etiam agebant in aliquod corpus.* Hactenus præluſtris Theologus, qui ibi citat Angelicum Doctorem in 4. diſt. 45. q. & art. 1. ad 1. Verùm Archiepiſcopus Hiſpalenſis Deza in 4. ſentent. diſt. 44. q. 4. art. 3. notabili 5. coactus eadem ratione fatetur, *Supernaturali, & virtute diuina, animas, & ſubſtantias ſpirituales poſſe eſſe in loco, non per operationem.* Dominicus Sotus in 4. Phyſic. q. & art. 2. concedit, non eſſe neceſſariam operationem vllam, quando ſubſtantia ſpiritualis creata inuitè ponitur in loco, vt anima in Inferno; neque item quando ponitur ex mera voluntate diuina, vt Angeli in locis, in quibus primò creati ſunt: imò neque quando ponitur ex propria etiam voluntate, aliud, quàm hanc ordinatam ad cuſtodiam, aut præſidentiam, aſſiſtentiámve in loco, requirit Sotus.

103 Sed ad Ferrarienſem reuertor. Admittens ex abundanti, animas ſiue naturaliter, ſiue obedientialiter operari ad dextra in Purgatorio, aut in Inno. Et iam ſic argumentor: Ignis operatur in ſtupam, cui vt loco non eſt intimè præſens, & vnus homo mouet alium hominem, quin mouens ſit in loco moti. Ergo etſi animæ in igne Purgatorij producant aliquam qualitatem, vel moueant ipſum ignem, non ideo fiet, eſſe intimè præſentes parti ignis, in qua operentur qualitatem illam, vel motum. Argumentor iterùm; Ignis poteſt operari in diſtans, dummodò operetur aliquid in medio; & homo poteſt mouere corpus diſtans, ſi moueat corpus interiacens; imò ignis poteſt producere calorem in ſubiecto diſtanti, quin producat in proximo, ſi in hoc ſit antecedenter productus. Ergo ſi animæ efficiant motum, vel aliquid aliud in igne Purgatorij, poterunt etiam efficere in diſtãs, ac proinde quin ſint præſentes parti ignis, in qua efficiant. Argumẽtor rurſus: Agentis ad paſſum, & motoris ad rem motam approximatio eſt conditio pro priori prærequiſita ad agendum, & ad mouendum. Ergo quantumuis animæ agant aliquid in igne Purgatorij, vel illum moueant, non conſiſtet præſentia ad illum in operatione, vel motu, ſed in alio, quod pro priori naturæ præcedat operationem, vel motum. Antecedens continet regulam agentibus, & motoribus materialibus communem in ſententia Thomiſtarum; à qua regula non eſt, cur excipiantur agentia, & motores ſpirituales creati; quin potiùs Thomiſtæ aliqua ratione extendunt ad ſpiritualem increatum quatenus aiunt, præſentiam Dei in omnibus rebus probari manifeſtè à poſteriori ex eius operatione, licèt pro priori ſigno inſtantis realis in quo creatus eſt à Deo Angelus non præextiterit huic vt approximatus, ſed vt immenſus, ideſt, vt exigens eſſe intimè præſens pro poſteriori ſigno, in quo Angelus exiſtat productus. Argumentor poſtremò; Operatio per quam animæ agant in quantitate bipalmari ignis Purgatorij, non eſt affixa eſſentialiter ſpatio, in quo exiſtit ea quantitas. Vnde ſi ad aliud ſpatium transferantur animæ, & ea quantitas, poterit permanere eadem operatio. Ergo hæc nequit eſſe ratio, per quam animæ reſpondeant, & alligantur accidentaliter vni potiùs ſpatio, quàm alteri; & propterea ipſa ſola non poterit eſſe ratio præſentiæ animarum ad ſpatium. Quod ſi operatio per aliquid ſuperadditum reddatur præſens vni potiùs ſpatio, quàm alteri; cum illud non poſſit eſſe alia operatio, ne ſequatur infinitus operationũ proceſſus, erit vbicatio propria, vel cõmunis ipſi, & animabus. Quamobrẽ operatio animarũ in loco reali extrinſeco nõ adimet neceſſitatẽ vbicationis, & præſentiæ diſtinctę ad ſpatiũ tam in operatione, quàm in animabus.

104 Quatuor his argumentis impugnandus eſſet, qui ſuperioribus aliis conuictus confugeret ad paſſionem animarum ab igne pro ipſarum in Purgatorio, aut in Inferno exiſtentia: retinent namque eandem vim in paſſione, ac in actione. Habemus in promptu alia. Primum: exiſtentia animarum, quæ fuerunt in Sinu Abrahæ, & earum, quæ modò ſunt in Limbo, non conſiſtit in paſſione ab igne. Ergo neque in hac paſſione conſiſtet exiſtentia animarum incolentium Purgatorium, aut Infernum. Cur enim tam diſſimiles rationes præſentiarum ad loca competent animabus? Secundum, Paſſio phyſica animarum ab igne, dum corpus non informant, miraculoſa eſt, & ſupernaturalis. Ergo præſentia ipſarum ad Purgatorij, aut Inferni ignem conſiſtens in tali paſſione, erit etiam miraculoſa, & ſupernaturalis; quod ſupra eſt reiectum, & abſurdi ſpeciem videtur præ ſe ferre. Tertium, animæ, cum ex diſpenſatione diuina exeunt ad tempus è Purgatorio, vt ad nos deueniant, patiuntur ab igne, non minus quàm anteà, & quàm dum illuc redeunt, vt cum Beda, & Gloſſa ordinaria in cap. 3. epiſtolæ Iacobi, cum S. Thoma 1. p. q. 64. art. 4. ad 3. & in additionibus ad 3. p. q. 70. art. 3. ad 8. docent Theologi. Aſt tunc non ſunt in igne tanquam in loco, neque enim circumferunt ſecum ignem, vt Albert. in 2. diſt. 6. art. 7. Ioannes Baptiſta Folengius in 2. Petri 2. Anton. Ruſc. l. 2. de Inferno, & de ſtatu Dæmonũ ante mundi exitium c. 4. l. 5. c. 29. & Malon. in 2. diſt. 6. diſp. 19 diſp. 20. ſect. 2. dixerunt, aliiq; apud Angeſtum c. 4. Moralium, & apud Suarium lib. 8. de Angelis c. 16. n. 35. vbi cum Ægid. Romano, & Thoma Argentinenſi eos refutat. Ergo eſſe in igne Purgatorij, & in loco cõſiſtit in aliquo alio præter paſſionẽ ab igne. Præterea ſi in aëre noſtro exiſtũt ad tẽpus vt in loco, quin patiãtur ab aëre, non enim diſpenſat Deus in recluſione Purgatorij, vt augeatur pæna ſenſus. Ergo exiſtentia animarum in loco, non requirit neceſſariò paſſionẽ prouenientem ex ipſo. Quartum; Animarum paſſio ab igne Purgatorij non eſt æqualis in omnibus animabus ibi exiſtentibus: nam aliæ aliis intenſiùs cruciantur: & in eadẽ anima probabile eſt poſſe paulatim decreſcere, per Eccleſiæ præſertim ſuffragia, intenſionem paſſionis ab igne, vt ſentit Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 4. n. 8. Et tamen præſentia ad ignem Purgatorij æqualis eſt in omnibus animabus ibi exiſtentibus; & in eadem anima, dum ibi exiſtit non decreſcit præſentia. Ergo hæc diſtincta prorſus eſt à paſſione. Quintum: Probabile eſt, Chriſti animam deſcendiſſe non ſolùm ad ſinum Abrahæ, ſed etiam ad Purgatorium; imò & ad Infernum damnatorum. Sed ſanctiſſimæ animæ præſentia in Purgatorio, & in Inferno nihil habuit de paſſione ab igne. Ergo etſi animæ

Digitized by Google

animæ aliæ patiantur ibi ab igne, ipſarum tamen præſentia in alio diſtincto conſiſtet. Sextum; ex opinione S. Thomæ proximè citati & alibi ſæpè, ignis Purgatorij, aut Inferni, nihil materiale cauſat in animabus ſeparatis; & pauci ſunt, qui dicant, cauſare ex eleuatione diuina in ipſis vel calorem, vel actum aliquem intentionalem materialem. Ergo ſi quid phyſicum cauſet, quod ab extrinſeco adueniens recipiatur in eis, erit ſpirituale: & paſſio, per quam recipiatur, erit etiam ſpiritualis. Iam verò videat, qui ad paſſionem confugit, quàm voluntariè & ſine conuenientia inter præſentias dicat, animarum in ſinu Abrahæ, aut in Limbo, aut in Empyreo, & Angelorum in hoc vltimo loco præſentiam conſiſtere, ſiue in operatione, ſiue in motu materiali, & animarum aut in Purgatorio, aut in Inferno, & Angelorum in hoc vltimo loco præſentiam non conſiſtere niſi in paſſione, eáq; ſpirituali.

105 Sed euoluamus paulò diligentiùs ſententiam S. Thomæ circa cruciatum Angelorum, & animarum ab igne, vt inde accipiamus non ignobile telum. Angelicus Doctor explicat eum cruciatum per neceſſariam, & violentam alligationem ad ignem contra voluntatem, & inclinationem, poteſtatémque naturæ ſpiritualis, quæ hoc ex ſe habet, vt liberè migrare poſſit quocumque voluerit, quin ab vllo corpore prohibeatur. Hæc alligatio dupliciter poteſt intelligi. Primò ita, vt à ſolo Deo efficiatur, & ex eius neceſſaria apprehenſione ſequatur dolor in voluntate, ſeu vehementiſſima triſtitia de tanto malo. Poteſt ſecundò ita intelligi, vt efficiatur etiam ab igne diuinitus eleuato; & aliqui Interpretes Doctoris Angelici addunt, effici iuxta ipſum ab igne tum alligationem, tum apprehenſionem, & triſtitiam, hos tamen actus ſimul cum intellectu, & voluntate Angelorum, & animarum. Si primo modo intelligatur, apparet ſatis perſpicuè nihil ſpirituale deriuari ab igne in Angelos, & animas; & proinde præſentiam ad ignem non conſiſtere in paſſione aliqua ſpirituali, quæ ex ipſo proueniat. Si ſecundo modo intelligatur, obtinemus intentum; nam quid aliud erit, fieri alligationem ab igne, quàm fieri in Angelis, & animabus vbicationem, ratione cuius affigantur ſpatio, cui ignis eſt præſens? Productio autem, vel conſeruatio eius vbicationis orta ab igne, quin locatis liberum ſit eam impedire, ſupponit in illis poteſtatem exiſtendi in loco corporeo per ſimilem vbicationem, & addit, quòd in tali loco fiat, vel conſeruetur ea vbicatio ab igne. Et caue, ne hoc pacto declares exiſtentiam animarum in Empyreo; ſiquidem, vt dixit neſcio quis apud Stobæum ſerm. 117. *Nihil vbi naturaliter verſari ſolet, vi, aut vinculis ibi retineri opus habet.* Vnde ab eo cœlo nullam vim patientur beatæ animæ, & multo minus ab Abrahæ ſinu anima Chriſti, dum ibi extitit.

106 Inſurgo tertiò contra Ferrarienſem, quia Angeli poſſunt naturaliter, quantùm ex ſe eſt, & ſaltem poſſunt diuinitùs exiſtere in vacuo, aut ſuprà conuexam Empyrei ſuperficiem. Aſt tunc nullam exercerent operationem circa vacuum, aut circa ſpatium imaginarium, quod eſt vltra ſuperficiem conuexam Empyrei. Ergo tunc formalis ratio præſentiæ Angelicæ ad ſpatium non conſiſteret in operatione. Ergo neque modò conſiſtet in ea ratio formalis præſentiæ Angelicæ ad locum corporeum Empyrei. Sic quia præſentia corporum ad ſpatium non conſiſtit in operatione, hæc nequaquam requiritur quando duo corpora diuinitus penetrata reſpondent eidem ſpatio, ad modum, quo eidem reſpondent Empyreum, & Angeli in ipſo locati, cum hoc tamen diſcrimine, quòd duo corpora nequeant naturaliter ſimul reſpondere eidem ſpatio, ſecùs Empyreum, & Angeli; qui licèt aliquando operentur in loco corporeo, cuius ſpatio reſpondent, id per accidens eſt ad rationem præſentiæ, vti per accidens eſſet ad rationem præſentiæ corporis vnius penetrati cum alio, ſi vnū in alio operaretur.

107 Confirmatur; ſi à Deo deſtrueretur Empyreum immotis Angelis, hi conſeruarent naturaliter eandem præſentiam, ſeu vbicationem intrinſecam, quam anteà habebant, non tamen eandem operationem, quam in Empyreum permitto habuiſſe. E conuerſo ſi Deus ad motum Angelorum versùs partem ſuperiorem, moueret ſurſum Empyreum, tunc Angeli conſeruarent eandem operationem erga Empyreum, non tamen eandem præſentiam, ſeu vbicationem intrinſecam, quippe non retinerent eandem diſtantiam, vel indiſtantiam ab aliquo puncto fixo, à centro, exempli cauſa, terræ; & alioqui præſentia, ſeu vbicatio intrinſeca Angelica eſſet mobilis, transferibiliſque de ſpatio ad ſpatium: aut alioqui Empyreum retineret eandem præſentiam, ſeu vbicationem intrinſecam; quod eſt apertè falſum, quandoquidem moueretur ſurſum, & quandoquidem deberet affici aliquo de nouo, ratione cuius eſſet remotius à centro terræ; illud autem nouiter habitum non poteſt eſſe aliud, quàm noua præſentia & vbicatio intrinſeca.

108 Confirmatur rurſus, ſtante immoto Angelo, & permanente eadem præſentia, ac vbicatione intrinſeca in loco corporeo, poteſt variari operatio Angelica erga illum. Nam etſi Angelus motor ſphæræ Solaris ſit in ea, vt in loco, moueatúrque ſucceſſiuè ſphæra Solaris, & modò ſecundùm vnam partem reſpondeat Angelo, modò ſecundùm aliam, adhuc ille permanet immotus, & adhuc perſeuerat eadem præſentia, vbicatióque intrinſeca, & quaſi ſitus, vt cum Philoſopho tradit S.Thom. 1. p. q. 51. art. 3. ad 3. & vt perſuadet ipſa ratio, eo quòd Angelus non acquirat, neque deperdat ſpatium de nouo. Ergo præſentia, vbicatióque intrinſeca Angeli ad ſphæram Solarem non conſiſtit in motu, quo illam mouet, ſeu in operatione erga illam, ſed in alia entitate diſtincta.

109. Confirmatur vlteriùs, quia Angelus eleuatus à Deo ſupra ambitum Empyrei, poſſet habere definitiuam diſtantiā ab alio Angelo ſimiliter eleuato, & poſſet eſſe intimè præſens Raphaëli v.g. diſtanſq; à Michaële abſque vlla operatione, aut motu facto, vel in ſpatio imaginario, vel in Raphaële: poſſet etiā mouere ſe localiter, quin aliquid ageret in prædicto ſpatio. Quæ omnia ſine vbicatione intrinſeca in Angelo intelligi nequeunt, vti ſine ea intelligi non valent in corpore glorificato, quod à Deo eleuaretur ſupra ambitum eiuſdem Empyrei. Quo caſu (vt obiter notetur) vbicatio corporis illius non conſiſteret in contactu quantitatis, neque illum requireret: & nunc quamuis meum corpus mutet contactū quantitatis ſuccedentibus variis ſuperficiebus aëris, non ideò debeo mutare vbicationem, poſſum namque ipſe manere immotus. Sed hoc relicto, redeo ad Angelos. Et ſimile quidem argumentum efformare licet in euentu, quo Deus deſtrueret, vt poteſt, Empyreum perſeuerātibus Angelis in ſpatiis diuerſis, in quibus modò intra ipſum ſunt; nam tunc diſtaret vnus ab alio non minus, quàm modò, & inter vtrumq; ſic diſtantem poſſet interiici aliqua entitas ſpiritualis, vel corporea, duóque illi Angeli mouendo ſe ſe, poſſent fieri magis, aut minus diſtantes.

110 Occaſio

Digitized by Google

110 Occaſione arrepta ex motu Angelico locali progredior ad aliud argumenti genus. Nam ſi quies Angeli in loco reali extrinſeco conſiſteret in operatione circa illum, motus etiam localis per illum conſiſteret æquè in operatione: & ſic conſequenter fatentur aduerſarij. Id tamen eſſe falſum, oſtendo primò, quia alioqui ſeparatæ animæ non poſſent naturaliter mouere ſe localiter per Vniuerſum, cùm penes S. Thomam nequeant naturaliter habere operationem aliquam ſucceſſiuam, & interruptam erga locum extrinſecum realem; & quia alioqui neque ipſæ, neque Angeli poſſent adhuc diuinitus exercere potentiam ſuam locomotiuam vel in vacuo, vel in ſpatiis vltra Empyreum, vtpote eſſentialiter incapacibus recipiendi aliquid in ſe; ſunt enim purum nihil. Secundò, quia localis motus corporum in reali loco extrinſeco ſaluatur optimè abſque operatione, quam à corporibus cauſatam recipiat in ſe ipſe locus. Ergo idem dicendum eſt de locali motu ſpirituum, qui id ſolùm peculiare debent habere, vt in ſpatiis pertranſitis penetrentur naturaliter cum corporibus extenſis per ea ſpatia. Tertiò, quia quando Angelus mouetur ex ſua ſede Empyrea versùs terram, conſurgunt nouæ denominationes reales minoris, & minoris diſtantiæ inter ipſum, & terræ immotum centrum. Ergo debent præſupponere intrinſecam rei alicuius in Vniuerſo mutationem. Non in centro terræ, vt patet; Ergo in ipſo Angelo.

111 Si reſpondeas, mutationem intrinſecam fieri in corporibus pertranſitis, ſeu penetratis ab Angelo. Contra, tum quia ad hanc mutationem recurrendi præoccupatum eſt iter, quando Angelus longiſſimè exiſtens ſupra Empyreum inciperet moueri per ſpatia imaginaria versùs terram, & quando prætergreſſo Empyreo perueniret ad aliquod ſpatium vacuum corporibus ex diuina diſpoſitione. Tum quia nouæ illæ reales denominationes non competerent Empyreo, per quod moueretur Angelus, non enim hic traheret ſecum tale cœlum. Ergo etſi in eo aliquid operaretur, non ſufficeret iſta mutatio, vt conſurgerent illæ denominationes minoris, ac minoris diſtantiæ à centro terræ. Quapropter, cùm illæ denominationes competant Angelo, & intrinſecæ ſint, opus eſt vt in ipſo fiat aliqua mutatio intrinſeca. Suppono illas denominationes eſſe intrinſecas, nam ſi diceres eſſe omnino extrinſecas Angelo, non video, quo iure in Angelo, aut in alia re creata admitteres de cætero aliquam denominationem intrinſecam. Tum denique, quia in ſuperiori caſu Angelus verè ac realiter moueretur: ergo verè, ac realiter mutaretur: ergo verè, ac realiter haberet ſe aliter intrinſecè in ſe ipſo; atque ideò non ſufficeret mutatio facta in corporibus, quæ peruaderet. Probatur ſecunda conſequentia; nam prima liquet; cùm motus localis verus, ac realis ſit ſpecies mutationis veræ, ac realis. Probatur, inquam, ſecunda; quia niſi realis, & vera mutatio rei alicuius importet in ſuo conceptu eſſentiali quòd res verè, & realiter habeat ſe aliter intrinſecè in ſe ipſa, quænam cauſa ſupererit, vt dicamus, Verbum diuinum non eſſe mutatum verè, & realiter per aſſumptionem humanitatis, non obſtante mutatione intrinſeca, quæ in hac eſt facta per vnionem hypoſtaticam? Et quidem Verbum diuinum non eſſe mutatum verè, ac realiter per aſſumptionem humanitatis, tam certum eſt, quàm eſt certum non amiſiſſe Deitatē, aſſumēdo humanitatem.

112 Inſurgo quartò contra Ferrarienſem, quia intellectus Angelicus v. gr. ſpecies ipſi impreſſæ, & actus, quibus ornatur, exiſtunt in loco reali extrinſeco, & nō per operationem, aut motum, quem erga locum realem extrinſecum exerceant. Ergo & ſubſtantia Angelica poterit exiſtere in loco reali extrinſeco abſque operatione vlla, aut motu erga eum exercito. Dices, intellectum Angelicum, & reliqua enumerata in antecedenti exiſtere in loco per id ipſum, per quod exiſtit ſubſtantia Angelica, & proinde ſatis eſſe operationem, aut motum exercitum à potentia Angelica executiuè ad extra, quin neceſſe ſit, vt in loco exiſtant, addere operationem, aut motum prouenientem ab illis aliis entitatibus. Sic corpus, & omnia, quæ ſunt in ipſo conſtituuntur in loco per vbicationem propriam ſolius quantitatis. Fateor argumentationis vim eleuari appoſito exemplo, ſi verum eſſet. Sed quia illud eſt falſum, vt cenſeo cum Patribus Suario diſp. 51. Metap. ſect. 5. Hurt. diſp. 14. Phyſic. ſect. 4. multiſque aliis, ideò argumentationem hanc nolui omittere.

Refutantur alij Thomiſtæ, qui dicunt, Angelos habere applicatam actiuam ſuam virtutem erga Empyreum.

113 Ex iis, quæ tam copioſè expendi contra præfatum Authorem, aperitur via ad impugnandos alios, qui cùm negent, Angelos operari tranſeunter erga Empyreum, aiunt tamen, habere erga illud applicatam ſuam virtutem actiuam tranſeunter; & in ea applicatione virtutis in actu primo conſiſtere rationem formalem præſentiæ Angelicæ ad Empyreum. Sed impugnandi ſunt primò ex dictis, quia fruſtranea eſt applicatio virtutis, cuius exercitium eſt impoſſibile. Quare ſi Angeli nullam habere poſſunt operationem erga Empyreum, nullam habebunt virtutem actiuam, quam in actu primo applicent erga illud. Secundò, quia Angeli nequeunt applicare actiuam ſuam virtutem erga vacuum, aut erga ſpatium imaginarium ſupra Empyreum. Et nihilominus poſſunt habere in Vacuo, aut in ſpatio imaginario ſupra Empyreum rationem formalem præſentiæ. Tertiò, vnus homo poteſt applicare actiuā ſuam virtutē ad operandum in alio homine non minùs, quā Angelus ad operandum in corpore. Et tamen homo non cenſebitur eſſe in alio homine vt in loco per applicationem illam præciſè: ergo ſimiliter cenſendum eſt de Angelo.

114 Quartò, ſi Angelus exiſteret in corpore vt in loco, ad quod habet applicatam liberè ſuam virtutem actiuam, ſequeretur exiſtere vt in loco in omnibus illis corporibus, ad quæ poteſt ſimul applicare ſuam virtutem actiuam. Hæc autem conſequutio eſt abſurdiſſima; fieret enim vt Sol exiſteret tanquam in loco in omnibus corporibus, ad quæ habet applicatam neceſſariò virtutem ſuam actiuam pro lucis effectione: fieret etiam, vt Angelus exiſteret tanquam in loco in omnibus corporibus, diſtantibus à ſe, ſiquidem erga ipſa poſſet operari agendo per corpora intermedia, vel ſimili operatione ſuppoſita in corporibus intermediis. Quintò, quia vt cauſa creata, ſit applicata in actu primo ad operandum tranſeunter in paſſo, non requiritur intima præſentia cum paſſo, ſed ſatis eſt approximatio, & vicinitas ad ſpatium paſſi; quod à cauſa corporea non ſemper debet contingi immediatè, vt iam dixi: ergo ex applicatione Angeli ad operandum tranſeunter in Empyreo, non ſequitur, illum eſſe intimè præſentem ad ſpatium occupatum ab hoc. Sextò in cauſis creatis corporeis applicatio ad agendum in paſſo importat, ſeu potiùs præſuppo

Digitized by Google

præſupponit intrinſecas ipſis vbicationes ſimultaneas, ratione quarum reſpondeant eidem ſpatio, ſi diuinitus penetrentur, vel diuerſis, ſi non penetrentur. Loquor de cauſis creatis corporeis comparatis ad paſſum extraneum corporeum. Nulla autem apparet ratio, ob quam neceſſe ſit, aliter diſcurrere in applicatione Angeli ad operandum erga Empyreum, etiamſi erga hoc cœlum poſſit operari.

115 Adde, prædictam applicationem debere conſiſtere in aliqua entitate, quæ nouiter adueniat Angelo, cùm non conſiſtat in ſola entitate Angeli, neque in ſola entitate Empyrei; neque item in ſimultanea vtriuſque coexiſtentia: quippe hæc omnia poſſunt ſeorſim, & ſimul exiſtere in rerum natura, quin detur ea applicatio quæ in Angelo non eſt pura denominatio extrinſeca: Ergo, vt in Angelo conſurgat, opus eſt nouo aduentu alicuius entitatis, quæ ipſi intrinſeca ſit. Dicere verò illam entitatem eſſe volitionem, qua Angelus velit agere erga Empyreum, quid aliud eſt, quàm recurrere ad operationem, quæ ſit formalis ratio præſentiæ Angelicæ ad Empyreum? Vnde Doctor ſubtilis in Reportatis ſuper 2. diſt. & q. 2. erroneam cenſens ex damnatione Academiæ Pariſienſis exiſtentiam Angeli in loco per operationem, addidit, exiſtentiam per applicationem, *videri idem ponere cum illo errore, niſi quòd eſt venenum latens.* Quibus verbis ſolùm vtimur ad oſtendendam coincidentiam vtriuſque modi dicendi, quicquid ſit de cenſura, de qua in n. 120. Et ſemel admiſſo, Angelum conſtitui formaliter præſentem Empyreo per operationem ſpiritualem ſibi intrinſecam, nihilque agentem erga Empyreum, nemo non cernet, aſſeri multò planiùs à nobis, eam rationem formalem eſſe quãdam entitatem ſpirituale̅ diſtinctã ab omni actu intentionali intellectiuo, & volitiuo, quæ vt affigat Angelũ ſpatio occupato ab aliqua parte Empyrei, nullatenus indigeat operatione exercita circa illud. Neque id planius ſolummodò aſſeritur à nobis, ſed & neceſſariò aſſerendum eſt ab iis, qui recurrunt ad memoratam volitionem. Nam talis volitio eſt indifferens, vt exiſtat in hac, vel in illa parte Empyrei, tanquam in loco, ſiquidem Angelus præſens parti *A*, poteſt eligere volitionem agendi erga partem *B*, quando ad iſtam partem acceſſerit. Ergo vt volitio ſit potiùs in parte vna, quàm in altera, debet aliquid aliud ſuperaddi præter Angelum, partem, & volitionem: illud autem aliud, quod ſuperaddatur, erit entitas à nobis intenta, & affixiua volitionis ad ſpatium vnius partis potiùs, quàm alterius.

116 Omitto, Angelum præſentem parti *A*, poſſe naturaliter habere ex diuerſis finibus duas volitiones agendi in ea parte, quarum quælibet ſufficeret ad agendum, etiamſi alia deeſſet; & poſſe etiam in parte *A*, habere vnicam volitionem, qua velit agere in ea parte tanquam in loco adæquato, ſimulque velit agere in parte *B*, tanquam in loco adæquato, quando à parte *A* diſceſſerit. Hinc autem ſequeretur, poſſe naturaliter Angelum ſimul habere duas præſentias adæquatas ad eumdem locum adæquatum, & ad duo loca adæquata, ſi volitio præfata ſit formalis ratio præſentiæ ad locum. Eſt autem articulus damnatus Pariſiis ann. 1241. & 1340. *quod Angelus in eodem inſtanti poteſt eſſe in diuerſis locis*. videlicet naturaliter. Et Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q. 89. in Scripturam inquit, *Neque Angelus poteſt ſimul eodem momento in pluribus locis præſens eſſe. Hoc ſoli incircumſcripto Deo competit*, nempe ſuapte naturâ. Imò Thomiſtæ noui (excepto Araujo 1. p. q. 52. art. 3. dub. 1. num. 22.) nec diuinitùs conuenire poſſe Angelo dictitant. Omitto etiã, Angelos, dum in Empyreo exiſtunt, habere applicatam, & paratam ſuam voluntatem, vt operentur in terra, ſi à Deo fuerit imperatum, quin tamen ſimul verſentur tunc apud nos.

Exploditur Bañez, qui aſſeruit, Angelos ſubſidiari Empyreo in ſuis operationibus.

117 Propoſitus ordo petit, vt Dominicũ Bañez iam refutemus; primò, quia operatio Empyrei in corpora alia cœleſtia, & ſublunaria eſt valdè dubia, vt ignorum non erit euoluenti Exercitationem 16. Et ea operatione conceſſa, non apparet ratio, ob quam Empyreum influens naturaliter per ſuam formam indigeat iuuamine Angelorũ. Quòd ſi ex abundanti cum Empyreo concurrant, velis; debes etiam fateri, poſſe pro ſuo libito à cooperando ceſſare, adhuc dum ſunt intra illud. Nam ſine fundamento dices, fore, vt non poſſint ceſſare, ſi ex alia parte admittis, Empyreum non indigere per ſe iuuamine Angelorum; & hos, vel aliquos ex his poſſe pro ſuo arbitratu abeſſe aliquanto tempore ab eo. Prætereà illa operatio Empyrei in corpora ſibi inferiora deficiet poſt diem Iudicij: incredibiléque eſt, tot Angelorum milliones intentos nunc eſſe, vt præſtent ſuppetias Empyreo, & augeant, vel moderentur eius influxum, qui ſi ſit ordinatus ad bonum Vniuerſi, vt reuera erit e caſu, quo detur, debebit ſeruare ſemper inuariatum tenorem quo ad augmentum, vel temperationem: alioqui Vniuerſum reportaret damnum ex nimio augmento, vel nimia temperantia proueniente à maiori, vel minori numero Angelorum commorantium in Empyreo.

118 Secundò, Angeli vel iuuant Empyreum operando aliquid in ipſo, vel nihil? Si primum, iam eſt reiectum in ſuperioribus: ſi ſecundum, Ergo Angeli nõ ſunt in loco corporeo Empyrei per operatione̅ tranſeuntem erga ipſum. Aliunde non ſunt in loco corporeo primi Mobilis v. g. erga quod dicitur eſſe operatio Empyrei: Ergo nullo modo erunt in loco corporeo. Confirmatur. Empyreũ iuxta Bañez perficit operationes ſubiectarum ſphærarum, quin tamen ſit in illis, vt in loco. Ergo Angelos præciſè perficere operationes Empyrei, non eſt formaliter exiſtere in illo, vt in loco. Tertiò, Angeli non operantur ſimul cum aliis cœlis, niſi quatenus eos mouent, neque aliter poſſunt operari cum igne v. g. niſi quatenus illum mouere queunt. Ergo ſiquidem non moueant Empyreum, nihil cum ipſo operabuntur. Quartò, Dæmones exiſtentes tanquam in loco corporeo vel in Inferno, vel in aëre caliginoſo, nullam vim actiuam perficiunt, qua præditus ſit vel ignis, vel aër. Et quamuis aliquando perficerent, proueniret id ex libera eorum voluntate. Aſt exiſtentia in Inferno non relinquitur libertati ipſorum. Argumenta alia deſumpta ex Angelorum exiſtentia, in Vacuo, aut in ſpatio imaginario ſupra mundum corporeum; & ex animarum ſeparatarum exiſtentia in variis receptaculis: ne ſæpiùs repetita moueant lectori nauſeam, non hîc inculcabo. Malonius in 2. diſt. 8. diſput. 9. ſect. 2. vocat Dominici Bañez opinionem anilem, & friuolam, merúmque figmentum, ſed ſatius eſt abſtinere aculeatis his cenſuris.

Impugna

Impugnatur Capreolus, qui ſola Empyrei ab Angelis exornatione præ ſe ferente operationis ſpeciem contentus eſt, vt eorum in Empyreo præſentiam declaret.

119 SVccedit refellendus Capreolus. Et primò quidem, quia exornatio Empyrei ab Angelo non aliter ſe habet, quàm exornatio palatij à perſona Regia. Sed hæc poſterior exornatio ſupponit aliquid reale ſuperadditum intrinſecè Regi, ratione cuius Rex fiat præſens Palatio. Ergo & illa prior ſupponet aliquid reale ſuperadditum intrinſecè Angelo, ratione cuius fiat præſens Empyreo. Secundò, quia nobilitatio Empyrei per Angelum debet fundari in entitate aliqua reali, & phyſica, niſi velis, talem nobilitationem eſſe merum nomen, aut puram rationis relationem; & tunc clariſſimè conſtabit, non poſſe in ea conſiſtere præſentiam realem Angeli ad Empyreum. Aſt talis nobilitatio non fundatur in coexiſtentia etiam phyſica Angeli, & Empyrei, ſiquidẽ poteſt Angelus exiſtere in ſphæra Solari, quin actualiter nobiliter ſpeciatim Empyreum: Ergo fundari debet in entitate aliqua reali, & phyſica ſuperaddita exiſtentiæ vtriuſque: quæ entitas erit vbicatio, pro qua decerto, cum per Capreolum non ſit operatio tranſiens, neque applicatio virtutis, neque cooperatio cum Empyreo. Tertiò, quia vel Angelus vbicumque Vniuerſi ſit, nobilitat Empyreum, vel non nobilitat niſi exiſtens tali modo? Si primum, Ergo vbicumque Vniuerſi exiſtat Angelus, exiſtet in Empyreo. Si ſecundum, Ergo exiſtere Angelum tali modo, & ſic nobilitare Empyreum connotat, vel dicit in Angelo aliquid, quod ipſi deſit, dum exiſtat in terra, & illud connotatum, vel dictum erit aliquid reale, ac phyſicum: ſi nobilitatio non ſit purè nominalis, aut fictitia. Quartò, licèt Dæmones ornent phyſicè Barathrum vt innuit poſt Vincentium Bellouacenſem in conſolatione ad S. Ludouicum Regem Galliæ ſuper morte amici c. 15. S. Thomas in 4. diſt. 48. q. 2. art. 4. ad 3. quatenus ait, Barathrum vice claritatis, quæ poſt innouatum orbem refulgebit in elementis habiturum *ſpiritus rationales hominum, & Dæmonum, qui quamuis ratione culpæ ſint infimi, tamen ex dignitate naturæ ſunt qualibet qualitate ſuperiores.* Cæterùm negari non poteſt, concipi à nobis vt deformantes moraliter. Ergo in eo, vt in loco non erunt, ſi exornatio moralis ſit formalis ratio præſentiæ ad locum reſpectu ſpirituum.

120 Et hæc ſint ſatis contra pronuntiata Ferrarienſis, Bañez, ac Capreoli, omiſſis innumeris Scotiſtis, Nominalibus, & Noſtratibus, quibus ea diſplicuerunt, & articulis Pariſienſibus, in quibus iam diu reprobata eſt exiſtentia Angelorum in loco reuocata ad operationem tranſeuntem. Eis articulis plus authoritatis, quàm par eſſet, vendicans Petrus Garcia Epiſcopus Vrgellenſis in determinationibus Magiſtralibus contra concluſiones Apologeticas Ioannis Pici Mirandulani editis in lucem anno 1489. inquit, ſuſpectam eſſe de errore, & hæreſi opinionem, quæ defendit, operationem circa locum, vel circa corpus exiſtens in loco, eſſe rationem, per quam Angelus exiſtat in loco, *pro quanto talis opinio damnata eſt Pariſiis.* Ita in vltimo cap. contra 1. concluſionem, Et paulò anteà ſcripſerat, *Tertia opinio videtur eſſe ſuſpecta de errore, & hæreſi, pro quanto non poteſt apparenter, nec probabiliter ſaluare dicta ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Doctorum de myſteriis, & locis præmiorum, & pœnarum Angelorum, & animarum ſeparatarum; quia operatio, per quam Angelus determinatur ad locum, non poteſt eſſe operatio ſpiritualis, quia talis æquè abſtracta eſt à loco, motu, & differentiis locorum, & temporum, ſicut ſubſtantia Angelica ſecundùm prædictam opinionem. Oportet ergo, quod ſit operatio, & effectus tranſiens in materiam corporalem. Conſtat autem ſecundùm fidem, & authoritates Sanctorum, quòd Angeli, & animæ, quæ ſunt in cœlo, & in Inferno tanquam in loco, non operantur tales operationes in cœlo, nec in Inferno, vt patet diſcurrendo per ſingulas operationes ipſorum Angelorum, & animarum ſeparatarum.* Hactenus Epiſcopus Petrus Garcia; ſed immeritò in ſuſpicionem erroris, & hæreſis vocat opinionem, quam, ipſo referente, tuetur doctiſſima, & Catholiciſſima Thomiſtarum ſchola, & quam iam tunc nonnulli alij Theologi extra Thomiſtarum Lyceum amplexabantur. Poſterioribus ſæculis aliqui etiam in eam abierunt, licet anno 1543. ſcripſerit Henricus Hernandez Doctor Salmanticenſis ſect. 5. Philoſophiæ fol. 66. communem ſcholam tunc temporis militaſſe contra Thomiſtarum opinionem: & anno 1539. Ludouicus Coronel Magiſter Complutenſis l. 4. Phyſicarum perſcrutationum fol. 74. dixerit, *nedum minus ſufficientem, imò & in intelligibilem reputatam à doctis pleriſque viris poſitionem Thomiſticam.* Porrò etſi nos non ſequamur, longè tamen ſumus, vt putemus, aut dicamus, dignam eſſe vllâ cenſurâ. Nolumus enim eſſe, quales nonnulli Scholaſtici à Melchiore Cano lib. 8. de locis Theologicis cap. 4. reprehenſi, *qui ex opinionum, quas in ſchola acceperunt, præiudiciis, viros aliàs Catholicos, notiſque grauioribus inurunt, idque tanta facilitate, vt meritò rideantur.*

Etſi Angeli nihil operentur in Empyreo, nullámque applicationem virtutis actiuæ in illo habeant, non ideò dicendum eſt cum Caietano, metaphoricam tantùm ibi præſentiam eis competere.

121 CArdinalis Caietanus non acquieſcẽs operationi Angelorum erga Empyreum, nec omninò fidens applicationi virtutis erga illud, tentat neſcio quid de præſentia metaphorica Angelorum in Empyreo, quatenus ſcilicet *ſunt in gloria, ad quam illud ſanctificatum eſt.* Conatus hic Caietani audiuit malè vel inter ipſos Thomiſtas, vt videre eſt in Bañez, & Zumel. Sanè cum Caietanus non neget, Angelos poſſe exiſtere, & ſæpe de facto exiſtere in loco corporeo, non tamquam circumſcribente ipſos, vti circumſcribit corpora, ſed tanquam definiente: cúmque non neget, hanc exiſtentiam in loco corporeo definiente eſſe ſimpliciter, & abſolutè veram, ac realem, quando Angeli operantur, vel applicant ſuam virtutem actiuam circa prædictum locum: deberet ſimilem exiſtentiam veram, ac realem in loco corporeo Empyrei tribuere Angelis, etiamſi circa Empyreum non operentur, neque applicent virtutem ſuam actiuam. Etenim in diuinis Litteris, & in ſcriptis Patrum Eccleſiæ ſimili verborum tenore dicitur, Angelos exiſtere in cœlo, ac in aliis locis corporeis.

122 Extant in præcedentibus plura teſtimonia: adiicio ſequentia. Ioannis 14. v. 2. cœlum appellatur à Chriſto Domino *Domus Patris ſui*, in qua *manſiones multæ ſunt:* quibus verbis ſatis dilucidè indicatur, cœlum ſe habere tanquam verum, & proprium definitiuum locum reſpectu Angelorum, & animarum beatarum. Geneſis 18. v. 33. narratur,

Digitized by Google

Dominum, qui apparuit Abrahamo per Angelum in ſpecie viſibili,ac corporea,abiiſſe, peracto colloquio. Tobiæ 12.v.20. ait Angelus Raphael, *Tempus eſt ergo, vt reuertar ad eum, qui me miſit.* Si autem non abierunt, neque reuerſi ſunt in cœlum, vt in verum, & proprium definitiuum locum, ſaluari ægrè poſſunt iſtæ locutiones:nam à gloria,ad quam ſanctificatum eſt cœlum, nunquam abſuerant, neque proinde caruerant præſentia metaphorica excogitata à Caietano. Non credam, dicendum ab aliquo, abitionem, & regreſſum illorum Angelorum aliò fuiſſe,quàm in cœlum. Si tamen diceretur, quid reſponderet ad hæc Lucæ verba cap. 2. v.15. *Diſceſſerunt Angeli in cœlum?* Simile argumentum efformari poteſt ex teſtimoniis, in quibus Angeli aſſeruntur *apparuiſſe de cœlo, deſcendiſſe de cœlo*, vt Lucæ 22.v.43. Math.28. v.2. nam apparitio noua, & deſcenſus è cœlo non ſaluatur,ſi manere in cœlo Angelos nihil aliud ſit,quàm manere in gloria,cùm in hac ſemper manſerint, poſtquam beata viſione donati ſunt.

123 Confirmatur ex aliis teſtimoniis, in quibus prædicitur, Chriſtum venturum de cœlo cum Angelis ſuis ad iudicium vniuerſale. Ita Math.17.v.27. Lucæ 25.v.31. vt enim Chriſtus veniet diſcedens à loco cœli, cui per circumſcriptiuam præſentiam realem fuerit anteà præſens corpus Dominicum, ſic ſeruata proportione debet intelligi, venturos Angelos, quatenus diſcedant à loco cœli, cui anteà fuerint præſentes per definitiuam præſentiam realem. Confirmatur vlteriùs, quia iuxta Chriſtum Math.22. v.30. Homines in *Reſurrectione* ::: *erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Si autem Angeli ſint in cœlo per præſentiam tantùm metaphoricam, vix vlla interueniet ſimilitudo inter hanc, & hominum præſentiam, quæ realis erit: neque ex Angelis, & hominibus conſtituetur vna ciuitas cæleſtis, ſeu congregatio,& ſocietas realis, vt potè quæ requirat multorum præſentias reales ad ſpatia non valdè diſſita.

124 Vrgeo, & efficaciſſimè, ni fallor, ſi Angeli non ſint realiter præſentes cœlo, cui glorificata corpora erunt realiter præſentia poſt Reſurrectionem, liceret idem dicere de beatis animabus ſeparatis, cùm harum,& illorum in cœlo exiſtentia eodem modo deprædicetur à ſacris Litteris,& Patribus; & cùm non magis, ſed multò minus animabus ſeparatis competere queat operatio, aut applicatio virtutis tranſeunter actiuæ erga præfatum cœlum. Aſt non licet dicere id de beatis animabus ſeparatis: Ergo neque de Angelis beatis. Minor tam apertè conſtabit ex teſtimoniis Scripturæ,Conciliorum,& Patrum adducendis in Exercitatione proxima, vt apparenti euaſioni cuiuis rimulam omnem præcluſam iudicem. Interim notetur, Concilium Florentinum, & Benedictum Papam XII. quorum verba ibi tranſcribentur, diſtinguere expreſsè duo in animabus ſeparatis,quæ nullius culpæ reatui ſunt obnoxiæ, vnum, receptionem, ac ingreſſum mox in cœlum: alterum, viſionem beatam. Quæ diſtinctio indicatur 1.Petri c.1.v.3.& 4. vbi dicitur, *Regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis.* En proponitur nobis cœlum, vt quid diuerſum ab hæreditate æterna, ſeu à viſione Dei. Notetur item, Benedictum Papam diſertè tradere, eas animas *Sanctorum Angelorum conſortio aggregari in cœlo, cœlorum regno, paradiſo cæleſti cum Chriſto.* Notetur præterea, Patres Eccleſiæ, dum dictitant, Angelos, & beatas animas exiſtere in cœlo, nunquam explicare exiſtentiam in cœlo per viſionem beatam,& gloriam:imò potiùs,quia hæc communicatur à Deo Sanctis, & puris ſpiritibus in cœlo tanquam in loco,cui ſint realiter præſentes, ideò Patres explicare, Deum dici ab Scriptura ſacra exiſtere ſpecialiter in cœlo tanquam in loco, non tamen circumſcribente, neque definiente ipſum, vti definit creatos ſpiritus beatos.

125 Vrgeo iterùm; Non licet negare hominum damnatorum animas ſeparatas exiſtere verè, & realiter per præſentiam realem in Inferno; neque item licet negare, Chriſti animam beatiſſimam deſcendiſſe verè,ac realiter ad Inferos, extitiſſeque ibi per præſentiam realem: Ergo neque licebit negare, Angelos,& beatas animas ſeparatas exiſtere in cœlo per præſentiam realem. Patet conſequentia,quia Scriptura,Concilia,& Patres ſimili omni modo loquuntur de his omnibus exiſtentiis.Quòd ſi quoad exiſtentiam Angelorum, & animarum in cœlo ſecura eſſet interpretatio Caietani de præſentia metaphorica,conſideret attentè Lector, an ſecura etiã eſſet germana interpretatio exhibita à Durando quoad exiſtentiam tum animarum damnatorum hominum in Inferno, tum beatiſſimæ animæ Chriſti in ſinu Abrahæ? Eam verò interpretationem Durandi abſonam eſſe fatetur Caietanus in 3. p.q.52. & erroneam, ac planè hæreticam compellant Medina,& Suarez ibidem, S. Bernardus epiſt. 188. deſcenſum animæ Chriſti ad Inferos non per ſe, ſed per potentiam incuſat erroris in Abaelardo, qui ita ſenſiſſe videtur expoſitione in Symbolum Apoſtolorum,licèt in Apologia ſua, ſeu confeſſione dicat,deſcenſum per ſolam potentiam fuiſſe omninò remotum à ſuis verbis, & ſenſu.

126 Exiſtentia Dæmonum in Orco per præſentiam realem; offert non contemnendum argumentum. Si reſpondeatur, eſſe etiam metaphoricam, quatenus Dæmones ſint in pœna, ad quam Orcus eſt deputatus. Contra. Ergo qui vagantur ex permiſſione diuina per aërem exiſtent non minus in Inferno, quàm qui non vagantur. Et rogo de his, an nuſquam,vel alicubi exiſtant realiter? ſi alicubi; maximè in Inferno, & per præſentiam realem. Si nuſquam; rem dices nec conformem ſacris Oraculis, nec ex natura rei poſſibilem; imò iuxta plures impoſſibilem diuinitùs,ſi loquaris de abſolutione ab omni ſpatio tam imaginario, quàm reali. Præterquam quòd ſacræ Scripturæ verba de exiſtentia Dæmonum, & animarum damnatarum in Inferno tanquam in loco intelligenda ſunt ad litteram,ex regula S.Auguſtini; ſiquidem nec abſurditas, nec impoſſibilitas vlla nos cogat confugere ad alias acceptiones metaphoricas.

127 Quæ ratio militat etiam pro Angelis beatis, quoties Scriptura diuina repetit eorum in cælo exiſtentiam. Etquidem ſi ſemel liceret ſcripturam toties loquentem de cæleſti Angelorum beatorum loco interpretari, quatenus nomine cæli ſignificet non materiale cælum,in quo exiſtant,ſed viſionem tantum,& fruitionem quibus glorificentur,vix, & ne vix poſſet ex ſacris litteris probari materiale illud cælum ſanctificatum ad gloriam hominum. Sicut enim quando de Angelis eſt ſermo,referuntur à Caietano verba ad ſolam Dei viſionem; cur quando de hominibus nefas erit ad eam ſolam referre? Non defuerunt, qui iſtud auderent; ſed illos innominatos confutauit validè Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis, quæſt.6. art.1. pag.640.

128 Tandem aduerſus Caietanũ ſic argumentor;

cœlum

Digitized by Google

cœlum vel eſt locus ſanctificatus ad gloriam Angelorum, vel ſolùm ad gloriam hominum? Si primum, exiſtent glorioſi in illo verè, & realiter. Si ſecundum, actum eſt de cœlo, quantum ad Angelos beatos. Nam ipſos videre Deum, ſicut vident hominum animæ, quæ in cœlo ad id deſtinato commorantur, neutiquam eſt, Angelos exiſtere in cœlo, vt patet in ipſiſmet Angelis, qui quando ad terram mittuntur, vident etiam Deum, quin exiſtant in cœlo.

129 Opponet quis S.Thom. aſſerentem 1.p.q.52. & 53. art.1. in corpore, Angelos exiſtere in cœlo æquiuocè. Reſpondeo, aſſertionem S.Thomæ communem eſſe omni loco, in quo ſint Angeli: Caietanum autem aliquid ſpeciale cogitare de exiſtentia in loco Empyrei, ita vt ea non ſolùm ſit æquiuoca, ſed merè metaphorica ob defectum operationis, & applicatæ virtutis. Dum verò à S. Thoma dicitur æquiuoca exiſtentia Angeli in quouis loco, non intendit excludere eam à ratione veræ, ac propriæ ſimpliciter, & abſolutè; ſed habito reſpectu ad eſſendi modum, quem in loco reali extrinſeco habent corpora contingendo quantitatiuè ipſum, vocat æquiuocum modum alium Angelorum, eo quòd non contingant locum niſi per operationem, vt à nobis poteſt cognoſci exiſtentia Angelica in loco. Prætereà nomine loci, in quo corpora exiſtere affirmatur, accipitur communiter corporis continentis ſuperficies prima, immobilis, extrinſeca contentis, manénſque extra horum ſitum. Aſt dum dicuntur Angeli eſſe in loco, intelliguntur frequenter loci nomine corpora contenta, in quibus Angeli ſunt intimè, & penetratiuè præſentes. Si autem aliquando intelligatur ſuperficies, ſunt etiam in iſta non per extra, ſed per intrapoſitionem. Et hæc eſt altera cauſa, ob quam exiſtentia Angelorum in loco reali extrinſeco comparata cum exiſtentia rerum corporearum appellatur æquiuoca. Sed, vt notaui, eſt vera, & propria ſimpliciter, atque abſolutè; ideóque verè etiam, & propriè pertinet ad prædicamentum *Vbi*. Probatur id vlteriùs, tum quia aſſignabile ipſi non eſt aliud prædicamentum; tum quia indiſtincta eſt à termino motus localis Angelici, hic autem ſpectat ad prædicamentum *Vbi*; tum denique quia locus realis extrinſecus Angeli reponitur in prædicamento *Vbi*: Ergo potiori titulo ipſa præſentia Angelica, quæ eſt *Vbi* intrinſecum. Neque obſtat, præſentiam Angelicam eſſe ſpiritualem. Nam ſicut quòd Angelus ſit ſpiritualis, non impedit eius poſitionem in prędicamento Subſtantiæ: Ita ſimiliter, &c.

Explicatur quænam ſit Angelis ratio formalis proxima exiſtendi in Empyreo.

130 SEnſim deuentum eſt ad hanc difficultatem; cuius expeditionem depoſcebat diſputationis initæ cum Thomiſtis ius. Cùm enim tam diffusè impugnata à nobis ſit ipſorum ſententia, cogimur noſtram producere. Breuiores tamen erimus, quàm poſſet expectare, aut timere lector, niſi in Exercitat. 11. ſect. 6. ieciſſemus fundamenta noſtræ opinionis. Quibus præſuppoſitis aſſerimus primò, vbicationem, ſeu proximam formalem rationis exiſtentiæ Angelorum in Empyreo eſſe formam intrinſecam ſuperadditam, non modalem, ſed realem; cuius munus præciſè eſt conſtituere ipſos intimè penetratos cum Empyreo cœlo, & huius ſpatio imaginario affixos eſſentialiter, dum ea perſeuerat. Tota hæc aſſertio conſtat ex ſect. præcitata. Addendum eſt, eam formam non eſſe entitatem relatiuam prædicamentaliter, ſed tranſcendentaliter. Ratio prioris partis eſt, quia ad vbicationem Angelicam datur per ſe, & immediatè motus, qui dari non poteſt ad relationem prædicamentalem, vt docet Ariſtoteles libro 5. Phyſicorum cap. 2. Stat rectè cum priori hac parte, vt ex vbicatione Angelica, & ex loco extrinſeco reali reſultent denominationes quædam prædicamentales, vt obſeruabam in illa ſect. Ratio poſterioris partis eſt, quia vbicatio refertur tranſcendentaliter ad ſpatium imaginarium, cui eſt eſſentialiter alligata, non autem loco reali extrinſeco: etſi enim is varietur, non variatur vbicatio Angelica, dummodò Angelus non mutet diſtantiam, aut indiſtantiam ab ſpatio imaginario fixo, & immobili; è contrà verò variatur vbicatio inuariato loco reali extrinſeco, ſi Angelus mutet præfatam diſtantiam, aut indiſtantiam ab ſpatio imaginario.

131 Et hinc infertur aduerſùs Thomiſtas, vbicationem Angelicam non conſiſtere in operatione, aut applicatione virtutis erga locum extrinſecum realem. Infertur etiam contra Patrem Vaſquez prima parte diſputatione 188. capite 7. & diſputatione 195. capite 4. vbicationem Angelicam non eſſe vnionem phyſicam accidentalem ad locum extrinſecum realem, ſeu ad corpus. Et impugnatur peculiariter Vaſquez. Primò, quia ſi Angelus vniatur cum meo corpore, & dum ego moueor, moueatur etiam ille, retinebit eandem ſuam viſionem, non ſecùs ac mea anima retinet ſuam; ſed vbicationes erunt diuerſæ. Secundò, quia ſi ego immotus, permanénſque cum eadem vbicatione poſſum circumdari iam hac, iam illa ſuperficie aëris, cur ſimiliter non poterit Angelus immotus, conſeruanſque eandem vbicationem penetrari cum diuerſis ſuperficiebus? Tertiò, quia ad præſentiam naturalem corporum in loco reali extrinſeco, non eſt opus vnione corporum cum eo loco: Ergo neque ad Angelorum præſentiam. Etſi enim hæc ſit definitiua, & illa circumſcriptiua, ſaluatur ſufficienter diſcrimen inter vtramque ex eo, quòd per definitiuam conſtituatur Angelus in toto loco, & in qualibet eius parte; corpus verò per circumſcriptiuam non conſtituatur totum in qualibet parte. Quartò, quia Angelus moueri poteſt abſque productione vnionum ad corpora, vt cùm moueretur ex vno loco imaginario ad alium, & cùm ex cœlo moueretur per Vacuum ad terram; neque enim tunc traheret cœlum ſecum. Chriſti anima de facto deſcendit ad Inferos, quin vniretur corporibus, per quæ tranſiit. Ergo ſi poteſt dari motus localis Angelicus abſque vnione cum corporibus, poterit etiam abſque illa dari vbicatio; nam motus localis nihil aliud eſt, quàm continua, vel ſucceſſiua productio vbicationis in diuerſis ſpatiis. Quintò, quia corpus, cui ſit vnitus Angelus, poteſt exiſtere diuinitus in duobus locis, Salmanticæ ſcilicet, & Romæ, quin Angelus vtrobique exiſtat, ſed ſolùm Salmanticæ. Videatur Arriaga tom. 2. in 1. parte diſput. 15. ſect. & ſubſect. 3. Si dicatur, Angelum non poſſe habere diſtantiam, vel indiſtantiam ab aliis, niſi ratione corporis, cui vniatur, & cuius moles intercedat, vel non intercedat. Contra, quia diſtantia, vel indiſtantia æquè intelligitur, ſi Angelus abſque vnione affixus ſit ſpatio occupato à corpore, Deus enim quin ſit vnitus phyſicè cum omnibus creaturis, eſt

Digitized by Google

eſt indiſtans ab omnibus, quia per ſuam immenſitatem debet exiſtere in ſpatio cuiuſuis creaturæ: Ergo ſi Angelo accedat forma, per quam præcisè determinetur, & alligetur finito, & limitato ſpatio mei corporis, habebit à me indiſtantiam, & diſtantiam à reliquis corporibus. Contra rurſus, quia ſi Angelus, qui exiſtit nunc in Empyreo, aſcendat poſteà longè ſupra eius conuexam ſuperficiem, diſtabit magis à me, quàm nunc, & ea maior diſtantia non circumſcriptiua, ſed definitiua aptè intelligetur abſque vnione Angeli ad aliquod corpus.

132 Aſſerimus ſecundò; formalis ratio exiſtentiæ Angelorum in Empyreo eſt ſpiritualis, potéſtque eſſe ſiue indiuiſibilis integraliter, ſiue diuiſibilis pro loci diuiſibilitate. Et in primis ſpiritualem eſſe, probatur, quia eſt omnino independens à materia, aut quantitate; Angelus enim à quo dependet, & in quo recipitur, eſt omninò expers materiæ, & quantitatis. Etſi verò locus extrinſecus realis non ſic ſit expers, at cum eo nullam habet connexionem à priori, aut à poſteriori: affigitur namque ſoli ſpatio imaginario. Deinde poſſe eſſe indiuiſibilem integraliter, oſtenditur exemplis tum immenſitatis diuinæ, quæ etſi integraliter indiuiſilis ſit, conſtituit Deum exiſtentem in loco diuiſibili: tum cognitionis ſpiritualis creatæ inextenſæ terminatæ ad obiectum materiale extenſum. Poſtremò, poſſe eſſe diuiſibilem integraliter, ſuadetur exinde, quòd vbicationi Angelicæ neque ex conceptu vbicationis, neque ex conceptu ſpiritualis repugnet diuiſibilitas; non ex priori, vt patet; non item ex poſteriori; nam ſicut entitati materiali non repugnat indiuiſibilitas integralis, vt fert multorum ſententia; imò de facto omnes ſubſtantias materiales carere ſecundùm ſe partibus, docent Thomiſtæ (quos non benè percipio, dum tanquam quid ſpeciale tradunt de animabus materialibus perfectorum brutorum eſſe indiuiſibiles integraliter) ita entitati ſpirituali non videtur repugnare oppoſita diuiſibilitas, præſertim ſi ea entitas ſit accidentalis, vti erit vbicatio Angelica. Et confirmatur, quia accidentibus ſpiritualibus competit diuiſibilitas entitiua. Cur ergo extenſiua repugnabit?

133 Si opponas primò contra poſtremam partem concluſionis, Angelus eſt indiuiſibilis omninò: Ergo nequit eſſe ſubiectum, vbicationis diuiſibilis. Secundò, partes vbicationis ob affixionem ſpecialem ad ſpatia diuerſa, forent inter ſe impenetrabiles; quod eſt contra conceptum entitatis ſpiritualis. Tertiò, ſi vbicatio Angelica eſſet diuiſibilis, poſſet Angelus naturaliter abſoluere ſe ab omni loco; nam ſi dum ſe reduceret à loco adæquato ad inadæquatum, poſſet ceſſare à conſeruatione quatuor v.g. partium vbicationis, quin alias produceret incompoſſibiles cum præcedentibus, poſſet etiam ceſſare tam ab illis quatuor, quàm ab aliis quibuſuis reſpondentibus loco adæquato Angeli, & proinde manere exiſtens nullibi. Quartò; compoſitio extenſiua partium aliena eſt à conceptu ſpiritualis entitatis; eſt enim propria ſolius quantitatis, vel rerum habentium annexam ſibi quantitatem tanquam affectionem debitam ad ſui eſſe, & conſeruationem. Quapropter repugnant, Angelus, & animus rationalis conſtantes partibus extenſiuis; freqnénſque eſt apud S. Auguſtinum, & alios Patres probare animi rationalis ſpiritualitatem, eo quòd careat eis partibus.

134 Ad primum dico, ſubiectum indiuiſibile eſſe capax formæ diuiſibilis, vt liquet in ipſis Angelis, quorum ſpecies, cognitiones, & volitiones diuiſibiles ſunt intenſiuè; recipiuntur tamen in ſubſtantia indiuiſibili intenſiuè. Sed replicabis: militat ſpecialis ratio repugnantiæ contra receptionem formæ diuiſibilis extenſiue in Angelo; nam ſequeretur, hunc extendi diuiſibiliter per extenſionem talis formæ. Contra, quia non extenderetur ſubiectiue, ſed tantum terminatiuè. Et quemadmodum materialis potentia viſiua diuiſibilis in eſſendo, poteſt ratione ſpecierum impreſſarum reddi indiuiſibilis in repræſentando, vt multi putant, ita vice verſa Angelus inextenſus ſubiectiue poterit per vbicationem fieri extenſus terminatiue. Si vnio animæ rationalis cum corpore ſit materialis, & recipiatur partialiter in anima; ſi item ſenſationes, appetitionéſque materiales, eam afficiant, vt ſubiectum inadæquatum, euaneſcit omnino vis replicæ. Ne vero ſententiis diſputationi ſubiectis vtamur, aut litibus de voce immoremur, quod de vbicatione indiuiſibili ad ſpatium diuiſibile, vel de Angelo diuinitus ſaltem exiſtente per vbicationes diuerſas in partibus diſſitis affirmaueris, puta idipſum è nobis audire.

135 Ad ſecundum, omiſſo partes vbicationis non tam fore impenetrabiles, quàm immobiles, Reſpondeo per inſtantiam vbicationum indiuiſibilium, quibus gaudeant Angeli in diuerſis ſpatiis adæquatis; hæ enim vbicationes non poſſunt inter ſe penetrari. Vt ergo ſufficit ad harum ſpiritualitatem, quòd in cuiuſlibet ſpatio queant ſimul ſtare aliæ vbicationes non alligatæ diſtincto ſpatio adæquato, ſic ſimiliter. Et certè entitas ſpiritualis non debet eſſe penetrabilis à quauis alia, ſicut neque quæ materialis eſt, debet eſſe impenetrabilis cum cæteris omnibus, nam in eadem parte materiæ, ac quantitatis penetrantur inter ſe forma ſubſtantialis materialis, & plures accidentales.

136 Tertium argumentum, patitur etiam inſtantiam in vbicatione indiuiſibili, nam à qualibet poteſt ſe Angelus abſoluere naturaliter, ſi expeditus ſit ad aliam. Vnde eodem modo poterit ſe abſoluere à quibuſuis partibus vbicationis diuiſibilis, ſi habeat aliquas, aut ſi queat ex ſe habere.

137 Ad quartum dico, partes quantitatiuæ, continuæque molis, ſeu aptas conficere longum, latum, & profundum, ineptaſque ſuapte natura ad penetrationem cum aliis eiuſdem rationis repugnare entitati ſpirituali; non verò partes merè extenſiuas, quarum vna reſpondeat vni ſpatio, & alia alteri. Carent etiam his poſterioribus partibus Angelus, & animus rationalis nunc noti. Cæterùm non videntur impoſſibiles alij diuerſæ ſpeciei, ac conditionis, quibus competerent. S. Auguſtinus, & alij Patres probat ſpiritualitatem animæ rationalis ex carentia priorum partium. Sed quamuis ſubſtantiis ſpiritualibus repugnarent poſteriores partes æquè ac priores; ſecùs eſſet de accidentibus ſpiritualibus, vti quoad partes intenſiuas agnoſci debet ab omnibus diſcrimen inter ſubſtantias ſpirituales, & accidentia ſpiritualia. Hinc qui contendunt, replicabilitatem in ſpatio diuiſibili eſſe conceptum, vel proprietatem ſubſtantiæ ſpiritualis, non ideò tenentur defenſare quamcumque vbicationem Angelicam compotem eſſe eius replicabilitatis; nam vbicatio in vno tantum puncto poſſibilis Angelo irreplicabilis foret. Nos eam replicabilitatem amandamus à conceptu, aut proprietate ſpiritualis cuiuſcumque ſubſtantiæ neceſſaria. Nam etſi exiſtentes de facto replicabiles ſint, non apparet repugnantia Angeli alicuius qui vno tantùm

in

Digitized by Google

in puncto queat naturaliter exiſtere. Sentit id ipſum P. Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 16. ſect. 6. n. 31.

138 Contra ſecundam concluſionis partem obiici poteſt, vnio animæ rationalis ad corpus eſt ſpiritualis, & diuiſibilis integraliter, alioqui quotieſcumque deperderetur aliqua pars corporis, deſineret totaliter antecedens vnio, indéque ſequeretur, hominem mori; nihil enim aliud eſt mors, quàm diſſolutio integræ vnionis animæ cum corpore. Quòd ſi dicatur, opus eſſe ad mortem, vt deſtructa integra vnione non ſuccedat alia, ita quidem eſt. At noua vnio non ſuccedit, quoties prior deſtruitur totaliter. Reſpondetur primò, vnionem humanam eſſe integraliter diuiſibilem, non tamen ſpiritualem, ſed materialem ob dependentiam phyſicam in ſui productione, & conſeruatione à corpore. Permittamus tamen vnionis humanæ ſpiritualitatem; reſponderi adhuc poteſt ſecundò, eſſe indiuiſibilem integraliter, & totaliter deſinere in caſu propoſito; ſed acceſſuram nouam aliam vnionem, quia reſiduæ corporis partes manerent cum diſpoſitionibus ſufficientibus, vt informarentur ab anima, exigerentque proinde nouæ vnionis productionem. Replicabis, quando per nutritionem adquiritur pars aliqua materiæ, & vnio ad ipſam, tunc pro priori præcedit anima vnita priſtinis partibus, quin deſtruatur præcedens vnio aduentu poſterioris, & quin vna ſit indiſtincta ab alia. Neque videtur negari poſſe præcedentiam animæ vnitæ, ſiquidem nutritio proueniat ab animali, & à compoſito vnito. Ergo ineuitabilis eſt pluralitas vnionum partialium. Replica hæc momentoſa eſt, & à nobis fuit alibi allata, ſed abſque deliberatione de eius efficacia. Qui diceret, ſatis eſſe ad nutritionem ſi proueniat ab anima, quæ in inſtanti antecedenti fuit vnita, & in ſubſequenti, quo fit nutritio, præſcindit pro priori naturæ ab vnione, & ab eius carentia, ægrè impugnaretur.

139 Sunt, qui conuicti ſuperiori replica, ſentiant produci in nutritione nouam vnionem, permanente antiqua; negant tamen humanam vnionem eſſe indiuiſibilem integraliter, quia antiqua, & noua vnio, licèt recipiantur in eadem anima, at inter ſe non vniuntur. Diſcurrunt eodem modo in vbicatione, quando Angelus manens in vna parte ſpatij, extendit ſe ad aliam pertinentem ad ſphæram ſuæ locabilitatis naturalis. Nec ideò Angelus haberet duas vbicationes adæquatas, ſed vnam adæquatam conflatam diſcretè ex duabus partialibus. Nam ſpatium, cui reſponderent, eſſet vnicum adæquatum. Si quis velit vocare adæquatas quatenus per vnamquamque redditur ſufficienter Angelus præſens ſpatio inadæquato, quin ad id vna exigat aliam, diſſidium erit purè vocale.

140 P. Arriaga ſup. à ſect. 2. n. 11. reiicit Recentiores quoſdam ſic opinantes. Sed eius rationes non lædunt alios in quorum M.SS. vidi ego eandem doctrinam de vbicationibus non vnitis ad euitandam rei ſpiritualis extenſionem in ordine ad locum. Verumtamen cùm talis extenſio non impediret naturaliter, ne Angelus, vel corpus exiſterent per alias vbicationes in ſpatio eodem, poteſt optimè admitti ſine præiudicio ſpiritualitatis. Præterea vbicatio Angeli ad ſpatium adæquatum continuum debet ſe habere diuerſo modo, ac vbicatio diuinitus ſaltem poſſibilis ad ſpatia duo diſſita æquiualentia vni adæquato. Si verò vtraque conſtet partibus inunitis, nihilo differrent. Et ne obliuiſcar vnionis humanæ, de qua priùs interceſſit ſermo, non approbo defectum vnionis inter eius partes, quia alioqui poſſet anima informare caput, & pedes, quin viuificaret reliquas partes intermedias corporis. Nam ſi partes vnionis humanæ non requirunt vnionem inter ſe, cedo mihi rationem, ne poſſibilis ſit naturaliter modus ille informationis.

141 Quæ de vbicatione Angelica dixi, amplianda ſunt ad vbicationem animæ ſiue ſeparatæ, ſiue vnitæ cum corpore: nam & quando anima informat corpus, potitur vbicatione diſtincta ab ea, qua corpus, & vbicatione, quæ ſit ſpiritualis, vt colligitur exinde, quòd amiſſa vnione cum corpore, poteſt anima ſaltem diuinitus manere in eodem loco, & abeunte anima poteſt naturaliter corpus manere vbicatum, ſicut anteà. Et verò de vbicatione animæ vnitæ philoſophandum eſt non ſecus, ac de vbicatione animæ, quæ merè penetraretur cum corpore informato per aliam animam: tunc autem vbicatio animæ diſtincta foret ab vbicatione corporis, foretque etiam ſpiritualis: nec apparet ratio, ob quam vbicatio animæ in loco corporis debeat eſſe diuerſæ conditionis, quando anima vnitur informatiuè, viuificatiuéque; ac quando præcisè penetraretur, intiméque aſſiſteret.

SECTIO XI.

An Angeli beati habeant gloriam accidentalem, ſeu quaſi ſenſus à cælo Empyreo, vel ab eius luce? ſicut Dæmones patiuntur pænam ſenſus ab Inferno, vel ab eius igne? Vbi de Dæmonum pæna ab igne.

142 Ratio dubitandi eſt, quia congruum videtur, vt quemadmodum Dæmones ſubeunt pœnas tam damni, quàm ſenſus, ideſt, priuationem æternæ beatitudinis, aliorúmque donorum ſupernaturalium ob auerſionem à Deo, & cruciatum à loco Inferni, ſeu ab igne ob conuerſionem ad creaturas, ita beati Angeli potiantur præmio tum beatitudinis æternæ, cæterorúmque donorum ſupernaturalium ob conuerſionem ad Deum, tum delectationis ex loco Empyrei, ſeu ex eius luce ob auerſionem à creaturis quatenus immediatè appetibilibus. Præterea, tam largus, imò largior eſt Deus in præmiando, quàm in puniendo ſeuerus. Si ergo deſertores Angelos punit non tantùm triſtitia de priuatione viſionis beatæ, ſed etiam de poſitiuo malo illato ab Inferni loco, ſeu ab igne; decet eiuſdemmet largitatem, vt fideles Angelos præmiet non ſola viſione, & fruitione beatifica, ſed & gaudio cauſato ab Empyreo cœlo, aut ab ipſius luce. Ad hæc: Franciſcus de Araujo putat veriſimile eſſe, Angelos Sanctos accidentali quodam gaudio lætificari ab Empyreo vt inſtrumento Dei. Et hac ratione declarat exiſtentiam ſpirituum beatorum in Empyreo per paſſionem delectatiuam, ſicut exiſtentiam ſpirituum damnatorum in Inferno explicarat per paſſionem doloriferam. Et quòd maioris momenti eſt S. Auguſtin. lib. 12. de Geneſi ad litteram c. 32. loquitur eodem modo de lætitia ſpirituum ex rebus corporeis, ac de moleſtia ex iiſdem: ait namque, *Quamuis ergo non ſint corporalia, ſed ſimilia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, ſeu benè, ſeu malè, cùm ipſæ corporibus ſuis ſimiles, ſibimet appareant; ſunt tamen & vera lætitia, & vera moleſtia, facta de ſubſtantia ſpirituali.* Hactenus S. Auguſtinus. Iam ſi ſpiritus ſeparati poſſunt affici benè, & malè, à creaturis corporalibus, conuenientiſſimum apparet, Angelos felices affici benè ab Empyreo,

pyreo, ſicut infelices afficiuntur malè ab Inferno. Nec video maiorem eſſe aptitudinem in re corporali v.g. in igne Inferni, vt torqueat miris, ſed veris modis Dæmones, quàm in luce Empyrei, vt demulceat Angelos beatos.

143 Hæc dubitandi ratio exigit à nobis, vt modum, quo Dæmones cruciantur ab ignis Tartarei ardore, diſcutiamus, indéque procedamus ad inueſtigandum modum aliquem, quo Angeli beati queant oblectari ab Empyrei luce, aliâve huius loci qualitate. Quare inſtituemus digreſſionem de pœna Dæmonum ab igne corporeo, longiuſculam quidem illam, ſed accuratam; & in regreſſione ſubiiciemus modum, qui nobis magis placeat, quantùm ad oblectationem Angelorum captam ex Empyreo contrariámque ei pœnæ, quam ex Inferno patiuntur Dæmones.

DIGRESSIO.

De pœna Dæmonum per ignem corporeum.

144 SI aliquando *multa via interroganda ſunt, & in multis inſiſtendum, vt vnam, quæ bona eſt, inueniamus, per multorum ſcilicet doctrinam*, vt inquit S.Zeno Veronenſis ſuper Pſal. 117. maximè in præſenti materia, quæ crux eſt Theologizantiũ. Idcircò non ab vno, ſed à pluribus tam recentibus, quàm antiquis ſententiam rogabo. Nam, vt aiebat S.Irenæus l.3.c.13. aduersùs eos, qui in vnius tantùm Pauli ſcriptis veritatem Myſteriorum Chriſtianæ Religionis perquirendam iactabant, *Non vt ſolum Paulum ſaluaret, venit Dominus noſter, nec ſic pauper Deus, vt vnum ſolum haberet Apoſtolum, qui diſpoſitionem filij ſui cognoſceret.* Sic etiam ad indaganda Theologiæ abſtruſa arcana, quorum poſtremum non eſt modus torturæ Spirituum ab igne, multos, & præſtantiſſimos duces, atque exploratores vnoquoque ſæculo nobis Deus deſtinauit; & diuinæ huius prouidentiæ conſcij Romani Pontifices, Imperatores, Regéſque Catholici Academias erexerunt, annuiſque redditibus ampliſſimis ditarunt, vt Profeſſorum alij Petrum Lombardum, alij S.Thomam, alij Scotum, alij Durandum exponerent confluentibus vndique Auditoribus, eorúmque ſententias, plerúmque diſcordes, defenſarent tam priuatim, quàm publicè, & pro viribus magis, ac magis in dies promouerent. Nouerant quippe, *expedire contrarias in ſtudiis Eccleſiaſticis* (dum Catholicæ fidei periculum non impendet) *eſſe opiniones ad exercendum ingenium, & excutiendam ſtudentium pigritiam*, vt notatur in additione 2.Gloſſæ Ordinariæ ad c. 28. l.1. Regum. Vnde qui pacis prætextu conaretur eliminare à generalibus ſcholis patrocinia diuerſarum opinionum, quas probati Doctores tradiderunt, ſuſpicionem ſubiret intentati belli contra ingenij exercitium, & ſtudentium ſedulitatem. Hæc præmiſiſſe oportuit, ne quis nos obiurget de tot Authorum conſultatione, tótque ſententiarum examine, quot in hoc excurſu ſubiicientur.

An Dæmones igni corporeo phyſicè vniti torqueantur per veram materialem, & vitalem ſenſionem caloris?

145 SApientiſſimus P. Ioannes de Ripalda in tract. manuſcripto de Angelis excogitauit, cruciatum Dæmonum ab igne corporeo eatenus poſſe aptè explicari, quatenus vniti phyſico vinculo cum igne torqueantur per veram, materialem, & vitalem ſenſionem caloris. Quam nouam cogitationem ſic probat: Dæmon poteſt vniri phyſicè cum igne, non enim repugnat duas naturas completas vniri phyſico nexu. Deinde Dæmon ſic vnitus poteſt diuina virtute elicere vitaliter ſenſionem, ſeu apprehenſionem materialem caloris. Nam non repugnat ex parte ignis eleuari ad producendum actum vitalem dependentem partim ab ſpiritu, partim ab ipſo igne; qui actus erit proinde materialis, qualis eſt actus ſenſationis humanæ. Neque item repugnat ex parte Angeli, eleuari eius potentiam cognoſcitiuam ad modum cognoſcendi materialiter calorem; vt enim ad hunc modum eleuetur, ſufficit, quòd eius obiectum contineatur ſub ſphæra naturali potentiæ Angelicæ; & quod hic modus cognoſcendi non excedat alios modos naturales, quibus in aliqua obiecta ferri poteſt. Quare ſufficit, quòd in potentia cognoſcitiua Angelica eminenter contineatur. Sed calor eſt obiectum cõprehenſum ſub ſphæra naturali cognoſcitiua Angeli, modúſque apprehendendi materialiter, & cum dependentia à corpore, non excedit modum, quo alia obiecta, & eundem calorem ſibi coexiſtentem intelligit, intuetúrque naturaliter: cùm modus ſic cognoſcendi altior ſit, & excellentior, contineátque eminenter modum apprehendendi materialiter.

146 Si obiiciatur primò, Dæmon non eſt magis ſenſitiuus, quàm eſt ignis: ſed hic eleuari non poteſt ad ſentiendum. Ergo neque ille. Secundò, ignis vnitus Dæmoni non accipit vitam ab ipſo: ſed ſi ignis reciperet apprehenſionem materialem, acciperet vitam, quam corpus ab anima; quippe eâ ſolùm ratione per hanc viuat illud, quia recipit operationes materiales vitales animæ. Tertiò, ſenſionem materialem debent neceſſariò antecedere diſpoſitiones, & organa corporea. Ergo non poteſt fieri in Dæmone vnito cum igne carente talibus organis. Quartò, ſenſio materialis elicita à Dæmone erit ſupernaturalis: ſed ſenſio ſupernaturalis, nequit eſſe diſconueniens Dæmoni. Quintò, in Dæmone vnito cum igne non producitur calor: Ergo nec materialis apprehenſio illius. Sextò, vt calor affligat Dæmonem, debet apprehendi tanquam nociuus ipſi, aut compoſito, quod conſtituat: ſed calor non apprehenditur vt nociuus Dæmoni, neque compoſito conſtituto ex Dæmone, & igne. Septimò, quamuis Dæmon ſentiat apprehenſione, & ſenſatione materiali calorem, tamen hæc ſenſatio non eſt exuſtio, & ardor, vti explicatur à Patribus Eccleſiæ. Octauò, anima ſeparata torquetur ab igne, atque adeò vnietur phyſicè cum eo: Ergo ſiquidem ſit incompleta pars, vnietur tanquam forma conſtituens ſuppoſitum cum igne, & communicans ei vitam. Has obiectiones præuidit acutiſſimus Ripalda; cuius opinatio placere mihi nunquam potuit. Sed an meritò, an immeritò non aliter oſtendam, quàm inſufficientiæ arguendo reſponſa ipſius ad præuiſas obiectiones, & addendo ſimul alias.

147 Reſpondet ad primam, Dæmonem eſſe eminenter ſenſitiuum (non ſic ignem) quia apprehenſiuus eſt caloris modo eminenter continente apprehenſionem, & ſenſionem corpoream. Contrà primò, quia ſi ex eo, quòd Dæmon poteſt per intellectum percipere ſpiritualiter calorem, infertur, poſſe ſentire materialiter illum; inferam ego æquo iure poſſe ſentire materialiter colorem, ſonum, odorem, ſaporem, & qualitates tangibiles; proindéque poſſe delectari, aut triſtari materialiter de his obiectis non minus, quàm homo. Contrà ſecundò, quia

Deus

Digitized by Google

Deus igni vnitus hypoſtaticè, non poſſet materialiter ſentire calorem, etſi naturaliter habeat vim percipiendi eum ſpiritualiter. Efficax alia impugnatio inuenitur in n.77. exercit.28.

148 Ad ſecundam reſpondet, igni nec ſubſtantialem, nec accidentalem vitam communicari à Dæmone. Non ſubſtantialem, quia non vnitur igni tanquam pars incompleta ordinata ad illum vt ſubiectum. Non accidentalem, quia ignis non confert concurſum materialem, in apprehenſionem & dolorem materialem, vt vitales ſunt, ſed vt corporeæ ſolùm. Nam ad concurſum vitalem requiritur, quòd ſit immanens in eodem ſuppoſito operante immanenter: ignis autem non conſtituit idem ſuppoſitum cum Dæmone. Contra, quia non magis requiritur ad concurſum vitalem, quòd ſit immanens in eodem ſuppoſito operante immanenter, quàm requiritur ad concurſum materialem in actum vitalem, quòd ſit à potentia paſſiua pertinente ad idem ſuppoſitum: Sed ignis non conſtituit idem ſuppoſitum cum Dæmone: Ergo.

149 Ad tertiam reſpondet, organa, & diſpoſitiones corporeas non eſſe neceſſarias, vt fiat ſenſio diuinitus, & per potentiam obedientialem. Sed contra, quia ſenſatio debet prouenire à potentia ſenſitiua; hæc verò conſiſtit adæquatè, aut inadæquatè in organis, & diſpoſitionibus corporeis, vel requirit eas eſſentialiter, vt prodeat in aliquem actum; vel ſaltem debet eſſe corporis phyſici organici potentiâ vitam habentis informatiuus actus ex ſuo genio.

150 Ad quartam reſpondet, ſenſionem ſupernaturalem poſſe cruciare Dæmonem; ſicut enim Deus poteſt eleuare omnium Beatorum ſenſus ad ſenſiones ſupernaturales animo iucundas, vt probat ipſe Ripalda lib. 3. de ente ſupernaturali diſp. 44. ſect.9. & 10. ita poteſt eleuare Dæmonem ad iniucundas. Contra primò, quia gratis admiſſa ſenſione ſupernaturali caloris, non eſt, cur potiùs cruciet quàm delectet Dæmonem, vti non eſt, cur potiùs cruciaret, quàm delectaret ſupernaturalis ſenſio coloris. Contra ſecundò, quia ſupernaturalis ſenſio obiecti non diſconuenientis nequit eſſe afflictiua, quin potius erit delectabilis, tum quia ſupernaturalis, tum quia eſt exercitium potentiæ.

151 Ad quintam reſpõdet negando conſequentiã; nam anima vnita corpori percipit ſenſione materiali calorem non inhærentem ſibi, cùm ſenſus internus non diffuſus per totum corpus percipiat ſenſationem cuiuis corporis parti adhærentem, & iuxta plures nulla qualitas ſentitur à tactu in ea parte, qua elicitur ſenſio, ſed in aliis. Contra, quia vt calor ſentiretur à Dæmone ad modum, quo ab homine ſentitur, debet eſſe intimè coniunctus Dæmoni; alioqui poſſet homo diuinitus ſaltem ſentire calorem diſtantem, & in terra exiſtens tangere manibus cœlum. Sed quia duo hæc poſſibilia eſſe diuinitus dicam alibi; ideò contrà aliter, quia calor, vt ſentiatur afflictiuè, debet poſſe ſaltem afficere corpus, cuius temperamento ſit diſconueniens, & inter quod, ac ſentiens afflictum detur ſympathia; Sed etſi Dæmon ſit penetratus cum calore, & vnitus immediatè cum igne, ac proinde mediatè cum calore, tamen neque calor eſt diſconueniens igni, neque inter Dæmonem, & ignem datur ſympathia: Ergo. Et hinc patet, cur anima rationalis vnita proprio corpori ſentiat afflictiuè calorem nimium in ipſo corpore receptum, quem tamen non ſic ſentiret, ſi diuinitus vniretur ligno, in quod introduceretur calor. Et hinc etiam apparet cur eadem anima poſſet afflictiuè ſentire de potentia abſoluta calorem nimium diſtantem procul à corpore, niſi forte alicui (& probabiliter quidem) videatur, ſenſuram tunc calorem, ſed non afflictiuè.

152 Ad ſextam reſpondet, calorem affligentem Dæmonem ſenſione materiali non debere apprehendi nociuum in actu ſignato, ſcilicet apprehenſione comparante calorem cum viuente, cui nocet; nam hæc comparatio aliena eſt à ſenſu interno; ſed in actu exercito, quia ipſa ſenſio eſt intrinſecè nociua, & afflictiua Dæmonis, ſicut viſio pulchritudinis eſt nobis intrinſecè iucunda, & fœditatis iniucunda, etſi viſio nullam ex parte obiecti conuenientiam, aut diſconuenientiam percipiat. Itaque ſunt qualitates, quæ obiectiuè, & apprehenſiones, quæ formaliter nociuæ ſunt, quamuis non afferant nocumentum, aut priuationem boni. Quia ipſæ ex natura ſua ſunt poſitiuè dolorificæ, & triſtantes ſpiritum. Sed contrà primò, quia quamuis concedatur, Dæmonem vnitum igni producere poſſe ſenſionem materialem, tamen non eſt, cur ipſa ſit afflictiua illius, cùm non ſit de obiecto diſconuenienti: calor enim ſecundùm ſuam naturam non eſt diſconueniens Dæmoni potiùs, quàm aliæ qualitates materiales. Ob hanc rationẽ quanuis Dæmon vnitus parieti albo eliceret ſenſionem materialem albedinis, talis ſenſio non eſſet dolorifera, & cruciatiua Dæmonis, quia non eſſet de obiecto diſconuenienti eius naturæ. Contrà ſecundò, quia ſi materialis ſenſio caloris eſt formaliter, & intrinſecè nociua Dæmoni, erit multò potiùs nociua formaliter, & intrinſecè ſpiritualis perceptio caloris. Quare ſine neceſſitate excogitatur ſenſio illa materialis.

153 Ad ſeptimam reſpondet, duplicem eſſe exuſtionem materialem: aliam naturalem, quæ eſt calefactio orta à calore: aliam ſenſitiuam, & vitalem, quæ eſt à viuente percipiente calorem, hâncque in Dæmone reperiri, quam ſequitur dolor, & triſtitia materialis, vt in nobis ad ſenſionem materialem tactus ſequitur dolor, & materialis triſtitia appetitus ſenſitiui. Contra primò, quia tormentum, & cruciatus Dæmonis debet potiùs conſiſtere in dolore, & triſtitia ſpirituali, quæ ſi ſemel admittatur de igne, vanè adſtruitur præcedens dolor, & triſtitia materialis. Contra ſecundò, quia materialis perceptio caloris non eſt propria exuſtio; ſed metaphorica: Ergo ſi ad metaphoricam recurritur exuſtionem in Dæmone, ſatis erit, vt ea ſoluetur, dolor, & triſtitia ſpiritualis, cuius cauſa ſit calor.

154 Ad octauam reſpondet, animam non vniri igni tanquam formam, non enim vnitur materiæ ignis, ſed formæ, cuius non eſt actus, ac proinde non communicat illi vitam, neque ex vtraque reſultat homo. Contra, quia non video, quid referat vnio phyſica animæ ad formam ignis, vt anima eliciat ſenſationes materiales. Nam forma ignis nullas habet diſpoſitiones, & organa deſeruientia ad operationes vitales. Quare ſicut anima non poteſt audire in pedibus, quibus eſt vnita, quia non habet in illis diſpoſitiones, & organa deſeruientia ad auditionem, ſic neque anima poterit ſentire in forma ignis; quia hæc forma caret diſpoſitionibus, & organis conducentibus ad ſenſationes materiales. Hactenus Ripalda; & nos contra ipſum: poſtmodúmque ſubiungemus non ignobilia alia tela.

155 P.Leſſius lib.13. de perfectionibus diuinis cap.30. non aſſerendo, ſed inquirendo, & diſpu-

Digitized by Google

tando proponit ſuam de cruciatu Dæmonum ab igne cogitationem, adeò ſimilem ei, quam te futaui, vt ouum ouo non ſit ſimilius. Nam ſupponens in Angelis non ſolùm eſſe vim intelligendi obiecta externa, ſed etiam percipiendi modo ſenſibili ipſis accommodato; Si enim in anima ſeparata ponitur talis vis, quæ tamen propter imperfectionem egeat naturaliter inſtrumẽto, & adminiculo corporis, per quod obiecta externa tranſmittantur ad illam, videtur rationi conſentaneum, vt hæc vis in Angelis ponatur, etſi modo longè perfectiori, pręſertim cùm etiam in Angelis aliud ſit intelligere naturam, & eſſentiam caloris, aliud ſit cognoſcere experientia, ſentiréque calorem. Supponens, inquam, hęc; ratiocinatur ſic: Ignis naturaliter per ſuum calorem poteſt affligere animam mediante corpore producens in ipſa tanquam in ſubiecto immediato, & adæquato non quidem calorem, ſed dolorem. Ergo de potentia abſoluta poteſt affligere tum animam, tum Dæmonem ſine vllo corpore medio, cuius defectum ſuppleat Deus.

156 Hæc etiam cogitatio reiicienda eſt primò, quia ille dolor conceptus à Dæmone vel ſimilis eſt dolori appetitus ſenſitiui interni, vel dolori voluntatis. Similis primo eſſe nequit; hic enim ſupponit neceſſariò ſenſionem tactus. Vnde ſicut nequit Dæmoni conuenire ſenſus tactus, ita neque dolor reſpondens illi, qui per ſympathiam ex apprehenſione tactus generatur in appetitu ſenſitiuo. Si ſecundo ſimilis ſit, ſine neceſſitate inducitur potentia quaſi ſenſitiua in Dæmone: ad hoc enim, vt doleat de calore, ſufficit ab intellectu proponi voluntati, vt diſconuenientem; quippe hoc ipſo ſequetur auerſio, & dolor non diſſimilis illi, qui concipitur ex diſconuenientia obiecti ſpiritualis.

157 Secundò, quia dolor Dæmonis de calore vel eſt ſpiritualis, vel materialis: Si ſpiritualis, erit vel intellectio, vel volitio; ac proinde non pertinebit ad potentiam quaſi ſenſitiuam. Si materialis, vel non poterit ſubiectari in Dæmone, vel ſaltem non poterit illum ſentientem denominare, vti viſio materialis recepta in Dæmone non poterit denominare ipſum videntem materialiter. Quòd ſi poſſet Dæmon affici dolore referente illum, quem habet anima, dum corpus, quod viuificat, vritur, poſſet quoque dolore referente eum, quem eadem patitur, quando corpus ſtrangulatur, aut ferro ſcinditur, aut aquis ſuffocatur. Et vrgeo exinde, quòd nequit in Angelo produci voluptas ſimilis illi, qua oblectatur anima, dum corpus, quod informat, tangit blanda, odoratur ſuauia. Ergo nec poterit produci in Dæmone dolor ſimilis illi, quem patitur anima, dum comburitur corpus viuificatum ab ipſa. Vt enim ea voluptas ſupponere debet apprehenſionem habentem pro obiecto qualitates tangibiles, & odoriferas perceptas ſenſibus tactus, & guſtus, ſic hic dolor ſupponere debet apprehenſionem pro obiecto calorem diſconuenientem perceptum per ſenſum tactus.

158 Tertiò, quia non eſt, cur potiùs calor, quàm color inferat dolorem Dæmoni; non enim ille habet maiorem repugnantiam naturalem, ſeu diſconuenientiam cum Dæmone, quàm hic; neque ille potiùs, quàm hic inferret dolorem animæ coniunctæ corpori, niſi ille potiùs, quàm hic diſſolueret violentè temperiem corporis, cuius malum ſentit anima ob ſympathiam. Hinc ſi in corpore reciperetur calor intenſiſſimus, & Deus miraculosè impediret ſenſionem tactus, nullum ex eo calore dolorem eliceret anima. Confirmatur, quia catenus calor affligit animam coniunctam corpori, quatenus anima vtpote actus, formaque viuificans corporis habet ſympathiam cum eo: ſed Dæmon neque eſt, neque eſſe poteſt actus, formaque viuificans corporis, cùm ſit ens ſubſtantialiter completum, & nullum dicens ordinem ad corpus. Vnde S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuitate Dei. c. 10. ſcribit, *Adhærebunt ergo, ſi nulla ſunt eis corpora, ſpiritus Dæmonum, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, & corpore: ſed vt dixi, miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.*

159 Quartò, Deus ſupplere nequit diſconuenientiam obiecti, & facere, quòd obiectum reuera non diſconueniens, ſit reuera diſconueniens, & verè iudicetur vt tale, ſi obiectum in ſe nullo modo mutetur, aut acquirat aliquid, propter quod induat rationem diſconuenientis. Sed catenus Deus suppleret defectum, & ſympathiam corporis in anima ſeparata, aut Dæmone, quatenus faceret, quòd ignis eſſet reuera illis diſconueniens. Nam propterea voluntas excitatur per ſympathiam ad eliciendum actum doloris, quando anima eſt coniuncta corpori, quia ſenſus exhibet ignem, qualis reuera eſt, nempe prout nociuum corpori; cuius damnis condolet voluntas, cum ad idem totum pertineat. Quintò, quia in facultate perceptiua Angeli cuiuſuis reſpectu caloris, nihil aliud datur, quàm cognoſcere eum vel abſtractiuè, vel intuitiuè, vt neque aliud datur in facultate perceptiua Dei. Neque minus caret Angelus diſpoſitionibus, & organis corporeis requiſitis ad vſum potentiæ ſenſitiuæ, quàm careat Deus. Et licèt in anima aliud ſit cognoſcere naturam, eſſentiamque caloris, aliud cognoſcere experientiâ, non tamen in Dæmone, quia in anima vnita corpori poteſt dari ſpecies, & experimentalis apprehenſio vſtionis proponens vſtionem non vtcumque, ſed ſenſione materiali tactus perceptam. Aſt in Dæmone non poteſt dari ſpecies, & experimentalis apprehenſio vſtionis ſenſione materiali tactus perceptæ; ſiquidem ſunt incapaces Dæmones tã tactus, quàm veræ vſtionis.

160 Ex his manent obiter refutati Dominicus Soto in 4. diſtinct. 50. quæſt. vnica, art. & concl. 2. Molina 1. part. q. 45. art. 5. diſput. 2. §. *ad tertium*, Valentia tom. 1. diſp. 4. quæſt. 15. puncto 3. dum affirmant Dæmones, & animos ſeparatos cruciari ab igne, quia hic ex diuina eleuatione producit in eorum voluntate dolorem eiuſdem rationis cum eo, quem habet in ſua voluntate animus, dum corpus, quod informat, comburitur igne. Manent etiam impugnati Vaſquez 1. part. diſp. 243. n. 26. & Ægidius Conink. 3. part. diſput. de Purgatorio à num. 31. circa cruciatum ſeparatorum animorum; nam primus docet, ignem idcirco eos cruciare, quia diuina virtute eleuatur ad id, ſupplente Deo determinationem voluntatis à ſenſibus, ex qua per ſympathiam oritur dolor in animis coniunctis ad corpora. Secundus dicit, ignem idcircò eos cruciare, quia inſeparabiliter alligati ad aliquod corpus, ſine vnione tamen ſubſtantiali, habeant cum ipſo eandem ſympathiam, quàm priùs habuerant cum corpore informato. Vnde mirum non ſit, ſi ſimiliter affligantur per qualitates ſenſibiles, ac cum informabant corpus. Manet denique exploſus Zacharias Boberius tomo 1. demonſtrationum ſymbolicarum. lib. 1. demonſtrat. 3. generali art. 20. concl. 2. dum ait, animum ſeparatum dolere, & triſtari de

obiectis

Digitized by Google

obiectis diſconuenientibus ſenſui, non minus, quàm ſi ſenſus ipſe adeſſet, quia eſt radix facultatum ſenſitiuarum, & forma corporis, ac proinde per eas radices non minus refugit corpora nociua, quàm refugiebat, dum informabat corpus, ideóque doleat, ſi vitare non poſſit. Sed addendum eſt contra hunc Authorem, quia non explicat, quomodò ignis poſſit eſſe diſconueniens animo ſeparato, & ipſum lædere, ex eo enim erat diſconueniens animo vnito ad corpus, quia euertebat debitam corporis temperiem, aut illi erat diſſonus. Et rogandus eſſet, an animus ſeparatus per radicem illam ſubſtantialem ſenſitiuam eliceret ſenſationes ſpirituales, vel corporeas? Et vtrouis modo reſponderet, reiectus ſatis ſupérque eſt ex præcedentibus. Qui plura velit contra Conink, adeat Arriagam tom. 2. in 3. p. diſp. 26. ſect. 6. qui verò contra Bobetium pergat ad Theophylum Raynaudum diſt. 8. Theologiæ natur. q. & art. 4. à n. 251. vſque ad 257.

An Dæmones torqueantur ab igne corporeo producente in ipſis aliquid materiale, vel ſpirituale, non vitale?

161 HEnricus de Gandauo quodlib. 8. q. 34. aſſeruit, ignem torquere Dæmones efficiendo in illis vehementiſſimum calorem. Diſplicet primò, quia calor non eſt potiùs nociuus, aut dolorificus Dæmonibus, quàm color. Neque eſt, cur intenſiſſimus calor potiùs, quàm remiſſus ſit moleſtus illis. Secundò, quia calor nullo modo diſconuenit Dæmonibus, cùm neq; eos ſpoliet vlla naturali diſpoſitione, aut ornamento, neque vllo alio modo eos malè afficiat. Tertiò, quia vt Dæmones haberent dolorem de calore proportionatum ei, quem habet anima vnita corpori, non eſt opus recipere in ſe calorem, vti neque anima coniuncta corpori recipit illum. Et licèt calor efficeret immediatè dolorem, poſſet miraculosè eleuari à Deo, vt ageret non ſolùm non receptus in Dæmonibus, ſed longè diſtans ab ipſis.

162 Baconus in 4. diſt. 46. art. 2. tradit ignem torquere Dæmones per calorem ſpiritualem. Sicut enim anima rationalis conſtat ex gradu ſpirituali, & corporeo; ita calor ex virtute materiali, & ſpirituali: vel Deum igni imprimere virtutem ſpiritualem quæ agat ſpiritualiter in Dæmones. Portentoſa ſunt, imò & chymærica hæc omnia, implicat namque contradictionem, vt eadem qualitas ſit ſimul materialis, & ſpiritualis formaliter. Quod dicitur de anima rationali falſiſſimum eſt; non enim eſt formaliter corporea, ſed tantùm virtualiter, quatenus ſic continet gradum corporeum. Ad hæc: non apparet, qua ratione calor ſpiritualis, aut virtus ſpiritualis impreſſa diuinitus igni poſſit agere in Dæmones aliquid, ex quo doleant.

163 P. Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 2. lib. etiam 8. de Angelis cap. 15. à n. 45. & poſt tantum Doctorem Malonius, Peſantius, Zumel, Meratius, Duuallius, Arriaga, Franciſcus de Lugo, Yſambertus, Puteanus, aiunt Dæmones torqueri ab igne per qualitatem ſpiritualem ex ſe dolorificam, & fœdatricem ſubſtantiæ Angelicæ productam ſupernaturaliter ab igne. Impugnantur à nonnullis, quia ea qualitas, niſi ſit ſupernaturalis, debet eſſe connaturalis alicui ſubiecto ſpirituali: omne enim accidens naturale debet eſſe alicui naturæ connaturale, & proprium, ne malè natura prouiderit productioni accidentis nullam ei certam, & ſtatam cauſam aſſignando: ergo non poſſet non ornare ſubſtantiam Angelicam, ei enim deberet eſſe connaturalis vel animæ rationali. Sed probabiliter reſponderi poteſt cum Meratio prædictam qualitatem eſſe connaturalem naturæ Angelicæ, non quidem ſimpliciter, & abſolutè, aut quocumque in ſtatu naturali conſideratæ, ſed exiſtenti in ſtatu peccati, in quod non ex gratia, ſed ex infirmitate naturæ ſit prolapſa, vti dolor Dæmonum de amiſſa beatitudine æterna eſt connaturalis ipſis ſuppoſito ſtatu peccati, & eleuatione per gratuitam Dei beneuolentiam ad beatitudinem æternam perfruendam.

164 Quapropter efficaciùs refellentur primò, quia non explicatur qualis ſit ea qualitas dolorifera, & quis ſit formalis effectus ipſius, ac proinde ignotus remanet modus, quo Dæmones cruciantur ab igne. Secundò, tam poteſt ignis per eleuationem producere in ſpiritibus qualitatem ſpiritualem conſonam ipſorum naturæ, quàm poteſt diſſonam. Dum autem ab igne torquendos malos ſpiritus audimus, & credimus, ſpeciale aliquid concipimus in igne ſecundùm ſe, vt potiùs torquere queat, quàm delectare, vel ſi de igne ſecundùm ſe nihil tale concipere debemus, præſtat de igne in eſſe phyſico ſolicitos nos non eſſe ad pœnam Dæmonum. Tertiò, quia Dæmones affliguntur ab igne per ardorem, & vſtionem, quæ eſt actio propria ignis; ea autem qualitas non affligit per ardorem, & vſtionem, aut non niſi valdè analogicè; quòd ſi admittatur à Suario, eneruantur vires argumentorum, quibus impetit Thomiſtarum ſententiam, de qua infra. Et verò ſi ea qualitas fieret ab aqua, vt poteſt, Dæmones nullatenus dicerentur ardere, vri, cremati, &c. Ergo neque per eam productam ab igne eſt, cur dicantur calefieri potiùs, quàm frigefieri: neque datur intelligi, quomodò ex ea qualitate proueniat dolor combuſtioni reſpondens, ſecluſa falſitate iudicij prælucentis voluntati concipienti dolorem.

165 Quartò, quia ea qualitas non poteſt non ornare Dæmonem, in quo recipitur, cùm ſit [illegible] valdè nobilis, & pertinens ad eundem ſtatum ſpiritualem, in quo Dæmon eſt collocatus, & cum non tollat qualitatem aliquam connaturalem Dæmoni, nec lædat ipſius temperiem, aut diſpoſitionem. Si reſpondeas, eam qualitatem non phyſicè, ſed moraliter fœdare Dæmonem. Contra, quia ex tali fœditate morali non eſt, cur Dæmon concipiat dolorem adeò ingẽtem, & incõparabiliter maiorem illo, quem concipere ſolent fœminæ, ſi infecto atramento deturpetur ipſarum facies. Præterea ſi ea qualitas fœdat moraliter ob moralem oppoſitionem cum gratia ſanctificante, erit vel peccatum, vel quid reſiduum ex peccato, & non poterit fieri à Deo, vt cauſa ſpeciali, & vt eleuante miraculosè ignem ad eius productionem, aberitque ab animabus Purgatorij, in quibus non manet quidpiam fœdum propriè moraliter ob oppoſitionem cum gratia, ſed ſolùm pœnæ debitum; nam culparum venialium reatus remittitur, cùm primum ingrediuntur Purgatorium. Denique ſi Dæmonibus non eſt moleſta macula peccati tam actualis, quàm habitualis, quin potiùs quaſi gaudent de fœditate proueniente ex peccato, cur moleſta erit inuenuſtas orta ex ea qualitate?

166 S. Bonauentura, Ægidius Romanus, Richardus, Gabriel, & alij apud Suarium lib. 8. de Angelis cap. 13. tenent, Dæmones eatenus ſolùm affligi ab ignis calore, quatenus hic producit in ipſis ſpeciem quandam impreſſam, quæ ſit proxima ratio obiectiua doloris. Diſplicent primò, quia Angeli beati habent etiam ſpeciem impreſſam caloris, quin ratione

Digitized by Google

tione illius crucientur, imò ipſi Dæmones habebant ab initio ſuæ creationis ſpeciem naturalem caloris inditam à Deo, iuxta communem ſententiam, quin ratione illius torquerentur, antequam damnati fuiſſent,& modò eam conſeruant,quia naturalia in Dæmonibus manſerunt integra; ſed ab ea non læđũtur.Nec video quid referat, hanc aliam cauſari à calore per potentiam obedientialem, vt torqueat præ illa. Secundò, quia qualitas, quæ eſt proximũ doloris obiectum, debet eſſe incommoda, & nociua;ſed ſpecies caloris impreſſa Dæmoni à calore,nõ eſt incõmoda,& nociua,vt cognita ab ipſo. Nam vel repræſentabit obiectum aliquod,neq;conueniens,neque diſconueniens Dæmoni,vel conueniens,vel diſconueniens. Si primum,neque ad dolorem,neq;ad voluptatem mouebit:ſi ſecundũ,mouebit ad voluptatem:ſi tertium,peto,vt aſſignetur, quidnam ſit illud obiectum diſconueniens? Et aſſignato illo(ſi aſſignari poſſit)certè Dæmon non tã torquebitur productione ſpeciei, quàm vi obiecti diſconuenientis repræſentati per ſpeciem,ſicuti nos non torquemur per ſenſum tactus,ſed per ardorem productum in corpore ab igne,licèt non minus per tactum percipiamus ardorem, quàm Dæmon per ſpeciem perciperet obiectum diſconueniens. Tertiò, quia ſi à colore per potentiam obedientialem produceretur in Dæmone ſpecies ſua,non ideò cruciaretur. Ergo neque cruciabitur ex eo quòd producatur à calore; non enim eſt, cur Dæmoni ſit magis diſconueniens ſpecies hæc,quàm illa.Adde, eandemmet ſpeciem,quæ à calore eleuato producitur in Dæmone,poſſe à Deo ſolo produci,& tamen tunc non torqueretur Dæmon per illam.

167 Si dicat quis primò, Dæmonem cruciari, quia ſubiicitur igni (quæ eſt adeò vilis creatura) in accipienda ſpecie impreſſa ipſius.Contra primò, quia nulla eſt cauſa doloris in hominibus, quòd ſubiiciantur aquæ, ſimilique materiæ ſacramentali ad recipienda gratiæ dona,per quæ ſupernaturaliter perficiuntur.Ergo nulla,vel leuis erit cauſa doloris Dæmonibus,quòd ſubiiciantur igni, in accipienda ſpecie,per quam perficiuntur naturaliter, vti & per cognitionem ignis.Contrà ſecundò,quia cruciatus Dæmonum ab igne eſt grauiſſimus:talis autem non apparet,ſi ad illam præcisè ſubiectionem reuocetur.

168 Quòd ſi rurſus dicat quis, cruciari Dæmones ex eo, quòd ab igne ſpecies accepta tam ſit vehemens,vt perturbet,& lædat ipſorum intellectum. Contra primò, quia intellectus Angelicus, cùm ſit ſpiritualis, & incorruptibilis, eſt incapax læſionis per ſpeciem. Contra ſecundò,quia neque potentia ſenſitiua læditur receptione ſpeciei, quin potiùs perficitur. Quare quando læditur à vehementi ſenſibili, non prouenit id ratione ſpeciei, ſed aliarum qualitatum naturali temperamento organi contrariarum, quas obiectum emittit ſimul cum ſpecie. Contra tertiò, quia ſpecies etiam valde intenſa caloris eatenus ſolùm poſſet eſſe diſconueniẽs Angelo,quatenus calor valde intenſus poſſet eſſe diſconueniens. Aſt non apparet, qua ratione calor valde intenſus poſſit eſſe diſconueniens Angelo:ergo,&c.

An Dæmones torqueantur ab igne corporeo per ſolam alligationem localem ad ipſum, vel ſaltem per alligationem etiam intentionalem?

169 THomiſtæ, fauente Toſtato in c.25. Matthæi q.506. aliiſque tam antiquis, quàm modernis tuentur, Dæmones non alio modo cruciari ab igne,quàm per ſolam alligationem localem ad eum contra ſuam voluntatem,& inclinationem, poteſtatémque naturæ ſpiritualis, quæ hoc habet, vt liberè,nullo prohibente,migret quocumque voluerit.Sed non placent primò, quia ſic modicè punirentur Dæmones, vti apud nos pœna carceris cenſetur mitiſſima. Imò etſi nobis ſit acerba,tamen Dæmonibus leuis erit, quia alligati vni loco poſſunt ad quamcumque diſtantiam percipere omnia ſolatia ſibi connaturaliter obuenientia ex vſu æquè perfecto ſuorum actuum: poſſunt etiam cum aliis agere, & loqui familiariter, poſſuntque præterea vel ex ignis contemplatione oblectamentum capere, cùm aliàs ſciant, eum non eſſe ex ſe damnoſum ſibi ipſis. Confirmatur ex diuite Epulone,qui non dixit *detineor*,ſed *crucior in hac flamma*, nec petiit liberationem à carcere Inferni, ſed refrigerium aquæ oppoſitum non alligationi, ſed calefactioni, & exſiccationi linguæ. Secundò,quia animæ Purgatorij aliam pœnam debent pati ab igne, cum & in ipſis valeat proxima ratio oſtendens alligationem ſolam fore leuem pœnam, multóque leuiorem, quia non erit perpetua; & aliunde nequeant ex ſuperbia triſtari,quòd per vim ab igne detineantur, ſubiiciantúrque quoad hoc creaturæ tam vili.

170 Tertiò, quia dolor ex detentione in igne,& ab igne non eſt ſimilis illi, quem ex combuſtione percipiunt homines,neque eſt,cur ſit diſſimilis illi, quem ex inuoluntaria alligatione ad aquam, aut niuem perciperent Dæmones. Quartò, quia exiſtentes Dæmones in hoc aëre caliginoſo patiuntur ab igne,quin tamen in eo nũc alligentur.Et quamuis circumferrent ſecum, ſi tamen non aliter torquet,quàm per alligationem,nihil ad pœnam conferret inuectio ignis non impedientis ire quoquo velint. Nec proderit reſpondere, tales Dæmones pati ab igne, quatenus ſciunt ſe deſtinatos eſſe, vt poſt Iudicij vniuerſalis diem alligentur ipſi. Nam apprehenſio futuræ alligationis non excitabit ad dolorem, ſed ad timorem. Et admiſſa conceptione doloris ex apprehenſa alligatione futura,adhuc dolor non eſſet effectiuè ab igne, ſed tantùm à Deo. Siquidem ignis obiectiuè ſolùm proponeretur. Vrgeo, Lucæ 8.Dæmones in aëre exiſtentes,& pœna ignis obſtricti non minus, quàm ſi in Inferno exiſterent, rogabant Chriſtum,ne imperaret illis, vt in abyſſum irent, vbi alligati,& incarcerati manerent: Ergo ea alligatio inuoluit aliquid aliud præter ignis pœnam.

171 Quintò, animæ puerorum, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt, detinentur nunc tanquam in carcere in Limbo,& tamen non patiuntur pœnam ſenſus,neque patientur poſt diem extremi Iudicij, etſi illuc redituræ ſint,æternúmque ibi manſuræ,vt docent communiter Theologi:Ergo Dæmonum pœna ſenſus includit aliquid aliud præter alligationem localem ad Inferni clauſtra. Similiter animæ Sanctorum includebantur in Sinu Abrahæ ſubtus terram, antequam Chriſti Domini anima victrix ab Inferis rediret; neque ideò ab aliquo corpore afflictionẽ patiebantur.Raphaël Angelus,vt refertur Tob.8.*religauit Dæmoniũ in deſerto ſuperioris Ægypti*.Hæc verò religatio non habetur inſtar ingentiſſimæ miſeriæ.Non ergo alligatio in receptaculo aliquo ſubterraneo tantũ pœnę,& cruciatus pręſe fert, quantum prædicare videntur ſacræ litteræ,& Patres ſibiq; Chriſtiani perſuadere de Dæmonibus,& animabus damnatis in Inferno,deque expiatis in Purgatorio.Sextò,quia alioqui Dæmonũ pœna ab igne gehennali eſſet æqualis, cùm omnes exiſtentes in

barathro

Digitized by Google

barathro æqualiter vinciantur igni. Neque proderit reſpondere, vnum dæmoné magis efficaciter, quàm alium apprehendere malum alligationis ad ignem, proindéq; vnius pœnā eſſe maiorem, quàm alterius, ſicut eadem de cauſa maior eſt in vno, quàm in alio pœna damni. Non, inquā, proderit, quia inæqualitas pœnæ, cuius obiectū eſt malum reale, ac poſitiuum aptum ex ſe eſſe maius, aut minus non debet reduci in apprehenſionem, ſed in ipſum malum, proindéque in noſtro caſu inæqualitas pœnæ Dæmonum reuocanda eſt ad ignem, provt ex parte ſua poteſt magis, aut minus affligere ipſos. Et prætereà qui minùs grauiter peccarunt, affligerentur magis ex apprehenſione etiam non adeò efficaci. Videmus enim homines eò magis dolere, quò delicta ſunt minus grauia, ſi ſe coniectos in carceré deſtinatum ſceleratiſſimis aliis conſiderent, etſi non valdè viuidè. Diſcrimen à damni pœna eſt manifeſtum; nam huius pœnæ obiectum, nempe priuatio viſionis beatæ, eſt malum ex ſe æquale.

172 Septimò, quia alioqui tormentum Dæmonum, & ſeparatarum animarum, prouenićs ab igne, leuiſſimum erit comparatum cum eo, quod ex ipſomet igne patientur animæ reunitæ corporibus; alligatio enim mera ad ignem, vix eſt pœna, ſi comparetur cum actione reali, vel intentionali ignis in corpora rediuiua. Octauò, quia vt Dæmones crucientur ab igne per alligationem, opus eſt, hanc fieri vi ignis, nam ſi aliter fiat, cruciabuntur quidem aliquatenus ex detentione in ſpatio, cui coexiſtit ignis, non tamé cruciabūtur ab igne, vti ſi ego nunc detinerer in aëris ſpatio contra meam voluntatem, non dicerer cruciari ab aëre, ſi non detinerer ab ipſo, etſi exiſterem intra ipſius ſuperficiem. Et huius ea eſt ratio, quia alligatio mei in ſpatio aëris maneret inuariata, quamuis ſuccederet alia ſuperficies; imò & quamuis ibi induceretur vacuum. Quæ ratio vrget eodem modo in alligatione Dæmonum ad ſpatium ignis non facta ab igne. Tunc ſic; nequit fieri detentio ab igne niſi hic producat in Dæmonibus aliquid phyſicum ſpirituale, quo formaliter detineantur. Reſpondebis ex Dominico Bañez, Luiſio Turriano, Iacobo Granado, Nazario, & aliis, ignem euehi à Deo, vt producat Vbi ſpirituale, quo inuitus Dæmon teneatur in Inferno. Sed contrà, nam iuxta Thomiſtas, quibuſcum nunc litigamus, præſentia Angelorum ad locum realem extrinſecum, conſiſtit in operatione tranſeunte exercita ab Angelis erga locum, vel in paſſione, quam ſubeant Angeli à loco, ſi hic ſit violentus, vel præternaturalis. Sed eam paſſionem eſſe vbicationem ſpiritualem cauſatam in Angelis à loco, tam gratis dicitur, quàm ſi à me diceretur, actionem tranſeuntem Angelorum erga locum naturalem eſſe vbicationem corpoream, cauſatam ab Angelis in loco. Reſpondebis rurſus, ignem ex eleuatione producere, & conſeruare in Angelo qualitatem quandam ſpiritualem referentem illius, qua vnus Angelus in probabili opinione poteſt naturaliter alium inferiorem detinere in loco. Sed contra, quia talis qualitas eſt inaudita in Thomiſtico Lyceo. Et ſiue hoc, ſiue illo alio modo detinerentur Dæmones ab igne: cur ignem, & non potiùs ingentia ſaxa aſſumpſit Deus, & eleuauit, vt Dæmonum retardarent, & impedirent motum, vt de Siſypho finxit Gentilitas? Cur pœna Dæmonum vocatur pœna ignis, ſi præcisè detineantur ab igne? Sanè homo non diceretur pati pœnam lapidis, ſi incluſus in carcere lapideo vndique obſtructo impediretur, ne extra exiret, vt Martinonus Noſter expendit eleganter.

173 Scotus in 4. diſt. 44. q. 2. Gabriel ibid. q. 3. ar. 2. explicant cruciatum Dæmonum ab igne, quatenus cogantur, vt perpetuò cogitent de illo, aut per ſpeciem vehementiſſimam adigentem, aut per cogitationem ipſam immediatè productam ab igne eleuato. Refutandi ſunt primò, quia alligatio violenta cogitationis ad ignem, non eſt vſtio, neque dolor acutiſſimus ſimilis illi, cuius in nobis eſt cauſa ignis. Secundò, quia non apparet, quomodò poſſit ſpecies ignis cogere Angelicū intellectum ad perpetuam conſiderationem, cùm à nulla ſpecie neceſſitetur ex natura rei ad conſiderationem obiecti, quod repræſentat virtualiter. Et licèt cogeretur, tamen id leuem triſtitiam inferret Dæmoni; non enim propterea impediretur omninò ab aliis rebus conſiderandis. Tertiò, quia animæ Purgatorij debent ab igne cruciari aliter, quàm per neceſſariam eius conſiderationem. Quæ licèt Dæmonibus aliquam triſtitiam inferret, ſecùs in animabus Purgatorij, cùm nulla ſuperbia efferantur, vt doleant ſe igni ſubiici quoad illam conſiderationem. Quartò, omnis actus doloris concipi debet de aliquo obiecto diſconuenienti. Sed ignis ex ſe non habet rationem obiecti diſconuenientis Dæmoni, neque eleuatur, vt eam phyſicè habeat quandoquidem eleuatio non efficiat, vt ignis non perſeueret, qualis anteà erat, neque eleuatus eſt magis diſconueniens, quàm aër, aut albedo, ſi vt poſſunt eleuarentur ad id, ad quod euehi ignem præſumit Scotus.

An Dæmones crucientur ab igne corporeo, quatenus illum præcisè apprehendant, vt diſconuenientem, vel quatenus eleuetur ille ad cauſandam in Dæmonibus triſtitiam de amiſſo ſummo bono?

174 VEteres nonnulli apud Suarium lib. 8. de Angelis cap. 13. dixerunt, Dæmones torqueri ab igne, quatenus ex mera apprehenſione eius, vt diſconuenientis excitatur dolor in voluntate ipſorum, qualis in voluntate animæ coniunctæ corpori excitatur ex apprehenſione vſtionis. Hunc modum cruciatus videtur tradere S. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. cap. 29. ſic loquens, *Teneri ſpiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo, atque ſentiendo puniatur. Ignem namque eo ipſo patitur, quod videt; & quia cremari ſe aſpicit, crematur: Sicque fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili ardor, ac dolor inuiſibilis trahitur, per vt ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur.* Hactenus S. Pontifex, quem tranſcribit S. Iulianus Toleran. lib. 2. Prognoſticôn cap. 17. Ex quo corrigenda eſt vulgata lectio in illis verbis S. Gregorij, *incorporeâ flammâ*: nam S. Iulianus non habet niſi *corporea flamma.* Sed ſi attendatur ſubſequenti clauſulæ SS. Gregorij, & Iuliani, conſtabit non fauere propoſitæ opinioni: addunt namque, *quamuis colligere ex dictis Euangelicis poſſumus, quia incendium anima non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patitur.* Et lib. 4. Moralium c. 45. inquit S. Gregorius, *Inferni clauſtra tenebroſa terra nominantur; quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna tranſitoria, vel phantaſtica imaginatione cruciant; ſed vltione ſolida perpetuæ damnationi ſeruant.* Veteres illi reiiciuntur primò; quia dolor eo modo explicatus non eſt verus, ſed imaginarius; cùm non ſit de obiecto verè diſconuenienti, ſiquidem ſubſtantia ignis non ſit verè diſconueniens

Dæmonibus. Secundò, quia Dæmones non tam eſſent verè miſeri, quàm mentis impotes; & prætereà eorum punitio non eſſet ſolida; ſed phantaſtica tantùm ex falſa apprehenſione proueniens. Cùm tamen Scriptura, & Patres Eccleſiæ verum ab igne cruciatum Dæmonum clament frequentiſſimè, fruſtraque verus ignis materialis deſtinatus eſſet à Deo, (quicquid ſecus dicant Catharinus in Opuſculo de veritate ignis Infernalis, & Caietanus in c. 9. Marci, v. 45.) ſi Dæmonum tortura vt ab igne non foret vera. Vt omittam, Dæmones non eſſe naturaliter capaces talis falſæ apprehenſionis, cùm eis connaturale ſit intueri naturam ignis; & proinde agnoſcere non eſſe ſibi verè nociuam. Dicere autem infundi à Deo miraculosè actum erroneum incompoſſibilem cum iudicio naturali Angeli de non damnoſa ſibi vera natura ignis, habebitur à multis impoſſibile de potentia abſoluta Dei, & à pleriſque iudicabitur minus congruum. Vt omittam etiam, dedecere animas Purgatorij, ſi falſam illam apprehenſionem concipiant, & ex illa moueantur ad dolorem.

175 Si dicas, dolorem Dæmonum prouenire ex ſimplici tantùm apprehenſione, quæ ſine errore, & falſitate ſtricta poteſt apprehendere ignem vt diſconuenientem. Inſurgam contra, primò, quia dæmones non torquerentur reuera ab igne; ſed à ſua apprehenſione, quemadmodùm ille, qui dormiens ſomniaret, ſe lapſum eſſe in ignem, & inde dormiendo cruciaretur, non ab igne, ſed à ſomnio ſuo & imaginatione cruciaretur. Contrà ſecundò, quia illius apprehenſionis nulla poteſt aſſignari cauſa. Et in primis non ipſe Dæmon, cùm illa ſit contraria naturali ſuo, & euidenti lumini, quo noſcit ignem præcisè ſpectatum ſecundùm ſuam ſubſtantiam nō eſſe diſconuenientem ſibi. Deinde non Deus, tum quia improbabile eſt, Deum per ſe ſolum, vel per ignem tanquam inſtrumentum neceſſitare ad illam apprehenſionem: tum quia nemo poteſt cogi ad apprehenſionem, niſi ex aliquo motiuo; reſpectu autem Dæmonis nullum poteſt aſſignari motiuum, ob quod apprehendat ignem ſecundùm ſe eſſe ipſi nociuum. Contrà tertiò, quia Dæmon poſſet ſimiliter apprehendere ſe vri ab aqua, tamen non diceretur pati ab aqua tormentum vſtionis. Contra quartò, quia Dæmonum cruciatus ab igne excedit; vel ſaltem æquat eum, quem animæ coniunctæ corpori infert ipſa experientia vſtionis corporeæ. At non apparet, qua ratione apprehenſio abſtractiua vſtionis poſſit excitare dolorem, qui æquet, nedum qui ſuperet. Contrà quintò, quia iuxta Ariſtotelem, tertio de Anima textu 134. dolor præſertim vehemens fundatur in iudicio de malo præſenti; ſubiungitque ibi Philoſophus, ſi abſit opinio, & iudicium de malo, detúrque ſola imaginatio, ſeu ſimplex apprehenſio, non aliter nos affici, ac ſi malum apprehenſum aſpiceremus in pictura. Et id quidem conſtat, non eſſe ſatis ad dolorem & cruciatum grauiſſimum Dæmonum. Ob hæc, & alia, quæ ſileo, repellendus eſt Albertinus, dum tomo 1. in 4. corollar. Theolog. ex 2. principio Philoſophico punct. 2. n. 10. ſuperiorem ſententiam, quæ iamdiu in inſulis exulabat, conatur ad ſcholam reuocare.

176 P. Ioannes Martinez de Ripalda in tractat. M.S. de Angelis, neſcio quid ſimile tentat. Nam ſicut multi Patres, & Theologi apprehendunt, & iudicant, ignem eſſe nociuum Dæmonibus, licet fateantur, ſe non poſſe capere modum nocendi: ita cogitat Ripalda, poſſe Dæmones apprehendere, & iudicare, ignem eſſe ſibi nociuum, licèt modum nocendi non intelligant, cum ſupernaturalis ſit. Et hoc iudicium tale eſſe, vt exigat ardorem ignis, ſibi coexiſtentem, quia nimirum petat oriri ab illo; quẽadmodùm ſenſiones materiales in nobis poſtulant præſens eſſe obiectum. Neque apparet repugnantia in poſſibilitate talis iudicij, Quod quidem erit dæmonibus formaliter nociuum, obiectúmque ſufficiens doloris, & triſtitiæ ſpiritualis: tum quia apprehenſio elicita à tactu eſt formaliter nociua animæ, & obiectum, quod ſuo dolore refugit appetitus. Ergo ſimiliter poteſt eſſe apprehenſio ſpiritualis excitans dolorem ſpiritualem. Tum etiam quia ſicut intuitio ſummi boni eſt quædam quaſi poſſeſſio illius, & obiectum delectationis beatæ, ſic iudicium intuitiuum ardoris minantis dæmonibus ingentia mala, eſt quædam quaſi poſſeſſio malorum potens affligere illos. Hactenùs acutiſſimus vir, qui tamen nobis non arridet; Primò quia ſi in hominibus iudicium ignis, vt nociui animæ non eſt formaliter nociuum, neque ſufficiens doloris obiectum, & triſtitiæ ſiue materialis, ſiue ſpiritualis, niſi calor diſſoluat temperiem corporis, multò minus in Dæmonibus. Secundò, quia etiam beati Angeli iudicant, ignem poſſe eſſe ſibi nociuum, tametſi modum non aſſequantur per vires naturales ſui intellectus. Hoc tamen iudicium non eſt ipſis formaliter nociuum, neque obiectum ſufficiens doloris, & triſtitiæ ſpiritualis, quantumuis admitteretur, tale iudicium oriri immediatè à calore eleuato, vel immediatè ab ſpecie cauſata à calore præſente. Tertiò, quia Dæmones naturaliter ſciunt, ignem ex ſua natura non poſſe affligere ipſos, & hoc iudicio ducti lætabuntur de indemnitate ſua ab ignis tormento. Huc transfer impugnationes alias contra opinionem proximam.

177 Arrubal, Franciſcus Amicus, Granadus, & priſci alij apud Vaſquez 1.p. diſp. 243. cap. 2. defendunt, Dæmones affligi ab igne ex eo, quod hic aſſumatur à Deo vt inſtrumentum ad eliciendum cum eorumdem voluntate triſtitiam de amiſſo ſummo bono. Neque hæc ſententia grata eſt nobis: Primò quia ſi non aliter vruntur Dæmones ab igne Tartareo; neque ignis Purgatorij vret aliter animas quàm producendo in ipſis triſtitiam de dilatione beatitudinis, id tamen falſum eſſe quis non videat? Confirmatur, quia probabile eſt, aliquas animas in Purgatorio non affligi pœna ignis, ſed minori alia, vt docet Duuallius tract. de Quatuor Nouiſſimis q. 2. art. 6. pag. 532. poſt S. Bonauenturam in 4. diſt. 20. præfatæ autem animæ concipient triſtitiam de dilatione beatæ viſionis, & non cauſatam ab igne. Secundò quia alioqui damnatæ animæ poſt reſumptionem corporum erunt multò peioris conditionis, quàm Dæmones, ſiquidem illæ non ſolùm patientur dolorem de amiſſa beatitudine æterna, ſed etiam de igne, vt ipſis ſpecialiter nociuo.

178 Tertiò, quia obiectum doloris dæmonum non poteſt eſſe ſola beatitudinis amiſſio, quæ pertinet ad pœnam obiectiuam damni, non verò ad pœnam ſenſus. Et licet aliqui Theologi triſtitiam damnatorum de amiſſo ſummo bono vocent pœnam ſenſus, & non præcisè damni, eo quòd pœna damni præcisè conſiſtat in beatitudinis priuatione, quam quia ſine triſtitia habent pueri decedentes cum ſolo peccato originali; ideò dicuntur pati pœnam damni: tamen pœna ſenſus proueniens ab igne debet reſpicere ipſum ignem, vt obiectum triſtitiæ, quemadmodùm in Beatis præmium accidentale glorificationis ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis debet

reſpicere

Digitized by Google

reſpicere aliud vt obiectum gaudij præter poſſeſſionem ſummi boni. Et abſolutè quidem dicendum eſt, triſtitiam de amiſſione ſummi boni ad pœnam damni ſpectare tanquam proprietatem, aut complemẽtum. Quartò, quia triſtitia de priuatione beatitudinis non ſemper ex æquo reſpondet cruciatui illato per ignem: nam duo Dæmones, quorum peccata fuerint eiuſdem qualitatis, torquebuntur æqualiter ab igne: poterit tamen inæqualis eſſe triſtitia de beatitudinis priuatione: ſi vnus ni peccaſſet aſcenſurus eſſet ad plures beatitudinis gradus, quàm alius.

179 Quintò, quia Patres Eccleſiæ, vt S. Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus in verbis infra recitandis, ſecernunt manifeſtè dolorem de amiſſione beatitudinis æternæ à dolore de igne, & de quauis alia damnatorum pœna. Sextò, quia ille torquendi modus non eſt per vſtionem propriam ignis, nec dolor ex ea ignis eleuatione ortus æmulatur dolorem, quem in combuſtione ſentimus; cùm prædictus dolor poſſet fieri eodem modo à quouis elemento, & cùm eius obiectum ſit beatitudinis carentia, quæ eſt adeò diuerſum obiectum ab illo, quod reſpicit anima, dum informatum corpus exuritur.

180 Ex his explodendus eſt Alarcon, qui contentus eſt, ſi ignis cauſet dumtaxat moraliter in Dæmonibus triſtitiam de amiſſo ſummo bono. Neque audiendus eſt Tannerus, ſi eius ſententia colludat cum ſuperiori, de cauſata partialiter effectiuè ab igne diuinitùs eleuato triſtitia in voluntate Dæmonum ob priuationem viſionis beatæ. Sic enim poſſe intelligi ſententiam Tanneri ſuſpicatur Arriaga in ſect. 7. Sed eius Authoris mens alia videtur fuiſſe: nam tomo 1. diſp. 5. q. & dub. 6. n. 4. tradit, Dæmonum, & animarum ſeparatarum pœnas alias eſſe vltra pœnam damni in priuatione beatitudinis poſitam; & pœnam ſenſus ortam ex conſideratione illius. Quod adeò certum eſt Tannero, vt cenſeat, non poſſe abſque errore in fide defendi oppoſitum. Si verò poſteà reuocaret pœnam ſenſus ad triſtitiam de ea priuatione productam ab igne, non omiſiſſet declarare diuerſitatem ſuæ ſententiæ ab illo errore. Præter quàm quòd Tannerus in n. 16. conceptis verbis exprimit, Dæmonum pœnam ab igne conſiſtere in triſtitia producta partialiter ab igne diuinitùs eleuato, ita quidem, vt præcedat apprehenſio ignis, velut mali contrarij, & afflictiui, ſeu vt potentis cauſare triſtitiam. Hoc in ſenſu refellitur optimè Tannerus ab Arriaga, tum quia is modus torturæ Dæmonum non eſt ſimilis etiam analogicè modo, quo animæ coniunctæ ad corpora affliguntur nunc ab igne: ſiquidem ignis non producat in Dæmonibus calorem contrarium ipſis, ſicut producit in corporibus, à quibus ſentitur tanquam aduerſus natiuo temperamento; indéque excitatur anima ad actum ſpiritualem triſtitiæ, ſeu doloris, producendum adæquatè, quin ignis, aut calor inadæquatè concurrat: tum quia committit circulum vitioſum Tannerus, cum ait, dolorem Dæmonum eſſe de igne vt malo, & afflictiuo, & ignem eſſe malũ & afflictiuum, quia cauſatiuus eſt doloris. Nec aſſignat Tannerus, nec poteſt aſſignare rationẽ aliam, cur ignis ſit cauſatiuus doloris in Dæmonibus, & cur potiùs doloris, quàm delectationis.

An Dæmones torqueantur per ignem corporeum tanquam diuinæ iræ, & inimicitiæ ſignum ex inſtituto.

181 SIc torqueri indicat noſter Henriquez in ſumma Theologiæ moralis lib. vlt. de fine hominis cap. 25. §. 5. traditque diſtinctè, & luculenter noſter etiam Theophylus Raynaudus laudatus ſuprà à n. 159. Itaque cruciabit dæmones ignis non ſecundùm ſe aut ſecundùm ſuam naturam; ſed vt ſignum deputatum ex placito Dei ad repræſentandam Dæmonibus tum iram, inimicitiamque ipſiuſmet Dei aduerſus ipſos; tum amiſſionem bonorum ſupernaturalium, omniaque mala, & damna infeliciſſimi ſtatus damnationis æternæ. Nam coacti ad cogitationem perpetuam eius ſigni prorumpent in acerbiſſimam, & immaniſſimam triſtitiam, extraneam quidem, & non connaturalem igni reſpectu Dæmonum; ſed tamen valdè ſimilem illi, quâ afficitur anima, dum adurітur corpus, quod informat.

182 Pro maiori explicatione huius ſententiæ aduertere primò lubet, dici poſſe non incongruè perpetuam Dæmonum de igne cogitationem, vt ſigno diuinæ iræ, & inimicitiæ contra ſe fieri effectiuè immediatè ab ipſo igne eleuato. Verumtamen ſatis eſt, ſi fiat mediatè, quatenùs eleuatus producat ſpeciem impreſſam repreſentantem ſui non ſecundùm ſe, ſed vt inſtituti in ſignum diuinæ iræ, & inimicitiæ: etenim vt ab obiecto, & potentia pariatur quàm ſtrictè notitia, non eſt opus, vt hanc cauſet immediatè obiectum; ſufficit ſi mediatè, producendo ſpeciem ſui.

183 Secundò, affirmari poſſe non ineptè, triſtitiam ſpiritualem Dæmonum fieri effectiuè immediatè ab igne per potentiam obedientialem. Cæterùm neceſſe id non eſt. Nam ſatis eſt ſi ab igne fiat immediatè cogitatio excitatiua triſtitiæ, vel ſpecies impreſſa deſeruitura ei cogitationi. Siquidem ſpiritualis dolor, qui ex igne fit in anima coniuncta corpori, non producatur effectiuè ab igne, ſed à cognitione ignis, vt diſconuenientis, & iſta cognitio ab ſpecie impreſſa cauſata per actum ſenſationis internæ doloriferæ.

184 Tertiò aſſeri poſſe incunctanter, neque ipſam ſpeciem impreſſam cauſari effectiuè ab igne; ſed tantùm moraliter; non enim requiritur ſtrictior cauſalitas, quàm ea, quæ aquæ, v. g. aſſumptæ à Chriſto in materiam baptiſmi Sacramentalis tribuitur reſpectu gratiæ: Communis autem ſententia tribuit cauſalitatem tantùm moralem; cùm tamen non minus dicatur ſanctificare ſuſcipientes Baptiſmus, quàm ignis cruciare, torquere, vrere Dæmones. Quare quemadmodùm Deus ad præſentiam aquæ producit phyſicè gratiam in ſuſcipientibus Baptiſmũ, ſic ad præſentiam ignis producet phyſicè in eis ſpeciem impreſſam, quæ licet ſe ſola non neceſſitet ad perpetuam cogitationem ignis, qua eſt deputatus in ſignum diuinæ iræ, & inimicitiæ, neceſſitabit tamen Deus, vt & ad triſtitiã, ſi fortè alicui videretur cogitationem ſolam non neceſſitare naturaliter. Nam triſtitiæ de pœnis damni & ſenſus ſunt neceſſariæ, & ineluctabiles Dæmonibus. *Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Productio ſpeciei à ſolo Deo plauſum comparabit apud eos, qui potentiam obedientialem actiuam in rebus creatis ad quæcumque efficienda non admittunt.

185 Quartò, triſtitiam Dæmonum fore magis, aut minus intenſam pro qualitate punitæ culpæ; tum quia Deus determinabit voluntatem ipſorum ad efficiendam maiorem, aut minorem intenſionem; Tum quia quò maior, aut minor fuerit culpa, eò cogitabunt Dæmones de igne, vt ſigno maioris, aut minoris indignationis, auerſioniſque diuinæ.

186 Quintò, Dæmones in Orco exiſtentes, alligari quidem igni, & penetrari cum ipſo; id tamen

Digitized by Google

neceſſariũ haud quaquã eſt, vt modo propoſito crucientur. Quare Dæmones ex Numinis permiſſione in aëre caliginoſo ob errantes cruciabuntur eodem prorſus modo, quia Deus adiget eos ad perpetuam conſiderationẽ ignis, eleuabítq; hunc (ſi phyſicam cauſalitatem deſideres) vt in eis diſtãntibus efficiat phyſicè ſpeciẽ impreſſam. Neque enim putandum eſt, circumferre ſecum realiter ignem Tartareum.

187 Sextò diſcurri debere ſimiliter de animabus ſeparatis, ac de Dæmonibus reſpectu tamen animarum exiſtẽtium in Purgatorio erit ignis ſignum Dei irati ad tempus iuſtéque ad tempus priuantis expetita viſione, ac fruitione ſummi boni. P. Arriaga ſect. 5. exiguam, aut nullam difficultatem agnoſcit in eo, quòd anima ſeparata poſſit diuinitus cruciari calore. Nam dolor, ſeu cognitio ſenſitiua de calore vt diſcõueniente poteſt diuinitus fieri, ſupplente Deo in cauſæ efficientis genere defectum partialis ſubiecti, quale deberet eſſe naturaliter corpus, ſupplente etiam Deo effectiuum concurſum, qui deberet naturaliter à calore recepto in corpore præſtari, vel in cognitionem ſenſitiuam, vel in ſpeciem impreſſam ipſiuſmet caloris. Sic Pater Arriaga. Sed quod ipſi valdè facile viſum eſt, apparet mihi impoſſibile. Nam cognitio ſenſitiua, & materialis nequit reddere viuentem, ſentientémque, niſi potentiam, quæ ſenſitiua ſit, & materialis. At rationalis anima ſeparata à corpore non retinet potentias ſenſitiuas, ac materiales, vt docẽt Theologi in 4. diſt. 44. ibíque S. Thomas quæſt. & art. 3. Ergo cognitio ſenſitiua, etſi diuinitùs poſſet poni in anima ſeparata, non magis redderet eam viuentem, ac ſentientem, quàm ſi poneretur diuinitus in Angelo. Dicet quis, potentias non diſtingui ab anima. Sed non ideò debilitabit argumenti vires; vocamus enim ex vulgari vſu potentias ſenſitiuas organa corporea; & aſſerimus animam rationalem, etſi per ſe ſolam ſit virtus proxima, & immediata ſentiendi, non poſſe viuere ſenſitiuè abſque organis diſpoſitionibúſq; corporeis. Ecquis poſſibile concipiat animam ſeparatam à corpore tangere, olfacere?

188 Septimò, animas coniunctas corporibus poſt diem Iudicij magni paſſuras, tum dolorem hactenus explicatum, qui eſt quaſi eſſentialis pœna ſenſus: tum dolorem ortum ex actione reali, vel intentionali ignis in corpora: qui dolor eſt quaſi accidentalis pœna ſenſus. Et licet hoc ſecundo dolore careant Dæmones, tamen in eis intenſio ſolius primi æquabit, vel ſuperabit cruciatum reſultantem ex primo; & ſecundo, quem patientur reunitæ corporibus animæ, in quibus pro ſtatu ſeparationis orietur non modica afflictio ex cognitione ſecundi doloris addendi poſt diem extremi Iudicij.

189 Octauò, dolorem Dæmonum, & animarum ſeparatarum dici ſimilem dolori, quem ex combuſtione percipimus homines, quia fit vel phyſicè, vel moraliter ab igne, vt ſigno diuinæ iræ, non ſecùs ac dolor perceptus à nobis ex combuſtione fit ab eo, vt diſconueniente corporis temperamento. In hoc ſenſu intelligendæ videntur ſacræ Litteræ, & Patres dum apud Tannerum tom. 1. diſp. 5. q. 6. dub. 6. n. 12. & 13. pronuntiant, Dæmones, & animas damnatas igne Tartareo comburi, exuri, cremari, miris, ſed veris modis cruciari, ardere. Et quidem crebræ illæ loqutiones non debent nec poſſunt intelligi de reali Dæmonum, & animarum combuſtione, ſcilicet de calefactione, & exſiccatione nimia, qualem ſubit lignum ab igne.

190 Dices cum Franciſco de Lugo, intelligantur ſaltem quatenus ab igne producatur calor materialis in eis ſpiritibus. Sed contra, quia permiſſa, & non conceſſa productione caloris, niſi vi huius deſtruatur aliquid phyſicum in Dæmonibus, & animabus, introducatúrque forma ignis, vt euenit in ligno, non ſaluabuntur maiori cum rigore locutiones illæ. Cogita, lignum affici intenſiſſimo calore, ſed diuina virtute impediri calorem, ne deſtruat diſpoſitiones ligni, & ne introducat formam ignis; an ne tunc lignum diceretur cõburi, exuri, cremari, ardere, ſicut nunc? Immeritò ergo Franciſcus de Lugo ob illas locutiones extumulat ſententiam Henrici iam à nobis ſatis ſuprà reiectam. Sed quia S. Laurentio Iuſtiniano lib. de caſto connubio Verbi, & animæ c. 16. Alberto Magno, & aliis Doctoribus modernis non arridet calor in ſpiritibus receptus, ideò recurrere ad Suarij opinionem ſuprà etiam à me impugnatam, fas eſt per ſapientiſſimum virum.

191 Nonò, ſi Deus conſtituiſſet aquam v.g. in ſignum ſuæ iræ, dicerentur Dæmones, & animi damnati pati dolorem ſimilem aliquatenus illi, quem nos ex frigiditate patimur, dicerentur etiam frigeſieri aliquatenus. Et fortè de facto torquentur non ſolùm per ignem in Barathro, ſed etiam per aquam frigidiſſimam; vt Ægidius Romanus, & Guilielmus Pariſienſis apud Ruſcam l. 5. de Inferno c. 28. autumant; quod de damnatorum corporibus poſt reſurrectionem generalem multò probabilius eſt, vt vberrimè oſtendit idem Ruſca l. 2. à c. 24. vſque ad 30. Sed hoc omiſſo, ideò Deus inſtituit ſpecialiter ignem in ſignum ſuæ iræ, quia voluit, & quia mortalibus, quos formidine pœnarum intendebat auertere à ſceleribus, nullum aliud elementum magis eſt horribile, ac nociuum: & quia congruũ fuit, vt eodem inſtrumento vteretur ad cruciandos Dæmones, & animos ſeparatos, quo vſurus erat ad torquenda corpora humana rediuiua. Alias rationes aſſignat Peſantius 1. p. q. 64. a. 4. d. 5. & inter eas illam, vt ſimilia ſint damnatorũ loca, & Beatorum, horum enim locus eſt cœlum Empyreum, ideſt, quodammodò igneum propter lucem; illorum locus igne plenus propter ardorem ſine luce.

192 Inquies ex Petauio tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 3. de Angelis cap. 5. n. 13. tormentum ignis primò, ac per ſe deſtinatum Diabolo, & Angelis eius, iuxta illud Chriſti apud Mathæum cap. 25. verſ. 41. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Ergo oportuit, vt abſque reſpectu ad homines, quibus ex accidenti, prætérque Iudicis mentem, ac voluntatem conſtitutum eſt tormentum ignis, is eſſet phyſicè ſaltem inchoatè accommodatum, & proportionatum cruciandis Dæmonibus. Reſpondeo, dici etiam hominibus iuſtis à Chriſto ibidem v. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, Quin exprimat regnum Beatorum paratum eſſe Angelis bonis. Et tamen non idcircò inferes, beatitudinis præmia habere aliquam ſpecialem, maiorémve proportionem felicitandis hominibus iuſtis, quàm Angelis, aut his conſtitutum eſſe ſecundariò, & ex accidenti regnum cæleſte. Videatur Toſtatus in c. 25. Matth. q. 409. & 410. vbi diſcutit, cur ignis paratus eſſe dicatur Dæmonibus, & non hominibus? Cur regnũ Beatorum non dicatur paratum eſſe Angelis bonis? Ad primam quæſtionẽ reſpondet multifariàm; ſed præcipua cauſa, ipſo iudice, cur dicatur ignis paratus Dæmonibus, & non hominibus eſt: *quia pœna illa pro peccato eſt: Dæmones autem poſtquàm peccauerunt, non habuerunt remedium, ſed mox adiudicati fuerunt pœna*

Digitized by Google

pœna æterna: ſecùs de hominibus, quia licet peccauerunt, Deus nolebat, quòd punirentur æternaliter; ſed quòd liberarentur à peccato, & ideò ipſe pro omnibus paſſus eſt, vt nullus eorum puniretur; & ita Deus non parabat ignem pro hominibus, ſed regnum, cum pro illis moreretur, ne inciderent in illum ignem: pro Dæmonibus autem dicitur eſſe paratus, quia illos peccantes adiudicauit ſtatim illi igni, & noluit eos redimere, ſicut homines. Ad ſecundam quæſtionem reſpondet etiam multimodè; ſed duas potiſſimùm approbat cauſas, quæ in vnam ferè recidunt; éſtque hæc, *aliquid dicitur paratum illi, qui illud nondum habet, ſed aliquando ipſum habebit; & ita de hominibus eſt, quia nunc eſt vita æterna, & homines ſunt, qui eam non habent, & aliquando ipſam habebunt; ideo eis parata eſt: & tamen de Angelis ſecùs fuit, quia non fuerunt Angeli aliquando extra ipſum regnum, ſed ex quo fuerunt, ſemper fuerunt in cœlo Empyreo, vbi eſt regnum cœlorum, vel locus beatitudinis; ideo nunquam fuit eis paratum, quia nunquam extra illud fuerunt.*

193 Decimò, quæſtionis eſſe inter Theologos, num Dæmonum pœna poſitiua, ſeu triſtitia tanta ſit, vt cuiuis delectationi, & gaudio aditum præcludat? Reſpondent plures affirmatiuè, tum quia cùm oppoſitorum eadem debeat eſſe ratio, ſi ſumma felicitas excludat naturaliter quamcumque triſtitiam, ſumma miſeria excludet naturaliter quodcumque gaudium. Atqui verum eſt prius. Ergo & poſterius, proindéque Dæmones, qui ſummè ſunt miſeri, nullam naturaliter poterunt habere oblectationem: tum quia ſecundùm Ariſtotelem 7. Ethicorum cap. 14. voluptas, modò ſit vehemens, expellit dolorem: docétque id ipſum experientia. Ergo vice verſa dolor vehemens expellet voluptatem, non ſolùm circa idem obiectum, ſed etiam circa diuerſa. Dolor autem conceptus à Dæmonibus indeclinabiliter ex priuatione beatitudinis æternæ, & tormento ignis, non vtcumque, ſed ingentiſſimè vehemens eſt, nec leuari, aut minui poteſt. Tum quia alta triſtitia abſorbet mentem, ne aliquid apprehendat vt delectabile. Hinc illud Tobiæ ſenioris cap. 5. v. 12. cum ei Angelus fauſta annuntians iuberet gaudere, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Et licet profunda mœſtitia non omnino abriperet mentem, tamen voluntas Dæmonum intenta prorſus triſtitiæ ex coactione Dei, nullum poterit præſtare conatum ad eliciendum gaudium de obiecto aliquo. Sed & quamuis poſſet, quantùm ex ſe eſt, tamen Deus in delictorum mulctam retraheret iuſtiſſimè concurſum generalem.

194 Alij reſpondent negatiuè, & probant primò ex ſacris litteris, in quibus iuxta Patrum interpretationem ſignificatur, Dæmones gaudere de ruina ſpirituali hominum, ſicut beati Angeli lætantur de eorundem ſalute. Secundò, ex variis hiſtoriis Eccleſiaſticis, quæ teſtantur Dæmones ſæpe viſos lætari, imò & geſtire, tripudiare, & ridere ad lapſum, damnationémque hominum. Tertiò, quia Dæmones aſſequuntur plura apprehenſa, & deſiderata vt bona ſibi, nimirum victoriam, & damnationem multorum hominum, quos tentant, ſimiliáque alia. Sed ad boni concupiti adeptionem, & poſſeſſionem ſequitur continuò gaudium. Nec dicas, ſummam triſtitiam in Dæmonibus eſſe obicem, ne ſequatur. Etenim gaudium de obiecto diuerſo non eſt oppoſitum cum ſumma illa triſtitia inſtar amoris, & odij efficacis reſpectu eiuſdem obiecti; imò non eſt magis oppoſitum, quàm amor vnius obiecti opponatur cum odio efficaci alterius obiecti omninò diuerſi; ſicque docet S. Thomas 3. p. q. 84. art. 9. ad 2. his verbis: *Si gaudium, & triſtitia non ſint de eodem ſecundùm idem, ſed vel de diuerſis, vel de eodem ſecundùm diuerſa; ſic non eſt contrarietas gaudij, & triſtitiæ.* Præterea Dæmones ſicut ſimul cum ſumma illa triſtitia poſſunt habere actus, quibus deſiderent aliqua obiecta, vt ſibi bona, actus etiam quibus nouiter triſtentur de quibuſdam obiectis accidentalibus in ordine ad ſuam damnationem æternam; cur non poterunt habere actus, quibus gaudeant de conſequutione rerum appetitarum?

195 Ego ſequor mediam viam, & aſſero, in Dæmonibus cum ſumma infelicitate, & triſtitia componi poſſe naturaliter complacentiam de pluribus obiectis, non verò gaudium ſtrictum. Moueor primò, quia cum ſumma felicitate, & gaudio de Deo viſo, etſi naturaliter nequeat ſtare triſtitia de aliis obiectis, poteſt nihilominùs ſtare diſplicentia, quippe Beati eam habeant in peccatis tum propriis præteritis, ſi quæ commiſerunt, dum viatores erant, tum alienis præſentibus, quæ optarant vitari à terricolis. Ergo ſimiliter cum ſumma infelicitate, & triſtitia de beatitudine amiſſa, déque tormento ignis fœderari poterit complacentiam nonnullis bonis, reſpectu Dæmonum, & ſi conſociari non valeat gaudium. Moueor ſecundò, quia præcisè complacentia de bono aliquo præſenti non eſt, cur ſit vllatenùs incompoſſibilis cum triſtitia ſumma Dæmonum. Ideò autem eſt incompoſſibile naturaliter ſaltem gaudium ſtrictum; quia hoc importaret quietem quandam iucundam, & ſuauem Dæmonum voluntati, quæ aliunde ſupponitur correpta maximo angore, anxietate, & inquietudine, ratione illius ſummæ triſtitiæ. Quòd ſi experientia doctrice, quandiu perſeuerat vehemens triſtitia de grauiſſimo malo damnationis æternæ, cuius comparatione leue, & exile bonum eſt, quicquid Dæmonibus occurrere poteſt. Et caue, ne cogaris admittere diminutionem eſſentialis triſtitiæ in Dæmonibus, ſi ſemel portam gaudio aperias. Nam & experimento noſcimus quouis gaudio ſuperueniente de vno bono minui de alio malo triſtitiam eò magis, vel minus, quò maius, vel minus fuerit gaudium. Ex his quiſque ſine negotio demolietur iacta ſuperiùs fundamenta vnius, & alterius extremæ ſententiæ.

196 Superioribus animaduerſionibus pro noſtro modo illuſtratam ſententiam impetit Martinonus tom. 1. diſp. 44. ſect. 4. n. 48. quia hic modus torquendi non eſt mirabilis; neque ineffabilis; qualis iuxta S. Auguſtinum, & Hugonem Victorinum debet eſſe pœna ſpirituum ab igne. Cæterùm nullo alio ex capite poſſet magis commendari hic modus, quàm ſi rem hactenùs obſcuriſſimam declararet facilè, & expeditè. Reſponderunt multi Theologi animum in præſenti difficultate, vt Bellarminus, Vaſquez, Præpoſitus, Caſpenſis, Ruſca, ſed qui modum aliquem ſuperandæ difficultatis tentant; gerunt ſe, ſi non feliciùs, ſaltem animoſiùs. Theologorúmque eſt obſcuris lucem quærere, & ex Horatij monito non relinquere niſi,

——— *Quæ deſperant tractata niteſcere poſſe.*

Certè, ſi cruciatus ſpirituum ab igne ſic tractandus ſit, vt maneat omnino ineffabilis, nugarentur Theologi, dum explicare conantur. Quod enim manere debet prorſus ineffabile, non niſi irrito conatu explicari contenditur. Et rogandus eſt Martinonus, cur ipſe paginas conſumat in exponendo cruciatu ſpirituum ab igne? Reſpondebit, modum à ſe aſſignatum

Digitized by Google

aſſignatum eſſe obſcurum. Fateor, imò addo, varium eſſe, & multicolorem. Miſcet enim iam vnum, iam alium modum ex ſuprà repudiatis.

197 Impetit ſecundò, quia ignem ſic cruciare ſpiritus, non eſt vere. Sed hæc obiectio præoccupata iam eſt in octaua animaduerſione. Addiderímque Iudæ 6. v. 16. Apocal. 20. v. 2. Tob. 8. v. 3. dici, Dæmones *Vinculis teneri, ligari, religari*, 2. Petri cap. 2. v. 4. *Detrahi rudentibus in Tartarum.* Quis tamen intelligat hæc de rudentibus, & vinculis, qualia apud nos ſunt, ſed de ſpirituali detentione, & proiectione referente corpoream. Nec video, qua maiori proprietate vtantur ſpiritus penes Martinonum coincidentem partim cum Soto, contra quem in n. 160. & partim cum veteribus nonnullis, contra quos in n. 174. Ipſéque Martinonus vltrò concedit n. 50. & 54. dolorem ſpirituum ſeparatorum prouenientem ex igne non eſſe eiuſdem rationis formaliter, ſed tantùm analogicè ſimilem dolori, quem anima concipit, dum comburitur corpus, cui eſt vnita.

198 Replicabis, quia penes S. Gregorium Magnum lib 9. Moral. c. 50. *Quamuis Angelorum, & hominum longè ſit natura diſſimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat.* At iuxta modum, quem promouemus, pœna damnatorum hominum poſt reſurrectionem non erit vna, ſeu eiuſdem rationis cum pœna Dæmonum in præſentiarum. Hæc etiam replica præoccupata eſt in ſeptima animaduerſione, vt omittam dici eatenùs à S. Gregorio vnam pœnam implicare Dæmones, & homines, quatenùs igne tanquam inſtrumento puniantur vtrique. Replicabis iterùm, quia non videtur excogitatione ignis vt ſigni diuinæ iræ, & inimicitiæ oriri poſſe in ſpiritibus tam grauis, & acerbus dolor, quàm à Chriſtianis exiſtimatur. Reſpondeo, rudibus fortè non ita videndum. Satis nobis erit, ſi doctis. S. Chryſoſt. hom. 24. in Matth. 47. ad Populum Antiochenum, epiſt. ad Theodorum lapſum, hom. 13. ad Philippenſes, pœnam damni, ideſt, priuationem viſionis beatæ præponit valdè ipſi gehennæ, cùm inquit, *Intolerabilis res eſt gehenna, fateor, & valdè quidem intolerabilis: attamen intolerabilius mihi videtur de regno decidiſſe.* S. Auguſt. in Enchirid. c. 112. ſimiliter ait, *Perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei, quam abſcondit timentibus ſe, perfecit autem ſperantibus in ſe, tam grandis eſt pœna, vt nulla ei poſſint tormenta, quæ nouimus, comparari.* S. Damaſc. in hiſt. Barlaam, & Ioſaphat, *Tormentorum omnium nullum æquè graue, & acerbum eſt*, *atque à Deo abalienari, & à dulciſſima ipſius facie abiici, gloriáque illa, quæ nullis verbis exponi poteſt, orbari.* Rurſus S. Chryſoſt in Pſal. 5. v. 7. Inferni cruciatibus multò peius, & infœlicius reputat incurriſſe præcisè odium Dei. Rudes tamen non ita promptè vtrúmque ſibi perſuadent, etſi vtrumque veriſſimum ſit, ſaltem de adultis prolapſis in peccata grauia perſonalia. Conſulantur Bokinkan q. 1. ſup. 4. libros ſentent. Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth Sanctæ, annot 41.

199 Impetit tertiò, quia cùm Dæmones aliundè experiantur pœnis acerrimis poſitiuis, & priuatiuis Deum ſibi iratum eſſe, non multùm confert ſignum inſtrumentale, vt hoc intelligant. Maximè cum inimicitiæ, & iræ diuinæ cogitatio ſequi poſſit connaturaliter ex aliis creaturis, quibus Deũ cognoſcunt. Ita ad verbum Author ille. Sed immemor ſui, nam in n. 44. admiſerat, Dæmones torqueri per ignem vt ſignum diuinæ iræ, & inimicitiæ ex deputatione Dei arbitraria, diſcordátque ſolummodò, quia aliquid aliud debeat adiici pro integro cruciatu ab igne. Conferet itaque hic multùm, & ſpecialiter tanquam ſignum inſtrumentale, vt Dæmones intelligant, Deum illis eſſe iratum, & inimicum. Conferet, inquam, tum quia in genere cauſæ vel phyſicæ, vel moralis, coget ad iugem conſiderationem ſui, quâ eſt ſignum diuinæ iræ, & inimicitiæ, quin Dæmones poſſint ceſſare ab ea conſideratione, vti poſſunt pro libito ſuo ceſſare à cogitatione aliarum creaturarum: tum quia directè, & ex peculiari deſignatione Deum, vt iratum, & vt inimicum repræſentabit, quod non habent aliæ creaturæ. Vbi non prætereo inſignem quãdam confirmationem iſtius ſententiæ. Dæmones namque alliciuntur, & oblectantur variis rebus corporeis, *non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis.* Quæ ſunt verba S. Aug. lib. 21. de ciuit. Dei c. 6. In quibus expende τὸ *ſignis*, & ſubintellige rerum aliquarum ſpiritualium. Rurſus, vt legimus Tob. 6. v. 8. Dæmones pelluntur iecore piſcis cremato, tanquam directo ſigno diuinæ in ipſos efficaciæ, vt non improbat P. Petrus Thyreus 3. p. diſputationis de Dæmoniacis cap. 48 n. 17. & 25. Nihil ergo mirum, ſi dicatur, eos cruciari ab igne gehennali, vt ſigno diuinæ iræ, & inimicitiæ.

Digreſſionis concluſio, & Regreſſio ad Angelorum beatorum gloriam accidentalem, ſeu quaſi ſenſus ex cœlo Empyreo.

200 SEntentia poſtremo loco propoſita, illuſtrata, & vendicata ab obiectionibus pergrata eſt mihi. Nec video repugnantiam, in eo, quòd ſicut ignis Tartareus tanquam diuinæ iræ, & inimicitiæ ſignum ad placitum torquet Angelos damnatos, ita cœlum Empyreum, vel eius lux tanquam diuinæ benignitatis, & amicitiæ ex inſtituto ſignum beatos Angelos recreet; potéſtque hæc oblectatio eodem ferè modo declarari, ac cruciatus ille. Richardus in 4. diſt. 45. art. 1. q. 4. loquens de animabus beatis, quarum eadem eſt ratio in hoc puncto, ac de Angelis beatis, inquit, *Receptacula corporalia animarum in aliquo augent earum delectationem, vel afflictionem: cœlum enim Empyreum, quamuis in vllo augeat animarum beatarum eſſentialem delectationem, in aliquo tamen auget in eis delectationem accidentalem; in quantum illæ animæ locum illum pluſquàm alium diligunt: præſentia autem rei dilectæ aliquam cauſat delectationem. Ratio autem, quare locum illum plus cæteris diligunt, triplex eſt; vna quia locum illum ſciunt ſibi eſſe deputatum à Deo, quem ſummè diligunt. Alia quia in illo propter exceſſum nobilitatis ſuæ naturæ ſuper alia corpora expreſſius quàm in aliis locis refulgere tanquam in effectu diuinam bonitatem conſpiciunt. Tertia, quia illius loci ſublimitas, luminoſitas, & immobilitas ſuam ſpiritualem ſublimitatem, & luminoſitatem, & quietis perpetuitatem expreſſius, quàm qualitates aliorum locorum repræſentant: vnuſquiſque autem cæteris paribus plus diligit locum, qui magis eſt repræſentatiuus ſuæ nobilitatis, quam diligit.* Hactenus Richardus, qui obiectioni de Angelis exeuntibus Empyreo, vt miniſtrent, in quibus videtur minuenda delectatio illa, reſpondet, *Angelos miniſtrantes ſcire ſe cùm eis placuerit, ad cœlum Empyreum reuerſuros, & miniſtrando nobis delectari.* Alij ſententiarij conuenientes cum Richardo quoad gaudium Beatorum de cœlo Empyreo reſpondent communiter conſeruari eandemmet delectationem; quia habetur de Empyreo vt loco deputato Angelis beatis: manet autem deputatio, etſi ipſi recedant

Digitized by Google

recedant ab eo loco. Cùm igitur Theologi tam conſtanter, tamque multis de cauſis admittant in beatis Spiritibus recreationem peculiarẽ ex Empyreo, vt obiecto, alienum à ratione non videtur, ſi vlterius addatur, talem recreationem fieri modo referente illum, qui in cruciamento Dæmonum ex Inferno deſignatus eſt. Et hæc ſint dicta, non aſſerendo, ſed relinquendo in medio, vt alij iudicent, num inter probabilia poſſint referri.

SECTIO XII.

Quotus ſit Angelorum Empyreum incolentium numerus?

201 ARiſtoteles 12. Metaphyſicæ text. 48. tot, & non plures deſignauit Angelos, quot agnouit cæleſtium motus orbium, ſcilicet quadraginta ſeptem, ad quos tantùm ordinari meditatus eſt. Hunc in Philoſopho lapſum fatetur ingenuè S. Thomas 1. p. q. 50. art. 3. vbi notes, velim, ſi errauit tantus Philoſophus non multiplicãs ſpecie Angelos niſi propter ordinem ad diuerſas ſphærarum lationes, potuiſſe nihilo ſecius decipi, dum fecit immultiplicabiles indiuidualiter. Nam cùm ipſe malè ſenſerit, Deum agere ex neceſſitate naturæ, & infinitum multitudinis in actu cenſuerit implicatorium cõtradictionis, idcircò ne ſequeretur, exiſtere actu omnes Angelos poſſibiles, adeóque infinitos, excogitauit eos immultiplicabiles numericè intra eandem ſpeciem. Quo principio vſi ſunt Catholicè, & probabiliter S. Thomas, aliique Theologi, & Philoſophi, ſed tribuentes Deo libertatem in agendo ad extra. Rurſus aduertas, ipſummet Philoſophum lib. 1. de cœlo text. 100. non ſibi benè conſtantem ponere ſupra extimam lationem quaſdam naturas, *nullis alterationibus, nullis paſſionibus prorſus ſubiectas, optimam in vniuerſa ſempiternitate vitam, & ſufficientiſſimam habentes*

202 Nos edocti è ſacris oraculis ingentiſſimam eſſe, & ferè à nobis innumerabilem multitudinem Angelorum noſcimus, & profitemur. Nam Danielis 7. v. 10. dicitur, *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebãt ei.* Vbi S. Hieronymus ſcribit, *Non quod iſte miniſtrorum numerus definitus ſit, ſed quòd maiorem multitudinem humanus ſermo explicare non ſufficit.* Apocalypſ. 5. v. 11. legitur, *Et vidi, audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum, & erat numerus eorum millia millium.* Vbi S. Anſelm. adnotat *numerum finitum poni, quia Deo finitus eſt numerus eorum, licèt nobis infinitus.* Et S. Ambroſius per Angelos, qui numero illo comprehenduntur, intelligit eos, qui ad diuerſa officia in mundo deſtinantur; per Angelos verò, qui ſine numero ponuntur circunſtantes thronum Dei c. 7. v. 11. intelligit eos, *qui in cæleſtibus cum Domino conſeruantur.* Habetur prætereà in epiſtola ad Hebræos c. 12. v. 22. *Acceſſiſtis ad cæleſtem Hieruſalem, & multorum millium Angelorum frequentiam.* Iob. 25. v. 3. *Nunquid eſt numerus militum eius?* In quæ verba S. Gregorius lib. 17. Moralium c. 9. *In cognitione humanæ rationis ſupernorum ſpirituum numerus non eſt, quia quanta ſit illa frequentia inuiſibilis exercitus neſcit, de quo per Danielem dicitur, millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Supernorum Ciuium numerus infinitus, & definitus exprimitur, vt qui Deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.* Inſuper Pſalm. 67. v. 18. canitur, *Curſus Dei decem millibus multiplex,* ideſt, Angelis, vt plerique apud Lorinum explicant. *De monte pleno equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi* agitur lib. 4. Regum cap. 6. verſ. 17. Aſcenſores autem erant Angeli, qui ex aëre ſumpſerant ſpeciem igneam. Geneſis 32. verſ. 2. *Fuerunt (Iacobo) obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet, ait, caſtra Dei ſunt hæc.* Lucæ 2. v. 13. fit mentio *multitudinis militiæ cæleſtis.* Matth. 26. verſ. 53. inquit Chriſtus Dominus, *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus, quàm decem legiones Angelorum?* nẽpe plures, quàm 72000. Angelos, ſi legio quæque cõſtet 600. vt minimum.

203 Multitudinem illam Angelorum ſuadet tum oſtentatio omnipotentiæ Dei, tum largitas in ſe communicando creaturis, tum maieſtas in multis miniſtris habendis, iuxta illud Prouerb. 14. v. 18. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*; illud etiam Ariſtotelis lib. 3. Politicor. c. 12. *Regibus congruit multitudo, quæ natura apta ſit ferre genus virtute præſtans ad principatum ciuilem*; illúdque Ariſtidis tom. 2. Oratione Sicula priori, *In Imperiis copia ſubiectorum potentiam Principum confirmat.* Tum denique ſuadet cæleſtis patriæ perfectio, decor, & amplitudo. Non ſunt tamen Angeli numero infiniti, vt cauetur in Articulis Pariſienſibus; & B. Angela Fulginas cùm vidiſſet Thronos Angelorum adſtantes Sacramento Altaris, inquit c. 37. *Et erat illa ſocietas clariſſima, & acies tantæ multitudinis, quòd niſi eſſet, quòd ego intelligo, quòd Deus facit omnia cùm menſura, ego credidiſſem, quod illa ſocietas, eſſet ſine numero, & menſura, & eſſet innumerabilis.*

204 Porrò Angelos beatos excedere longè numerum hominum ſimul exiſtentium eodem tempore, probatur; quia vnicuique mero homini, etiam infideli, præſcito, & peccatori deputatus eſt in cuſtodiam ab inſtanti conceptionis, vel natiuitatis vſque ad vitæ finem vnus Angelus, vt colligitur ex Matth. 18. v. 10. Ex Actor. 12. v. 15. Et cùm cuſtodia hominum demandata ſit infimo ordini trium Hierarchiarum, fit, Angelos ſuperare incomparabiliter homines, ſiquidem in quolibet alio ordine tot ſunt Angeli, quot in infimo, imò plures, & eo plures, quò ſuperior eſt, prout cum S. Dionyſio Areopagita ſentiunt communiter Theologi, & inter eos Suarez lib. 1. de Angelis c. 11. n. 8. Nec deſunt, qui exſuperantiam in decuplum concedant cuilibet ſuperiori ordini reſpectu cuiuſcumque inferioris. Ita Hieronymus Columbus lib. 1. de Angelica, & Humana Hierarchia c. 4. n. 5. cum Vincentio ſpargiate & Antonio Polro. Regnorum etiam, Ciuitatum, & Communitatum cura commiſſa eſt Angelis particularibus, vt infertur ex Daniele c. 10. ſiue ſint ex ſupremo, ſiue ex medio ordine vltimæ Hierarchiæ. Perſonæ publicæ vltra Angelum priuatum tutelarem, habent alium, à quo dirigantur in ordine ad bonum Regni, Ciuitatis, aut Communitatis, quam gubernant. Sic S. Thom. in 2. diſt. 11. p. 1. q. 1. art. 2. ad 4. Toſtatus in c. 18. Matth. q. 57. Franciſc. Amicus diſp. 19. de Angelis ſect. 1. n. 15. Nec improbabile eſt ex cenſura Amici ſect. 6. n. 101. eum eſſe diuerſum ab Angelo præſide regni, & c Eccleſiis, quin & oratoriis, ſactiſq; locis appoſiti ſunt Angeli; quod confirmat authoritate Patrũ Petauius tom. 3. Theologicorum dogmatũ lib. 2. c. 7. n. 13. & 14. Elementis, ſpeciebúſque rerum ſenſitiuarum, ac vegetabilium, omniúmque creaturarum materialium conſeruatores Angelos præeſſe, tradunt Origenes hom.

Digitized by Google

hom.14.in Numeros,23.in Ioſue,8.in Hieremiam. Arethas,& Andreas Cæſarienſis in c.14.Apocalypſ. S.Damaſcenus lib.2.de fide orthodoxa cap.4.S.Auguſtinus lib.8. de Geneſi ad litteram cap.24.lib.83. Quæſtionum in 79.S.Thomas 1.p.q.110.art.1. ad 2.& q.113.art.3.Toſtatus in c.18.Mathæi q.57.& & cum recentioribus Theologis Molina, Suario, Vaſquio,Granado, Zumelio Amicus ſect.6. n.104. & 105.Columbus lib.2.c.62. (qui medium ſecundæ Hierarchiæ ordinem præfectum putat cœlis, & elementis: at reliquis ſpeciebus materialibus medium, & infimum tertiæ) Bubalus 1.p.q.50. art.3. quæſito vnico difficultate 2. §.1. licèt S. Hieronymus in c.1. Habacuc contradicere videatur præſidentiæ huic Angelicæ.

205 An autem Angeli beati excedant numerum hominum,qui fuerunt, ſunt, & erunt? In litigio eſt apud Theologos. Ex quibus affirmantes mouentur primò,quia ſi cuilibet hominum exiſtentium deſtinatus eſt in cuſtodiam ſuus Angelus ſpectans ad infimum ordinem trium Hierarchiarum, non poterunt non ſuperari ab omnium ordinum, & Hierarchiarum Angelis nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Concluderet hæc ratio, ſi Angelus, qui ſemel fuit cuſtos vnius hominis, non eſſet ſucceſſiuè cuſtos alterius poſt prioris obitum, quod tamen eſt incertum; & Suarius inclinat in oppoſitum lib. 6. cap.17.n.11.necnon Arriaga tom.2.in 1.p.diſp.22. ſect.8. ſubſect.1.n.46.Columbus lib.2.cap.61.n.1. & 2.poſt Hugonem Victorinum in ſumma tract.2. cap.6.& poſt Magiſtrum ſent.in 1.diſt.11.

206 Secundò, tot ſunt Angeli in infimo choro, quot ſunt homines vnà viuentes, quorum cuſtodiã gerunt, niſi aliqui tutelares Angeli pertineant ad octauum, aut ſeptimum chorum. Et prætereà, vt dictum eſt, quiſque ordo præcelſior ſuperat numero inferiorem quemque in decuplum,aut paulò minus. Cæterùm cum numerus hominum, qui fuerunt,& erunt, excedat plus quàm mille partibus homines vnà exiſtentes, inefficax eſt hæc ratio.

207 Tertiò, quia apud Lucam cap. 15. in parabola Paſtoris relinquentis nonaginta nouem oues in deſerto, & centeſimam requirentis;Patres intelligunt Angelos beatos per oues 99. & homines per centeſimam.Ita Didymus in paraphraſi Pachymeræ ad c. 14. S. Dionyſij de cœleſti Hierarchia, S.Hilarius in Mathæum Canone 18. S. Ambroſius lib. 7. in Lucam ad cap. 15. S.Gregorius Nyſſenus lib. 11. contra Eunomium, S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 10. Illuminatorum, Titus Boſtrenſis ad cap.12. Lucæ, S.Athanaſius ſerm. in ea Chriſti verba, *Profecti in pagum inuenietis*. Veruntamen ſi ex parabola deduceretur numerum felicium Angelorum eſſe 99. partibus maiorem;poſſet æquè inferri ex alia contermina decem drachmarum, quarum vna perdita eſt,exceſſum non eſſe niſi in nouem partibus: nam per nouem drachmas idem innuitur, ac per 99. oues. Et ſignificari quidem Angelos per nouem drachmas, aiunt S.Athanaſius q.6.ad Antiochum, S.Ambroſius lib.1. Apologiæ Dauidis cap.5. & in loco præcitato, S.Gregorius Magnus homilia 34. in Euangelia, Theophylactus in cap. 15. Lucæ, Euſebius Gallicanus homilia in Dominicam 3. poſt Pentecoſtem. Neuter ſenſus litteralis eſt; & alij myſtici ſolent afferri à Patribus pro vtraque parabola. Sed quamuis litteralis ſenſus eſſet de Angelis, non ideò ad exceſſum multitudinis etiam indefinitæ debet extendi, quando quidem non conducat talis exceſſus ad earum finem. Satis foret eminentia perfectionis in natura Angelica præ humana,vel exſuperantia multitudinis comparatis Angelis beatis cum hominibus, qui vnà viuant in hoc mundo.

208 Quidam memorati à S. Athanaſio, q.6.ad Antiochum aſſerebant, multitudinem beatorum Angelorum æqualem eſſe numero hominum, qui fuerunt, ſunt, & erunt ob illud Deuteronomij 32. v.8. *Conſtituit terminos populorum, iuxta terminum Angelorum Dei.* vt vertunt Septuaginta. Sed ei verſioni præferenda eſt vulgata noſtra ex Hebræo, Chaldaico, Aquila, & Symancho, teſtatúrque Origenes legi in codicibus aliquibus Interpretum Septuaginta, vt in vulgata noſtra, nimirùm, *Iuxta terminum filiorum Iſraël*, qui etiam nomine Angelorum Dei poſſent optimè intelligi in Septuaginta,inuſitatum enim non eſt in ſacris Litteris inſignire homines nomine Angelorum,vt Malachiæ cap.2.v.3.cap.3.v.1.Math.cap.11.v.10. Vnde Geneſ.6. v. 2. antiqua lectio habet, *videntes Angeli Dei filias hominum*, vocans Angelos poſteros Seth filios Enos, qui *cœpit inuocare nomen Domini*. Geneſ.4. v. 26. Quamuis verò deberet approbari verſio Interpretum Septuaginta, accipique de veris Angelis, non ibi eſt ſermo de omnibus Angelis, ſed de populorum, vel prouinciarum præſidibus; præter quos negari nequeunt perplures alij Angeli; *non enim Gentium terminus eiuſdem numeri myriadum Angelorum, qui ſine numero ſunt, fuit, ſed terminos ſecundùm numerum præfectorum Angelorum diſtribuit*, vt ait Seuerus citatus à Gloſſa in cap.10. Danielis.

209 Sunt, qui exiſtiment, Angelos beatos pauciores eſſe hominibus ab initio mundi vſque ad finem extituris. Nam tot ſunt homines prædeſtinati, quot Angeli ceciderunt,quippe homines ſint electi ad reparandas ſedes Angelorum,vt dictitant Patres. At homines prædeſtinati ſuperantur tantùm in dupla proportione ab Angelis beatis; ex tribus namque Angelorum partibus duæ remanſerunt, vt colligitur ex cap.12. Apocalypſis v. 4. vbi dicitur, *Et cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.* Quæ verba accipiuntur ab aliquibus Patribus apud Suarium lib.7. c.17.num.20. ab Scholaſticis cum Magiſtro in 2.diſt.6.cum S.Thoma 1.p.q.63. art.8. de caſu Angelorum. Ergo ſiquidem reliqui homines; qui damnantur, excedant prædeſtinatos non ſolùm in dupla, ſed in decupla proportione,ſequitur, collectionem omnium hominum tam prædeſtinatorum, quàm reproborum numeroſiorem eſſe beatis Angelis.

210 Sed vt diſcutiam argumenti propoſitiones. In primis plures eſſe homines prædeſtinatos,quàm Angelos reprobatos,docetur è contra à S.Auguſtino in Enchiridio cap.29.& lib.21. de Ciuitate Dei cap.1.S.Anſelmo lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. S.Gregorio Magno homilia 34. in Euangelia, & lib.31.Moralium c.35.Imò S.Gregorius,tot homines ſaluos fore,cenſet,quot ſunt Angeli beati. Aſſentiuntur S.Anſelmus in Elucidario, Magiſter in 2.diſt.9.& 11. Guilielmus Pariſienſis in 2.parte ſecundæ partis de Vniuerſo c.18. Albertus in ſumma de quatuor coæquæuis,q.10.art.1.Ruizius diſp.52. de Prædeſtinatione n.15.Columb.lib.1.c.4.& quidam apud S.Thom.1.p.q.23.art.7.æquarunt ſaluãdos homines cunctis Angelis creatis. Deinde eſto verum ſit, cecidiſſe minorem Angelorum partem, quàm quæ in officio ſuo ſtetit, vt cum S. Auguſtino lib. 11. de ciuitate Dei c.23. S.Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Geneſim, Hugone Victorino de Sacramentis lib.1. parte 5.cap.31. Magiſtro in 2. diſtinct.

Digitized by Google

diſtinct. 5. & S. Thoma 1. part. quæſt. 63. artic. 9. tenent Theologi, tamen in loco Apocalypſis, præterquam quòd aptiùs explicetur de fidelibus lapſis quotidie in Eccleſia Dei, vel de lapſuris ſub Antichriſti tempore, vſurpatur numerus certus pro incerto, ſic quidem, vt nequeat compertum eſſe, an multitudinis Angelorum infidelium ratio ad numerum fidelium ea fuerit, quæ eſt vnius partis ad duas alias? Si vt cuilibet homini deputatus creditur Angelus tutelaris, ita & alius oppugnator inſidietur ſpecialiter, quæ eſt famoſiſſima Patrum ſententia tractata eruditè ab Antonio Ruſca lib. 5. de Inferno cap. 18. & 19. euadet numerus Dæmonum maior, quàm hominum vniuerſorum, niſi dicatur defuncto vno homine eundem Dæmonem ſuſcipere munus infeſtandi alium.

211 Quicquid de hoc ſit, Dæmones plures videntur, quàm qui computantur à Guilielmo Pariſienſi in ſecundæ partis de Vniuerſo parte 3. cap. 8. iunctis cap. 94. & 95. in ſecundæ partis parte 2. Autumat enim, Dæmones conficere ſummam, qua componeretur ordo, aut Chorus Angelicus, & is iuxta ipſum reſultat ex ſex mille ſexcentis ſexaginta ſex legionibus, quarum quælibet conſtet totidem Angelis: quare penes Pariſienſem numerus Dæmonum erit 44435556. ſed eum refutat Ruſca lib. 5. cap. 3. Nec nos poſſumus quicquam exploratum afferre de numero ſiue Angelorum beatorum, ſiue Dæmonum; quorum exercitus habens militum vicies millies dena millia viſus eſt ab Ioanne in Apocalypſi cap. 9. verſ. 16. *Cognouit Dominus qui ſunt eius*, vt in 2. ad Timotheum 2. v. 19. inquit Apoſtolus cognouit etiam qui eius non ſunt electi. *Quod tamen vtrumque, quia certum eſſe non poteſt nobis, melius inter occulta deputatur, vbi ignorantia non culpatur, præſumptio arguitur.* Quibus verbis Hugo Victorinus proximè citatus finit quæſtionem, in qua verſamur, & in qua ratum eſſe debet ex dicendis in ſect. 19. Exercit. 21. aduerſus Columbum lib. 1. cap. 4. lib. 4. capite 49. homines præſcitos plures eſſe prædeſtinatis, etſi includendo homines, & Angelos opinare liceat cum Tannero tomo 1. diſput. 5. dub. 6. numero 9. numerum electorum ſuperiorem eſſe numero reproborum, & cum S. Thoma in 1. diſt. 39. quæſt. atque art. 2. ad 4. ſolos Angelos electos plures eſſe Angelis, hominibúſque reprobis ſimul ſumptis.

212 Idem Doctor Angelicus 1. part. quæſt. 50. art. 3. rationabile putat, quòd Angeli *excedant omnem multitudinem materialem, ſeu omnes ſubſtantias materiales, quaſi incomparabiliter.* Et alij quidem interpretantur de exceſſu ſupra omnes ſpecies, alij de exceſſu ſupra omnia indiuidua; potiorque eſt poſteriorum cauſa: nam S. Thomas loquitur ad mentem S. Dionyſij Areopagitæ, cuius verba hæc capite 14. de Hierarchia Cœleſti exarat, *Multi ſunt beati exercitus ſuperiarum mentium infirmam, & conſtrictam excedentes noſtrorum materialium numerorum commenſurationem.* vbi S. Dionyſius vti non habet ſermonem de Angelorum ſpeciebus, vnius enim eſſe omnes Angelos putauit, teſte S. Maximo Martyre in c. 5. de Hierarchia Cœleſti, ſic nec de ſpeciebus, ſed de indiuiduis rerum materialium profari videtur. Scripſi *videtur*, quia S. Maximus explicat de ſolis indiuiduis humanis S. Dionyſium; & P.P. Vaſquez, Suarez, ac Corderius putant S. Dionyſium eò tantum reſpicere, vt Angelorum multitudo ſuperet numeri multiplicationem, quam in rebus corporeis numerandis vſurpamus frequentiùs. Eſt præterea diſceptatio, an SS. Dionyſius, & Thomas præferant multitudinem Angelorum numero indiuiduorum materialium exiſtentium eodem tempore, vel etiam præteritorum, præſentium, & futurorum, an quorumcumque indiuiduorum, vel præcisè eorum, quæ non omninò per accidens, vt guttæ aquæ, arenæ maris, ſed per ſe diſtinguuntur, vt viuentia, & animalia.

213 Argumentum S. Thomæ eſt, quia *cùm perfectio Vniuerſi ſit illud, quod præcipuè Deus intendit in creatione rerum, quantò aliqua ſunt magis perfecta, tanto in maiori exceſſu ſunt creata à Deo. Sicut autem in corporibus attenditur exceſſus ſecundùm magnitudinem* (vt videre eſt in corporibus cœleſtibus collatis inter ſe ſe, & cum elementaribus) *ita in rebus incorporeis poteſt attendi exceſſus ſecundum multitudinem.* Difficilis apparet multis hæc ratio, alioqui homines eſſent plures brutis, plantis, rebúſque aliis inferioris perfectionis; & plures etiam eſſent Soles, quàm aſtra, & cœleſtes orbes, quámque omnia ſublunaria materialia non viuentia imperfectiora Sole: humanum denique corpus maioris eſſet magnitudinis, quàm cœlum, aut ſaltem quàm elephas. Si in corporibus exceſſus perfectionis attendendus ſemper foret ſecundùm magnitudinem. S. Tho. ratio inſtar congruentiæ accipienda eſt. Et iam ſatis de re hallucinationum plena.

EXERCITATIO VIGESIMAPRIMA.

De animabus vt Empyrei incolis ante generalem corporũ reſurrectionem.

POST Beatos Angelos veniunt fælices animæ humanæ, quæ corporibus exutæ habitant Empyreum. Vnde Epiſcopus Lucas Gauricus in ſphæra pag. 18. & 52. canit,

Perſpicuos tandem cælos ſupereminet omnes
Empyreum æterni quod coluere Dei.
Credere par illuc animas migrare beatas,
Cum leuis extincto vita calore fugit.
Felicémque omni momento ducere vitam
Queis datur & fato iam meliore frui.

Digitized by Google

Materies hæc abundè elucidatur à Theologis vetuſtis,& nuperis.Sed eò directè tendunt,vt beatitudinem animarum ante diem magni Iudicij comprobent;nos eò præcipuè collimabimus, vt locum cœleſtem,in quo beantur,comprobemus. In quo non adeò operosè laborarunt alij.

SECTIO PRIMA.

Statuitur ex ſacris Litteris exiſtentia beatarum animarum in cœlo ante generalem corporum Reſurrectionem.

1 PRIMVM, quod occurrit ex ſacris monumentis, teſtimonium, habetur Lucæ 16. vbi cùm Chriſtus notaſſet verſ. 8. *filios huius ſaculi prudentiores eſſe filiis lucis in generatione ſua*, addit verſ.9. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quò loci τὸ *defeceritis.* Denotat idem, ac *exceſſeritis è vita hac*: & *æternorum tabernaculorum* nomine ſignificantur cœleſtia; concinnéque ſatis filij lucis, ſeu futuri ſæculi, contraponuntur filiis tenebrarum, ſeu præſentis ſæculi; & cœleſtia tabernacula, terrenis. Videatur Suarez tomo 4. diſputatione 45. ſect. 1. à num. 8.

2 Secundum extat apud Paulum in poſteriori ad Corinth. capite 5. verſ.1. *Scimus* (inquit) *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Expenditur pro dignitate hic locus à Richardo Radulpho Archiepiſcopo Armachano in quæſtionibus Armenorum libro 10. capite 5. Bellarmino libro 1. de Sanctorum beatitudine cap.3. Valentia tom.2. diſput. 1. quæſt.4. puncto 2. Suario diſput.13. de Beatitudine num.5. Salas tomo 1. in 1. 2. tract.2. diſput.10. ſect.5. num.51. Vaſquio tom.1. in 1.2. diſput.19. cap.2. num. 5. ideóque eos adeat, qui nos longiores vellet.

3 Tertium offert nobis ipſe Paulus, *deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, vt ſcribit ad Philippenſes cap.1. verſ.23. Eſſet quidem inutile tale deſiderium, niſi anima Pauli ſtatim poſt ſeparationem à corpore extitura eſſet cum Chriſto in cœlo, & Deum ibi viſura. Vnde optimè S.Gregorius Magnus libro 4. Dialogorum cap. 25. dixit, *Qui Chriſtum in cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe negat.* Confirmatur ex verbis Chriſti aientis apud Ioannem capite 12. verſ. 26. *vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Et capite 17. verſ.24. *volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam.* Cùm autem Chriſtus modò ſit in cœlo ſecundùm humanitatem beatam, vbi penes ſolam diuinitatem exiſtebat, quando ſic loquebatur, fit, electorum animas nulli obnoxias pœnæ temporali exiſtere modò cum ipſo in cœlo. Huc etiam faciunt, quæ Chriſtus abiturus ex mortali hac vita dixit ad diſcipulos apud eundem Ioan. cap 14. verſ.2. &.3. *Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.*

4 Quartum deſumitur ex Paulo ad Hebræos 6. verſ.19. ac 20. ſcribente, *habere nos ſpem, ſicut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus.* In quæ verba adnotatu ſunt digna iſthæc Theophylacti, *Non ſimpliciter, ſed præcurſor ingreſſus eſt, ceu noſtri ſit præcurſor, quorum interſit, etiam ingredi. Præcurſor enim quorundam ſequentium eſt præcurſor; nec omninò multum eſt medij, atque diſtantiæ, inter præcurſorem, ac ſequentes, quemadmodùm neque inter Ioannem, & Chriſtum multum temporis interfuit. Ne igitur ægrè feratis, ſi nondum eſtis ingreſſi in eum locum, in quo præcurſor noſter Chriſtus eſt. Nec contentus fuit dicere, Præcurſor; ſed appoſuit, pro nobis, ad maiorem confirmationem. Perinde quaſi hoc dicat, Ipſe non habebat opus eò ingredi, quomodò enim, cùm Deus eſſet? At enim perinde ac carnem propter nos aſſumpſit, & propter nos interius cælum ſubit. Neceſſariò itaque ingrediemur & ipſi.* Hactenus Theophylactus, ſequutus ſanctus Chryſoſtomum oratione 11. in epiſt. ad Hebræos. Nec inexpenſa debeant illa Apoſtoli, *incedentem vſque ad interiora velaminis*, in quibus innuitur, Sanctorum animas eò ingreſſuras, quò Chriſtus, ita quidem vt in eodem penitiori cœlo commorentur. Colludit Paulo Michæas Propheta cap.2.v.13. dum de Chriſto prædicit, *Aſcendet pandens iter ante eos.* Quo in ſenſu explicatur à S.Thoma 3. p. quæſt.49. art.5. & quæſt. 57. art.6. in corpore, & ab aliis communiter. Vnde melius de Chriſto, quàm de Annibale Alpes tranſituro, licebit canere,

Per cælum eſt, qui pandat iter——

Ipſe S.Thomas quæſt. 49. art. 5. in corpore affert venuſtam figuram ex cap. 35. Numer. vbi iubetur verſ.25. *Quòd homicida maneat in Ciuitate refugij, donec Sacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus eſt, moriatur, quo mortuo poterit in domum ſuam redire.* Cùm ergo Chriſtus Pontifex Mortem obierit, introieritque ſemel in Sancta Cœli, poterunt & ingredi animæ in domum cœleſtem. Hic quippe ingreſſus in illo reditu figurabatur penes Angelicum Præceptorem. Confirmati poſſunt hæc omnia ex pleriſque ſacræ paginæ teſtimoniis, quibus in Exercit. 18. à n. 120. comprobauimus, Iuſtorum animas non aſcendiſſe in regnum cœleſte ante Chriſtum, etſi nihil expiandum haberent, valent enim æquè ad probandum, aſcendere iam poſt Chriſtum.

5 Quintum peruſum cunctis eſt in cap. 12. ad Hebræos verſ. 22. & 23. Vbi opponens Paulus Chriſtianos Iudæis, vt doceat Chriſti legem nobiliorem eſſe, Moſaïca, inquit: *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Hieruſalem Cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & Iudicem omnium Deum, & ſpiritus Iuſtorum perfectorum.* In quibus verbis deſcribit Triumphantem Eccleſiam, & Sion cœleſtem, cuius Ciues ſunt Angelorum myriades, animæ etiam primitiuorum, & perfectorum ſpiritus, actu iam, & reipſa conſcripti, & cooptati in cœlis. Nomine *primitiuorum* intelligunt aliqui animas Patriarcharum, Prophetarum, ac Sanctorum veteris Teſtamenti; nomine autem *Iuſtorum perfectorum*, animas Martyrum, & Apoſtolorum, qui poſt Chriſti Aſcenſionem iam obierant, vt Stephanus, Iacobus, &c.

Alij

Digitized by Google

Alij è conuerſo interpretantur: omnes tamen ſic, vt ex Paulo conſtet, Sanctorum hominum animas illo iam tempore conciues fuiſſe Angelorum in cœlo.

6 Sextum accipiendum eſt ex c. 4. ad Epheſios v.8. vbi cum Regio Pſalte Pſ.67.v.19. ait Paulus de Chriſto, *Aſcendens in altum captiuã duxit captiuitatem, dedit bona hominibus.* Quæ verba accipiuntur ab Eccleſia, & Patribus de Aſcenſione Chriſti in cœlum, & Sanctarum animarum in illud euectione. Quòd enim τὸ *in altum* ſignificet Cœlum, patet ex v.9. ac 10. ſequentibus, S.Anſelmus in hunc ſenſum trahit illa eiuſdem Apoſtoli verba ad Coloſſenſes cap.2.v.15. *Spolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, ſpoliauit enim* (ita S.Anſelmus) *principatus, & poteſtates Dæmonum, auferendo illis animas iuſtorum, quas in Inferno propter culpam primi parentis detinebant: & traduxit, id eſt, trans Infernum duxit ad regna cælorum ipſas ab Inferis ereptas animas Sanctorum: & hoc confidenter, id eſt, cum magna fiducia fecit, non timens Dæmones, vtpotè qui nullum habebat peccatum.* Nec diſplicuit S.Thomæ 3.p.q.52.art.1.& 3.in corpore hæc expoſitio viſa in Gloſſa. Locus ille Micheæ cap.2. v.13. *Aſcendet enim pandens iter ante eos, diuident, & tranſibunt portam, & ingredientur per eam: & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum*, intelligitur ad litteram in eodem ſenſu à S.Thoma, Lyra, & Ribera. Sed quicquid ſit de litterali ſenſu, qui diuerſus eſt iuxta Palacium, & alios, nullus Catholicus renuit allegoricum de Sanctis Patribus aſcendentibus cum Chriſto ad cœlum.

7 Hinc S. Thadæus Diſcipulus Domini apud Euſebium lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. vlt. S. Ignatius in epiſt ad Trallianos, S.Hieronymus in Pſalm.67.v.19.& in cap 4.ad Epheſios v.8. Arator lib.1.Hiſtoriæ Apoſtolicæ S.Mechthildis lib. 1. ſpiritualis gratiæ cap. 44. Lactantius carmine de die Dominicæ Reſurrectionis, Marcus Eremita in præceptis ſalutaribus, Etherius, & Beatus lib.1.contra Elipandum, Apollonius lib.1.Carminum de excidio Hieroſolymitano, Venantius lib. 2. in carmine ad Felicem de Paſchate, innumerique alij Patres apertè docent, animas Sanctorum Patrum, qui deceſſerunt ante Chriſti Aſcenſionem ſubiiſſe ſimul cum ipſo in cœleſte domicilium: imò & eorum corpora, qui Chriſto reſurgente reuixerunt, illuc etiam eleuata, tradunt non pauci recenſendi in ſect. 1. Exercitationis proximæ. Et quo ad animas commorantes in Sinu Abrahæ, quando Chriſti anima deſcendit ad Inferos, quo ad eas itidem, quæ nouiter ingreſſæ ſunt, quandiu Chriſti anima moram traxit in Inferis, tranſlatas poſtea in cœlum ſuadetur exinde, quia alioqui ſine cauſa extractæ fuiſſent ex prædicto Sinu virtute Chriſti, ſi hoc poſtmodùm aſcendente in cœlum remeaturæ illæ eſſent ad locum priſtinum, aut manſuræ in aëre. Iam ſi illæ ad eum euolarunt: Ergo & nunc euolant, quæ ſeiunguntur à corpore, & nullius pœnæ reatu tenentur. Ob id frequenter Summates Eccleſiæ harum, & illarum animarum ſocietatem, ac contubernium in cœlo decantant. Attentè audiatur S. Gregorius Nyſſenus in oratione de vita S.Ephræm Syri, *Ad tranquillum æterni Regis portum feliciter emigrauit, ſanctáque, ac Deo grata acceſſione numerum Beatorum, qui ab initio fuerant ſæculi, cumulauit: nam in cæleſtibus anima ipſius concedit tabernaculis; vbi Angelorum ſunt ordines, vbi Patriarcharum populi, vbi Prophetarum chori, vbi Apoſtolorum ſedes, vbi Martyrum gaudium, vbi piorum lætitia, vbi Doctorum ſplendor, vbi celebres primogenitorum cœtus, vbi puræ lætantium voces. In ſanctum illum locum fœliciſſima beati, clarique Patris Ephræm anima peruenit, vbi ea reperiuntur bona, in quæ ipſi deſiderant Angeli proſpicere.* Sic Nyſſenus, qui imitatus videtur ipſum S. Ephræmum in lib.de locis beatis. Auſcultetur etiam S. Maximus Taurinenſis inquiens in hom. 2. de S.Euſebio Vercellenſi, *Dignè in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum.*

8 Septimum proponitur in Apocalypſis cap.7. nam de animabus Martyrum, amictis iam ſingulis ſtolis albis, dicitur, quòd *ſint ante thronum Dei, & ſeruiant ei die ac nocte in templo eius*, id eſt in cœlo, quod eſt templum, & thronus Dei ſecundùm illud Dauidis 2.Regum cap.22. v.7. *Exaudiet de templo ſancto ſuo vocem meam.* & iuxta illud Chriſti Matthæ. 23.v. 22. *qui iurat in cœlo iurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum.* S.Thomas, vel quiſquis eſt Author expoſitionis in Apocalypſim notat ad cap.20.v.4 vbi de animabus decollatorum propter verbum Dei dicitur, *vixiſſe, & regnaſſe cum Chriſto*, notat, inquam, non dici victuras, & regnaturas, *quia iam præſentialiter cum Chriſto viuunt, & regnant animæ Sanctorum, ex quo interfecti ſunt pro Chriſto.* Nec omittendum eſt, viſos in cœlo ab Ioanne viginti quatuor Seniores, vt teſtatur cap.4. & 5. Apocalypſis. Illi autem Seniores repræſentabant animas beatas inſigniorum Sanctorum veteris, & noui Teſtamenti.

9 Octauum deducitur ex cap. 7. Actorum, ibi namque refertur, Stephanum, cùm intendens in cœlum, vidiſſet gloriam Dei, & IESVM ſtantem à dextris Dei, exclamaſſe, *Ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Sanè non alia de cauſa Stephano morituro oſtenſa ſunt hæc à Deo, niſi vt intelligeret, patere ſibi cœleſtem aulam, & ſe ſtatim à Domino admittendum in illam gloriam. Et ita quidem intellectum eſt ab Stephano; nam exhalans animam inuocauit, & dixit, *Domine IESV ſuſcipe ſpiritum meum*: poſt quæ, & pauca alia nouiſſima verba *obdormiuit in Domino.* Expendo illa, *Suſcipe ſpiritum meum.* conferens cum aliis, quæ Chriſtus ſpiraturus protulit, ſcilicet, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum:* expendo, inquam, cum S.Cyrillo Alexandr.lib.12.in Ioannem cap. 36. aiente, *Id nobis magnæ ſpei fundamentum, atque originem præbet. Credere namque debemus, cum à corporibus Sanctorum animæ abierint, tanquam in manus chariſſimi Patris bonitati diuinæ commendari: nec vt quidam infidelium crediderunt, in terris conuerſari, quouſque ſepulturæ honoribus affectæ ſint; nec vt peccatorum animæ ad immenſi cruciatus locum, id eſt, ad Inferos deferri; itinere hoc nobis à Chriſto primùm præparato, ſed in manus potiùs Patris euolare. Tradidit enim animam ſuam manibus genitoris, vt ab illa, & per illam facto initio certam huius rei ſpem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos poſt mortem futuros, vitámque meliorem, ac perpetuam cum Chriſto habituros. Ideò enim Paulus deſiderabat reſolui, & eſſe cum Chriſto.* Hucuſque ex S. Cyrillo, qui eadem ferè habet lib. 2. de recta fide ad Reginas versùs finem. Expendo & illa *obdormiuit in Domino*, nam in veteri Teſtamento, cùm ad Limbum tranſiretur, dicebatur, *Appoſitus eſt ad populum ſuum*, in nouo autem, cùm animæ puræ mox in cœlum auolent, dicitur, *Obdormire in Domino, mori in Domino, intrare in gaudium Domini.* Ita obſeruauit

Digitized by Google

Paulus Burgenſis ſuper cap. 49. Geneſ. Vnde meritò in ſerm. de S. Stephano prædicauit S. Fulgentius, *Hodie tales de tabernaculo corporis exiens triumphaliter migrauit ad cœlum.* Et paulo pòſt, *Depoſitis corruptibilibus corporis indumentis ad cœli palatia perenniter regnaturus aſcendit.* Et de ipſo S. Fulgentio Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in Paræneṫico ad Reginum, *Tranſiuit ad æternæ beatitudinis immortalia gaudia, verbum Dei, quod in corde, & ore ſemper habuit, facie ad faciem contemplaturus.*

10 Nonum elicitur à S. Athanaſio in oratione de paſſione, & Cruce ex raptu S. Pauli ad tertium cœlum, & paradiſum cœleſtem. En Athanaſij verba, *Porrò via paradiſi quondam per peccatum clauſa, nunc volentibus patet, ſicuti teſtatur Paulus raptus illuc, & abductus in cœlos.*

11 Decimum infertur ab Euthymio, Maldonato, & Barrada in cap. 27. Matthæi v. 51. & à Ioanne Pico Mirandulano in 2. proæmio ad Heptaplum ex Templi ſciſſo Velo in morte Chriſti, ſignificat namque Chriſtum ſua paſſione meruiſſe nobis introitum regni cæleſtis, & remouiſſe impedimentum, vt poſt eius in cœlum Aſcenſionem puræ Iuſtorum animæ illuc pergant. Hinc S. Nazianzenus oratione 3. de Theologia dixit: *Velamen rumpitur, ſuperna enim demonſtrantur.* Et Victor Antiochenus ad cap. 15. Marci, v. 38. *Oportebat legis vmbras iam conſummatas, iuſtificatiſque per fidem in Chriſtum Sancta Sanctorum iam tandem patefacta demonſtrare. Oportebat denique iis omnibus, qui Chriſti veſtigiis impigrè inſiſtunt, aditum ad interius tabernaculum omni impedimento prorſus ſublato, iam patere, oſtendere.*

12 Vndecimum conficitur à multis ex apertione cœlorum in baptiſmate Chriſti, vt quæ indicabat, baptizatorum animabus liberum fore aditum in cœlum accedente poſtea Chriſti paſſione, & aſcenſione, dummodò poſt baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam incurrant. Prætereunda non ſunt hæc Chryſoſtomi, homil. 4. in 3. Matth. verba, *Nullam animam ante Chriſtum arbitror aſcendiſſe in cœlum ex quo peccauit Adam, & clauſi ſunt ei cœli; ſed omnes in Inferno detentas, propter quas etiam deſcendit ad Inferos, ſicut ipſe teſtatur in Sapientia dicens: Deſcendam ad inferiores partes terræ, & viſitabo omnes dormientes, & illuminabo ſperantes in Deum. Aperti ſunt ei cœli, ſic aperti ſunt, vt nunquam claudantur. Ecce baptizato quidem Chriſto aperti ſunt ei tantùm; poſtquam verò tyrannum vicit per crucem; & reſurgens ab Angelis, portabatur in cœlum, videntes Angeli portitores, quia cœli iam nunquam erant claudendi; ſed omnes iuſti, & peccatores pariter aſcenſuri erant in cœlum, & ſtaturi erant ante tribunal Chriſti, quia non erant neceſſariæ portæ cœli, cœlo poſteà nunquam claudendo; ideò non dicunt Aperite portas, & introibit Rex gloriæ, iam enim erant apertæ; ſed Tollite portas, principes, veſtras.* Tertullianus aduerſùs Gnoſticos cap. 10. interpretatur conſimili modo poſtrema hæc Angelorum verba. *Si vnquam*, inquit, *legiſti apud Dauid, auferte portas, principes, veſtras, & ſubleuentur portæ æternales, & intrabit Rex gloriæ. Si item audiſti apud Amos, Qui aſcenſum ſuum ædificat in cœlos, & profuſionem ſuam fundat in terras, ſcito aſcenſum illum exinde complanatum veſtigiis Domini, & introitum exinde reſeratum viribus Chriſti, nec vllam moram, aut quæſtionem exinde Chriſtianis occurſuram, qui non dignoſci habeant illic, ſed agnoſci, nec interrogari, ſed admitti.* Redeo ad apertionem cœlorum, in Chriſti baptiſmate, & adiungo S. Chromatium aientem, *quia omnia, quæ pro nobis Dominus egit, in ſacramentum ſalutis noſtro oſtenſa cognoſcimus, item monſtratur, quia renatis in baptiſmo Cœlorum regna paterent quæ nobis filius Dei in corpore ad cœlum aſcendens primus aperuit.* Sufficiant adductæ Sacræ paginæ teſtimonia; omiſſis aliis, in quibus vel cœlum aſſeritur deputatum iuſtis vel conferenda beatitudo ipſorum animabus ante generalem corporum reſurrectionem.

SECTIO II.

Teſtimoniorum Scripturæ ſanctæ, quæ obſtare videntur, explicatio.

13 Contra Catholicam hanc aſſertionem tria Scripturæ ſanctæ teſtimonia opponi poſſunt. Primum ex Matth. 25. verſ. 35. vbi ſcribitur, Chriſtum in extremo Iudicio dicturum Electis, *poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Nam verba, *Poſſidete*, & *Paratum* ſignificare videntur, regnum cœleſte non anteà poſſeſſum ab Electis.

14 Secundum ex Ioanne 14. verſ. 2. ac 3. vbi Chriſtus ait, *Vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio*, &c. Nam licèt aduerbium *Iterùm* acceptum ſit à nobis in num. 3. de aduentu Chriſti per ſolam efficaciam & virtutem in morte cuiuſque iuſti; tamen ſatis frequenter accipitur de ſecundo ſolemni aduentu ad iudicandum.

15 Tertium ex Apocalypſis 6. v. 9. ac 11. vbi *animabus interfectorum propter Verbum Dei, exiſtentibus ſubtus altare, dictum eſt, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* Locus autem ſubtus altare, & expectatio illa denotare videntur animas Martyrum non exiſtere modò in cœlo, nec beari. Alia teſtimonia, quæ circumferri ſolent, nequeunt obiici directè contra noſtrum aſſertum.

16 Ad obiecta reſpondeo breuiter. Ad primum, tunc quidem dici paratum regnum cæleſte à conſtitutione mundi, non verò non poſſeſſum, antequam id à Chriſto dicatur. Sed quia adhuc vrget verbum *Poſſidete*, reſpondeo, dici paratum vſque tunc, vt poſſideatur nouiter à glorificatis corporibus maioris partis Electorum hominum, vel vt ab omnibus electis tam Angelis, quàm hominibus adeatur nouo modo, & honore, ſcilicet publica coram toto mundo ſententia, pompa, & triumpho celebri. Et hinc patet ad ſecundum, ſi aduerbium *Iterùm* accipiatur de aduentu ſolemni Chriſti ad extremum Iudicium. Digna ſunt, quæ hîc deſcribantur Euſebij Gallicani verba in homilia de Natiuitate Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, *Certi igitur eſtote, & nolite dubitare, quia ſi ego abiero, & præparauero vobis locum, iterùm venio, & accipio vos ad me ipſum. Quare vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Vnde & ſuperiùs dixit, quia vbi ego ſum, & miniſter meus erit. Accipiet enim Dominus ſanctorum animas quotidie ad ſe ipſum, Angelorum miniſterio, & ineffabili ſuâ potentiâ. Hoc tamen tunc pleniùs, & abundantiùs faciet, quando ad Iudicium veniens corporibus animabus coniunctis, ſuis Fidelibus loquetur dicens: venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Sic ibi; & homilia 3. in Natali Confeſſ. ſubdit, *Venit autem & nunc ad nuptias* Chriſtus *per ſingulos dies, quando ſanctorum animas,*

Digitized by Google

animas, quæ & ipſa illius ſponſæ ſunt, ad ſe vocat, & ſecum in æterna beatitudinis cubiculum collocat.

17 In tertio teſtimonio, locus *Subtus altare* non debet eſſe alius à cœleſti, cum ex cap. ſequenti conſtet, illas animas exiſtere iam in cœlo; neque ea expectatio ſignificare debet eſſentialis beatitudinis deſiderium, cùm vtrobique proponantur illæ animæ amictæ ſtolis albis, ideſt ornatæ eſſentiali beatitudine, vt explicant communiter Patres. Erit ergo locus *ſubtus altare* locus quidem cæleſtis, vt quoniam in terra Martyrum corpora ſub altare requieſcunt, iuxta antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, inde locus in cœlo deſignatus Martyrum animabus, vt in eo quieſcant, eodem nomine appelletur per metaphoram. Huius interpretationis gratioris mihi inter alias Patronus eſt Franciſcus Ribera. Expectatio autem ſignificabit dilationem iteratæ vnionis ad corpora glorificata vſquedum electorum omnium hominum impleatur numerus, túncque de ipſorum hoſtibus, & inimicis publicum ſumatur ſupplicium, deſtruaturq; regnum Diaboli.

18 In lib. 4. attributo Eſdræ cap. 4. v. 35. dicitur, animas Sanctorum detineri in quibuſdam abditis promptuariis Inferni, donec impleatur numerus omnium Electorum veniatque ſupremi iudicij dies, in qua omnes ſimul inde educentur. Rurſus cap. 5. v. 42. vltimi iudicij, ac retributionis dies aſſimilatur coronæ, in qua ſicut neque primum eſt, neque poſtremum, ſed ſimul omnia, ita in retributione æternæ fælicitatis priorum animarum velocitas, nouiſſimarum tarditatem non præueniet, ſed omnes ſimul, & eodem tempore expectatam beatitudinem conſequentur. Vlteriùs cap. 7. v. 32. ac 33. inculcantur dicta in priori loco. Eius authoritate vtitur S. Ambroſius lib. de bono mortis cap. 10. & Author operis imperfecti in Math. homil. 34. Sed Authoritas libri quarti attributi Eſdræ, nunquam recepta eſt vt Canonica ab Eccleſia Catholica; & ob hoc dogma (inter alia) notat Sixtus Senenſis lib. 1. Bibliothecæ ſanctæ, cenſeri apochryphum. Salas n. 57. ſcribit, *Quod verò citat Ambroſius ex 4. Eſdræ animas ſanctorum expectare ſub terra, vt accipiant mercedem, quando fuerit completus numerus, & menſura ſanctorum, vel non eſt recipiendum, cum liber ille ſit apochryphus, vel referendum ad vetus Teſtamentum.* Si hæc interpretatio, aut alia Cornelij infrà de plena & perfecta mercede animabus conferenda in reſurrectione generali, iam electorum completo numero, quin eo vſque omnes detineantur in Limbo Patrum, vel Purgatorio, quadret ad Eſdræ verba, proſpicietur magis aliquali authoritati illius libri, ex quo in cap. 2. v. 35. vſurpat Eccleſia introitum Miſſę feriæ tertiæ poſt Pentecoſten, & in v. 45. Canticum quoddam poſt tertiam lectionem Nocturni ſecundi pro Apoſtolis extra Paſchale tempus, quin tamen cenſenda ſit agnoſcere in eo Canonicam authoritatem. S. etiam Ambroſius non ſemel ipſum allegat, aliíque Patres, & S. Ioannes in Apocalypſi cap. 4. v. 10. c. 6. v. 3. c. 7. v. 14. alludit ad viſiones libri 4. Eſdræ cap. 2. & 4. ac 15. prout in fine commentariorum ad Eſdram pag. 63. & in eis locis Apocalypſis animaduertit Cornelius. Sed quicquid ſit de interpretationibus ad verba attributa Eſdræ, S. Ambroſius tam apertus eſt in loco ſuperiori pro exiſtentia omnium animarum extra cœlum vſque ad Iudicij vniuerſalis diem, vt quo ad hanc partem ægrè admittat benignum ſenſum intentum à Bellarmino cap. 5. licèt in aliis locis indubitanter faueat S. Doctor orthodoxæ ſententiæ; vt videre eſt apud eundem Bellarminum.

SECTIO III.

Comprobatur ex Conciliis, & Summorum Pontificum Decretis eadem doctrina Catholica.

19 IOannes Bachonius in 4. diſt. 48. art. 2. diſt. 50. art. 1. refert Græcorum Nuntios, qui conuenerunt in Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo, celebrato ſub annum 1274. abiuraſſe errorem de abſentia animarum ſanctarum in cœlo vſque ad Iudicij diem; teſtatúrque ſic contineri in M.S. quod habuit ex Bibliotheca Rochæfortis. Eugenius IV. Pontifex Maximus cum Concilio Oecumenico Florentino in litteris vnionis inter Latinos, & Græcos editis anno 1439. pridie Nonas Iulij definit, *Illorum animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus ::: ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum Trinum, & Vnum, ſicuti eſt.* Et in Decreto ſuper vnione Iacobinorum, & Armenorum, addit idem Eugenius approbante eodem Concilio anno illo 1439. 10. Kal. Decembris, baptizatos *morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad regnum cælorum, & Dei viſionem peruenire.* Tridentinum etiam Oecumenicum ſeſſ. 25. in Decreto de Inuocatione Sanctorum ait, *ſanctos æterna fælicitate in cælo frui, in cælo regnare, viueréque cum Chriſto.*

20 His Conciliis accedunt alia, quæ Generalia non ſunt, & Omiſſis Prouincialibus Senonenſi 2. in Decreto 13. de Veneratione ſanctorum Moguntino X. in cap. 45. ac 46. Soliùs Nationalis Francofordienſis celebrati anno 794. tranſcribemus verba ex epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, in qua hortans eos, vt ſe contineant intra limites Patrum ſuorum, inquit, *Quorum animæ apud Deum, Dei filium Dominum noſtrum IESVM Chriſtum pro magno pietatis labore regnant in cælis.*

21 Tranſeo ad Decreta Pontificum Summorum, Melchiades in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ relatus à Gratiano Can. 1. *Spiritus Sanctus.* De conſecrat. diſt. 5. agens de Sacramentis Baptiſmi, & Cõfirmationis ſic fatur: *Et ſi continuò tranſiturus ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Nam regeneratio per ſe ſaluat, mox in pace beati ſæculi recipiendos.* Leo IX. apud eundem Gratianum Can. 54. *Hi duo.* de conſecrat. diſt. 1. *Omnipotens Deus creator primum hominem de limo terræ formauit qui ſui generis multiplicatione damna celeſtis patriæ reſarciret, atque Angelorum gaudia ſuppleret: qua ſpe Angelicus chorus non modicum lætatus eſt. Nec mirum, ſi ex lapſu ipſius hominis fuerat perturbatus. Vnde nouem ordinum Concentus in laudem Dei Creatoris manſit imperfectus, donec in Chriſto reſurgente reſurrexit prolapſus ille protoplaſtus. Ibi augmento ſui collegij, & ſpe meliori Angelicus exercitus gauiſus, in nouum Alleluia conſurrexit totus.* Expendantur illa, *Ibi augmento ſui Collegij*, in quibus non obſcurè docet Leo Papa, cœtum Angelicum commorantem in cœlo accepiſſe augmentum ex animabus hominum, reſurgente, & aſcendente Chriſto ad cœlum.

22 Innocentius III. in cap. *Cum Marthe.* de celebratione Miſſarum ſcribit, *Cùm ſacra*

m 3 *Scriptura*

Digitized by Google

Scripturæ dicat authoritas, quòd iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre; idem eſt ratione conſimili de aliis Sanctis ſentiendum, quia orationibus noſtris non indigent, pro eo quòd cùm ſint perfectè beati, omnia eis ad vota ſuccedunt. Rurſus in cap. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato, aſſerit. *Incunctanter*, eum *cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, ſi in Sanctæ Matris Eccleſiæ fide, & in Chriſti nominis confeſſione perſeuerauit.* Et in cap. *Maiores*, de Baptiſmo, & eius effectu, docet: *Etſi originalis culpa remittebatur per Circumciſionis myſterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vſque ad mortem Chriſti fuit omnibus obſeratum; ſed per Sacramentum Baptiſmi Chriſti ſanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam peruenitur, cuius ianuam Chriſti ſanguis fidelibus ſuis miſericorditer reſerauit.* Concinit Tridentin. Concilium ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali verſùs finem. Innocent. IV. in Bulla edita ann. 1254. & incipiente, *Sub Catholicæ*, §. 25. inquit, *Animæ verò paruulorum poſt Baptiſmi lauacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam ipſæ tenentur ad patriam protinus tranſuolant ſempiternam.*

23 Benedictus XII. in Extrauagante incipiente, *Benedictus Deus*, editáque Auenione anno ſui Pontificatus ſecundo, & Chriſti Domini 1336. quarto Kal. Februarij decreuit, *Quòd ſecundùm communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini noſtri IESV Chriſti paſſionē deceſſerunt, necnon Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum, poſt Sacramentum Baptiſmi ab eis ſuſceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando deceſſerunt, nec erit, quando decedent, etiam in futurum, vel ſi tunc erit aliquid purgabile in eiſdem, tamen poſt mortem ſuam purgabunt, atque animæ puerorum eodem Chriſti baptiſmate renatorum, & baptizandorum, cùm fuerint baptizati ante vſum liberi arbitrij decedentium: mox poſt mortem ſuam, & purgationem præfatam in illis, qui purgatione huiuſmodi indigebunt, etiam ante reſumptionem ſuorum corporum, & Iudicium generale poſt aſcenſionem Domini noſtri IESV Chriſti in cœlum, fuerunt, ſunt, & erunt, in cœlo, cœlorum regno, & paradiſo cœleſti cum Chriſto, Sanctorum Angelorum conſortio aggregatæ, ac poſt Chriſti paſſionem, & mortem, viderunt, vident, & videbunt diuinam eſſentiam immediatè, ſe benè, & clarè, & apertè illis oſtendentem; quódque ſic videntes eâdem diuina eſſentia perfruuntur: necnon quòd tali viſione, & fruitione eorum animæ, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beatæ, & habent vitam æternam, & requiem; & omnium illorum, qui poſteà decedent, cùm eandem diuinam eſſentiam videbunt, ipſáque perfruentur ante Iudicium generale.* Huius Extrauagantis, quæ refertur ad litteram ab Eymerico 2. part. Directorij Inquiſitorum, Laërtio Cherubino in Bullario tom. 1. Alfonſo Caſtrenſi lib. 3. aduersùs hæreſes verbo *Beatitudo*, hæreſi 6. Bzobio tom. 14. Annalium Eccleſiaſticorum, anno Chriſti 1336. n. 9. meminerunt Ioannes Villaneus lib. 11. de rebus Florentinorum cap. 47. Bachonius in 4. diſt. 50. art. 3. Argentinenſis diſt. 49. art. 4. Marſilius in 4 q. 13. art. 3. VVendelinus in 4. diſt 49. q. 1. art. & dub. 3. aliique Theologi poſteriores. Poëta Laureatus Franciſcus Petrarcha, qui, Eccleſiam moderante Benedicto XII. clarus erat, effert ipſum laudibus ob editum decretum,

Te tamen illa grauis tunc quæſtio fortè tenebat,
Carcere corporeo, & mortalibus eruta vinclis
Quid videat benè nata cohors, ceſſante ſerenum
Nube iubar, faciémque Dei, ſeu cernere purè,
Corpora dum fractis ſurgent rediuiua ſepulchris,
Hæc priùs incipient; ſed dum vigil omnia librans,
Singula dum relegens per mille volumina curris,
Reſponſi dilata dies accendit amorem,
Suſpenditque hominum mentes, dubiáſque reliquit.
En modò tempus adeſt, iam quæſtio longa quieuit,
Conſilio ſopita tuo——————

Ita l. 1. epiſtolarum in Ep. ad Benedictum XII. & l. 2. in Ep. ad Clementem VI. ſucceſſorem inculcat eiuſdem quæſtionis moras,

——*nunc quæſtio lenta retardat,*
Quid videant animæ felices, corpore poſtquam
Exierint——————

24 Quæret curioſus aliquis, cur Benedictum Papam celeberrimæ huius extrauagantis Authorem vocem Duodecimum, cùm multi alij Vndecimum appellent? Reſpondeo, Duodecimum à me dici, quia illius temporis Theologi, vt Ioannes Bachonius, Thomas Argentinas eo nominant modo, quos, & coæuos hiſtoricos imitati ſunt Radulphus Decanus Tungrenſis lib. de Canonum obſeruantia propoſ. 11. Canus, Sotus, Vega, Peña, Ledeſma, Bellarminus, Molina, Valentia, Henriquez, & alij apud Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 1. n. 3. admonentem ſic debere vocari, licèt Sixtus Senenſis, Caſtro, & plures ipſis adhærentes in tract. tum de viſione Dei, tum de Beatitudine Vndecimum nuncupent. Diſcordia exinde exorta eſt, quòd alij inter Papas, alij inter Antipapas numerent Benedictum dictitatum Decimum, qui poſt obitum Stephani anno 1058. ambitione, & malis artibus obtruſus eſt Romæ Pontifex; ſeditque ibi nouem menſes, & viginti dies; quo tempore Florentiæ creatus eſt Nicolaus ſecundus, & huius præualente electione ceſſit ille, aut pulſus eſt Romana Sede. Hinc Benedictus ex ordine S. Dominici aſſumptus poſtmodum ad Pontificatum anno 1303. nuncupatur iam Vndecimus, iam Decimus. Et ſimiliter Benedictus Ciſtercienſis anteà Abbas (an fuerit Religioſus Carmelitanus? ſub contentione manet: qui Pontificatum iniuit anno 1336. (non autem 1335. vt perperàm Peña adnotat) ſuique Pontificatus ſecundo, dicitur modò Duodecimus, modò Vndecimus. Nec deſunt, qui Decimum vocent, quia videlicet legitimum Papam non agnoſcunt Benedictum filium Alberici Comitis Tuſculani eleuatum ad thronum S. Petri anno 1033. cùm adhuc eſſet adoleſcentulus; nec item alium Benedictum intruſum anno 1058. Sed, vt aduertit Annalium Eccleſiaſticorum conditor, à Chriſtiano Orbe cognitus fuit, & habitus Romanus Pontifex Benedictus ille filius Alberici; ideóque Nonus meritò appellatur, & proinde debet dici ſaltem Vndecimus is, qui extrauagantem euulgauit. Ex his infertur, Ægidium Luſitanum tom. 2. de Beatitudine lib. 12. quæſt. 5. art. 3. §. 1. num. 2. Hieronymum Faſſolum 1. part. quæſt. 12. art. 1. in commentario n. 3. Nicolaum Iſambertum ibidem diſp. 1. art. 6. Franciſcum Peñam in commentario 21. ad 2. partem Directorij Inquiſitorum, falsò præſumere de Sixto Senenſi, & Caſtro, cæteriſque Benedictum Bullæ Authorem nuncupantibus Vndecimum, quòd eo ipſo cenſuerint, anteriorem fuiſſe Ioanne vigeſimoſecundo. Et quidem cùm ob controuerſiam huius tempore excitatam circa beatitudinem animarum publicata ſit illa Bulla, ſiatque in illa mentio Ioannis vigeſimi ſecundi, alienum omninò

Digitized by Google

ninò fuit à mente Sixti Senenſis, & reliquorum, quod de ipſis alij ſuſpicantur, ſiquidem Sixtus, & cæteri legerint, imò & tranſcripſerint Bullam, norintque cauſam eius edendæ.

25 Redeo ad Pontificum Decreta, vltimúmque ſit Clementis Sexti in Bulla, ſeu epiſtola ad Patriarcham Armenorum ſcripta 13. Kalend Octobris anno ſui Pontificatus decimo, qui fuit Chriſti 1351. ſciri ibi vult ab eo Patriarcha, *Si credit, vel credere eſt paratus, quòd per Paſſionem, & Aſcenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti animæ eorum, qui deceſſerunt in Chriſti gratia, & in quibus nihil fuit purgabile, quando deceſſerunt, aſcendant in cœlorum regnum, & paradiſum cæleſtem, & cum Chriſto, & Sanctorum Angelorum conſortio congregata diuinam eſſentiam videant viſione faciali, ſicut eſt ipſa diuina eſſentia, ſe immediatè, clarè, & apertè eis oſtendente.* Habetur hæc Epiſtola in Annalibus Eccleſiaſticis Bzobij anno 1351. n. 21.

SECTIO IV.

Eccleſiaſticæ aliæ authoritates afferuntur.

26 ROmana Eccleſia in Miſſali, & in Breuiario animas ſanctorum tertio quoque verbo proponit nobis in cœlo, vt dum ſic orat, *Illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris*; & dum de S. Franciſco inquit, *Franciſcus pauper, & humilis cœlum diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur.* Dum denique canit, *Regnant in cœlis animæ Sanctorum.* Colludit paſſim Græcorum Menæum de Sanctis apud noſtrum Halloix in gemino tomo continente vitas Patrum Orientalium. Conſonat etiam eorundem Græcorum officium diuinum antiquum, vt videre eſt in quodam contra ipſos tractatu, (qui habetur tom. 5. Colonienſis Bibliothecæ magnæ V. V. P. P.) diſtinctione de animabus. S. Iacobus in Liturgia declarans quænam ſit *Hieruſalem cæleſtis congregatio*, à qua Deus laudibus celebratur, ait, eſſe *Eccleſiam primogenitorum deſcriptorum in cœlis, ſpiritus Iuſtorum, & Prophetarum, animas Martyrum, & Apoſtolorum, Angelos, &c.*

27 In 79. ex Eccleſiaſticis dogmatibus ſcribitur, *Poſt Aſcenſionem Domini ad cælos omnium Sanctorum animæ cum Chriſto ſunt, & exeuntes de corpore ad Chriſtum vadunt, expectantes reſurrectionem corporis ſui, vt ad integram, & perpetuam beatitudinem cum ipſo pariter immutentur.* Huius dogmatis authoritatem afferunt ad rem præſentem S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 1. art. 2. Gabriel lect. 67. ſuper Canonem Miſſæ dub. 2. quia antiquitùs à multis putabatur S. Auguſtinus Author libri de Eccleſiaſticis dogmatibus. Sed Auguſtino perperam tribui, monuit Eccleſia Lugdunenſis ſub annum 850. agens contra Ioannem Scotum, Erigenam. Iam plerique ſentiunt, Authorem fuiſſe Gennadium Presbyterum, Epiſcopúmve Maſſilienſem, de Semipelagianiſmo ſuſpectum. Et Hadrianus Papa I. in Epiſtola ad Carolum Magnum ſcripta ante annum 795. profert quoddam teſtimonium ex eo libro, ſub nomine Gennadij Maſſilienſis Epiſcopi; quem quia Sanctum vocat, perſuadet ſibi Baronius tom. 6. anno 490. num. 46. rediiſſe in meliorem frugem, factúmque plenè Catholicum Gennadium. In Epiſtola quadam de miraculis S. Hieronymi ad Auguſtinum narratur, poſt obitum Doctoris Maximi, *quandam hæreſim inter Græcos, id eſt, ſectam, ſurrexiſſe, quæ ad Latinos vſque deuenit, quæ ſuis nefandis nitebatur rationibus probare, quod animæ beatorum vſque ad vniuerſalis Iudicij diem, in quo eorum corporibus erunt iterùm coniungendæ, viſione, & cognitione diuina, in qua tota conſiſtit beatitudo Sanctorum, priuabuntur.* Hæc tamen Epiſtola ſub perſona Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani ementita creditur, & ſuppoſititia. Quare grauioribus authoritatibus, quàm epiſtolæ illius, & Gennadij, vtamur.

28 S. Hieronymus lib. aduerſus Vigilantium, reprehendit ipſum aientem. *Vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubter aram Dei animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe.* Et addit, *Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula inicies, vt vſque ad diem Iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptū eſt, ſequuntur agnum, quocumque vadit?* Conſtat ex his quantum diſplicuerit S. Hieronymo Vigilantius, negans Sanctorum animabus vſque ad diem Iudicij habitationem cæleſtē cum Chriſto. Guilielm. Autiſiodorenſis qui ſcribebat anno 1206. adeò tunc temporis certus fuit de acceſſu expurgatarum animarum ad paradiſum cæleſtem, vt lib. 4. Summæ tit. de Igne Purgatorio, hæreticum pronuntiet oppoſitum, creditum, & prædicatum ab aliquibus ſtultis. S. etiam Bonauentura in 4. diſt. 21. art. 3. q. 2. n. 35. vocauit *ſtultos* eos, *qui errant*, dicentes, *animas non eſſe glorificandas, ſed potius expectare vſque ad extremum diem Iudicij.* Et adiicit, *Hos ſtultos dixi quoniam talis error nec fulcimentum habet ab authoritate, nec ab efficaci ratione: nec habuit iſta poſitio aliquem authorem, aut defenſorem; ſed imponitur quibuſdam Græcis.* S. Thomas in 4. diſt. 45. q. & art. 1. inquit, veritati à nobis aſſertæ *atteſtari manifeſtè authoritates Scripturæ Canonicæ, & documenta Sanctorum Patrum.* Et ſubiungit, *Vnde contrarium pro hæreſi eſt habendum.* In eodem iudicio fuit, dum explicaret c. 20. Apocalypſis v. 4. Ioannes de Neapoli in q. 41. ex variis punct. 3. concludit, *hæreticum eſſe aſſerere, animas Sanctorum ante generalem Reſurrectionem non præmiari Dei viſione.* Aluarus Pelagius lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 32. in 4. errore Begardorum, commendans S. Thomæ tranſcripta verba, abſoluit ſuum opus Aluarus anno 1332. Auenione, cum ibi Pœnitentiarius eſſet Ioannis XXII. Pontificis Maximi ſcribebat eodem tempore Raynerius Piſanus qui in Pantheologia, titulo de receptaculis animarum cap. 2. pronuntiat *hæreſim eſſe, quòd animæ omninò puræ non ſtatim in cœlum vadant.* Sed an iſtæ cenſuræ fuerint ex meritis cauſæ eo tempore, quo prolatæ ſunt? Dicam infrà. Interim catenùs valeant, quatenus oſtendunt, iam diu ante definitionem Benedicti XII. non benè audiſſe exilium ſanctarum animarum à cæleſti patria, & viſionis beatæ continuatam carentiam, vſque ad communem corporum reſurrectionem; quia nimirum veritas nunc expreſsè definita iudicabatur contineri in ſcripturis Canonicis, & Patrum Eccleſiæ documentis.

29 Excreſceret in integrum volumen Exercitatio præſens, ſi veterum Patrum fauentia teſtimonia aggrederer digerere in numerum. Collegerunt multa Georgius Scholarius, ſeu Gennadicus Patriarcha Conſtantinopolitanus, demonſtratione quarti capitis, in Decreto Synodi Florentinæ contenti, per nouem ſectiones, Emmanuel Caleca lib. 4. contra Græcos titulo de dormientibus, Neapolitanus ſuprà punct. 2. & 3. Petr. Binsfeldius lib. receptarum in Theologia ſententiarum ſect. &

Digitized by Google

membro 5. concluſ. 1. Iodocus Coccius libro 5. theſauri Catholici art. 2. Leſſius lib. 3. de ſummo bono cap. 1. Gregorius Martinez in 1. 2. quæſt. 4. art. 5. dubio 1. Scortia in ſelectas ſummorum Pontificum Conſtitutiones epitome 33. theoremate 91. Petrus Thyræus de Chriſti apparitione in Iudicio particulari capite 3. Dionyſius Petauius tomo 1. Theologicorum dogmatum lib. 7. cap. 13. Tannerus tomo 2. diſp. 1. quæſt. 5. dub. 4. Granadus 1. part. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 2. diſput. & ſect. 1. Ægidius Luſitanus tomo 2. de Beatitudine lib. 12. quæſt. 5. art. 6. §. 1. ac 2. Monteſinos in 1. 2. diſp. 6. quæſt. 8. à num. 172. & alij citati in num. 2. nóſque in progreſſu adducemus nonnulla.

SECTIO V.

Exiſtentia beatarum animarum in cœlo, eóque Empyreo ſuadetur rationibus.

30 PRima: Nullus locus intra mundum aſſignari poteſt, qui animabus beatis ſit magis conueniens, quàm cœlum, & cœlum Empyreum, ſi huius exiſtentia admittatur. Secunda: Animæ rationales ſuperant in perfectione omnia corpora Vniuerſi, *præſtant enim inanimis animata, atque inter hæc ipſa ea, quæ rationem habent*, prout ſapienter dicebat Antoninus Philoſophus, & Imperator lib. 5 de vita ſua. Ergo par eſt, vt quæ nec reatu culpæ, nec pœnæ obſtringuntur, ſed potiùs ob merita, & ſanctitatem ad Dei viſionem euehuntur, locentur innobiliſſimo Vniuerſi corpore, quale eſt cœlum, & cœlum Empyreum. Confirmatur, corpora niſi prohibeantur, feruntur ſtatim in locum ſuum per grauitatem, vel leuitatem. Ergo & animæ mouebuntur vi propriæ facultatis motricis ad ſublimiorem mundi locum, quando ſeparantur à corpore, niſi impediat quaſi pondus culpæ, aut reatus pœnæ luendæ, & niſi impediat cœleſtis regni obſeratio, quæ poſt Chriſti in illud Aſcenſionem iam defecit. Legatur, qui ſcibile diſcutit omne, Abulenſis ad cap. 25. Mathæi, quæſt. 751.

31 Tertia: Empyreum Cœlum eſt præcipua Dei ſedes, vt viſum eſt in Exercit. 17. Ergo & animarum Deo fruentium. Imò ea de cauſa illud eſt præcipua Dei ſedes, quia in illo Sanctos beatificat, quemadmodùm in ſect. 2. eius exercit. expendimus: Quarta: Iuxta Chriſtum Dominum Math. 5. v. 12. cap. etiam 6. verſ. 20. necnon cap. 19. verſ. 21. Merces, & theſaurus noſter eſt in cœlo. Ergo non alibi erit ordinaria exiſtentia animarum mercede, & theſauro beatitudinis potientium poſt ipſius Chriſti aſcenſionem ad Cœlum. Reſpondebis cum Auguſtino lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 5. non dici ibi cœlum, *vel cœlos ſuperiores partes viſibilis mundi. Non enim merces noſtra, quæ inconcuſſa eſſe debet, in rebus volubilibus, & temporalibus collocanda eſt.* Sed dici ibi cœlos, *ſpiritualia firmamenta, vbi habitat ſempiterna iuſtitia.* Fateor ego cum S. Thoma 1. 2. quæſt. 4. art. 7. ad 3. *per cœlos intelligi altitudinem etiam ſpiritualium bonorum; nihilominus tamen locum corporeum adfuturum Beatis, non propter neceſſitatem beatitudinis, ſed ſecundum quandam congruentiam, & decorem.* Addo, cœlum Empyreum, in quo beatæ animæ commorantur, non eſſe volubile, nec corruptibile ſuapte natura.

32 Quinta: Angelici Spiritus beati degunt in Empyreo, tranſlati ad ipſum ſtatim ac Dei viſione fuerunt donati. Ergo & in eo degunt beatæ animæ, poſtquam præcurſor pro nobis introiuit Ieſus. Antecedens manet probatum in Exercitat. proxima, Conſequentia ex ſe apparet bona, ornarique poteſt plurium Patrum teſtimoniis, in quibus felicium animarum cum Angelis in cœlo ſocietatem commendant; illuſtrari poteſt & illis, in quibus iidem Patres dicunt, Angelos quaſi antiquos cœli ciues obuiam occurrere ſanctis animabus nouiter ingredientibus. En tres, vel quatuor Patres. S. Hieronymus in epiſtola de obitu Leæ ad Marcellam ait, *Nunc igitur pro labore breui æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris.* S. Macharius ſenior homil. 22. *Ex præſenti tempore ſanctis Dei ſeruis aſſiſtunt Angeli, ac ſancti ſpiritus circundant eos, & cuſtodiunt. Cúmque exierint è corpore, Chori Angelorum aſſumunt animas in ſuam partem, in cœlo puro, & ſic adducunt eas ad Dominum.* S. Theodorus Studites in vita S. Platonis, *ſanctam animam Angelis tradidit, qui eam ad iuſtitiæ ſolem perducerent. Et nunc quidem ille in cœlis eſt.* S. Simeon Stylita ſiue primus, ſiue ſecundus in fragmento quodam, *Si anima virtutes hîc egregias ſibi aſciuerit, vitámque ſeueram, & honeſtam traduxerit, in die ſui exitus, illa ipſa, quas hîc ſibi comparauit virtutes, eam comitantur, ſtipántque boni Angeli, nec ab illo aduerſario eorum Dæmone eam ſinunt contingi; verùm gaudio, & exultatione cum Sanctis proficiſcitur, & Angelis victoriæ hymnos concinentibus Deo, necnon eam Seruatori Chriſto, & gloriæ Regi offerentibus, ipſiſmque cum eaſi mul adorantibus cum vniuerſo cœleſti Exercitu, in quietis locum perducitur, in lumen perpetuum, vbi non eſt mœror, nec gemitus, neque fletus, neque anxietas, ſed vita immortalis, & perennis lætitia cum omnibus Sanctis acceptiſſimis Deo in regno cœlorum.* Sic veteuis ex Simeonibus Stylitis; & de primo Legebam in Gregorio Archiepiſcopo Taurominitano oratione de Indictione, *tranſlatum eſſe in cœleſte domicilium.* Occurrunt in vitis Patrum, & Actis Sanctorum collectis ab Heriberto Roſuueydo, & Ioanne Bollando ſexcentá exempla Angelorum ad cœlum deducentium animas; videndúſque eſt Franciſcus Albertinus cap. 12. de Angelo cuſtode.

33 Sexta: Beatæ animæ reunitæ corporibus gloriſicatis aſcendent illicò in cœlum, finito vniuerſali Iudicio, agéntque ibi feliciſſimam vitam. Ergo & antequam reuniantur corporibus, exiſtent ibi poſt Chriſti aſcenſionem, ne vnionis ad corpora defectus videatur ipſas priuare tanti loci dignitate. Antecedens illuſtrabitur plena manu in Exercitat. 23. Conſequentia nonnihil venuſtatis habet. Septima: Chriſtus, & beati Angeli exiſtunt modò in Empyreo, vt tractatum eſt non perfunctoriè in Exercitat. 18. & 20. Ergo ne Beatæ animæ careant tam nobili, & iucundo ipſorum conſortio, dicendum eſt perſiſtere ſimul in eodem cœlo. S. Paulus in 1. ad Theſſalonicenſes cap. 4. verſ. 16. vt magnum quid, & fortunatiſſimum proponit, quòd Sancti rediuiui extituri ſint ſemper cum *Domino* Chriſto. Iniquè negaretur Beatis animabus accidentalis hæc, & ſecundaria felicitas, cùm iuxta Ambroſium in capite 1. ad Philippenſes. verſ. 23. *præmij loco ſit Deo perfrui cum Chriſto*; & cùm iuxta Cyprianum de laude Martyrij, *Quibus inquiſitus fuit ſemper Deus, aut notus, nunquam excidat Chriſti locus.* Et auſim huc trahere illa eiuſdem Ambroſij lib. 7. in Lucam; *Non ſatis eſt ſtare, niſi vbi Chriſtus eſt, ſtetur*, id eſt, non ſatis eſt ad felicitatem

vndequa

Digitized by Google

vndequaque tam eſſentialiter, quàm accidentaliter completam. Hinc Cyprianus lib. de exhortatione ad Martyrium cap. vltimo, beatitudini eſſentiali conſiſtenti in viſione Dei adiungit accidentalem conſiſtentem in viſione humanitatis Chriſtianæ, & ex vtriuſque commendatione deprædicat Martyrum dignitatem his verbis, *Quanta eſt dignitas claudere oculos, quibus homines videbantur, & aperire eos ſtatim, vt Deus videatur, & Chriſtus. Tam feliciter migrandi quanta velocitas. Terris repentè ſubtraheris, vt in regnis cœleſtibus reponaris.*

34 Octaua: Deiparæ Virginis anima ſtatim ac ſeiuncta eſt à corpore euolauit in Empyreum; imò & in hoc eſt poſtea ſublatum ſacratiſſimum eius corpus, manetque in cœleſti palatio glorificata ſecundùm animam, & corpus; vt in Exercitat. 19. copioſè elucidauimus. Si ergo non ſoli Chriſto reſeratum eſt cœlum, quæ cauſa erit, ne hominum aliorum animæ nullius culpæ, & pœnæ macula, & reatu obſtrictæ admittantur ad eandem habitationem? Etſi enim Marianæ animæ merita, & ſanctitas longè ſuperent aliarum animarum merita, & ſanctitatem, & ob ea ſit exaltata ſuper choros etiam Angelorum ad cœleſtia regna, cùm hoc ſtat, vt animæ aliorum hominum ad eadem regna euehantur; neque eſt fundamentum cogitandi poſſeſſionem Cœli ante diem Iudicij eſſe vnum ex ſingularibus priuilegiis animæ Marianæ non conceſſum à Deo, niſi ipſi. Nona: Martyrum animæ recta via ad cœlos pergunt, poſtquam Chriſtus eos penetrauit: animæ etiam illorum, qui ſuſcepto validè, & fructuoſè ſacramento Baptiſmi, ſeparantur à corpore, priuſquàm nouo peccato fœdentur, aſcendunt ſimiliter incunctanter ad cœlos poſt ſtratam à Chriſto ſemitam. Hinc ianuæ regni cœleſtis apertio tribuitur Baptiſmi ſanguinis, & aquæ tanquam proprius effectus, quatenùs ablato iam per Chriſti paſſionem impedimento totius naturæ humanæ, excludunt in Martyribus, & in adſperſis aqua luſtrali quodvis aliud perſonæ impedimentum ad introitum regni cœleſtis.

35 Vnde dixit Beda apud S. Thomam 3. parte quæſt. 69. art. 7. *Cùm egreditur quiſque de Baptiſmo regni cœleſtis ei ianua aperitur.* Idem Beda in 1. Marci, verſ. 10. *Etiam hoc, quod apertos cœlos Chriſtus vidit poſt Baptiſma, noſtri vtique gratia factum eſt, quibus per lauacrum vnde regenerationis ianua panditur regni cœleſtis, qua peccantibus quondam protoplaſtis, ac paradiſo eiectis toti generi humano interpoſitis. Cherubin, & flammeo gladio clauſa eſt. Extinguitur namque hæc flamma cuique fidelium, cum aquis vitalibus tingitur, adeò vt ſi percepta fidei Sacramenta puro corde, & corpore ſeruauerit, mox ſolutus carne, regna poſſit intrare cœleſtia.* S. Auguſtinus epiſt. 157. inquit, *paruulos, cùm per Chriſti gratiam renaſcuntur, & iſtam vitam in illa tenera ætate finiunt, tranſire in æternam, & beatam.* Legendus eſt S. Doctor libro 21. de Ciuitate Dei cap. 16. libro 1. de peccatorum meritis capite 39. libro 4. contra Iulianum capite 8. & in alio opere contra eundem Iulianum libro 1. capite 51. Richardus de S. Victore in tractatu de poteſtate iudiciaria non minùs ſignificanter ait, *Paruulorum ſtatim poſt Baptiſma morientium tam eſt certa ſaluatio, quàm non credentium certa condemnatio.* S. Optatus Mileuitanus libro 5. contra Parmenianum laudat Baptiſmum aquæ, eo quòd ſit *regni cœleſtis comparatio.* S. Proſper carmine contra ingratos cap. 18. canit de flagitioſis adultis ritè, fructuoſéque baptizatis in extremo vitæ.

——purgatoriſque lauacri
Munere nulla mali linquentis ſigna prioris
Exempti mundo mutarunt Tartara Cœlo.

S. Zeno Veronenſis ſerm. 10. de Iudæis ait, *poſt Baptiſmum ad paradiſum peruenimus.* Euſebius Gallicanus homil. in die Pentecoſt. *Regeneratio per ſe ſaluat, mox in pace beati ſæculi recipiendos.* S. Baſilius in exhortatione ad Baptiſmum vocat illum *cœli iter, regni cœleſtis conciliationem.* S. Dionyſius Areopagita cap. 2. §. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ inquit, *viam ſternere ad cœleſtis patriæ aſcenſum.* S. Nazianzenus oratione 40. de Baptiſmo, *Clauem eſſe regni cœleſtis.* S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 3. Illuminatorum parem faciens Baptiſmum vtrúmque aquæ, & ſanguinis ſcribit, *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cœleſti potiuntur.* S. Gaudentius ſermone 17. tradit Martyrium, inſtar Baptiſmi aquæ, *abluere & mundare, & ad cœlorum regnum perducere.* S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum conferens Martyres cum aliis Chriſtianis morientibus ait, *illos continuò ad coronam peruenire.* In eodem lib. epiſtola 6. ad Thybaritanos repetit, *cœlos Martyribus patere.* libro de laude Martyrij pronuntiat, *Sanguini noſtro patet cœlum, ſanguini gehenna cedit habitaculum.* In præfatione ad lib. de exhortatione Martyrij commendat iſtud, quia *nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat.* Tertullianus libro de patientia capite 13. Martyrium vocat *ipſum diuinæ ſedis aſcenſum.* Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum ſic deſcribit; Martyrium, *Eſt expurgatio peccatorum cum gloria.* Lucifer Caralitanus in libro *quòd moriendum ſit pro Filio Dei aſſeuerat, Martyres Dei potentia in cœleſtibus regnis conſtitutos eſſe.* Euſebius Gallicanus homilia de S. Stephano, *Satis notum eſt, Martyres poſt emeritam militiæ præſentis adminiſtrationem, in illud ſæculum cum fauore cœleſti cum pompa, & triumphali occurſu, cum Angelica exultatione ſuſceptos, vbi nunc remuneratoris benedictione ſatiantur, & ineffabilibus gaudiis perfruuntur.* S. Ephræm lib. de Pœnitentia, & patientia, *conſiderate, quanta iis* (nempè Sanctis Martyribus) *in Deum per Martyrium fuerit fiducia. Crimina deleuerunt; & non tantùm munera acceperunt in hac vita, ſed, quod amplius eſt, etiam cœlorum regnum, atque paradiſum conſequuti ſunt.* S. Maximus Taurinenſis in Natali SS. Martyrum eiuſdem Ciuitatis infert, *Si ergo Apoſtolo, & Martyri Petro Inferni porta non præualet, quiſquis ſociatur Martyri, Tartaro non tenetur, Martyres enim Inferni porta non poſſidet, quia eos paradiſi regna ſuſcipiunt.* S. Auguſtinus tract. 124. in Ioan. affirmat, *Beato Petro per ingentem Martyrij gloriam ſoluto ab ipſius corporis onere conceſſiſſe Ieſum, quòd Apoſtolus Paulus ſe concupiſſe dixit, & ſcripſit, diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Enarratione in Pſal. 85. *Contriſtatus eſt Beatus Cyprianus in Paſſione, modò conſolatus eſt in corona. Modò & conſolatus adhuc triſtis eſt. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres, qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis.* Libro 20. de ciuitate Dei, capite 13. *Animæ victrices glorioſiſſimorum Martyrum, omnibus doloribus, ac laboribus ſuperatis, atque finitis. Poſteà quam mortalia membra poſuerunt, cum Chriſto vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt poſtea receptis etiam corporibus iam immortalibus regnent.* Epiſtola 108. ad Seleucianam, lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 7. tradit, Martyriũ fungi vice Baptiſmi aquæ in ordine ad aſſequutionem regnis cœleſtis. Quæ eſt conſtans ſententia

S. Proſperi

Digitized by Google

S. Proſperi epigrammate 87. S. Bernardi epiſt. 77. Venerabilis Petri Cluniacenſis tract. contra Petrobruſianos, aliorúmque Patrum apud Coquæum in commentariis ad lib. 13. S. Auguſtini de ciuitate Dei cap. 7. Theophylum Raynaudum part. 2. de Martyrio per peſtem cap.6. à n.3. vſque ad 10.

36 Patet ſufficienter propoſitionis aſſumptæ veritas ex tanta teſtium locupletum nube. Iam inde argumentor, ergo quæuis aliæ animæ ſeparatæ à corpore in ſtatu gratiæ, & liberæ à reatu venialis culpæ, ac temporalis pœnæ ingredientur illicò in cœlum; cùm non alia de cauſa peruium fiat per Baptiſmum aquæ, & ſanguinis, quàm quia vterque Baptiſmus gratiam confert ſanctificantem, & plenam abſterſionem à præfato reatu, ſi fortè contractus ſit. Quapropter meritò iure S. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate Dei cap.9. poſtquam ex Apocalypſis 6. deduxiſſet, animas Martyrum regnare iam cum Chriſto, dixiſſétque, *ideò tantummodò Martyrum animas ibi commemorari, quia ipſi præcipuè regnant mortui, qui vſque ad mortem pro veritate certauerunt*, addit, *ſed à parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt regnum Chriſti*. Et Innocentius III. Pontifex Maximus relatus num. 22. optimè adnotauit, ſentiendum eſſe conſimili ratione de aliis Sanctis id, quod de Martyribus.

37 Decima: Animæ grauibus deturpatæ delictis, includuntur in tenebroſis imæ terræ viſceribus ſtatim ac corporum relinquunt conſortium. Ergo è contrà animæ, quæ ſine reatu culpæ, & pœnæ ſeparantur à corporibus, vel poſt hanc ſeparationem immunes fiunt à reatu venialis culpæ, & pœnæ temporalis in Purgatorio, deferuntur ſine mora ad ſupremam, lucidiſſimamque orbis partem nimirum ad Empyreum, poſtquam huius portas iuſſit Chriſtus eleuari. Antecedens definitum eſt à Benedicto XII. & Concilio Florentino, compertúmque eſt ex cap. 16. Lucæ, vbi de diuite Epulone dicitur, *Mortuus eſt Diues, & ſepultus eſt in Inferno*; & ipſe clamat, *Crucior in hac flamma.* Colligitur etiam à Patribus & Theologis, ex verbis illis Iobi cap. 21. v.13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad Inferna deſcendunt.* Conſequentiam ſuadent hæc S. Baſilij verba homil. 2. in Exameron, *Atque his contrauenerit nemo, non is ſaltem, qui ſupercœleſtem lucem inter bonorum promiſſiones expectat, de qua Salomon ait, lux iuſtis ſemper eſt præſens, & Apoſtolus Paulus, gratias agentes Patri, qui idoneos nos fecit in parte ſortis Sanctorum in lumine. Etenim ſi qui condemnantur, in tenebras exteriores mittuntur; qui dignè egerunt, voluntate diuina, nimirùm hos in lumine ſupercœleſti ſuam habere requiem conſtat.* Hactenùs ex Baſilio. S. etiam Hilarius in Pſalm. 2. præbuit exemplum comparationis faciendæ ex pœna ad præmium. Ait namque, *Idcircò de via iuſta impij pereunt, quia in ea non erunt. Pereunt autem de via iuſta, cùm exarſerit in breui ira eius. Non moroſa hæc ira eſt, per quam de iuſta via pereunt, ne quis ſibi interim pœna lucro inter moras Iudicij blanditur. In breui namque exardeſcit ira. Excipit enim illos ſtatim vltor Infernus, & decedentes de corpore, ſi ita vixerint, confeſtim de via iuſta peribunt. Teſtes nobis ſunt Euangelij Diues, & Pauper quorum vnum Angeli in ſedibus Beatorum, & in Abraha ſinu locauerunt, alium ſtatim pœna regio ſuſcepit. Adeò autem ſtatim pœna mortuum ſuſcepit, vt etiam fratres eius adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis, aut moræ eſt. Iudicij enim dies, vel beatitudinis retributio eſt æterna, vel pœna.* Sic Hilarius: cuius tamen comparatio ex pœna ad præmium non ex accipienda æqualiter in ſupplicio Epulonis, & retributione Lazari; nam ille ſtatim detruſus eſt in Infernum, incœpitque pati æternam pœnam damni, & ſenſus, hic vero introductus eſt in Abrahæ Sinum, vbi aliqualem obtinuit retributionem, tempori, & ſtatui accommodatam, cum certa, & infallibili ſpe obtinendi poſteà præmium completum viſionis beatæ, & cœleſtium ſedium poſſeſſionem, quando ſcilicet Chriſtus moriens ſatisfaceret plenè pro originali culpa humani generis, & in cœlum victor aſcendens, ſterneret viam, & pararet locum Adamo, & eius poſteris. Et hæc fuit cauſa, ob quam Deus, etſi pronior ſit ad præmiandum, quàm ad puniendum, non contulerit antiquorum Iuſtorum animabus præmium viſionis beatæ ante Chriſti mortem, nec cœleſtium ſedium poſſeſſionem ante eiuſdem ad eas acceſſum, cum tamen Impiorum animas iam ab initio in Orcum deiecerit, & æterna pœna damni, ac ſenſus iuſtiſſimè mulctauerit. Quapropter cùm in præſentiarum ceſſauerit præfata cauſa, arguitur optimè ex pœna ad præmium.

38 Illam ſtatim infligi, non negauit S. Hieronymus in cap. 10. Matth. v.28. vt ipſi affingit Cantapetrenſis lib. Hypotypoſeon cap.2. colum. 143. Solùm namque dubius circa modum, quo anima ſeparata à corpore torqueatur per ignem materialem, non obſtante ſpiritualitate animæ, addit Doctor Maximus, *vel eo certè tempore punietur, & ſupplicia ſentiet, quando priſtinum corpus receperit, vt cum quo peccauit, cum ipſo & puniatur.* Nec quiſquam opponat, animas decedentium hominum in peccato mortali, non debere eſſe peioris conditionis, quàm Dæmones; hos autem non detruſos fuiſſe in Orcum ſtatim, ac peccauerunt, nec torquendos, (vt vult Caietanus in 2. Petri c.2. v.4.) ab igne ante Iudicij diem, in quo ex aëre caliginoſo, vbi nunc verſantur, deiicientur præcipites in Orci carceres. Hæc enim de pœnæ Dæmonum dilatione talia ſunt, vt ſi in eis expugnandis veræ doctrinæ de falſa triumphus ſtaret, facile admodùm eſſet, victoriam reportare, adductis in medium Scripturæ ſanctæ, & Patrum teſtimoniis, ex quibus conſtat, Dæmones omnes mox, ac cœlo deturbati ſunt, incurriſſe pœnam damni, ac ſenſus, ſiue hoc, ſiue illo modo dicatur pœna ſenſus cauſari in illis ex igne, vel expoſitiuo alio malo, quod Caietanus non negaret; ſatiuſque foret, ſi torturam ab igne iam nunc admiſiſſet, cum pleriſque Patribus, & communi Theologorum opinione. Quoad hanc ergo partem, melioris conditionis Dæmones non ſunt, quàm damnatæ animæ. Quoad incluſionem verò in Inferno, licèt probabilius mihi ſit cum Guillielmo Eſtio in c.2. epiſt.2. B.Petri, v.4. Suario lib.8. de Angelis cap. 16. n.27. omnes Dæmones tunc, cùm primùm expulſi ſunt è cœlo, deiectos fuiſſe in profundum Inferni, & in eius ignem, vt locum ſibi deputatum experirentur; nihilominùs qui admitteret, aliquos tunc non tranſiliiſſe aërem caliginoſum, non ideò eos melioris conditionis faceret, quàm damnatas animas, ſiquidem detentio in aëre ex diſpenſatione diuina ad exercitium hominum tentandorum nullatenùs leuaret pœnam ſenſus. Indicant aliqui Patres, vagari nunc extra Tartarum omnes Dæmones vſque ad diem Iudicij. Sed licet id concederetur, adhuc ob proximam rationem, dicendum eſſet, meliorem conditionem non habere. Probabilius longè eſt multos intra manere tanquam in proprio loco, & ad maiorem afflictionem infelicium animarum; & nullum inde exire, niſi ex

peculiari

Digitized by Google

peculiari diſpenſatione diuina, cunctis ſimul non exhibenda, & aliquibus fortè nunquam ante diem Iudicij, in quo omnis Dæmonum turba iudicanda conueniet coram Chriſto; & præterea eos, qui exeunt, redire multoties, vt ſupremo ipſorum Principi Lucifero de geſtis contra homines rationem reddant. Lege Suarium cap. illo 6. ac 17. Bellarminum etiam cap. 6. Maldonatum in cap. 8. Matthæi v. 29. Feuardentium in ſcholiis ad c. 26. l. 5. S. Irenæi, Arriagam tomo 2. in 1. p. diſp. 26. ſect. 10. Martinonum tomo 1. diſp. 44. ſect. 8. Antonium Ruſcam lib. 5. de Inferno cap. 6. 7. & 8. Petauium tom. 3. Theologicorum dogmatum lib. 3. de Angelis cap. 4. Petrum Halloix cap. 27. vitæ S. Iuſtini, Peſantium 1. p. q. 64. a. 4. pag. 248.

SECTIO VI.

Diluuntur rationes, quæ videntur poſſe obiici.

39 ADuerſus ſtationem beatarum animarum in cœlo ante generalem corporum reſurrectionem argui poteſt primò, Chriſti beata anima non aſcendit ad cœlum, antequam deſcenderit ad Inferos, remeanſque ex illis coniunxerit ſe iterùm corpori. Ergo multò minùs aliorum hominum animæ aſcendent in cœlum; priùs quàm deferantur ad Inferos, & poſteà in die Iudicij reuocatæ reſumant corpora.

40 Secundò, æquum non eſt, vt anima cœleſtium ſedium poſſeſſione donetur, & corpus, quod fuit particeps laborum in promerendis eiſdem ſedibus, maneat in terra. Cùm ergo corpus extiturum ſit extra cœlum ante reſurrectionem, exiſtet etiam anima eius conſors.

45 Tertiò; ſi perſeueraſſet originalis innocentiæ ſtatus, iuſtus peracto curſu vitæ in hoc mundo, non transferretur immediatè ad cœlum, ſed ad aliū locum medium, vſquedum cum reliquis iuſtis hominibus tranſmitteretur ad illud, in finem ſæculi. Ergo idem modò continget.

46 Expedio me facilè ab his obiectionibus: à prima quidem, quia animæ Chriſti ad Inferos deſcenſus conueniens fuit, vt animas ſanctorum inibi exiſtentes ſolaretur ſua præſentia, & inde poſteà extraheret; quæ ratio non valet pro animabus hominum aliorum in gratia, & ſine reatu pœnæ decedentium, poſtquam Chriſti anima victrix rediit ab Inferis; imò ſicut Chriſtus moriens nos liberauit à morte, vt ponderat S. Thomas 3. p. q. 52. art. 1. in corpore, ita ipſius anima deſcendens ad Inferos exemit Sanctorum puras animas à ſimili deſcenſu. Quòd autem Chriſti anima non ſola, ſed vnita corpori aſcenderit in cœlum, exemplar quidem eſt præmonſtrans, ſanctorum hominum animas, quando iterùm informent corpora, aſcenſuras ſimul cum his, non verò præmonſtrans, non anteà aſcenſuras, ab his ſeparatas. Aſcendit Chriſti anima ſimul cum corpore, quia vtriuſque vnio, & glorificatio exigebat locum cæleſtem, poſtquàm corporis reſurrectio fuit ſufficienter manifeſtata per dies quadraginta; & vtriuſque vnio, glorificatióque corporis non fuit dilata vſque ad finem mundi, quia vtrique debebatur recuperatio vnionis, & corpori vnito glorificatio, impedita antea ex diſpenſatione propter noſtram ſalutem; debebatur, inquam, poſtquam vtriuſque in morte ſeparatio ſatis fuit declarata per horas ferè quadraginta. Aſt aliis hominibus iuſtis neutiquam debetur tam accelerata recuperatio vnionis inter animas, & corpora, neque corporum tam accelerata glorificatio. Nam vt docemur à S. Thoma 3. p. q. 53. art. 2. ad 1. etſi *caput, & membra conformentur in natura, ſed non in virtute; excellentior eſt enim virtus capitis, quàm membrorum. Et ideò ad demonſtrandam excellentiam virtutis Chriſti, conueniens fuit, ipſum tertia die reſurgere, aliorum reſurrectione dilata vſque ad finem mundi.*

47 Ad ſecundam reſpondeo, animas, priuſquam corpora, iuſtiſſimè donari cæleſtium ſedium poſſeſſione, quia in iſtis promerendis anima, & corpus non ſe gerunt, tanquàm duæ perſonæ, ſed ſunt duæ partes eiuſdem, & anima principalior, imò quæ ſola verè, & propriè promeretur deſeruiente corpore tanquam inſtrumento. Præterea eligibilius, & optabilius eſt animæ ſeparatæ à corpore euehi ſtatim ad cœlum, quàm manere in ignobiliori alio loco, interim dum corpus ad ipſummet cœlum euehitur, & corpori ſatis proſpicitur, ſi ſuo tempore, quando reſurgat, eueliatur; hac enim ratione abundè remuneratur quidquid in promerendo præſtitit, quin ipſius cauſa damnum dilatæ poſſeſſionis cæleſtium ſedium redundet in animam.

48 Ad tertiam fateor, S. Auguſtinum lib. 9. de Geneſi ad litteram cap. 6. ancipitem ſe oſtendere quoad antecedens, ait namque, *Si parentes filiis ſuis cedere ex hac vita oportebat, ita vt omne humanum genus per deceſſiones, & ſucceſſiones certa numeroſitate impleretur, potuerunt etiam homines genitis filiis, perfectáque humani officij iuſtitia hinc ad meliora transferri, non per mortem, ſed per aliquam commutationem, aut illam ſummam, qua receptis corporibus fient ſancti, ſicut Angeli in cœlis; aut ſi illam dari non oportebat niſi omnibus ſimul in ſæculi fine, aliquam inferiorem, quàm illa erit, qua tamen haberet meliorem ſtatum, quàm vel hoc corpus habet, vel illa etiam, quæ primitus facta ſunt, viri ex limo terræ, mulieris ex viri carne:* Hæc S. Auguſtinus. Sed cum exploratoriè procedat in re, coniecturis tantùm ſubiecta, fas nobis fuerit cum Suario lib. 5. de opere ſex dierum cap. 12. cum Arriaga tomo 2. in 1. p. diſp. 43. ſect. 8. n. 50. diuinare quemque hominem iuſtum, & omninò purum transferendum immediatè anima, & corpore ad cœlum, quia nullum apparet fundamentum tranſmiſſionis ad alium locum medium, vbi maneret ſine beatitudine animæ, & corporis quo ad vſque vnà cum cæteris omnibus eleuaretur ad paradiſum cæleſtem. Inquies, congruum videri vt ſicut nunc glorificatio corporum in cœlo concedetur ſimul hominibus, ita etiam & tunc. Verùm quia tunc homines prædeſtinati non morerentur, nihil cauſæ eſſet, ne beatificata permanenter anima non glorificaretur corpus ipſi vnitum; vel ſi huius glorificatio differenda videtur non ſecus ac modo, ideóque & beatitudo animæ inſeparatæ, habitatióque vtriuſque in cœlo: patet inde diſcrimen ad animam pro ſtatu præſenti, ſiquidem nunc non debeat carere beatitudine, & habitatione cœleſti ratione corporis, à quo ſeparatur.

SECTIO VII.

Elucidatur ex prophanis Litteris exiſtentia beatarum animarum in cœlo.

49 SAnctus Auguſtinus ſerm. 139. de tempore ait, *animas bonorum iuxta Philoſophos ire ad ſuperna cœlorum, requieſcere ibi in ſtellis, & luminibus iſtis conſpicuis, vel quibuſcumque celeſtibus abditis ſecretis.* Origenes lib. 7. contra celſum teſtatur

perſua

perſuaſum habere, non ſolùm Chriſtianos, ſed Iudæos, & alios multos tam Græcos, quàm barbaros, quod ſuperſit, & vitat poſt diſceſſum a corpore humana anima Additque, *Et rationi conſentaneum eſt, quòd quæcumque pura eſt, nulliſque malitiæ grauata compedibus ſublimis euolet ad puriora loca ætheris, relictis craſſi corporis ſordibus.* Ob id mirum eſſe non debet, ſi antiqui ſapientes felicitatem animarum in cœlo fuerint aliquatenus odorati.

50 Ergo Plato in Phædone *de pura terra in cœlo puro ſita philoſophatur*, iuxta eumdem Origenem. Et referēte Tertulliano lib. de Anima, c. 54. *Omnes fermè Philoſophi, qui immortalitatem animæ, qualiter volunt, tantum vindicant, vt Plato, quique aliquod illi tempus indulgent ab exceſſu vſque in conflagrationem vniuerſitatis, vt Stoici, ſuas ſolas, ideſt, Sapientium animas in ſupernis manſionibus collocent. Plato quidem non temerè Philoſophorum animabus hoc præſtat::: Itaque apud illum in æthere ſublimantur animæ ſapientes, apud Arium in aërem, apud Stoicos ſub Lunam.* Rurſus cap. 55. *Sed in æthere dormitio noſtra cum pueris, Platonis, aut in aëre cum Ario, aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum.*

51 Clemens alexandrinus lib. 4. Stromatum laudat Epimarchum, *qui apertè dicit, ſi fueris mente pius, nihil mali patieris mortuus, ſuperiùs manet in cœlis ſpiritus.* Laudat etiam Pindarum canentem, *Impiorum autem animæ ſub cœlo volitant incruentis doloribus, ſub malorum iugis ineuitabilibus; piorum autem in cœlis habitant, cantibus beatum, magnum canentes in hymnis.* Addit ipſe Clemens. *Non ergo huic de cœlis anima ad ea, quæ ſunt deteriora, demittitur. Deus autem facit omnia ad ea, quæ ſunt meliora; ſed ea, quæ vitam elegit optimam ex Deo, & iuſtitia cœlum terra commutat.* Concludit poſt multa, *Ego autem Chriſti ſpiritum orauerim, vt me in meam ſuſtollat Hieruſalem. Dicunt enim Stoici quoque, cœlum quidem propriè eſſe ciuitatem, quæ autem ſunt hic in terra, non vtique Ciuitates, dici enim, ſed non eſſe. Res enim bona eſt Ciuitas, & populus, honeſtus aliquis cœtus, & multitudo hominum, quæ regitur lege, ſicut verbo Eccleſia, Ciuitas, quæ non poteſt circumſideri, nec opprimi tyrannide. In terra diuina voluntas, in terra, ſicut in cœlo. Huius autem Ciuitatis imagines Poetæ quoque condunt ſcribentes, Hyperboreæ enim, & Ariſinapiæ ciuitates, & campi Elyſij ſunt Reipublicæ, & ciuitatis iſtorum inſtituta. Scimus autem, Platonis quoque Rempublicam eſſe poſitam in cœlo, vt exemplar.*

52 Lactantius lib. 7. Diuinarum Inſtitutionum cap. 12. affert hos ex Lucretij lib. 2. verſus,

Cedit item retrò de terra quod fuit ante
In terram; ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id ſurſum cœli fulgentia tecta receptant.

Idem Lactantius c. 20. refert ex doctrina Stoicorum, *animas quidem hominum permanere, neque interuentu mortis in nihilum reſolui; ſed eorum, qui iuſti fuerunt, puras, & impatibiles, & beatas ad ſedem cœleſtem, vnde illis origo ſit, remeare, vel in campos Elyſios, vbi fruantur miris voluptatibus.* En vel ab Stoicis non denegatam ſtationem in cœlo, ſi credis Lactantio. Audi etiam Senecam, etſi medullitus Stoicum, *Tunc* (ſcribit in epiſt. 79.) *animus noſter habebit quod gratuletur ſibi, cùm emiſſus his tenebris, in quibus volutatur, non tenui viſu clara proſpexerit, & totum diem admiſerit, & redditus cœlo ſuo fuerit, cum receperit locum, quem occupauit ſorte naſcendi.* Præthereà in epiſtola 102. *Cùm venerit dies ille, qui mixtum diuini hoc, humanique ſecernat, corpus hoc, vbi inueni, relinquam, ipſe me diis reddā, nec nunc ſine illis ſum, ſed graui, terrenòque detineor. Per has mortalis auæ moras illi meliori vitæ, longiorique præluditur::: Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Nondum cœlum niſi ex interuallo pati poſſumus::: veniet qui te reuelet Dies, & ex contubernio fœdi, atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu, quantùm potes, ſubuola: ab aliis, niſi quæ etiam neceſſariis cohærebunt, alienus. Iam hinc altius aliquid, ſublimiùſque meditare. Aliquando tibi naturæ arcana retegentur; diſcutietur iſta caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille ſit fulgor, tot ſyderibus inter ſe lumen miſcentibus. Nulla ſerenum vmbra turbabit; æqualiter ſplendebit omne cœli latus. Dies, & nox aëris infimi vices ſunt. Tunc in tenebris vixiſſe dices, cùm totam lucem totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias obſcurè intuens, & tamen admiraris tam procul. Quid tibi videbitur diuina lux, cum illam ſuo loco videris?* Hæc ille. Similia, ſed breuiora habet in conſolatione ad Polybium c. 28. licèt aliquantulùm addubitet de loco, *qui ſolutas vinculis animas beato recipit ſinu.* Concordat prioribus Seneca declamator in his verbis Suaſoriæ 6. ſub perſona Arellij Fuſci, *Animus diuina origine hauſtus, cui nec ſenectus vlla, nec mors, oneroſi corporis vinculis exſolutus, ad ſedes ſuas, & cognata ſydera recurrit.* Sed & Seneca Tragicus confirmat idipſum in Hercule Furente, Actu. 3.

———— Quiquis eſt placidè potens
Dominúſque vitæ, ſeruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animóque parcit: longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Elyſij loca.

53 Cicero in ſomnio Scipionis plura germana interſerit; inter alia inducit Paulum Patrem ita loquentem cum Scipione, *Iuſtitiam cole, & pietatem, quæ cum ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patriam maxima eſt. Ea vita via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides (erat autem is ſplendiſſimo candore inter flammas circumelucens) quem vos, vt à Graiis accepiſtis, Orbem Lacteum nuncupatis.* Macrobius lib. 1. expoſitionis Somnij, cap. 11. poſt relatas Platonicorum duas ſententias circa ſedem animarum in cœlo decernit conuenienter ad eam, *cui rationem amicitiorem* putat, *animas beatas ab omni cuiuſcumque contagione corporis liberas, cœlum poſſidere.* Rurſus Cicero in Lælio tradit ex Pythagora animos hominum eſſe diuinos, iiſque cùm ex corpore exiiſſent reditum in cœlum patere optimóque & iuſtiſſimo cuique expeditiſſimum. In Dionyſio Halycarnaſſeo lib. 8. Romanarum antiquitatum dicebat Veturia ad Martium Coriolanum filium: *Et ſiquis eſt locus, qui humanas animas corpore ſolutas recipiat, non Infernus ille, & luce carens locus animam meam excipiet, vbi ſceleratorum ſedes eſſe ferunt; nec Campi, quos Lethæos vocant; ſed ſublimis, & purus æther, in quo Diis genitos ſublimem, & beatam vitam degere, fama eſt.*

54 Apud Silium Italicum lib. 15. ſic virtus Scipionem alloquitur,

———— Fœdere certo
Degeneres animas tenebris damnauit Auernis.
At queis ætherei ſeruatur ſeminis ortus,
Cœli porta patet.————

De anima ipſiuſmet Scipionis in cœlo ob egregiam moderationem, pietatémque, vide Senecam Philoſophum epiſt. 86. & de Herculis anima Senecam Tragicum in Hercule Oetæo Actu 5. à verſu 1937. Prætereà de Pythagoræ, Platonis, ac Rufini animabus,

bus, vide Damaſcium in Iſidori philoſophi vita cod. 242. Phocianæ Bibliothecæ, Himeriũ cod. 243. Apud Propertium lib. 4. elegia 12. neſcio quæ fœde ſe canit,

Moribus, & cœlum patuit, ſim digna merendo,
Cuius honoratis oſſa vehantur equis.

Statius Syluarum 2. in Genethliaco Lucani,

At tu, ſeu rapidum poli per axem
Fama curribus arduis leuatus,
Quà ſurgunt animæ potentiores
Terras deſpicis, & ſepulchra rides.

Ouidius in Epilogo Metamorph. ſperat de ſe,

Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar. ———

Manilius lib. 4. Aſtronomicôn nullatenus dubitat de ſtatione animarum in cœlo,

An dubium eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cœlúmque redire animas, cæloque venire?

Idem Manilius lib. 1.

An fortes animæ, dignatáque nomina cœlo
Corporibus reſoluta ſuis, terraque remiſſa
Huc migrant ex orbe, ſuúmque habitantia cælum
Æthereos viuunt annos, mundóque fruuntur?

Phocilides Græcus,

Anima namque manent incorruptæ in mortuis,
Spiritus Dei eſt imago, & vſus mortalibus;
Corpus verò ex terra habemus, & omnes in eam
Reſoluti puluis ſumus: cœlum verò ſpiritum recipit.

Iulianus Imperator Oratione 6. *Sed neque hoc contentus vno, etiam illud quidquid in nobis eſt animæ præſtantius, & diuinius, quod à nullo edocti diuinum neſcio quid eſſe ſuſpicamur omnes, & in cœlo, tanquam in domicilio collocamus, inueſtigare conabitur.* Et hæc ſatis de Ethnica litteratura, cuius opulentum promptuarium inuenies in Marſilio Ficino lib. 18. de Immortalitate animorum cap. 8. Ioanne Baptiſta Criſpo de Ethnicis Philoſophis cautè legendis, diſtributionis 1. lib. 8. pag. 122. Abulenſi in opuſculo de ſtatu animarum poſt hanc vitam, Auguſtino Stheucho lib. 9. & 10. de perenni Philoſophia, Lipſio lib. 3. Phyſiologiæ Stoicorum, Diſſertatione 23. Theophilo Raynaudo diſt. 7. Theologiæ naturalis, q. 4. art. 5. Cerda in c. 54. & 55. libri Tertullianici de Anima, Cornelio in Eccleſiaſtem c. 3. v. 21. Pinto Ramireſio tract. 1. Spicilegij ſacri c. 14. & in Parallelis Politicis à n. 1086. vſque ad 1094. Creſollio in Anthologia ſacra c. 1. ſ. 6. Barthio lib. 2. aduerſar. c. 14. lib. 4 c. 17. lib. 19. c. 6. animaduerſ. ad Panegyr. Claudiani de tertio Conſulatu Honorij verſ. 107. Heraldo animaduerſione ad pag. 83. Arnobij, Boiſardo in Pythagora pag. 298. Vbi ex Ioanne Hugonio ad extremas Indiæ regiones profecto refert, Brachmanas credere Iuſtorum animas poſt mortem cœlo inferri, & aſſiſtere ſummo Numini.

55 Inter Iudæos etiam eandem inualuiſſe perſuaſionem colligi poteſt ex cuiuſdam verbis apud Egeſippum iuniorem lib. 3. de excidio vrbis Hieroſolymitanæ cap. 16. *Vbi* (inquit) *Deus Hebræorum, qui docet iuſtos mortis contemptum habere? Refugere etiam debere terrenum habitaculum, anhelare ad ſuperna, ad regionem paradiſi, vbi Deus ipſe pias animas conſeruauit?* Et lib. 5. c. 41. fatur in hunc modum Titus Imperator, *Audieram equidem intolerabilem huius populi ferocitatem, qui incredibilibus opinionibus in omnem excitat inſolentiam. De cœlo ſe genus ducere, ibi primum induiſſe corporis formam, cœli ſe fuiſſe incolas, deſcendiſſe ad cultus terrarum, de terris ad cœlum redire.* Eleazar Princeps Sicariorum ſubdit in c. 53. *Vbi autem fuerit anima* (iuſta & immunis à reatu pœnæ) *abſoluta vinculis iſtius carnis, in illum purum, & ſplendidum, ſuperiorémque reuolat locum, atque adeſt Domino Deo ſuo, ſanctorúmque habitaculis fruitur, & beatorum gaudet conſortiis.* Fortè Egeſippus more hiſtorico inducit loquentes Iudæos, & non tam ex propria ipſorum ſententia, quàm ex Chriſtiana Authoris.

SECTIO VIII.

Prima Claſſis Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui cum Sanctorum animas exiſtere iam in Cœlo aſſirment, de viſione Dei iam habita iudicant, aut indicant ſecus. Præmittitur ad Lectorem monitio de iis, quæ in Patribus nonnullis minus benè ſonantia aliquando deprehenduntur.

56 Stabilita iam ab authoritate, & rationibus orthodoxa doctrinâ, inutilem operam non impendam vt cenſeo, ſi veteres Scriptores Eccleſiaſticos, qui ante definitionem Pontificis ſummi Benedicti XII. videntur opinati aliter, adducam, & expendam, diuidens in varias claſſes maioris gratiâ claritatis. Interim, dum labori me accingo, lectorem admoneo cum Alfonſo Caſtrenſi, ne exiſtimet antiquorum Patrum dicta ideo in hoc loco à me exarari, *Vt illorum gloriam, & honorem de hac occaſione vel tantillum minuam. Abſit enim à me tam maleuolus animus, Nam etiamſi id optaſſem, tantus ego non ſum, vt id aſſequi potuiſſem.* Et prudenti cuiuis, *quæ meritò offendunt in iis, quos tanquam Luminaria Deus in Eccleſia ſua conſtituit, vt eorum deſuper illuminemur excellenti ſcientia, atque doctrina, ſic haberi debent*: cum Facundo Hermianenſi in lib. 6. pro defenſione trium Capitulorum Chalcedonenſis Concilij cap. 5. *Sicut ipſorum quoque luminarium defectus, quæ licet nonnunquam ſplendoris ſui detrimenta ſuſtineant, non tamen amittunt luminaria eſſe, quod ſunt.* Exarabo ergo Patrum dicta exorbitantia à veritate Catholica iam definita, & quæ ſpecie tenus deflectunt, ne lector ſi in ea incidat, quæ benignam interpretationem non admittunt, incautus offendat in tantorum Patrum authoritate. *Si autem aliter illos, quàm ego exiſtimo, ſenſiſſe aliunde conſtiterit,* precor cum Caſtrenſi, *vt me magis ignorantem, & inſcium, qui illorum dicta non intellexerim, quàm maleuolum cenſeat.*

57 His præmonitus lector, haud quaquam mihi interminabitur illâ Facundi Hermianẽſis cenſurâ in lib. 12. cap. 1. *Sicut nimis indecorum eſt, & offenſum, vt eorum peccata, quibus teſtimonium iuſtitiæ Scriptura Dei perhibuit, curioſiſſimè, requirentes denotemus, hinc volentes ſancti, atque incontaminati videri; ita nimis indecorum eſt, atque offenſum, vt ignorantiam eorum, quibus teſtimonium ſanæ doctrinæ Eccleſia Dei perhibuit, ſcrupuloſiſſimè perquiramus, & ſi quos eorum deprehendimus, vel putauerimus errores, in vnum congeſtos ventilemus, hinc volentes videri docti, atque Catholici. Sed quemadmodùm illorum peccata, ita & horum, ſi qua inuenitur ignorantia, ſufficit vt cum legimus, improbemus, Apoſtolo dicente, Omnia probate, quod bonum eſt, tenete. Atque vt illorum vitam, non ex quibuſdam culpabilibus factis impiam, ſed ex aliis multò pluribus rectis iuſtam, ſecundùm Scripturæ Dei teſtimonium iudicamus; ita & horum doctrinam non ex quibuſdam culpabilibus dictis*

Digitized by Google

dictis hæreticam, ſed ex aliis multò pluribus rectis Catholicam ſecundùm Eccleſiæ Dei teſtimonium indicemus.

58 Nonnullis valde arridet ea Henrici Henriquez animaduerſio lib. 1. de Pontificis Romani claue cap. 16. §. 2. *Patres, qui ſanctitate, & ſapientia excellunt, ſi aliquando non ſatis clarè veritatem attigerunt, digni ſunt, vt pia expoſitione ad veritatem trahantur; quamuis enim fortè eum ſenſum non intenderunt, Deus ſpeciali cura ita illorum verba temperauit, vt in verum ſenſum prodeſſe poſſent. Si verba detorqueri in verum ſenſum, receptùmque non poſſint, modeſtè reyciatur ſententia. Subiiciatur tamen cauſa excuſationis, quòd ſine pertinacia errauerint in re, quæ illorum tempore nondum erat definita apertè: & veritas aliorum Patrum teſtimonio confirmanda eſt; nam illi alibi ſubiecerunt ſenſum, ſententiámque ſuam cenſuræ, & determinationi Eccleſiæ Romanæ.* Sic Henriquez, qui imitatus videtur Catharinum lib. 4. Annotationum aduerſus Caietanum, vbi ait, *Non eſt quærendum ſemper quid Sancti intenderint, ſed quid dixerint, aut quid expreſſerint in eorum verbis, quia non eſt inconueniens dici multa à Sanctis, quæ exponi poſſunt, ac debent ſecundùm veritatem, licet ipſi fortè ad eam non intenderint, eo quod Deus magis habet prouidentiam in eorum dictis propter alios, quàm in eorum mente.* Confirmat id Catharinus cum ipſomet Caietano, & in exemplum affert S. Thomam, de quo Caietanus, *Verba Innocentij in cap. cùm Martha: ad verum ſenſum trahit non curans de intentione opinantis, accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum.* Additque, *Sæpiſſimè verba Auguſtini, & aliorum ad bonum, ac verum ſenſum etiam torquere conatur, non ignorans etiam aliud eos intendiſſe.* Sed tantorum virorum pace, ſi Patrum mens alia eſt, quàm quæ verbis præfertur, non videtur diſſimulanda Theologo, quando dedita opera agitur de ea inter homines doctos, ipſaque ſe prodit ſiue ex antecedentibus, ſiue ex ſubſequentibus verbis, ſiue ex alibi dictis; fucatæ enim, & deluſoriæ interpretationes Patrum dedecent homines veritatis indagatores, qui ſolo verborum cortice gaudere non debent. Illud verò, quod de S. Thoma dicitur, ſcilicet à conſilio SS. Patribus affinxiſſe ſenſum, quem alienum ab ipſis putaret, nunquam mihi perſuadebo.

59 Exordior primam claſſem promiſſam. In qua Theophylactus ad cap. 23. Lucæ ait, *Sancti, tametſi nondum perfectè bonis fruantur, iam tamen verſantur in locis lucidis, & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorum aſſequantur. Ita & Latro in paradiſo fuit, etiam ſi nondum perfectè acceperit, ne abſque nobis perfectus ſit. Et omnes ſancti, quotquot participes facti ſunt ſpiritualium donorum, & arrhabonem habent ſpiritus in paradiſo ſunt, etiamſi nondum perfecti fuerint, & regnum acceperint.* Hactenùs Theophylactus, qui non loquitur de Paradiſo terreſtri, ſed cœleſti, vt conſtat ex aliis eius verbis in idem cap. 23. Lucæ tranſcriptis in exercit. 18. n. 116. & in hac præſenti n. 4. Animabus autem Sanctorum in ipſo exiſtentibus negat viſionem beatam, aut perfectam beatitudinem vſque ad diem Iudicij, tum in appoſito loco, tum in cap. 16. Lucæ, tum in cap. 11. ad Hebræos. Adhæret Theophylacto Euthymius in c. 13. ac 16. & 23. Lucæ. Additque in cap. 14. Ioannis verſ. 3. Sanctos qui ante Chriſtum aſcenderunt in cœlum (in quo etiam errauit,) *& ſi ſimul cum Chriſto ſint, at non ſimul regnare.*

60 Oecumenius videtur in eadem fuiſſe mente, ac Theophylactus, ſi conferantur, quæ habet in cap. 11. & 9. ad Hebræos. Nam in cap. 11. ſcribit: *Ne illi ſanè nobis præſtantiores ſint, ſi prius coronarentur, quàm nos, vnum decreuit retributionis eſſe, idémque tempus, vt nos quoque vnà cum illis coronemur. Id verò noſtri cauſa factum eſt. Illi enim præmio ſedent carentes, noſtrum præſtolantes aduentum.* in cap. verò 9. ſcribit, *Cœlum factum eſſe peruium per Chriſtum, cùm antea fuiſſet inuium.* Et licèt proximè dixiſſet, *Quòd verò in Sancta Sanctorum Pontifex, iſque ſolus ingrediebatur, typus identidem fuit, quòd ſolus Chriſtus verus ille Pontifex, ipſum penetrauerit cœlum, ſed reliquum iam eſt, vt reuerſus, hominum genus ſecum adducat,* intelligi poteſt, quatenus Chriſtus reuertens ex Iudicio generali adducat ſecum in cœlum beatorum hominum glorificata corpora; cùm ante illud tempus ſolis animabus ipſorum fuerit peruium. Si hæc interpretatio non placeat, diſplicere debet in Oecumenio, quòd Sanctorum animæ non adeant cœlum, niſi poſt diem Iudicij; & quòd extra careant præmio viſionis beatæ. Trium horum Græcorum authoritas non eſt magni momenti. Nam Theophylactus, qui viuebat ſub annum 1071. fuit ſchiſmaticus, vt notant Baronius, Bellarminus, & Myræus; ſequenti ſæculo circa annum 1118. vixit Euthymius, & iam tunc Græci in multos errores abierant. De Oecumenij ætate non conſtat, ſi floruit ſub annum 1080. vt ſuſpicantur aliqui, ſerpebat eo tempore Græcorum ſchiſma.

61 S. Bernardus in ſerm. 4. de feſto omnium Sanctorum colludere videtur his Græcis Authoribus. Tradit namque, Iuſtorum animas poſt Chriſti Aſcenſionem non deferri in ſinum Abrahæ, vt anteà, ſed in cœlum, *& ibi collocari ſub altari Dei.... donec veniat tempus, in quo procedant completo numero fratrum, & percipiant regnum, quod eſt paratum ab origine mundi. Porrò altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, ego pro meo ſapere nihil aliud eſſe arbitror, quàm corpus ipſum Domini Saluatoris. Credo autem, quòd & ego ſuper hoc ſenſum eius habeam; præſertim cùm audiam eum in Euangelio promittentem, vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur, & aquilæ. Interim ergo ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, in quam nimirùm deſiderant Angeli ipſi proſpicere: donec veniat tempus, quando iam non ſub altari collocentur, ſed exaltentur ſuper altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Chriſti gloriam non dicam hominum, ſed vel Angelorum aſſequi poterit quis, ne dum ſuperare? Quonam igitur modo ſuper altare dixerim exaltandos eos, qui nunc ſub altari quieſcunt? viſione vtique, & contemplatione, non prælatione. Oſtendet enim nobis filius, vt pollicitus eſt, ſemetipſum, non in forma ſerui, ſed in forma Dei. Oſtendet etiam nobis Patrem, & Spiritum ſanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis, quoniam hæc eſt vita æterna, vt cognoſcamus Patrem verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, & in eis, quod non eſt dubium, etiam Spiritum vtriuſque. Tranſiens quippe miniſtrabit nobis, nouas vtique, & vſque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delitias manifeſta ſuæ contemplationis.* Hucvſque S. Bernard. *quem nulla ratione exponi poſſe* fatetur Lorca Ciſtercienſis in 1. 2. diſp. 36. memb. 3. *quia claris verbis dicit, animas ante diem Iudicij videre ſolam humanitatem Chriſti, & poſt diem Iudicij eleuari ad viſionem diuinitatis.* fatentur idipſum Sixt. Senenſis lib. 6. Biblioth. ſanctæ annot. 345. Ægid. Luſit. q. 5. art. 2. §. 1. à n. 17. vſque ad 30. Martin. de Ledeſm. in ſecunda quartæ q. 71. art. 2. Pereir. in c. 6. Apoc. diſp. 21. Ribera ibi v. 9. Fernand. in theſ. lib. 2. cap. 24.

Digitized by Google

cap. 24. n. 5. Caſtro, Salas & Petauius ſuprà. Quòd ſi ita ſit, aſſertum tamen eſt à S. Bernardo *ſine præiudicio, ſi cui fortè aliter fuerit reuelatum*, quæ ſunt eius verba in principio ſermonis, & alibi ſæpe definitam iam ſententiam inſinuat, vt videre eſt in locis conquiſitis à Bellarmin. & Valentia, licet Ægidium non quiezent.

62 Bellarminus, & Valentia, ipſiſque antiquior Gabriel lect. 67. in Canonem Miſſæ enituntur ab omni nota liberare S. Abbatem: nam ex regula Arnobij in Pſalm. 91. *Quæ lucida ſunt in Patribus, præiudicium ab obſcuris locis pati non debent.* Primus exponit de beatitudine perfecta animæ comparanda poſt diem Iudicij, quia tunc anima coniuncta corpori eleuabitur ad maiorem beatitudinem eſſentialem, vt, quin arguantur erroris, putarunt Doctores memorandi in n. 134. innuente ipſo S. Bernardo in lib. de Deo diligendo cap. 12. & 13. Amplexus eſt & Vaſquez illam expoſitionem. Secundus interpretatur de beatitudine conſummata animæ, & corporis habenda poſt diem Iudicij. Tertius intelligit de beatitudine tunc obtinenda excludente omne deſiderium reſurrectionis corporis, & impletionis ciuitatis cœleſtis. Conſentiunt Leſſius ſuprà: Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. 7. art. 3. pag. 687. Philippus Gamachæus 1. 2. q. 4. ſect. 2. cum Franciſco Syluio, Ioannes Neapolitanus q. 41. ex variis punct. 4. in ſolutione ad 3. qui aliis etiam explicationibus verba S. Bernardi deliniunt. Sed quamuis ſufficerent pro ſermonibus 2. & 3. ac 5. de eadem feſtiuitate, incertum mihi eſt, an pro 4. in quo verbis verbis. *Credo autem, quòd & ego ſuper hoc ſenſum eius* (id eſt Saluatoris) *habeam*, denotat S. Bernardus inſuetum aliquid à ſe dicendum; quod lib. 5. de conſideratione ad Eugenium relinquere videtur in medio quaſi non omninò exploratum, ait enim, *Nonne cùm cœperit circuire lucidas manſiones, & ſinum illum etiam Abrahæ curioſius perſcrutari, & ſub altari, quodcumque illud eſt, Martyrum reuiſere animas, in prima ſtola ſecundam patientiſſimè expectantes, &c.*

63 S. Bernardi ætate Philippus Abbas Bonæ ſpei lib. 1. in cantica Canticorum cap. 25. veram doctrinam ea tempeſtate expreſſit, ait namque, *Sancti Angeli tam Patris, quàm filij ſemper faciem intuentur, & ab eius intuitu alienæ Sanctorum animæ non habentur, quæ à mundo nequam, & à carnis ergaſtulo iam ereptæ in eiuſdem cum Angelis quietum ſponſi cubiculum ſunt receptæ.* Richardus etiam de S. Victore vtrique coætaneus, non ſolùm tradit in lib. 1. de Emmanuele c. 12. *neminem poſt paſſionem, & reſurrectionem Chriſti credi deſcendere ad Inferos ex his, qui ſunt ad vitam prædeſtinati.* Sed vlteriùs in lib. 2. ſuper Apocalypſim cap. 8. docet, Sanctorum animabus in cœlo datam iam ſtolam vnam glorificationis, ac beatitudinis cum promiſſione glorificandorum corpora, quæ eſt altera ſtola.

SECTIO IX.

Secunda Claſſis eorum, qui cum tradant Sanctorum animas ante diem Iudicij donari cœleſti ſede, & beata viſione, exprimunt tamen, aut innuunt, commorari aliquandiù in aliis locis, & ſine beata viſione.

64 ORigenes lib. 2. Periarchon. cap. 12. inquit, *Sanctos quoque diſcedentes ex hac vita permanere in loco aliquo in terra poſito, quem paradiſum dicit Scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, &, vt ita dixerim, auditorio, vel ſchola animarum, in quo de omnibus his, quæ in terris viderant, doceantur: indicia quoque quædam accipiant de conſequentibus, & futuris, ſicut in hac quoque vita poſiti indicia quædã futurorum, licet per ſpeculum, & in ænigmate, tamen ex aliqua parte conceperant, quæ manifeſtiùs Sanctis in ſuis locis, & temporibus reuelantur. Si quis ſanè mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, velociùs proficiens, citò ad aëris locum aſcendet, & ad cœlorum regna perueniet per locorum ſingulorum, vt ita dixerim, manſiones, quas Græci quidem Sphæras, id eſt, Globos appellauerunt, Scriptura verò diuina Cœlos nominat. In quibus ſingulis primò quidem perſpiciet ea, quæ ibi geruntur: ſecundo verò rationem, quare gerantur, agnoſcet; & ita per ordinem aggreditur ſingula, ſequens eum, qui tranſgreſſus eſt cœlos, Ieſum Filium Dei dicentem, vbi ſum ego, & iſti ſint mecum.* De eiſdem manſionibus agit lib. 4. Periarchon cap. 2. & hom. 26. in Numeros, vbi ſcribit, *illam figuram eſſe exeundi de Ægypto, cum relinquit anima mundi huius tenebras, ac naturæ corporeæ cæcitatem, & transfertur ad aliud ſæculum, quod vel ſinus Abrahæ, vt in Lazaro, vel paradiſus, vt in Latrone, qui de cruce credidit, indicatur; vel etiam ſi qua nouit Deus eſſe alia loca, vel alias manſiones, per quas tranſiens anima Deo credens, & perueniens vſque ad flumen illud, quod lætificat ciuitatem Dei, intra ipſum, ſortem promiſſæ Patribus hæreditatis accipiat.*

65 Homilia 21. ſcripſerat, videri ſibi per Leuitas indicari illos, *qui nullis corporeæ naturæ obſtaculis hebetati; ſed omnium viſibilium gloriam ſupergreſſi, in ſola ſibi ſapientia Dei, & verbo eius viuendi vſum, exercitiùmque poſuerunt, qui corporeum nihil requirunt, nihil rationis alienum.... Iſti ergo hæreditatem non habent in terris; ſed ſupergrediuntur ſumma cœli faſtigia, & ibi ſemper in Domino, ſemper in verbo eius, ſemper in ſapientia, & voluptate ſcientiæ eius delitiabuntur.... Qui autem inferiores ſunt, nec in iuſtum profectuum verticem peruenerunt, hæreditatem terræ accipient, licet ſublimioris alicuius, & potentioris.... Sed iſti quidem magni, & iſti beati, ſed beatiores illi, qui iam non per ſpeculum, & in ænigmate, neque in ſubſtantiis corporalibus, ſed facie ad faciem Deum videbunt.* Lib. 10. in Leuiticum commendat dignitatem eorum, qui ſequuntur Chriſtum vſque ad interiora cœli magnis his verbis, *Addit poſt hæc Scriptura, & non erit, inquit, homo, cùm ingredietur Pontifex intra velamen interius in tabernaculo teſtimonij. Quomodo non erit homo? Ego ſic accipio, quòd qui potuerit ſequi Chriſtum, & penetrare cum eo interius tabernaculum, & cœlorum excelſa conſcendere, iam non erit homo, ſed ſecundùm verbum ipſius tanquam Angelus, aut etiam fortè ille ſuper quem ſermo complebitur, quem ipſe Dominus dixit, Ego dixi, Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Ex appoſitis teſtimoniis tertium intelligendum eſt inſtar primi, & ſecundi; quatenùs qui aliquando accipiunt hæreditatem terræ loco præmij, & Deum non cognoſcunt facie ad faciem, eleuentur tandem ad cœli faſtigia, & ad viſionem intuitiuam Dei.

66 Homilia 13. in Ezechielem, & homilia 1. in Cantica videtur deſignare paradiſum terreſtrem in habitationem Beatorum. Nam cum in priori homilia latè propoſuiſſet; Beatum Latronem in paradiſi terreſtris delitiis conſtitutum fuiſſe, concludit, *Ad hanc beatitudinem tu feſtinas, qui videris plangere.* In poſteriori autem ſic fatur, Qui

Digitized by Google

Qui dignus fuerit redire, & eſſe cum Chriſto, quique in paruo fidelis inuentus, conſtituetur ſuper multa, ille guſtabit, & capiet voluptatem Domini, perductus ad locum quendam, qui pro huiuſmodi ciborum copiis, & varietatibus, delitiarum nominatur locus. Propter quod & in Edem poſitus dicitur, quod delicias indicat. Sed in hac poſteriori fortè ſub typo Paradiſi terreſtris indicat cœleſtem; & tam huius poſterioris, quàm prioris illius verba accipi poſſunt ea ratione, vt ex Paradiſo terreſtri, qui in eo collocentur, progrediantur poſteà ad cœleſtem.

67 Homilia 7. in Leuiticum videtur denegare vſque ad diem Iudicij perfectis quibuſuis viſionem beatam. Ait enim, *Nondum receperunt lætitiam ſuam, nec Apoſtoli quidem; ſed & ipſi expectant, vt & ego lætitia eorum particeps fiam. Neque enim diſcedentes hinc Sancti continuò integra meritorum ſuorum præmia conſequuntur; ſed expectant etiam nos, licet morantes, licet deſides. Non enim eſt illis perfecta lætitia, donec pro erroribus noſtris dolent, & lugent noſtra peccata ::: Vides ergo, quia expectat adhuc Abraham, vt quæ perfecta ſunt, conſequatur. Expectat & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetæ expectant nos, vt nobiſcum perfectam beatitudinem capiant.* Exponendus tamen eſt de perfecta beatitudine, quantùm ad glorificationem corporis, niſi dicas, varium fuiſſe. S. Iuſtinianus Toletanus, qui lib. 2. Prognoſtici capite 28. libro 3. capite 35. loquitur eodem ferè modo, exponi debet ſimiliter (de quo Ludouicus Tena latè in capite 11. epiſtolæ ad Hebræos difficult. 28. ſect. 1. num. 4.) cùm ex libro 2. capite 8. 12. 13. & 37. conſtet, ipſum cenſuiſſe Sanctos in cœlo videre iam Deum: quod etiam diſertè traditum eſt à Paulo Diacono Emeritenſi lib. de vita, & miraculis Patrum Emeritenſium tum in præfatione, tum in capite 8. & in capite 21. ab Etherio, & Beato lib. 1. contra Elipandum, necnon à S. Eulogio in documento Martyrij dicato Floræ, & Mariæ Virginibus, & alibi ſæpè, à Luca Tudenſi libro 1. contra Albigenſes cap. 2. quos Authores idcircò memoro, quia vetuſtate nobiles, & conteſtes fidei antiquæ ſuos inter, noſtróſque Hiſpanos. Addo duos in Hiſpania ex Iudaïſmo ad Chriſtianam fidem conuerſos, Hieronymum à ſancta Fide, libro 1. contra Iudæos cap. 7. Petrum Alfonſum in Dialogis titulo 10.

68 Origeni videtur inſtitiſſe S. Greg. Magn. cùm in lib. 4. Dialogorum cap. 25. quæſitus à Petro, an *nunc ante reſtitutionem corporum in cœlo recipi valeant animæ Iuſtorum?* Reſpondet, *Hoc neque de omnibus Iuſtis fateri poſſumus, neque de omnibus negare, nam ſunt quorundam Iuſtorum animæ, quæ à cœleſti regno quibuſdam adhuc manſionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, niſi quod de perfecta iuſtitia aliquid minus habuerunt. Et tamen luce clariùs conſtat, quia Perfectorum animæ mox vt huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtis regni ſedibus recipiuntur.* Item S. Anſel. inquiens in Elucidario, *Perfectorũ animas; cùm de corpore exuuntur, induci in Paradiſum cœleſtem: Iuſtorum verò quibuſdam manſionibus differri. Nam à corporibus exutæ in terrenum Paradiſum, vel potiùs in ſpirituale aliquod gaudium ab Angelis perducuntur, cùm ſpiritus in locis corporalibus non habitare credantur. Eſt quidam ordo Iuſtorum, qui imperfecti dicuntur, qui tamen in libro Dei ſcribuntur, vt ſunt coniugati, qui mortui pro meritis in amœniſſima habitacula recipiuntur. Ex his multi ante Iudicium precibus Sanctorum, atque eleemoſynis viuentium in maiorem gloriam aſſumuntur, omnes tamen poſt Iudicium Angelis conſociabuntur. Sunt quidam de electis, quibus multum deeſt de perfectione, qui crimina ſua differunt pænitere, hi ::: à ſanctis Angelis Dæmonibus permittuntur purgandi, qui tamen eis nocere non poterunt, pluſquàm ipſi promeruerunt, aut quàm ſancti Angeli permittunt.* Hactenùs ille, ſed Sanctorum animas putas, cum è corpore abeunt, introduci in Paradiſum cœleſtem, repetit Anſelmus in c. 5. Epiſt. 2. ad Cor. in 2. ad Philippenſes, in 12. ad Hebræos, in 20. Apocalypſ. & libro de ſimilitudinibus capite 43. 46. 124. niſi velis intelligi debere iuxta locum appoſitum ex Elucidario. Prætereà in capite 11. ad Hebræos vſurpat Origenis verba adducta in præcedenti numero; explicandúſque videtur, vt Origenes, ac S. Iulianus ibi; ſicut & in ſermone de Beatitudine capite 7. & in lib. de ſimilitudinibus capite 51. dicit, *conſtare, animas Sanctorum, quæ iam cœleſtia tenent, nondum plena felicitate frui, donec incorruptibilitate corporum ſuorum potiantur, quam cùm adepti fuerint, non erit quid ampliùs velint.* Niſi & in his etiam ſub intelligas ſenſum Elucidarij.

69 Quia tamen ſub lite eſt, an ſingula hæc opera parentem habeant Anſelmum, ideò ex Elucidario non debet peti ſenſus aliorum, in quibus Catholicæ doctrinæ fauetur ab Authore, aut concordiæ cum ipſa locus patet, vt in verbis relatis ex genuino S. Anſelmi ſermone de Beatitudine, vnde tranſlata ſunt in capite 51. libri de Similitudinibus. Neque multum curandum eſt de authoritate Elucidarij, cùm non ſit certum prodiiſſe ab Anſelmo. Trithemius adſcribit illud Honorio Auguſtodunenſi, Noſter Raynaudus indignum fœtum putat Parente Anſelmo, etſi ex huius operibus nonnullos in illo conſutos centones agnoſcat. Qui S. Anſelmi conſcripſit vitam Edmerus, eiuſque libros adnotauit, nullam Elucidarij mentionem facit, vt nec Bellarminus, nec Poſſeuinus. Quoad S. Gregorium Magnum dico, exponi poſſe de manſione Iuſtorum expiandorum in Purgatorio ob reſiduum aliquem reatum.

70 Florus Magiſter, qui floruit tempore Caroli Calui ad annum Domini 876. conſenſiſſe videtur Origeni, dum in Expoſitione Miſſæ inquit, *Sunt quorundam Iuſtorum animæ, quæ cœleſti regno licet in beata quiete, quibuſdam adhuc manſionibus differuntur.* S. Ambroſius lib. 5. in epiſt. 19. ad Honoratianum innuit ſimile quid. En verba, *Latroni illi confitenti dicitur, Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Ille dixerat, Memento mei, cùm veneris in regnum tuum; Chriſtus non de regno reſpondit, ſed ad cauſam: Hodie mecum eris in paradiſo, id eſt, reformandum eſt ante, quod amiſſum eſt, poſteà conferendum id, quod augendum eſt, vt per paradiſum ad regnum perueniatur, non per regnum ad paradiſum. Seruatur diſcipulis, quod plus conferatur pro laboribus, ideóque incolatum promiſit, regnum diſtulit. Itaque is, qui ſub ictu mortis conuertitur, & confitetur Dominum Ieſum, mereatur incolatum paradiſi. Qui verò multò ante ſe exercuit, & Chriſto militauit, habeat paratum ſtipendiis ſuis regnum, cuius ſe remuneratione donatum gaudeat. Ideóque Petro dicitur, Tibi dabo claues regni cœlorum. Ex patrocinio conuerſus requiem habet, in Apoſtolatum probatus accepit poteſtatem.* In his verbis Ambroſius vnum è duobus ſignificat, nempe Sanctorum aliquorum animas, vel paulatim progredi ex Paradiſo terreſtri, aliove loco delicioſo ad regnum cœleſte, vel in eodem regno cœleſti ex minori ad maiorem deuenire beatitudinem eſſentialem ante diem Iudicij, aut poſt.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO X.

Tertia Claſſis eorum, qui inſinuant Sanctorum animas pergere in cælum, ſed diuertendo ad paradiſum terreſtrem. Tractatur de earum celeritate in motu ad cælum, & de inſtanti, quo beatam obtinent viſionem.

71 DEltius Noſter in Adagialibus ſacris veteris Teſtamenti, Adagio 789. refert ex S. Theophilo Patriarcha Antiocheno lib. 2. ad Autolycum, Iuſtorum animas traduci in cœlum, ſed per paradiſum terreſtrem; idque confirmari ait, Reuelationibus ſanctarum Brigittæ, & Mecthildis: addit autem, *non admodùm probabile eſſe.* Verba S. Theophili exhibebo in Exercitat. 23. num. 13. Sed ex eis ſolummodò colligitur, Patrem hunc ſentire introducendum eſſe Adamum in Paradiſum terreſtrem poſt ſui corporis reſurrectionem in die Iudicij. An autem ibi manſurus ſit, vel deportandus in cœlum, non declarat; neque item an introductio in paradiſum continget aliis Iuſtis ſiue poſt mortem, ſiue poſt reſurrectionem? S. Theophilus in lib. 1. videtur differre intuitionem Dei vſque ad reſurrectionem; Sic enim fatur, *Hæc intelliges tunc, vbi depoſueris mortale hoc corpus, & incorruptibilitatem indueris; tunc demum condignè Dei conſpectu frui poteris. Nam Deus ſuſcitabit carnem tuam, eámque vnà cum anima immortalitate donabit. Tunc igitur, ſi nunc fidem habueris, immortalitate amictus Deum conſpicabere: tunc ſcies, & ſenties, quæ impio ore contra ipſum es in hac vita loquutus: ſi nunc parùm credis mortuorum reſurrectionem, tunc nolens volens credere cogeris.* Ita ille. Non abſimilia reperies in Anaſtaſio Nicæno, vel Antiocheno quæſtione 87. ſuper Scripturam.

72 Traductio animarum immunium omninò à reatu culpæ, & pœnæ per Paradiſum terreſtrem, licet non abſonans piæ credulitati proponatur à Simone de Caſſia lib. 13. de geſtis Saluatoris cap. 112. meretur rigidam cenſuram, ſi ibi notabiliter commorari dicantur. Nam Innocentius IV. tradit, *Animas in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſuolare ſempiternam.* Et Benedictus XII. declarat, Iuſtorum animas *mox* poſt ſeparationem à corpore, & purgatione, ſi ea indigeant, *eſſe in cælo, cælorum regno, & paradiſo cæleſti cum Chriſto, Sanctorum Angelorum conſortio aggregatas:* & Concilium Florentinum decernit, *illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam ſunt purgatæ, in Cælum mox recipi.* In quibus ſanctionibus notanda ſunt aduerbia *Protinus, Mox.*

73 Et hæc breuitas in pergendo ad cœlum indicatur à Paulo in verbis tranſcriptis n. 2. elegantérque expenſis à S. Thoma in opuſc. 6. contra Græcos cap. 9. Confirmari poteſt ex oppoſita ſorte damnatarum animarum, quæ ſtatim, ac ſeparantur à corpore deturbantur in Infernum. Vnde Author libri de vanitate ſæculi inter opera S. Auguſt. ait. cap. 1. *Scitote verò, quòd cùm anima à corpore euellitur, ſtatim aut in paradiſo pro meritis bonis collocatur, aut certè pro peccatis in Inferni Tartara præcipitatur.* Et Petrus Damiani ſerm. 59. *Ad cælum ſtatim euolant, qui domicilio corporis vſi ſunt tanquam carcere, qui defæcatam, purámque ſubſtantiam vtriuſque hominis ſeruauerũt. E contrario qui fecerunt vſque ad mortem, quæ digna ſunt morte, locis Gehennalibus ſine miſericordia deputantur.* Angeli etiam deſertores mox poſt finitam viam deiecti ſunt in loca pœnalia. Sanè qualibet detentio eſſet veluti quædam pœna ſine culpa, & ſine cauſa in animabus puris, vt aduertit Suarez tomo 4. in 3. part. diſputatione 47. ſect. 1. numero 5. & vt Sotus in 4. diſtinct. 45. quæſt. 1. art. 3. eſſet contra ingentiſſimam, qua tenentur, auiditatem euolandi in cœlum.

74 Præterea cum animæ puræ in ipſomet momento, quo ſeparantur à corpore, videant intuitiuè Deum, non apparet ratio, ob quam prudenter credi queat, non transferri illicò ad cœleſte domicilium. Quòd autem in ipſomet momento videant intuitiuè Deum, traditur expreſsè à Soto, & Suario ſuprà, & ab hoc rurſùs tomo 2. in 3. part. diſp. 52. ſect. 2. verſ. *Dices.* Quare miror Granadum 1. part. controuerſ. 13. de Nouiſſimis tract. 2. diſputat. 7. numero 4. dicentem ſe non legiſſe terminis ita expreſſis aſſertionem iſtam; quam ipſe optimè probat, quia in eo inſtanti ſubeunt animæ iudicium particulare, & deſtinantur præmio, vel ſupplicio. Ergo in eodemmet inſtanti puræ animæ conſequentur præmium viſionis beatæ; ſiquidem nullum habeant impedimentum, nec occurrat vlla cauſa, ob quam Deus differat exequutionem ſententiæ in aliud inſtans.

75 Inquies, Deum differre vſque ad inſtans, in quo anima exiſtat iam in Empyreo, ne extra locum beatitudini deputatum beata iam ſit. Reſpondent Abulenſis Paradoxo 5. capite 175. Simon Maiolus tomo, ac colloquio 1. dierum Canicularium, Franciſcus Ximenez Patriarcha Hieroſolymitanus, & Epiſcopus Elnenſis in M.S. tract. 5. de Angelica natura cap. 15. Bokinkan quæſt. 4. ſup. 4. libros ſententiar. animam ſine motu ſucceſſiuo, & ſine tranſitu per ſpatium medium ſiſtere ſe in Empyreo, cum primùm ſeiungitur à corpore, & ſic videntur accipi cum toto rigore aduerbia illa paulò anteà expenſa, non ſecùs ac in Concilio Tridentino ſeſſione 13. cap. 3. particula *ſtatim* ita debet intelligi, dum dicitur, *ſtatim poſt conſecrationem verum Domini corpus, verúmque eius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie vnà cùm ipſius anima, & diuinitate exiſtere.* S. Thereſia etiam ait c. 38. ſuæ vitæ, animam, cùm exit è corpore, videre ſe inſtantaneè in omnibus cœli bonis. Porrò etſi ille modus ſe mouendi non repugnet animæ, ſi eius potentia locomotiua eleuetur diuinitùs, tamen ex natura rei repugnat, deéſtque fundamentum recurrendi ad miracula in motu animæ ad cœlum: & Eccleſiæ Patres, dum aiunt, Sanctorum animas *tranſuolare ad patriam ſempiternam,* vt loquitur Innocentius IV. deportari ab Angelis, deducíque in cœlum, indicant non obſcurè, moueri ſucceſſiuè, & percurrendo medium ſpatium, licet velociſſimè. Nec vlla eſt ratio, vt aduerbia *Protinus, Mox,* quoad exiſtentiam animarum in cœlo ſumantur cum tanto rigore, quanto particula *ſtatim,* quoad corporis Chriſti exiſtentiam ſub ſpeciebus. S. Thereſia inſtantaneum vocat, quod tempore breuiſſimo, & ferè imperceptibili fit. Quocirca fatendum eſt, animam incipere videre Deum, antequàm accedat ad Empyreum, ſcilicet in illo loco, in quo erat corpori vnita, & in quo iudicatur: & poſteà mouere ſe rectâ viâ in Empyreum motu tam celeri, quàm naturaliter poteſt habere; & velocitati facultatis motiuæ naturalis accedet maior alia, ſi neceſſe ſit, ex impulſu comitantium Angelorum. Vtrumque enim

Digitized by Google

enim poteſt ſimul conſiſtere, vt à ſe ipſo moueatur, & ab Angelis etiam dirigatur, ac ducatur, *ad eum ſcilicet modum, quo ſolet quis, & à ſe ipſo motus, & ſimul ab alio quopiam deductus peruenire ad locum, in quo vel plectendus, vel remunerandus ſit.* Quæ ſunt Valentiæ verba tomo 4. diſp. 11. q. 1. punct. 2. v. *Neque obſtat.* concordat Granadus ſuprà, n. 2. & videtur tradi à Niceta lib. 2. Theſauri cap. 77. Neque eſt inconueniens, quòd per breuiſſimum aliquod tempus ſint iam beatæ animæ, & extra Empyreum, nam & ex hoc aliquando exeunt; & ſanctorum animæ, quas Chriſtus ab Inferis eduxit, commoratæ ſunt extra Empyreum quadraginta trium dierum ſpatio, cùm tamen beatificatæ fuerint in inſtanti mortis Chriſti, quæ anteà deceſſerant. Satis itaque eſt, ſi Empyreum ſit deputatum ordinariæ, ac frequenti exiſtentiæ, ſeu ſtationi beatarum animarum, & quòd hæ ſtatim, ac inſigniuntur viſione Dei, quàm citiſſimè illuc aduolent, niſi ſubſit aliqua detentionis cauſa, vt in animabus donatis ea viſione ante Aſcenſionem Chriſti.

76 Vbi obiter noto, Argentinenſem in 4. diſt. 49. q. 4. ſubdubitaſſe ſine cauſa, an Benedictus XII. intenderit, quòd boni Latronis anima non viderit diuinam eſſentiam ante Aſcenſionem Chriſti? Idémque eſt de animabus aliorum ſanctorum, qui ante Chriſtum obierunt. Etenim Summus Pontifex clariſſimè dicit, iuſtas, & puras animas vidiſſe diuinam eſſentiam poſt paſſionem, & mortem Chriſti, tametſi in cœlo non fuerint ante eius Aſcenſionem. Noto etiam, Philonem Carpathiorum Epiſcopum in Cantica cap. 7. v. 13. perperàm putaſſe, *veteres, & priſcos Dei viros, qui cum odore virtutum apud Inferos deſcenderunt, aduentum ſponſi præſtolantes, à vera Dei gloria, ſub terra mortuos vſque ad Chriſti reſurrectionis diem non accepiſſe mercedem odoris ſui, feliciſſimè ſine fine victuros.* Debuiſſet animarum mercedem ex inſtanti mortis Chriſti aut ſaltem ex inſtanti, quo eius anima ſubſtitit in Limbo Patrum, deſignare; niſi loquatur de mercede glorificationis corporum collata nonnullis Sanctis, quando Chriſtus reſurrexit, vt defendemus in Exercit. 23.

SECTIO XI.

Quarta Claſsis eorum, qui ſignificare videntur ineuitabilem eſſe Sanctorum animabus digreſsionem ad ignem Purgatorij.

77 Origenes homil. 3. in Pſalm. 36. in Numeros 25. in Hieremiam 13. in Ezechielem 5. lib. 8. in epiſtolam ad Romanos. Lactantius lib. 7. diuinarum Inſtitutionum cap. 21. S. Ambroſius in Pſ. 36. v. 15. in Pſalm. 118. v. 17. & 153. S. Hilarius in eundem Pſalm. v. 20. S. Baſilius in cap. 4. Iſaiæ. Eucherius hom. 3. de Epiphania, Rupertus lib. 3. in Geneſim cap. 32. tradere videntur, Sanctorum animas, excepta Chriſti Domini, tranſire per ignem Purgatorij. Conforme id eſt cuidam viſioni S. Furſæi narratæ à V. Beda lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum cap. 19. & in figuram non adeundi cœli niſi tranſitu per ignem, conſtitutus à Deo eſt ante paradiſum terreſtrem gladius flammeus, atque verſatilis.

78 Eminentiſſimus Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 1. ait, ſe non auſurum ſententiam iſtam pro vera aſſerere, nec vt errorem improbare, ſi ita intelligatur, vt animæ, quæ expurgatione non indigeant, tranſeant ſine læſione vlla: P. Valentia ſupra punct. 3. v. *ſi tamen* ſcribit, non eſſe planè erroneum. Addiderim ego, niſi dicatur iuſtas, & puras animas detineri notabiliter in igne Purgatorij, alioqui contrauenitur decretis Benedicti XII. Innocentij IV. & Synodi Florentinæ. Nonnulli ex præcitatis Patribus non tam loquuntur de igne Purgatorij, quàm de eo, qui Chriſtum venientem ad vniuerſale Iudicium præibit, & probabit, purgabitque homines iuſtos, reſuſcitatos, diſcernétque à prauis. Hæc videtur eſſe Origenis, & Lactantij mens, circa quam legenda eſt cenſura Suarij tom. 2. in 3. p. diſp. 57. ſect. 1. vbi notat hæreſeos, ſi aſſeratur, iuſtos, qui nunquam venialiter etiam peccarunt, aut qui immediatè poſt ſuſceptum validè, ac fructuosè Baptiſmum moriuntur, aut qui Martyres obeunt, aut qui in hac vita perfectè pro peccatis patratis ſatisfecerunt, purgandos eſſe; ſi item aſſeratur; animas iuſtas abeuntes è corporibus cum reatu pœnæ temporalis, manere omnes ad vnam ſine expiatione plena vſque ad diem Iudicij extremi: adeóque tunc corporibus iam reaſſumptis penitùs emundandas in tranſcurſu per ignem. Alij ex ſuperioribus Patribus exponi poſſunt de Iudicij diuini examine ſubeundo in fine tam vitæ, quàm mundi à cunctis hominibus iuſtis, excepto homine Deo. Reſpiciebant enim ad verba Pauli 1. ad Corinthios cap. 3. v. 13. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Vbi per ignem intelligitur illud examen, vt ſapientiſſimè tractat Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 5. Sumptaque eſt exinde ſimilitudo quòd igne materiali aurum, & argentum probentur. Iudicio autem diuino actiones hominum an rectæ, vel obliquæ ſint. Dicitur etiam ignis Iudicium diuinum, eo quòd ſit puriſſimum, celerrimum, efficaciſſimum, & maximè penetratiuum.

79 Flammeus ille, & verſatilis gladius, figura fuit præfati Iudicij, quod in igne viſo à S. Furſæo ſignificabatur ſymbolicè, & quidem animarum nihil expurgabile habentium tranſitus, etiam velociſſimus per ignem Purgatorij, & ſine læſione, vt vt liber ſit à cenſura Theologica, parùm conformis habendus eſt tum Patribus aliis, qui animas omninò puras dicunt recipi ſtatim in cœlum, quin mentionem vllam faciant ignis Purgatorij; tum communi ſenſui de loco Purgatorij in viſceribus terræ. Neque enim prudenter cogitari poteſt, eas animas deſcendere prius in Inferos, poſteaque ad ſuperos euolare.

SECTIO XII.

Quinta Claſsis eorum, qui tradere videntur, Iuſtorum aliquorum animas detineri in loco quodam ſine cruciatu ab igne, antequam perueniant ad cœlum. Agitur de Purgatorio Deſiderij.

80 Retuli in ſect. 4. Exercit. 15. viſiones nonnullas, quibus ſignificatur, animas quorundam defunctorum in gratia, antequàm ad cœlum conſcendant Empyreum, ſubſiſtere in alio loco, vbi non torquentur igne. Committendæ ſint cum eis viſionibus aliæ, de quibus S. Mechtildis lib. 4. ſpiritualis gratiæ c. 4. & 9. S. Brigitta lib. 4. Reuelationũ c. 7. & 127. Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 12. Dialogorum c. 37. Enarrator vitæ Ioannis Tauleri, Matthæus Raderus in viridario Sanctorum pag. 44. Author vitæ S. Idæ c. 5. apud Bollandũ die 15. Ianuarij

Digitized by Google

uarij Authores vitæ S.Macarij Romani cap.13.l.1. de vitis Patrum in editione Roſuveydi, Bloſius p.3. Monilis ſpiritualis cap.13. Ioannes Colganus tom.2. Sanctorum Hiberniæ p.2.Appendicis 6.ad Acta S.Patritij. Dionyſius Carthuſianus tract. de particulari Iudicio ſingulorum art.31. Franciſcus Torreblanca lib.1. Practicabilium Iuris ſpiritualis cap.4. Euſebius Nierembergius lib.2. de Pulchritudine Dei c.11.§.4. Ioannes Baptiſta de Lezana in vita B.Mariæ Magdalenæ de Pazzis c.64. & annotatione 26. Nouarinus l.6. Sacrorum electorum num.197. Ludouicus de la Puente in M.S. vita V.Virginis Marinæ de Eſcobar Fundatricis Recollectarum Birgittenſium lib.5. cap.2. & 3. Andreas Pintus Ramireſius in continuatione eiuſdem vitæ lib.2.cap.20.

81 Præcitatus Carthuſianus poſt memoratas plures viſiones apponit hæc verba, *Vnde videtur in Paradiſo terreſtri eſſe quædam remuneratio hominum.* Et interrogatus, quid ipſe iudicaret, addit; *Horum determinationem aliis magis committo, & ſi concordari hæc queant, peritis relinquo; quia nec tantis Doctoribus nec tot reuelationibus contradicere audeo. Determinationi autem Eccleſiæ hæc tutius cõmittuntur.* P.Suarez tom.4. in 3.p. diſp.46. ſect.1. & 4. Granadus ſuprà diſp.3. ſect.2.n.15.Maluenda c.92. de Paradiſo, Elias à S.Thereſia in legatione Eccleſiæ Triumphantis ad militantem pro liberandis animabus Purgatorij lib.1.c.& num.16.lib.3.c.38. n 1. Moura in opuſculo 1.de Incãtationibus ſect.2. cap.12. n.10.& 17. periculum verentur in quibuſdam viſionibus indicatis, niſi allegorico,& metaphorico ſenſu intelligantur ex toto, vel ex parte. Bellarminus lib.2. de Purgatorio cap 7. Leſſius c.& dub.2. de Purgatorio,num.21. Cornelius in c.12. Lucæ, v.35. Henriquez libro vltimo de fine hominis c.19. §.2. Ludouicus de la Puente p.1. meditatione 36 punct.2. part. item 5. meditatione 34. punct.1. cum Bloſio ſuprà, & in M.S. vita iam memorata, Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt.1. art. 4 pag.518. Gonſaluus Durantus ad l.4. Reuelationum S.Brigittæ cap.7. notâ 6.c.127. notâ vnica, Colganus, Bollandus, Nierembergius, Torreblanca, Lezana, Nouarinus citati paulò anteà, illuſtriſſimus Epiſcopus Pacenſis Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus anno 1210. cap. 8. n.5. periculum vllum non agnoſcunt in eis omnibus viſionibus, aut in pleriſque ex eis, etiamſi ad litteram accipiantur.

82 Hoc nempe modo, quòd aliquæ animæ non omninò puræ expientur patiendo pœnam prouenientem non ab igne, ſed à conſideratione dilatæ viſionis beatæ; expientur, inquam, in loco mitiſſimo,& quaſi carcere quodam ſenatorio,& honorabili. Nam ſi prorſus illibatæ eſſent, & ad cœlum mox poſt ſeparationem à corporibus non pergerent, vel ſi non omninò puræ detinerentur alicubi abſq; vlla pœna; pòſtque admitterentur ad cœli ſedes, contrarium id eſſet Eccleſiæ determinationi.

83 Locus animarum, quibus dilatio Beatitudinis, eaque ſola cruciatum inferat, vocari ſolet Purgatorium deſiderij; & ne vltra quatuor in Inferis loca ſeu receptacula animarum, ſcilicet Infernum, Purgatorium, Limbos puerorum, & veterum Patrum ponant quintus alius contra fidelium perſuaſionem, pertinebit Purgatorium deſiderij ad commune Purgatorium, quaſi huius pars, ſi ordinariè contingat, quod animæ torqueantur eo modo. Si autem extraordinariè, vna vel altera anima ſic cruciet ur, neceſſe non eſt, vt detur locus certus & definitus; cùm & animæ aliquæ, quæ igne mundantur, interdùm conſtituantur à Deo in aliis locis diuerſis à Purgatorio communi.

SECTIO XIII.

Sexta Claſſis eorum, qui Sanctorum animas vſque ad diem Iudicij ſine viſione beata intra paradiſum terreſtrem commoraturas ſignificant.

84 S.Clemens Romanus lib.1. Recognitionum teſtatur, ſe ex ore S.Petri audiuiſſe hæc: *Chriſtus, qui ab initio, & ſemper erat, per ſingulas quaſque generationes, piis, latenter licet, ſemper tamen aderat, iis præcipuè à quibus expectabatur, quibúſque frequenter apparuit. Sed non erat tempus, vt tunc reſolutis corporibus fieret reſurrectio, ſed hæc magis remuneratio videbatur à Deo, vt qui inueniretur iuſtus, diutius permaneret in corpore: aut certè ſicut de quodam Iuſto euidenter refertur in litteris Legis, quod tranſtulerit eum Deus. Simili exemplo etiam cum cæteris geſtum eſt, qui eius voluntati placuerunt, vt ad paradiſum tranſlati ſeruentur ad regnum. Eorum verò, qui non ad integrum potuerunt explere normam iuſtitiæ, ſed aliquas ex ſua carne malitiæ reliquias habuere, corpora quidem reſoluuntur, animæ verò ſeruantur in bonis, latiſque regionibus, vt in reſurrectione mortuorum, cùm corpora ſua receperint, ipſa iam reſolutione purgata, pro iis, quæ benè geſſerint, æterna beatitudine potiantur. Et ideò beati ſunt omnes, qui regnum Chriſti fuerint adepti, quia non ſolùm Inferni pœnas effugient, ſed & incorruptibiles permanebunt, & primi Deum Patrem videbunt, atque inter primos apud Deum honoris ordinem conſequentur.* Sic ibi. Et in lib.9. adiicit, *Deum vſque ad nuptiarum tempus, quod eſt præſentia ſæculi venturi, ſtatuiſſe virtutem quandam, quæ ex his, quæ in hoc mundo naſcuntur, eligat, & cuſtodiat meliores, ac ſeruet filio ſuo, ſequeſtratos in loco quodam mundi, qui extra peccatum eſt, in quo iam ſunt aliquanti, quo ibi velut ſponſa decora ad ſponſi præſentiam præparantur.* Ægidius Luſitanus ſolicitus eſt, vt priora S.Clementis verba trahat in ſenſum rectum, vereor ne in caſſum. Sed ne aliquis plus authoritatis, quàm iuſtum ſit, tribuat libris Recognitionum, legat Bellarminum in opere de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & Ludouicum Iacob à S.Carolo lib.1.Bibliothecæ Põtificiæ pag.45. Litteratiſſimus P.Cerda in nota 1047.ad Apologeticum Tertulliani, exiſtimat, eos libros verè eſſe S.Clementis, *Illa autem, quæ ibi Petro adſcribuntur, non eſſe Petri, ſed ipſiuſmet Clementis; quemadmodùm, quæ Plato ſcribit de Socrate, non Socratis ſunt, ſed ipſiuſmet Platonis. Eo autem tempore, quo hæc ſcribuntur à Clemente, nondum luſtrali aqua aſperſus erat, cùm hæc in ſequentibus libris poſteà perfundatur. Itaque mirum non eſt, tunc temporis in eo errore fuiſſe,* quem præ ſe ferunt verba priora.

85 S. Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone Iudæo cenſet, *bonorum quidem animos in amæniore aliquo loco manere; malorũ autem, & improborum in triſtiore, in quo Iudicij diem expectent.* Adiicit, *Qui dicunt, non eſſe reſurrectionem mortuorum, verùm ſimul atque moriantur, animas ipſorum in cœlum recipi; ne tamen exiſtimetis, eſſe Chriſtianos.* Præterea ibidem hæc habet, *Animas ſuperſtites manere etiam eo demonſtrauerim, quòd & Samuelis animam ventriloqua Pythoniſſa, ita vt Saul petierat, euocauit. Apparet*

Digitized by Google

autem ad eum modum omnes animas virorum Iuſtorum, & Prophetarum ſub poteſtatem eiuſmodi virtutum cadere, qualem & in ventriloqua illa fuiſſe rebus ipſis declaratur. In explicatione quæſtionis 60. propoſitæ à Gentibus ait, narrationem de Diuite, & Lazaro non eſſe veram hiſtoriam. *Neque enim ante reſurrectionem vnicuique ex his, quæ in vita geſſit, præmium redditur.* In explicatione quæſtionis 75. *Poſt animi à corpore exceſſum ſtatim fit bonorum, malorúmque diſtinctio. Ducuntur enim ad loca, quæ eis digna ſunt ab Angelis; bonorum quidem animi in paradiſum, vbi conſuetudo eſt, & aſpectus & Angelorum, & Archangelorum: viſio verò etiam Conſeruatoris Chriſti, ex verbis his, Peregrinantes à corpore, & præſentes apud Dominum. Improborum autem animi ad Inferorum loca :::. Cuſtodiuntúrque in locis ipſis dignis, vſque ad Reſurrectionis, & remunerationis diem.* Quæſtio 76. propoſita S. Iuſtino huius fuit generis, *Si ante reſurrectionem nulla ſunt operum præmia, qui fructus fuit Latroni cùm in paradiſum eius animus introductus eſt?* cui quæſtioni ſic reſpondet, *Hoc Latro conſequutus eſt, cùm in paradiſum intrauit, quòd reipſa fidei emolumentum, fructúmque cognouit, qua dignus habitus eſt cœtu beatorum, in quo cuſtoditur vſque ad reſurrectionis, remunerationiſque diem. Habes itaque paradiſi ſenſum, intelligentiæ ſenſus, qui dicitur, quo animi & ſe ipſi vident, & quæ ſunt ſub ipſis, & præterea Angelos, atque Dæmones. Nam nec intelligit, nec videt animus animum, nec Angelus Angelum, nec Dæmon Dæmonem, ſed intelligentiæ ſenſu, quem dixi, & ſe ipſi vident, & alij alios vltrò, ac citro, & præterea omnia, quæ ad corpus pertinent,*

86 Ex his teſtimoniis, & alio indicando n. 13. ſequentis Exercit. videtur conſtare S. Iuſtinum non aliud domicilium, quàm Paradiſi terreſtris, conceſſiſſe Iuſtorum animabus ante Iudicij diem. Et ita notatur à Suario 3. p. q. 53. in comment. art. 3. v. *Poſterior ſententia.* Ægidius Luſitanus ſumit etiã indicium exinde, quòd S. Iuſtinus fuerit Chiliaſta, ſeu adhæſerit errori de Millenario regno Chriſti, & electorum reſurgentium in terrena Hieruſalem reſtituta ante reproborum reſurrectionem, & vniuerſale Iudicium. Verumtamen etſi ex hoc errore deuentum eſſe in alium de non adeundo à Iuſtis cæleſti regno ante generale Iudicium, ſuſpicetur Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 3. non adeò manifeſtè mihi apparet neceſſitas illationis ex vno errore ad alium; maximè ſi in regno millenario non cibi & potus, voluptatúmque carnalium, ſed delitiarum tantùm ſpiritualium diceretur futurus vſus, vt dixerunt plerique ex Patribus Chiliaſtis. Si enim iuxta hos Chriſtus deſcenſurus eſſet è cœlo, & glorioſus animo, ac corpore Principatum teneret in mundiali Hieruſalem reparata, cur penes eoſdem animæ Iuſtorum non deſcenderent ſimiliter, & glorificatis corporibus vnitæ fruerentur ſpiritualibus deliciis. Bellarminus, Valentia, Vaſquez, Lorca, & alij ſuſcipiunt defenſionem S. Iuſtini, nituntúrque interpretari verba ex libro quæſtionum. Ego potiùs aſſererem, hunc librum non eſſe S. Iuſtini, vt doceor ab ipſomet Bellarmino, in opere de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Sed adhuc cum Tryphone Dialogus, qui eſt indubitatus fætus S. Iuſtini, non leuem ingerit difficultatem.

87 S. Irenæus lib. & cap. 5. aduersùs hæreſes, cùm ſtatuiſſet Henochum, & Eliam tranſlatos eſſe in Adamicum paradiſum, ſubiungit, *Quapropter dicunt Presbiteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos, qui tranſlati ſunt, illuc tranſlatos eſſe. Iuſtis enim hominibus, & ſpiritum habentibus preparatus eſt Paradiſus, in quem & Paulus Apoſtolus aſportatus audiuit ſermones inenarrabiles, quantùm ad nos in præſenti; & ibi manere eos, qui tranſlati ſunt, vſque ad conſummationem coauſpicantes incorruptelam.* Ita S. Irenæus, quẽ in his verbis tradere Iuſtorum animas detineri in Paradiſo terreſtri vſque ad diem Iudicij, adnotarunt Pererius, & Viegas. Cæterùm Maluenda c. 83. de Paradiſo, vult addita per parentheſim verba illa, *Iuſtis enim,* vſque ad *Quantùm ad nos in præſenti,* intelligenda iuxta ipſum de Paradiſo cæleſti.

88 Alius eſt locus implexus Irenæi in cap. 31. ait enim ibi, *Si ergo Dominus legem mortuorum ſeruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & commoratus vſque ad tertium diem in inferioribus terræ, poſt deinde reſurgens in carne, vt etiam figuras clauorum oſtenderet diſcipulis, ſic aſcendit ad Patrem; quomodò non confundentur, qui dicunt, Inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundùm nos, interiorem autem hominem ipſum, derelinquentem hìc corpus, in ſupercæleſtem aſcendere cœlum? Cùm enim Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, poſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionẽ aſſumptus eſt, manifeſtũ eſt, quia & diſcipulorũ eius, propter quos, & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inuiſibilem locum definitum eis à Deo, & ibi vſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem; poſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt, corporaliter, quemadmodùm & Dominus reſurrexit, ſic venient ad conſpectum Dei.* Bellarminus, Feuardentius, & alij diſcurrunt beneuolè pro ſana Irenæi mente in hoc loco; quæ alibi aliquantulùm ſe prodit. Nam lib. 1. cap. 2. inquit, *Iuſtis autem, & æquis, & præcepta eius ſeruantibus; & in dilectione eius perſeuerantibus, quibuſdam quidem ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet.* Et lib. 2. cap. 63. *Per hæc manifeſtiſſimè declaratum eſt ::: dignam habitationem vnamquamque gentem percipere, etiam ante Iudicium.* At Ægidius Luſitanus, & Petauius non mouentur his teſtimoniis, obiiciúntque, Chiliaſtarum errore laboraſſe Irenæum. Iam dixi, nihil exinde inferri; & nolim nimius eſſe, aut in interpretandis benignè ſanctorum Patrum verbis contra planum litteræ contextum, aut in exagitandis, & accuſandis acerbè. *Nam quemadmodùm calumniantium eſt ex dubiis, & obſcuris, quæ certa, & manifeſta ſunt, malè interpretari; ita ſolitum eſt prudentiæ, & pietatis ex indubitatis, atque euidentibus & firmare ambigua, & latentia declarare,* vti prudenter monet Facundus Hermianenſis lib. 9. pro defenſione trium Capitulorum Chalcedonenſis Concilij cap. 5. & S. Anſelmus de Sacramento altaris parte poſteriori c. 13. laudat Eccleſiaſtici Doctoris lectorem, *qui ſi quid in eo quaſi dubium, & ſcrupuloſum inuenerit, non ſtatim iſtud exercendo inuadit, ſed inſpicit, & diſcernit, & retractat ex circumſtantiis, & ex ſcriptis eiuſdem Authoris; & ad vltimum priùs eligit ſe ignorare, quàm illi erroris notam impingere.*

89 Sed antequam è manibus deponam S. Irenæũ, ſciat meus lector, Apoſtolorum diſcipulos, quorum meminit S. Irenæus in priori teſtimonio, Papiam eſſe, & alios contemporaneos; & de Papia ſcribi ab Euſebio lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ c. 39. *ſpirituales, & myſticas Apoſtolorum traditiones corporaliter, & ſecundùm litteram accepiſſe, neque potuiſſe diſcernere ea, quæ illi in figuris velut lactentibus, & paruulis loquebantur; qui & reuera ex ipſis, quæ conſcripſit opuſculis, exigui ſenſus vir, & minus*

capacis

capacis oſtenditur. Id de Papia notum velim, ne ex diſcipulatu Apoſtolorum, maior, quàm æquum ſit, authoritas ineſſe putetur teſtibus allegatis ab Irenæo in prioribus verbis, ſi Catholicæ doctrinæ non faueant. Fortè quia Papias Epiſcopus fuit Hierapolitanus, non is, ſed Ioannes Presbyter dictus ſenior, cui falsè nonnulli tribuerunt epiſtolas duas poſteriores S. Ioannis Apoſtoli, indicatur ab Irenæo. Sed & de iſto Ioanne ſeniore idem fermè, quod de Papia, dicendum eſſet.

90 Tertullianus apertiſſimè, & frequentiſſimè detrudit cœlo animas ante diem Iudicij. Iam Sanctorum animas locat in ſinu Abrahæ, vt libro 4. aduerſus Marcionem capite 34. & libro de Anima capite 7. & 55. ac 56. Iam in Paradiſo terreſtri, vt capite 47. Apologetici, & capite 22. de Pœnitentia. Iam ſolis Martyribus incolatum Paradiſi permittit capite 33. de Reſurrectione carnis, & capite illo 55. de Anima, vbi ſic fatur, *Quomodò ergo anima exhalabit in cœlum, Chriſto adhuc illic ſedente ad dexteram Patris, nondum Dei iuſſu per tubam Archangeli audito, nondum illis, quos Domini aduentus in ſæculo inuenerit, obuiam ei raptis in aërem, cum his, qui mortui in Chriſto, primi reſurgent? Nulli patet cœlum, terra adhuc ſalua, ne dixerim clauſa cum tranſactione enim mundi reſerabuntur regna cœlorum. Sed in æthere dormitio noſtra cum pueris Platonis, aut in aëre cum Ario, aut circa Lunam cum Endymionibus Stoïcorum. Imò inquis in paradiſo, quò iam tunc & Patriarchæ, & Prophetæ appendices Dominicæ reſurrectionis migrauerint: & quomodò Ioanni in ſpiritu paradiſi regio reuelata, quæ ſubiicitur altari, nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit: quomodo perpetua fortiſſima Martyr ſub die paſſionis in reuelatione paradiſi, ſolos illic Martyres ſuos vidit, niſi quia nullis romphæa paradiſi ianitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint. Non in Adam noua mors pro Deo, & extraordinaria pro Chriſto, alio, & priuato excipitur hoſpitio. Agnoſce itaque differentiam Ethnici, & fidelis in morte, ſi pro Deo occumbas, vt Paracletus monet, non in mollibus febribus, & in lectulis, ſed in Martyriis, ſi crucem tuam tollas, & ſequaris Dominum, vt ipſe præcepit. Tota paradiſi Clauis tuus ſanguis eſt.* Congerit alia complura Tertulliani loca Iacobus Pamelius in Paradoxo 9. contenditque, vt in Annotatione 606. ad librum de Anima, non ſenſiſſe, Animas Sanctorum gloria diuini intuitus carere vſque ad Iudicium vniuerſale. Sed non facilè ſuadebit. Et quoad exiſtentiam extra cœlum, relinquit indefenſum Tertullianum, qui tamen libro de Patientia capite 13. & in Scorpiaco aduerſus Gnoſticos capite 10. exiſtentiam in cœlo innuere videtur. Agam iterùm de Tertulliano in numero 112.

91 S. Athanaſius quæſt. 37. ad Antiochum ait, *Sancti Apoſtoli Chriſtianorum Eccleſias, ideo iuſſerunt Orientem verſus ſuas preces fundere, vt ad paradiſum, vnde excideramus, reſpicientes, ſuppliciter à Deo petamus, & à noſtro Domino, vt in antiquam nos patriam, & locum, vnde excidimus, reſtituere velit.* Eandemmet rationem exhibent ſanctus Gregorius Nyſſenus orat. 5. de Oratione Dominica. S. Damaſcenus libro 4. de Fide Orthodoxa capite 13. ſanctus Germanus in theoria rerum Eccleſiaſticarum, & quidam Seuerus apud Moſem Barcepham parte prima de Paradiſo capite 13. Poſſet quis ex Suario tomo 4. in 3. part. diſp. 46. ſect. 4. num. 9. exponere hos Patres, non de materiali loco, in quo Adam peccauit, ſed de præcipuo paradiſo cœleſti, quem in Adam perdidimus, & per Chriſtum, ac eius gratiam recuperauimus. Poſſet ſimiliter interpretari S. Sidonium Apollinarem, & S. Alcimum, dum primus lib. 7. ep. 17. alloquitur neſcio quem defunctum,

Iam te circumſtant paradiſi millia ſacri,
Abraham iam te comperegrinus habet.
Iam patriam ingredieris; ſed de qua decidit Adam.

Et dum ſecundus lib. 3. precatur Deum,

Inuida, quos hoſtis paradiſo depulit ira,
Fortior antiquæ reddat tua gratia ſedi.

Item S. Ambroſium, & S. Gregorium Magnum, quorum prior in Lucam ſcribit, *Illuc redeundum eſt nobis, vnde eiectus eſt Adam.* Et poſterior apud Dionyſium Carthuſianum in Tract. de particulari Iudicio ſingulorum art. 31. *Quoniam primus homo per vetiti eſum ligni perdidit paradiſum, illuc introduci non poſſumus, niſi per abſtinentiam ſalutarem.*

92 Reuertor ad S. Athanaſium, qui in quæſtionibus variis ex epiſtolis Pauli quæſt. 131. ſic fatur, *Omnes iſti teſtimonium promeriti per fidem nondum acceperunt promiſſiones. Omnes videlicet iſti Sancti teſtimonium ſunt promeriti, quòd placuerint Deo, & ſi nondum fruantur gaudio regni cœlorum, & eorum bonorum, quæ promiſſa ſunt iuſtis, ſed expectant ſecundum aduentum, vt tunc coronentur omnes in vno horæ momento. Nam hoc eſt, quod inquit Apoſtolus, quòd Deus de nobis melius quiddam prouiderit, ne ſine nobis conſummarentur. Nam ante conſummationem omnium Sanctorum non accipiunt iſti vel dimidiam partem promiſſorum bonorum.* Germana ſunt, quæ habet quæſt. 20. & 21. ad Antiochum; cum in quæſt. 19. dixiſſet, *Iuſtorum animæ poſt Chriſti aduentum, & mortem id, quod de Latrone in Cruce didicimus, in paradiſo ſunt. Non enim propter ſolam Latronis animam Chriſtus Deus noſter paradiſum aperuit; ſed etiam ob reliquas Sanctorum animas.* Videtur intelligendus de paradiſo terreſtri in his verbis, niſi pro cœleſti præualeant alia, quæ ex quæſt. 33. tranſcribentur in num. 18. Exercit. 33. Vbi ex lib. de Virginitate apponentur quædam ſatis conformia Catholicæ doctrinæ. Sed cùm non immeritò dubitetur, an opera hîc citata legitima ſint, vel ſuppoſititia; Licet quæſtiones ad Antiochum ſub nomine ſancti Athanaſij memorentur à Ioanne Cypariſſiota decade 2. capite 8. ab Anaſtaſio Nicæno, vel potiùs Antiocheno, & à S. Damaſceno apud Franciſcum Turrianũ in proœmio ad conſtitutiones Apoſtolicas; tutiùs allegatur S. Athanaſius pro ſententia Catholica, dum in vita S. Antonij cap. 32. refert eum vidiſſe Ammonis animam *deferri ab Angelis in cœlum*; & id ipſum narratur à Ruffino in vitis Patrum cap. 30. Sozomeno lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 14. Socrate lib. 4. capite 18. Palladio in Lauſiaca cap. 7. atque 8. Et hic cap. 27. locat Sanctorum animas in Paradiſo, quin declaret cœleſtiſne ſit, an terreſtris. Sed quia ſæpiſſimè eas in Cœlo ponit, intelligi non debet de terreſtri. Rurſus notum eſt, quid de Pauli Eremitæ anima viſa ab Antonio in cœlum abire, tradat S. Hieronymus, & quid S. Athanaſius de Angelis ſanctis deſcendentibus ad perferendam in cœlum animam S. Antonij. Item Athanaſius in vita S. Syncleticæ cap. 15. ait accepiſſe regnum cœlorum in præmium certaminum. Extat ea vita apud noſtrum Ioannem Bollandum in Actis Sanctorum die 5. Ianuarij.

93 S. Methodius Epiſcopus Tyrius, & Martyr apud S. Epiphanium hæreſi 64. vult, *paradiſum, vnde in primo parente eiecti ſumus, ex hac terra*

palàm

Digitized by Google

palàm locum eximium eſſe, ad iucundam quietem, & vitam meliorem Sanctis deſtinatum. Moſes Barcepha Epiſcopus Syrus parte 1. de paradiſo cap. 18. perſuadet ſibi, *ex illo tempore* (quo Adam, & Eua paradiſo pulſi ſunt) *vſque ad Chriſti aduentum verſatos eſſe in paradiſo Henoch, atque Heliam; at verò poſt Chriſti Regis aduentum huic præterea rei ſeruire, vt in ipſo habitent animæ hominum Iuſtorum, piorúmque, atque eorum, qui per corporis ſui cruciatus Chriſti fidem comprobauerunt, quique fideles Deum amarunt, exutæ corporibus vſque ad reſurrectionis diem; quod in eo ſermone oſtendimus, quem de anima fecimus. Nam Latronis animam eò ſubuexit Dominus.* Hactenùs Barcepha, qui floruit ſæculo Nono, vel decimo.

94 Olympiodorus Monachus Græcus in cap. 3. Eccleſiaſtis v. 16. pronuntiat, *Nulli dubium, quin in paradiſo, & in cœlis futuri ſint Iuſti ::: Digna ſanè inquiſitu res eſt, vbinam ſub Sole Iuſti, vita functi, collocentur? Conſtat autem, quòd in paradiſo, cum dixerit Chriſtus Latroni, Hodie mecum eris in paradiſo. Sciendum eſt, quod litteralis traditio, paradiſum docet eſſe in terra. Nonnulli verò dixerunt, quòd paradiſus etiam eſt in Inferno, id eſt, ſubterraneo loco; ad quam ſuam opinionem illud accommodant Euangelium, Diues Lazarum videt, ipſe tamen in inferiore demerſus, cùm Lazarus eminentiori eſſet in loco, vbi eſſet Abraham. Aliis autem placuit, paradiſum eſſe in cœlis.* Sic ibi. Et rurſùs ad c. 11. v. 3. *In quocumque loco ſiue illuſtri, ſiue tenebricoſo, hoc eſt, ſiue in turpi ſcelerum ſtatione, ſiue in honeſta virtutum deprehendatur homo, cum moritur, in eo ordine, atque gradu permanet in æternum. Nam vel requieſcit in lumine felicitatis æternæ cum iuſtis, & Chriſto Domino; vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & Principe eorum Diabolo.* In his verbis approbat iuſtorum in paradiſo cæleſti ſtationem Olympiodorus; quem vixiſſe ſæculo vndecimo credit Bellarminus, licet Coccius quinto, & alij nono coniecturent.

95 Claudianus Mamercus lib. 3. de ſtatu animæ cap. 8. fatetur Fauſtum Regienſem *non vſquequaque improbabili ſententia dicere, animas Sanctorum in intimis Paradiſi ſedibus habitare.* Ita Claudianus Mamercus; cui ſæpè allegato in 1. parte huius operis titulum Sancti præfixi per inaduertentiam, ſed venialem. Nam cùm Mamercus Epiſcopus Viennenſis, inſtitutor Rogationum ante Aſcenſionem Domini celebretur ab Eccleſia inter Sanctos die 11. Maij, & huic Mamerco Trithemius, Bellarminus, & alij tribuant libros de ſtatu animæ, excuſabile eſt, Sanctum vocaſſe Claudianum, qui non nomine, ſed cognomento (vt Sirmondus notat ad epiſt. 2. l. 4. Sidoniani) dictus eſt Mamercus, ſeu potiùs (obſeruante eodem Sirmondo epiſt. 1. l. 7.) Mamertus; qui tamen diuerſus eſt à Mamerco Epiſcopo Viennenſi, licet eius fuerit Germanus, & Præsbiter etiam Viennenſis, virque probitatis magnæ, & cuius cineres Baronius anno 490. n. 38. appellat ſacros. Quo tempore ſecundam hanc operis partem refingo, miſſa iam eſt prima ad Typographum; ſed quia is à me admonitus forſan non delebit titulũ Sancti tot in locis, quot reperitur, dum Claudianũ nomino; viſum eſt cautionẽ hanc apponere: nam etſi multi ex Scriptoribus valdè liberales ſint in eo Sancti titulo elargiendo veteribus Patribus, quorum etiam obitus in fide Catholicæ Eccleſiæ non eſt admodùm conſtans, nollem ego vlli concedere, quantumuis laudatæ doctrinæ, & vitæ, niſi præeunte Romana Eccleſia in ſuis Faſtis.

96 Ioachimus Abbas 2. p. Expoſitionis in Apocalypſim c. 5. v. 3. ait, *eſſe paradiſum cæleſtem, vbi Chriſtus permanet cum Sanctis ſuis, & paradiſum terreſtrem ::: nemo quis dubitet. In quo videlicet paradiſo terræ animas fidelium, quæ delicta peccatorum exoluerunt vſque ad diem Iudicij requieſcere non incongruè forſan à compluribus opinatur.* Nicetas Choniates in vita Emmanuelis Imperatoris Orientalis lib. 1. ſcribit: Conradum Imperatorem Occidentalem acuiſſe milites ad bellum his verbis, *Neque enim iniuſtus eſt Deus, vt huius viæ cauſam ignoret, aut immortalia prata, & vmbroſa Edem domicilia non retribuat nobis, qui relictis ædibus pro ipſo mortem oppetere, quàm viuere maluimus.* Omitto Nicephorum Calliſtum exaratum iam n. 30. Exercit. 19. Titum Boſtrenſem in cap. 16. & 33. Lucæ, Authorem hiſtoriæ Apoſtolicæ ſub nomine Abdiæ Babylonici lib. 7. Iſidorum quendam apud Corderij catenam in cap. 17. Lucæ, v. 37. S. Eulogium Alexandrinum apud Photium in Bibliotheca Codice 230. Seuerianum Gabalenſem oratione 5. de Coſmopæria, S. Ephremum Syrum apud S. Damaſcenum in Eclogis lit. T, tit. 31. Anaſtaſium Nicænum, vel Antiochenum in ſcripturam q. 73. & 90. ac 91. vt terminem hanc claſſem carminibus S. Paulini, & Prudentij,

97 Primus in epiſtola 12. ad Seuerum in Epitaphio S. Clari dubius eſt circa locum eius animæ,

Sed quia tu non hac, qua corpus, ſede teneris,
Qui meritis, ſuperis, ſpiritus inuolitas.
Siue Patrum ſinibus recubas, Dominive ſub ara
Conderis, aut ſacro paſceris in nemore;
Qualibet in regione poli ſitus, aut paradiſi,
Clare, ſub æterna pace beatus eris.

Secundus lib. Cathemerinon hymno 10. in Exequiis defunctorum, deſignat ſtationi ſanctarum animarum ſinum Abrahæ, vel paradiſum Adamicum, dum reſolubile corpus reuocat Deus, atque reformat. Dedi verſus in Exercit. 18. n. 113. Canit etiam in Hamartigenia contra Hæreſim Duitarum, ſeu Marcionis,

At diuerſa procul regionibus in paradiſi
Præmia conſtituit Maieſtas gnara futuri
Spiritibus puris, & ab omni labe remotis.

Et poſteà,

Tunc poſtliminio redeuntem ſuſcipit alto
Cana fides gremio, teneriſque oblectat alumnam
Delitiis, multos poſt diuerſoria carnis
Ore reſonantem querulos, quos paſſa, labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis ſpirantes libat odores,
Ambroſiúmque bibit roſeo de gramine rorem.

Prætereà in hymno decem & octo Martyrum Cæſarauguſtanorum,

Hæc ſub altari ſita ſempiterno
Lapſibus noſtris veniam precatur
Turba, quam ſeruat procerum creatrix
Purpureorum.

Sed tamen de Prudentio dicunt Bellarminus, Valentia, Ægidius Luſitanus, & alij loquutum eſſe more Poëtico, quatenùs per ea tria loca ſignificarit figuratè cæleſtem beatitudinem. Equidem vterque Vates non infrequenter in ſolo cælo meditatur Martyrum animas. Primus in Natali 3. de S. Felice.

—————— Corpore terris.
Occidit, & Chriſto ſuperis eſt natus in aſtris,
Cæleſtem nactus ſine ſanguine Martyr honorem,
Florentem gemina belli, paciſque corona.

Secundus de S. Eulalia Emeritenſi, cuius corpus miraculis clarum colitur Oueti in Aſturicenſi Principatu, tranſlatum Emeritâ Prauiam à Sylone Rege, & inde Ouetum ab Alfonſo Caſto,

Virgo

Digitized by Google

Virgo citum cupiens obitum
Appetit,& bibit ore rogum,
Emicat inde columba repens,
Martyris os niue candidor
Viſa relinquere,& aſtra ſequi
Spiritus hic erat Eulaliæ.

Qui ſæpe alias viſus eſt in columbæ ſpecie niuei candoris, vt narrant Paulus Diaconus Emeritenſis de vita, & miraculis Patrum Emeritenſium c.14. S.Gregorius Turonenſis l.1. de gloria Martyrum c.91. De S.Fructuoſo,& Sociis idem Prudentius,

Vidit præſidis ex domo ſatelles
Cœlum Martyribus patere apertum
Inſignéſque viros per aſtra ferri.
Quin & filiolæ monens herili
Oſtendit ſceleris notam paterni,
Cœlo viuere quos forum peremit.

De S.Agnete,

O Virgo felix, ô noua gloria
Cæleſtis arcis nobilis incola.

Et quando de B.Agnete ſucceſſit ſermo, audiantur quæ ipſa dixerit ſuis parentibus, *Videte ne me quaſi mortuam lugeatis,ſed congaudete mihi, & gratulamini, quia cum his omnibus* (Virginibus) *lucidas ſedes accepi. Et illi ſum iuncta in cœlis, quem in terris poſita totâ animi intentione dilexi.* Sic legimus in ſerm.90. S.Ambroſij. Audiatur etiam S.Maximus in homilia de eadem Virgine, *Ille nobis tribuat indulgentiam peccatorum, qui tibi tuorum laborum tradidit palmam.*

SECTIO XIV.

Septima Claſſis eorum,qui Sanctorum animas aut in Inferis, aut in alio ſubcæleſti loco ſine viſione beata cuſtodiendas vſque ad diem Iudicij pronuntiant.

98 S.Victorinus Epiſcopus Pictauienſis,& Martyr in c.6. Apocalypſis inquit, *Sub terra eſt Infernus, remota pœnis, & ignibus regio, & requies ſanctorum; in qua quidem ab impiis videntur, & audiuntur Iuſti; & neque illuc tranſmeare poſſunt. In nouiſſimo tempore ventura eſt ſanctorum remuneratio.* Sic S.Victorinus,ſi eius ſit Commentarius, qui in Apocalypſim extat, dubitat enim,& meritò Bellarminus.

99 Andreas Epiſcopus Cæſarienſis cap. 17. in Apocalypſim ait, *Candidæ ſtolæ virtutum ſplendorem, qui illuſtris in Sanctis exiſtit,inſinuant: quo ſplendore iam vndique nunc ſunt circumfuſi,etiamſi promiſſorum bonorum hæreditatem necdum adepti ſint. Eorum itaque bonorum ſpe, quæ ſpiritali oculo nunc contemplantur,ab omni intereà craſſitudine exuti, meritò lætantur, nec non in Abrahæ Sinu pacatè requieſcere feruntur. Multorum namque Sanctorum ſententia eſt, vnum quemlibet virtutis cultorem locum factis ſuis dignum poſt hanc vitam ſortiri,ex quo de gloria ſibi præparata certam coniecturam facere valeat.* Germana ſunt quæ habet c.44. & ex ipſo Arethas Epiſcopus etiam Cæſarienſis.

100 In Nouatiano lib. de Trinitate c.1. hæc leguntur, *Quæ infra terram iacent, neque ipſa ſunt digeſtis,& ordinatis poteſtatibus vacua,locus enim eſt, quò piorum animæ,impiorúmque ducuntur futuri Iudicij præiudicia ſentientes.* Sed de Nouatiano hæretico nihil curandum.

101 Lactantius lib.7. diuinarum Inſtitutionum c.21. ſcribit, *Omnes animæ in vna, communíque cuſtodia detinentur, donec adueniat tempus, quo maximus Iudex meritorum faciat examen: tunc quorum fuerit probata iuſtitia,ij præmium immortalitatis recipient.* Vbi nam ſit communis illa cuſtodia non declarat Lactantius, cuius libri inter Apocryphos proſcripti ſunt à Gelaſio Papa, vt qui multis erroribus ſcateant.

102 Caſſiodorus lib.de Anima cap.19. loquitur eodem ferè modo ac Lactantius, nam quærentibus *quid poſt hoc ſæculum animæ noſtræ agant, qualéſque permaneant?* Reſpondet, *vt diuerſa lectione collegi, mortem, eſſe animæ corporiſque factam reſolutionem, vitæ huius abſentiam, prorſus abhorrentem carnis deſideria,vel neceſſitates. Nam cum fuerimus hac luce imperio Creatoris exuti,ſimul corporis appetitiones,& imbecillitates amittimus. Non enim vlterius labore frangimur, non cibo reficimur,non ieiunij diuturnitate quaſſamur; ſed in animæ noſtræ natura iugiter perſeuerantes,nihil boni, malíque facientes, ſed vſque ad tempus Iudicij, aut præteritorum actuum prauitate mœremur,aut de operationis noſtræ probitate lætamur. Tunc autem recipiemus factorum omnium pleniſſimum fructum,quando voce Domini,aut repudiati fuerimus, aut ad regnum perennitatis admiſſi.*

103 Ex Liturgia S.Iacobi,vbi ſacerdos orat, *Memento Domine Deus noſter, ſpirituum, & vniuerſæ carnis, quorum memoriam egimus,& quorum non exigimus, orthodoxorum, ac rectè de fide ſentientium ab Abel iuſto,vſque ad hodiernum diem,fac eos requieſcere in regione viuentium in regno tuo, & delitiis paradiſi in Sinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob Sanctorum Patrum noſtrorum, vnde exulat dolor,triſtitia,& gemitus, vbi præſides lumen vultus tui, & perpetuò refulget &c.* Ex ea,inquam,Liturgia deſumi poſſe teſtimonium contra Catholicam Doctrinam ſuſpicantur Sixtus Senēſis lib.6.Bibliothecæ Sanctæ annotatione 345. & Medina in 1.2.q.4. art. 5. nam in appoſitis verbis, quibus ſimilia alia extant lib.8. Conſtitutionum Apoſtolicarum c.47. videtur ſignificari orationem Sacerdotis eò dirigi, vt Iuſtorum animæ ab Abel vſque ad illum diem exiſtentes in aliquo loco ſecreto extra cælum, extrahantur inde à Deo, & deferantur ad regionem viuentium, ad cæleſte regnum, & paradiſum. Sed vt aduertit non ſemel Nicolaus Cabaſilas in Expoſitione Liturgiæ, & præſertim c.49. orat ibi Sacerdos pro animabus exiſtentibus in Purgatorio, ſi fortè contigerit,addit Salas n.58. nōnullas in eo manſiſſe ab initio mundi; ſicut nonnullæ vſque ad finem manebunt, cum iam ibi multis retrò annis demorentur, vt ex viſionibus probatis confirmant Henriquez lib.7. ſummæ cap.16. Duuallius tract.de quatuor Nouiſſimis q.2.art.6. pag.525.aliámque non poſtremo loco habendam addere nos poſſemus cum P.Andrea Pinto in M.S. vita celeberrimæ Virginis Marianæ de Eſcobar.

104 S.Hilarius in Pſalm. 138. explicans illum verſ.18. *Si deſcendero in Infernum, ades,* Subdit, *Humana iſta lex neceſſitatis eſt, vt ſepultis corporibus ad inferos animæ deſcendant: quam deſcenſionem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſauit.* Communiter Reſpondetur, S.Hilarium loqui pro tempore veteris teſtamenti, quando Chriſtus nondum remearat ex Inferis. Vt tamen dubitem de ſinceritate huius interpretationis, faciunt alia eiuſdem Hilarij verba in Pſ.120. v.8. in quo Regius vates inquit, *Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum ex hoc nunc,& vſque in ſæculum.* Et anteà in v.6. dixerat, *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.* En iam Hilarij verba, *Non tēporis huius*

&

Digitized by Google

& ſæculi eſt iſta cuſtodia, non aduri Sole, atque Luna, & ab omni malo conſeruari, ſed futuri boni expectatio eſt; cùm exeuntes de corpore ad introitum illum regni cœleſtis per cuſtodiam Domini fideles omnes reſeruabantur in ſinu ſcilicet interim Abrahæ collocati: quo adire impios interiectum chaos inhibet, quouſque introeundi rurſum in regnum cœlorum tempus adueniat. Cuſtodit ergo Dominus exitum, dum de corpore exeuntes, ſecreti ab impiis, interiecto chao, quieſcunt. Cuſtodit & introitum, dum nos in æternum illud, & beatum regnum introducit. Huc vſque S. Hilarius, qui in Pſalm. 62. v. 10. inſiſtens forſan eidem menti ſcribit, impios ideò dici introituros inferiora terræ, *quia Chao inuio ſeparantur à Sanctis.*

105 Sed licet in his locis S. Hilarius ægrè reduci queat ad ſanum ſenſum; in aliis tamen quatuor allatis à Bellarmino, & Ægidio Luſitano ex enarrationibus in Pſalm. 2. 60. 64. & 124. ſtat pro vera ſententia. Adiicio ego tria. In Pſalm. 53. inquit, *Habeat itaque hanc innocens religio fiduciam, vt inter humanas inſectationes, & animæ pericula adiutorem ſibi Deum eſſe non ambigat, & ſi quando iniuſtè mortis vis affertur, excedentem habitaculo corporis animam ſciat in Dei ſuſceptione requieſcere.* In Pſal. 58. *Deſcendente* Chriſto *ad Inferos, Sanctos eius Inferi non tenent.* In Pſalm. 65. *Alij* Martyres *in profundum demergendi, non in aquas necaturæ, ſed in refrigerium æternæ beatitudinis decidunt.*

106 Procopius Gazæus in Geneſ. cap. 42. ſic fatur, *Negleba quidem terra ipſis aſſignata eſt, priuſquàm apportaſſent Patrem Iacobum. Sic Chriſtus accipiet cum nouo populo Iſraelitas, ſed non abſque Sanctis Patribus; ſors, quam ſperamus, dabitur nobis, quemadmodùm illis. Quemadmodùm illi, quamuis ſecundùm fidem mortui non aſſequuti ſunt promiſſiones, ſecundùm Diuum Paulum, Deo aliquid maius de nobis prouidente, ſcilicet ne abſque nobis conſummentur, ſic nos expectabimus viciſſim Patres: vnà enim omnes potiemur regno cœlorum, quamuis diuerſi ſimus temporibus, & plurimùm diſtemus.* Eandem redolent mentem alia eiuſdem Procopij verba recitata in anteceſſum à nobis ſect. 3. exercit. 2. Sed Procopius forſan exponi poteſt non aliter, ac S. Chryſoſtomus, & Theodoretus, de quibus in n. 114. & 115.

107 S. Auguſtinus in Pſalm. 36. ait, *Poſt vitam iſtam paruam nondum eris, vbi erunt Sancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, accipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: nondum ibi eris, quis neſcit? Sed iam poteris ibi eſſe, vbi illum quondam vlceroſum pauperem diues ille ſuperbus in medijs tormentis videt longè requieſcentem in illa requie. Certè ſecurus expectabis Iudicij diem, quando recipias corpus, quando immuteris, vt Angelo æqueris.* Lib. 12. de ciuitate Dei cap. 9. *Pars ciuitatis Dei, quæ coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, ſecretis animarum receptaculis, ſedibùſque requieſcit.* In Enchiridio cap. 109. *Tempus, quod inter hominis mortem, & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas in abditis receptaculis continet.* Lib. 9. confeſſionum c. 3. dubitat, quid illud eſt, quod ſignificatur Sinu Abrahæ, vbi beatè viuat ſui amici Nebridij anima lib. 1. retractationum cap. 14. anceps eſt etiam circa locum, in quo beentur animæ ante reſurrectionem corporum. Ita S. Auguſtinus.

108 Qui alibi perſpicuè, & ſine dubitatione fauit veritati, quam poſteà definiuit Eccleſia. Seligi ſolent aliqua inſigniora teſtimonia vltra ea, quæ nos adduximus in ſuperioribus. Primum ex enarratione in Pſalm. 119. v. 5. quò loci ſcribit: *Inter malos eſt quicumque peregrinatur à patria illa Hieruſalem cœleſti, vbi omnes boni; nec recedere à malis poteſt, niſi cùm redierit ad ſocietatem Angelorum, vt ibi ſit, vnde peregrinatur. Ibi omnes iuſti, & Sancti, qui fruuntur verbo Dei ſine lectione, ſine litteris: quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt, per faciem Dei illi cernunt.* Secundum ex epiſt. 57. ad Dardanum, quò loci habet: *Si enim populus Dei nondum factus æqualis Angelis adhuc in iſta peregrinatione dicitur Templum eius, quantò magis eſt Templum eius in cœlis, vbi eſt populus Angelorum, quibus aggregandi, & coæquandi ſumus, cùm, finita peregrinatione, quod promiſſum eſt, ſumpſerimus.* Tertium ex lib. Quæſtionum Euangelicarum q. 38. vbi ait, *Sinus Abrahæ requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum cœlorum, in quo poſt hanc vitam recipiuntur.... Sinus Abrahæ intelligitur ſecretum Patris, quò poſt paſſionem reſurgens aſſumptus eſt, quò eum portatum ab Angelis ideò dictum puto, quia ipſam receptionem, qua in ſecretum Patris abſceſſit, Angeli annunciauerunt diſcipulis intuentibus. Dicentes enim, quid ſtatis intuentes in cælum? Quid aliud dixerunt, niſi nullo modo poſſe oculos hominum vſque in illud penetrare ſecretum, quò ibat Dominus, cum in conſpectu Diſcipulorum ferretur in Cœlum? Iam cetera ſecundùm ſuperiorem expoſitionem accipi poſſunt, quia ſecretum Patris benè intelligitur, vbi etiam ante reſurrectionem iuſtorum animæ cum Deo viuant.* Hactenus S. Doctor, qui tamen interponit in medio quæſtionis hæc verba: *Quanquam illa receptio* (in æterna tabernacula) *vtrùm ſtatim poſt iſtam vitam fiat, an in fine ſæculi, & in reſurrectione mortuorum, atque vltima retributione Iudicij? non minima quæſtio eſt. Sed quandolibet fiat, &c.* Vnde teſtimonium hoc peremptorium non eſt. Quartum ex lib. 20. de ciuitate Dei cap. 15. vbi inquit, *Si enim non abſurdè credi videtur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud Inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret, profectò deinceps boni fideles effuſo illo pretio iam redempti prorſus Inferos neſciunt.*

109 His, & aliis teſtimoniis fiſus Granadus conatur interpretari primum in Pſalm. 36. quatenus loquatur S. Doctor de beatitudine conſummata, quam non habet homo ante reſurrectionem, etſi ſit in requie, & ſecura pace, ſignificata per locum, in quo viſus eſt Lazarus. Plures in ſecundo, & tertio teſtimonio percipiunt ſecretum cœleſte Patris ſub receptaculorum ſecretorum, & abditorum nomine. Pius quidem eſt Granadi conatus, ſed verborum contextui non admodùm aptus natus. Intelligentia aliorum non eſt tam impropria, quàm videtur Patri Salæ n. 58. Nam Theologi cum Magiſtro in 4. diſt. 45. edocti à S. Auguſtino numerant cœlum inter receptacula animarum poſt receſſum à corpore.

110 Circa S. Auguſtinum poſtremò animaduerterim, cum nuſquam negaſſe Sanctorum animabus viſionem Dei ante diem Iudicij, etſi multoties præbeat occaſionem exiſtimandi in illa fuiſſe opinatione, quòd poſt animarum ad corpora vnionem intenſior erit Dei viſio. Sic Viues, Bellarminus, Valentia, Leſſius, Ægidius Luſitan. q. 5. art. 2. §. 4. à n. 42. vſque 64. & hic perſuadet ſibi S. Auguſtinum, poſt depoſitam Millenariorum fabulam aliquando à ſe approbatam, vt fatetur lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 7. non dubitaſſe de loco, in quo ante reſurrectionem Sancti Deum intueantur. Gaudendum eſt, ſi Ægidius perſuaſionem ſuam ſufficienter apud

Digitized by Google

apud alios comprobet. Quo negotio diffidit Ferdinandus Velloſillus Epiſcopus Lucenſis, in lectione S. Auguſtini non peregrinus. Videatur eius quæſitum 4. ad 8. tomum.

111 Concilium Illibertitanum Prouinciale coactum anno 300. canone 34. decernit in hunc modum, *Cereos per diem placuit in cæmeterio non incendi, inquietandi enim ſpiritus Sanctorum non ſunt.* Vbi Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, inquit, *Ego facilè adducar, vt credam, Concilij illius Patres, opinonem, mentémque Tertulliani, D. Cypriani, & eorum, qui ea ætate florerent, ſequutos, qui animas Martyrum ſub altaribus hærere, & habitare, ibique dum eorum mortem Deus vlciſceretur, expectare ſenſerunt. Quoniam autem cereis ardentibus, igni, fumigationibus ſpiritus diuexari experientia ipſa animaduerterent, atque in eos magnam virtutem habere vim ignis, haud ſcio, an illi Patres vetuerint admoueri cereos ardentes, ne animæ Sanctorum, quæ ſub altari permanerent, admoto igne inquietarentur. Non alia mihi explicatio occurrit. Quæ poteſt vel inde refelli, quòd huic Concilio Errorem affingat. Sed huic obiectioni reſpondetur, in Concilio totius Africæ, Numidiæ, Mauritaniæ Patres decreuiſſe hæreticos eſſe rebaptizandos.* Hactenus Albaſpinæus.

112 Cuius explicatio ad Canonem illum poſtponenda eſt aliis præſtitis à Baronio, & Loayſa apud Seuerinum Binnium in notis, Baſilio Legionenſi part. 1. variarum quæſt. 2. Scholaſtica cap. 1. Ferdinando de Mendoza in lib. 3. de confirmando Concilio Illiberitano capite 1. & 3. Biuario in Commentario ad Chronicon anno 311. Bellarmino libro 2. de Purgatorio capite 19. Suario tomo 1. in 3. part. diſput. 55. ſect. 1. Duuallio tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt. 1. art. 9. pag. 503. Et inter has alias eſt præferenda, quæ dicit prohiberi vſum Cereorum ad Chriſtianorum ſepulchra, more, ritúque Gentilitio, quatenus non adhiberentur faculæ ardentes, demulcendis & delectandis ſenſibiliter luce animabus defunctorum; ritus enim ille non erat gratus ſpiritibus Sanctorum, ſed potiùs diſplicebat, & velut inquietabat. Quo ferè ſenſu dixit S. Ambroſius libro 2. epiſt. 9. per fletus, & lachrymas viuentium mœſtificari defuncti animam. Cur autem diurnis horis, & non nocturnis accenſio cereorum caueatur, examinant plerique ex citatis. Quapropter Patres Concilij Illiberitani longè fuerunt ab errore, quem ipſis impingit Albaſpinæus; nec niſi deſipuiſſent (quod abſit cogitare) poſſent timere ſpiritibus Sanctorum damnum aliquod ex cereis. Vt omittam Altaria, ſub quibus quieſcerent, non in cemeteriis, vbi prohibentur cerei, ſed intra templa extitiſſe & ignem cereorum tam fore nociuum noctu, quàm interdiu. Verba S. Cypriani in libris de lapſis, de bono patientiæ, & lib. 3. ad Quirinum, Tertulliani de Reſurrectione carnis capite 25. de Anima cap. 8. aduerſus Gnoſticos cap. 11. habentur tranſcripta apud noſtrum Ioannem Ludouicum de la Cerda cap. 43. Aduerſariorum ſacrorum num. 8. Sed in eis alludunt S. Cyprianus & Tertullianus ad cap. 6. Apocalypſis. Nec video, cur debeant accipi, vt ſonant, & non potiùs ad mentem S. Ioannis in Apocalypſi.

113 Quicquid verò ſit de Tertulliano, S. Cyprianus libro 2. epiſt. 4. ſtat manifeſtè pro Catholica ſententia, *Beati ſatis* (inquit) *qui ex vobis per hæc gloriarum veſtigia commeantes, iam de ſæculo receſſerunt, confectóque itinere virtutis, ac fidei ad complexum, & oſculum Domini, domino ipſo gaudente, venerunt:::Nunc eſt, fratres chariſſimi, vt memores mei ſitis, vt inter magnas, atque diuinas cogitationes veſtras, nos quoque animo, ac mente voluatis; ſimque in precibus, & orationibus veſtris, cùm vox illa purificatione confeſſionis illuſtris, & iugi honoris ſui tenore laudabilis ad Dei aures penetrat, & aperto ſibi cœlo de his ſubacti mundi partibus ad ſuperna tranſmiſſa impetrat de Domini voluntate, quod poſtulat.* Produximus alia teſtimonia in Exercitat. decurſu, legitúrque inſigne quoddam Moyſis, & Maximi, cæterorúmque Confeſſorum ad Cyprianum lib. 5. epiſt. 12. vbi Confeſſores Romani inquiunt: *Quid glorioſius, quidve felicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quàm inter ipſos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quàm inter ſæuientia ſæcularis poteſtatis varia, & exquiſita tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnificato corpore Chriſtum Dei filium etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu confiteri? quàm relicto mundo cœlum petiſſe? quàm deſertis hominibus inter Angelos ſtare? quàm impedimentis omnibus ſæcularibus ruptis in conſpectu Dei iam ſe liberè ſiſtere? quàm cœleſte regnum ſine vlla cunctatione retinere?* De ipſo S. Cypriano ſcribit S. Fulgentius in ſermone eius laudatorio, *Terrenis, ac moribundis membris exutus ad æterna præmia vitæ tranſmigrauit.*

114 In hoc Patrum albo deſiderabit aliquis S. Ioannem Chryſoſtomum. Sed ideò omiſſus à me eſt, quia animarum in cœlo exiſtentiam ante reſurrectionem in corpore àdeo aſſiduè repetit, vt altercandi de ipſius mente nullum locum relinquat. Cardinalis Bellarminus, & Sixtus Senenſis multa congeſſerunt teſtimonia. Addam ego vnum, vel alterum. In oratione de S. Philogonio ait: *Ille quidem ſubuectus in cœlum.* Sermon. de Martyribus imitandis: *Alios poſt vnum certamen ad alias palmas Dominus ſeruat; alios conſummato Martyrio iam coronat; alios victores detinet in exemplum; alios iam perfectos tranſmiſit ad cœlum.* Oratione 3. aduerſus Iudæos dicit de animabus Martyrum euolaſſe ad cœlos; & continuò ſubiungit, *Ante coronas ſuas expectatione coronarum alacres, ac geſtientes, eo quòd iam de futuro incerti eſſe deſierint.* Quæ verba accipienda proculdubio ſunt de coronis, ſeu gloria corporum: vt & ſimilia alia tranſcripta à Sixto Senenſi lib. 6. Bibliothecæ Sanctæ annotatione 264. & 335. ac 345. quicquid ſit, an S. Chryſoſtomus admittat, vel neget beatitudinem Angelorum, & animarum conſiſtentem in viſione clara diuinæ eſſentiæ ſiue ante, ſiue poſt diem Iudicij, nam quoad tanti Doctoris mentem variant Theologorum iudicia, & noſtrum nunc importunè interponeretur.

115 S. Chryſoſtomum ſequutus eſt in his omnibus Theodoretus, qui lib. 8. de Græcorum affectionibus ſcribit: *Si cœlum ſedes illorum eſt, qui piè vixerunt, hunc profectò finem ſui curſus Martyres iam conſequuti ſunt; his enim magis pium eſſe nihil poteſt:* de quibus paulò poſt, *Ideoque maiori ſorte meritò perfruuntur, qui nunc & à cunctis latè mortalibus honores ampliſſimos ferunt, & æternis ſunt inſigniti coronis.* Hinc cùm ait in Dialogo 1. Diuinus Apoſtolus, *cùm nondum communis reſurrectio facta ſit, nec adhuc regnum cœlorum fidelibus datum ſit, clamat, ſimul excitauit nos, & ſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto IESV.* Et cùm in cap. 11. ad Hebræos cap. 39. inquit, *Eorum fuerunt tot, & tanta certamina; ſed ij tamen nondum coronas acceperunt.*

Digitized by Google

Expectat enim vniuerſorum Deus aliorum certamina, vt ſoluto ſtadio omnes, qui victoriam fuerint conſequuti, ſimul victores renuntiet, & remuneretur. Intelligendus eſt de corona perfecta, & beatitudine conſummata animæ, ac corporis, non ſecùs, ac ſanctus Chryſoſtomus, dum homilia 28. ſuper epiſtolam ad Hebræos ſcribit, *Sanctos, qui nos præceſſerunt, nondum coronas accepiſſe, ſed nos expectare, vt nobiſcum ſimul coronentur.*

116 Arrepta anſa ex commemoratione S. Chryſoſtomi inuito lectorem, vt narratam in Prato ſpirituali Ioannis Moſchi capite 128. de eius beatæ animæ aſſiſtentia *illic, vbi thronus eſt Dei*, ſeu in cœli valdè eminenti parte, notet hiſtoriam, niſi inter fide carentes, & reiectitias computanda ſit, cenſoribus Baronio anno 407. numero 35. & Delrio libro 2. Diſquiſitionum Magicarum quæſtione 26. ſectione 5. ob nimiam, immoderatámque ſancti Chryſoſtomi ſupra antiquiores alios Eccleſiæ Doctores laudationem. Quæ tanta eſt, vt Heribertus Roſuueydus in onomaſtico ad vitas Patrum V. *ſanctus Ioannes Chryſoſtomus* non de hoc, ſed de S. Ioanne Baptiſta Angelicum teſtimonium ibi expreſſum interpretetur.

SECTIO XV.

Octaua Claſsis eorum, qui cùm ſileant de loco in quo exiſtunt Sanctorum animæ, videntur denotare, eas non beari ante diem Iudicij.

117 SAnctus Antonius in epiſt. 2. ad fratres Arſenoitas inquit, *Pro certo dico vobis, quòd noſtra negligentia, & humiliatio, extranea commotio, non nobis ſolis eſt detrimento, ſed Angelis labor exiſtit, & omnibus Sanctis in Chriſto IESV, quia nondum vſque requieuerunt propter nos.* Priora verba accipi poſſunt per metaphoram, vt notat Suarez libro 6. de Angelis capite 19. numero 12. non aliter, ac Deo tribui ſolent in ſacris Litteris affectus triſtitiæ, & doloris ex prauis hominum operibus. Poſteriora autem queunt exponi, quatenus neque Angeli, neque beatæ animæ requieuerint à miniſteriis erga homines. Et hîc obiter interpretor benignè Moſem Barcepham parte prima de paradiſo capite 22. dicentem, *Et Angeli iuſſa peragunt, diuinaque voluntatis obſequentes ſunt, non abſque ſpe præmij, quod ipſis dabitur poſt generalem mortalium reſurrectionem.* Interpretor, inquam, de ſpe præmij accidentalis, cuius augmentum non procedet vltra diem Iudicij. Adi Suarium ſuprà capite 8. à num. 6. vſque ad 9. qui in cap. 2. num. 9. ſimili ferè modo declarat S. Gregorium Nazianzenum de acceſſione gloriæ accidentalis, dum in Oratione 42. Reſurrectionis Chriſti diem commendat exinde, quòd ſalutaris fuerit mundo inuiſibili Angelorum; niſi mundi inuiſibilis nomine, quo ſolo vtitur S. Gregorius, intelligendæ ſint animæ Patrum, quæ paulò ante reſurrectionem Chriſti adeptæ ſunt beatam viſionem. Eodem etiam pacto explicare licebit Clementem Alexandrinum, quando in 1. Petri cap. 1. verſ. 12. vult, bonos Angelos *deſiderare adipiſci profectum perfectionis illius*, quæ eſt Beatitudo, id eſt, inefficaciter deſiderare incrementum beatitudinis accidentalis.

118 Redeo ad inſtitutum. Sanctus Gregorius Nyſſenus libro de hominis opificio cap. 22. ſcribit, *Abraham, & Iuſtorum chorus æterna bona ſola fide, ac ſpe intuetur.* Adiicitque, ipſos adhuc patientiam exercere. Sed intelligendus eſt de fide, ſpe, ac patientia, reſpectu æternorum bonorum, quæ ſint corporum glorificatio, & dotes. Sanctus Baſilius in Pſalmo 33. ait, *Nos, poſtquam filij reſurrectionis erimus, tunc noſſe Deum facie ad faciem dignabimur. Tunc & iuſti in exultatione diuini aſpectus lætabuntur, peccatores verò diſperdentur.* Sed in his verbis non exprimit S. Baſilius, Iuſtorum animas non viſuras Deum ante reſurrectionem corporum; & attento præcedentium contextu mens S. Baſilij eſt, Iuſtorum animas non poſſe ex lege ordinaria in ſtatu vnionis ad corpora mortalia intueri Deum, quem tamen intuebuntur poſtquam immortalia corpora informauerint. Dixerat namque, *Homo non videbit Dei faciem, & viuet. Angeli enim eorum, qui ſunt in Eccleſia puſilli, continuò faciem Patris eorum, qui in cœlis eſt, aſpiciunt. Ideò nunc quidem nos capere glorioſæ manifeſtationis aſpectum, ob carnis debilitatem nos circundantem difficilè ſanè; Angeli verò, qui nullum habent ſimile noſtri velamentum, nihil impediuntur, quin gloriæ Dei faciem iugiter contemplentur.* Pari modo exponendus eſt ſanctus Hieronymus, dum apud S. Auguſtinum in epiſtola 111. ad Fortunatianum inquit, *homo Dei faciem videre non poteſt; Angeli autem etiam minimorum in Eccleſia ſemper vident faciem Dei. Nunc in ſpeculo videmus, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus*, id eſt, commentatore Auguſtino, *quando æquales Angelis facti fuerimus, quod erit vtique in reſurrectione mortuorum.*

119 Difficiliora ſunt alia S. Baſilij verba homil. 1. in Exameron, *Angore* (inquit) *& horrore corripietur omnis creatura, ſudórque anhelus, & inexplicabilis coorietur; ipſi etiam perterpidi, & anxij pro ſententia, quæ tandem proferetur. Abraham & ipſe tunc aderit non ſine agonia, non quaſi veriturus, ne in Gehennam condemnetur; verius, quemnam inter Iuſtos ſortiturus ſit ordinem, primúmne, an ſecundum, vel tertium. Veniente è cœlis Domino, diſrumpentur cœli. Ne Angeli quidem ſine timore ſunt futuri.* Sanctus Gregorius Nyſſenus oratione 2. de hominis creatione imitatus eſt hæc ſui fratris verba, inquiens, *Abraham in vltimo Chriſti aduentu dubium fore, ſi in primo, aut ſecundo, aut tertio Iuſtorum ordine ipſe collocetur.* Additque ſanctus Gregorius oratione 5. de Beatitudinibus, vt & ſanctus Bernardus ſermone 8. in Pſalm. *qui habitat*, Iuſtos in aduentu Domini dubios futuros de intimanda ſibi ſententia. Niſi iſta omnia ſint hyperbolica, diſtant longiſſimè à doctrina Catholica, vt obſeruat Poza in Elucidario Deiparæ libro quarto tractatu tertio capite 10. pag. 931. ac 933.

120 Faciliùs exponi poteſt ſanctus Ambroſius libro 3. de Caïn, & Abel capite ſecundo, dicens, *Soluitur à corpore anima, & poſt finem vitæ huius, adhuc tamen futuri Iudicij ambiguo ſuſpenditur*, id eſt, ignorat, quando in publico, & vniuerſali Iudicio auditura ſit præmij, aut ſupplicij extremam ſententiam. Fortè ſanctus Ambroſius compoſuit verba ad captum rudiorum, qui in particulari Iudicio ferendo à Deo de animabus, ipſomet inſtanti ſeparationis à corpore, cogitant moram aliquam, cùm tamen nulla interueniat re ipſa. Quem loquendi modum ſeruarunt etiam S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Bernardus apud Granadum 1. parte contr. 13. de Nouiſſimis tr. 1. diſp. 3. n. 7.

Digitized by Google

n. 7. & vel ſecundum hunc, vel illum primum S.Cyprianus, cùm lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum pronuntiat, aliquas animas *pendere in die*(aut diem) *Iudicij ad ſententiam Domini.*

121 Si probabile eſſet, quod poſt Carthuſianum lib.4. de quatuor Nouiſſimis, cap.47. & Michaelem Baium lib.2. de meritis bonorum operum cap. 8. antiquioréſque alios apud S. Thomam in 4. diſtinctione 21. quæſt. & art. 1. quæſtiuncula 4. anceps proponit Gonſaluus Durantus, nota 1. in cap.8.lib.4.reuelationum S.Brigittæ nempe, *Deum aliquando ſic animam in iudicio particulari iudicare, vt illi minimè innoteſcat,an tam ad Purgatorium vel Inferni pœnas condemnauerit, circumſcripto tamen deſperationis vitio, & anxietate illa, quam Lutherus ponebat.* Si, inquam, illud probabile eſſet, non ideò exiſtimari deberet differri à Deo inflictionem pœnæ prouenientis ex igne Purgatorio. Sed Reuelatio S. Birgittæ, cuius de cauſa redigit ſe Durantus in has anguſtias, egregiam aliam, & ſuauiorem habet interpretationem libr. 5. cap. 2. §.3. M.S. V.Virginis Marinæ de Eſcobar, authore P.Ludouico de la Puente, ſcilicet ad eum modum, quo dicimus, hominem repentino caſu damni, aut mali ingentiſſimi correptum neſcire, vbi nam ſit, an in terra, cœlóve, ita de quadam anima abſorpta, & perculſa grauiſſimis Purgatorij pœnis dictum fuiſſe S. Birgittæ ab Angelo ignorare, an in Purgatorio, in Infernóve maneret, licet reapſe ſuum ſtatum noſceret.

SECTIO XVI.

Recenſentur qui ante,& qui poſt definitionem Benedicti Papæ XII. à veritate deuiarunt,& in hæreſim ſunt lapſi, cùm in aliis materiis eſſent Heretici.

122 QVisquis oculis luſtrauerit tot, tantorúmque Patrum, & Scriptorum Catholicorum opinatione circa beatitudinem,locúmque ſanctarum animarum ante diem vniuerſalis Iudicij, haud quaquam mirabitur, veteres alios aperto Marte contra Catholicæ fidei dogmata auſos in multis conſpirare,defeciſſe etiam in hac materia à veritate eo tempore, quo nondum inter cæteras fidei Catholicæ erat expreſsè relata.

123 Et in primis Arabici memorati ab Euſebio Cæſarienſi lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 30. à S.Auguſtino lib.de Hæreſibus ad quod vult Deum cap.83. dixerunt, animas vſque ad finem ſæculi non tantùm non eſſe beatas, ſed etiam interire, atque corrumpi; poſteáque vnà cum corporibus ad vitam reſtitui. Aduerſus præfatos Arabicos, non ob negatam beatitudinem, ſed ob admiſſam defitionem animarum habitum eſt quoddam Concilium, de quo Baronius anno 249. numer. 6. Franciſcus Longus à Coriolano in Breuiario Chronologico Pontificum & Conciliorum pagina 47. Binnius tomo 1. partis 1. Conciliorum pag. 101.

124 Notare hic oportet perfrictam frontem Caluini, qui libr. 4. Inſtitutionum capit. 7. §. 28. affinxit Ioanni XXII. Pontifici Maximo delyrium Arabicorum de interitu animarum. Eiuſdem extremæ impudentiæ reus eſt Henricus Salmuht in notis ad partem poſteriorem rerum memorabilium Panciroli tit. 4. de Nouo orbe. Nam Pontifex ille tanquam priuatus Doctor dubius quidem fuit de beatitudine animarum ante reſurrectionem corporum; interitum autem intermedio tempore nullatenùs cogitauit.

125 Deinde Vigilantius, vt conſtat ex S.Hieronymo tranſcripto in num. 28. & quidam Græci, de quibus loquitur Epiſtola exarata in numer. 27. poſteriores etiam alij Græci, & Armeni, quorum fit mentio à S. Thoma opuſculo 6. cap. 9. lib. 4. contra Gentes cap. 91. à Guido Carmelita in libr. de Hæreſibus, Fratricelli, Coterelli, Petrobruſiani, & Corterij apud Prateolum libr. 6. de vitis, ſectis, & dogmatibus Hæreticorum num. 13. Gaulterium in Chronographica tabula, capit. 664. Coccium libr. 5. Theſauri Catholici artic. 2. aſſeruerunt, ſanctos non conſequi beatitudinem, nec cæleſtes ſedes ante diem extremum Iudicij vniuerſalis.

126 Quo in aſſerto, etſi hæreſim incurrerint ex ſententia Authorum, quos allegauimus in num. 28. & Petrus Auratus in XI. Paradoxorum vocet pleno ore errorem *Ioannis XXII. & ſequacium*, tamen cum præceſſerint definitionem Benedicti XII. promeriti non ſunt tam rigidam cenſuram, vt fatentur Canus l. 6. de locis Theologicis capit. 8. Bellarminus libr. 4. de ſummo Pontifice cap. 14. Medina, Suarez, Salas, Henriquez, Pamelius, Ægidius Luſitanus, & alij poſt Alfonſum Caſtrenſem. Vnde S. Thomas libr. 4. contra Gentes capit. 91. 1.part. quæſt. 64. art. 4. ad 3. & 3. part. quæſt. 59. art. 5. ad 1. nec non in capit. 5. epiſtol. 2. ad Corinthios lectione 2. nonnihil temperauit, quam alibi protulerat, cenſuram; erroneæ vt ſummùm notam inurens propoſitioni damnatæ iam inter hæreticas. Quòd ſi obiicias decreta ſummorum Pontificum anteceſſorum Benedicti collecta in ſect. 3. Reſpondent Suarez, Salas, & Ægidius Luſitanus, in eis decretis Superiores Pontifices, non ex profeſſo, ſed obiter, & quaſi aliud agentes attigiſſe veritatem, pleniorique definitioni præluxiſſe.

127 Poſt determinationem verò Benedicti XII. liberari nequeunt ab hæreſis ignominia Græci, & Armeni perſiſtentes in antiqua ſua opinatione. Compertum eſt enim ex prætactis ad ſeſſionem primam Concilij Florentini, necnon ex errorum articulis miſſis Biturim à Patribus Congregatis Baſileæ, vt ſuper eis interrogarentur Græci, ſi Baſileam accederent, ſicut legitur in Spondano ad annum 1438. num. 25. non deſtitiſſe ab ea, quando coacta eſt Florentina Synodus; & cum amplexati fuiſſent huius ſanctiones, rediiſſe iterùm ad vomitum. Ebiberunt eandem hæreſim miles quidam, cuius memoria habetur in S. Birgittæ reuelationibus libr. 6. capit. 75. Lutherus prælectione, vel præfatione in Geneſim, teſte Friderico Staphylo in epitome trimembri Lutheranæ Theologiæ parte 2. Caluinus libr. 3. Inſtitutionum cap. 20. §. 20. & 24. cap. 25. §. 6. & licet in Pſychopannichia pag. 9. dicat, Sanctos eſſe in cœlo, ac Deo frui ad ſatietatem, tamen ſui immemor ſcribit pag. 10. & 16. non frui illos Deo ad ſatietatem, ſed expectare vſque ad diem Iudicij. Prætereà Cornelius Agrippa libr. 3. de Occulta Philoſophia, Anabaptiſtæ, teſtantibus Sixto Senenſi lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annotatione 169. libr. 6. annotatione 345. & Petro Caniſio lib.3. de B.Virgine c.17. Inſuper Auguſtinus

Digitized by Google

Bohemus apud Prateolum libr. 1. num. 80. Tandémque Ioannes de Oria, Doctor, vel Magiſter Salmantinus, & maximè notus in oppido S. Facundi (vulgo Sahagun) recenſus à Gregorio Martinez in 1. 2. quæſt. 4. art. 5. dub. 1. & indicatus à Ioanne Lopez tomo 3. Chronici Prædicatorum lib. 1. cap. 42. §. 2.

SECTIO XVII.

Quî ſe geſſerit Ioannes Papa XXII. in controuerſia de beatitudine, & habitatione Sanctarum animarum in cælo, ante diem Iudicij.

128 IOannes Papa XXII. anno 1331. Auenione manens concepit, excitauitque mente hanc quæſtionem, cuius affirmatiua pars in Eccleſia Occidentali iam diu percrebuerat, & à Theologis communiter defenſabatur, anno autem 1332. negantem partem non aſſerendo, ſed ſolummodò recitando protulit ore tanquam priuatus Doctor. Ita teſtantur Pariſienſes Doctores anno 1333. die 2. Ianuarij in M.S. fide digno apud Spondanum anno 1333. num. 2. Hinc factum eſt, vt anno 1333. publicè moueretur ea quæſtio inter Theologos, quorum ſententiæ fuere diſcordes, vti tradit Ioannes Villaneus Coæuus Scriptor lib. 10. de rebus Florentinorum, cap. 229.

129 Sed audiamus Benedictum Papam XII. qui de quæſtione agitata ſic fatur, *Sanè dudum tempore felicis recordationis Ioannis XXII. Prædeceſſoris noſtri inter nõnullos etiam Theologicæ facultatis Magiſtros ſuper viſione animarum Iuſtorum hominum poſt mortem ſuam, in quibus nihil erat purgabile, cùm de hoc ſæculo deceſſerunt, vel ſi fuerat, iam purgatum fuerat ex toto, an diuinam eſſentiam videant ante corporum ſuorum reſumptionem, & Iudicium generale. Et ſuper nonnullis aliis orta materia quæſtionis, ipſorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alij verò ſecundùm ſuas imaginationes de viſione diuinæ eſſentiæ ab animabus huiuſmodi, diuerſa, & diuerſimodè oſtendere nitebantur, prout ex dictis, & ſcriptis ipſorum noſcitur apparere. Superreiectis ſuis verò concertationibus, quas hic cauſâ breuitatis omittimus, quia ita ex noſtris determinationibus inter ſe etiam diſſidebant. Cúmque idem prædeceſſor noſter, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad deciſionem concertationum huiuſmodi ſe pararet in ſuo Conſiſtorio publico, tam fratribus ſuis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magiſtris in Theologia, qui multi aderant præſentes, iniungendo diſtrictiùs, & mandando, vt ſuper materia de viſione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberatè vnuſquiſque diceret, quod ſentiret. Tamen morte præuentus, ſicut Domino placuit, perficere illud nequiuit. Defuncto itaque prædeceſſore præfato, Nos diuina dignatione ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti diligentiùs attendentes, quanta ex præmiſſis eorum concertationibus non ſolutis, animarum imminent pericula, quanta exinde poſſunt ſcandala ſuboriri: vt ipſorum varietas pereat, & veritatis ſoliditas innoteſcat, habitâ prius ſuper prædictis ſolicita examinatione, & diligenti deliberatione cum fratribus noſtris dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de ipſorum fratrum Conſilio, hac in perpetuum valitura conſtitutione, authoritate Apoſtolica definimus*, &c.

130 Conſtat ex Benedicti XII. verbis, Ioannem XXII. non definiuiſſe controuerſiam. Et Philippus Gamachæus Doctor Sorbonicus teſtatur 1. 2. quæſt. 4. capit. 2. viſum à ſe Lutetiæ in manibus Patrum Dominicanorum authenticum Gallicanæ Eccleſiæ ad Caſtrum Vicennarum conuocatæ inſtrumentum, ex quo ratum erat, Ioannem Papam publico diplomate nihil vnquam ſtatuiſſe aduerſus beatitudinem animarum. Vnde deprehenditur mendacium Caluini libr. 4. Inſtitutionum cap. 7. §. 28. Eraſmi in præfatione ad S. Irenæi libr. 5. affirmantium, Ioannem Papam coactum opera Theologorum Pariſienſium ad Palinodiam non ſine buccina coram Galliarum Rege Philippo VI. Valeſio. Operæ pretium erit in hoc puncto, aliiſque huc ſpectantibus perlegere Bellarminum lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 2. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 14. Gretſerum in defenſione iſtius capitis, Ioannem Stephanum Durantum l. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 48. num. 18. Genebrardum in Ioanne 22. pagina 671. Chronographiæ, Ioannem Azor parte 2. Inſtitutionum moralium libr. 5. cap. 4. quæſt. 3. Sanderum libr. 7. de viſibili Monarchia pag. 518. Petrum Maturum in notis ad 3. partem hiſtorialem S. Antonini, tit. 21. capit. 6. §. 15. Paulum Langium in Chronico Cityzenſi anno 1330. & 1334. Hainricum Monacum Rebdorfenſem in Annalibus, anno 15 Pontificatus Ioannis XXII. Authorem chronici magni Belgici ad annum 1324. ſeu potiùs 1334. in Romanis, Albertum Krantium libr. 8. Vuandaliæ cap. 15. Lucam Vuadingum in Annalibus ordinis Seraphici anno 1331. & 1333. Dermicium Thadæum in Nitela Religionis Franciſcanæ à pagina 376. Spondanum in Auctario ad Annales Baronij anno 1334. rurſúſque in ea, quæ nuper prodiit, continuatione Annalium Eccleſiaſticorum anno 1333. & 34. ac 36. Ambroſium de Pinaloſa in vindiciis Deiparæ Virginis de peccato originali, & debito illius contrahendi, diſput. 11. cap. 4. num. 60. & 61. Peſantium in 1. 2. quæſt. 4. art. 6. diſt. 1. ad finem, & anteà in 1. p. quæſt. 12. art. 1. diſt. 1. Raynaudum in Hoplotheca contra ictum calumniæ ſect. 2. ſerie 1. capit. 5.

131 Ego verò non ſilebo, Ioannem Papam anno 1334. tertio Nonas Decembris pridie, quàm rebus humanis eximeretur, ſic coram Cardinalibus verbo, vel ſcripto dixiſſe nouiſſima hæc verba, *Ne ſuper his, quæ de animabus purgatis ſeparatis à corporibus, an citra reſumptionem corporum diuinam eſſentiam illa viſione, videlicet, quam vocat Apoſtolus facialem, videant, tam per Nos, quàm per nonnullos alios in præſentia noſtra recitando, & allegando ſacram Scripturam, & originalia Sanctorum dicta, vel aliàs ratiocinando, ſæpiùs dicta ſunt, aliter quàm per nos dicta, & intellecta fuerunt, & intelliguntur, ac dicuntur, auribus valeant fidelium inculcari, ecce, quòd noſtram intentionem, quam cum ſancta Eccleſia Catholica circa hoc habemus, & habuimus, ſerie præſentium vt ſequitur, declaramus. Fatemur ſiquidem, & credimus, quòd animæ purgatæ ſeparatæ à corporibus ſunt in cælo, cælorum regno, & paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatæ, & vident Deum, & diuinam eſſentiam facie ad faciem clarè, in quantum*

ſtatus,

ſtatus,& conditio animæ ſeparatæ compatitur. Si verò alia, vel aliter circa materiam huiuſmodi per nos dicta, ſeu ſcripta fuerint, quoquo modo illa diximus, prædicauimus, ſeu ſcripſimus recitando,& conferendo dicta ſacræ Scripturæ, & Sanctorum, nolumus eſſe dicta, prædicata,& ſcripta. Hæc Ioannes, præſente Mathæo Villaneo,ex quo Ioannes Villaneus frater ipſius accepit, & verbo tenus exarauit lib.11. de rebus Florentinorum cap.19.

132 Bachonius, qui fuit Synchronus Ioannis Papæ, functúſque eſt vita anno 1346. ait, Ioannem ante mortem ſuam determinaſſe in Bulla. *Ne ſuper his* quæſtionem de animarum beatitudine; ſed à Benedicto XII. Succeſſore ſubtractam periodum incertam, quæ dicebat, *Inquantum ſtatus, & conditio animæ ſeparatæ compatitur*: videbatur enim Ioannes oſtendiſſe ſe ancipitem, noluiſſéque dirimere eam controuerſiæ partem, an videlicet animæ beatæ in ſtatu ſeparationis tantam viſionis intenſionem comparent, & tam perfecta beatitudine eſſentiali donentur, quantam, & quàm perfectam habebunt in ſtatu coniunctionis ad corpora poſt reſurrectionem, non ſecùs ac ipſe Ioannes diſputarat anteà, pœnas damnatarum animarum intenſiores, acrioréſque fore poſt reſurrectionem. Ioannes etiam Villaneus loco proximè citato, refert audiuiſſe ſe à Theologis, qui interfuerunt Benedicti XII. definitioni, directam hanc fuiſſe ad ſtatuendum ſpecialiter, animarum gloriam non augendam poſt reſurrectionem, niſi extenſiuè. Ita ponderat Bellarminus lib.1. de Sanct.beatitud. c.5. ex Hiſtorico Florentino, quem citat ad lib.11. c.19. cùm tamen ſit cap.47. ibique nihil legam de teſtimonio Theologorum; ſed reliquum, quod Bachonius, Bellarminúſque ipſe tradunt.

133 Suadent id non leuiter Benedicti XII. verba hæc: *Ac quod viſio huiuſmodi diuinæ eſſentiæ eiúſque fruitio actum fidei, & ſpei in eis euacuant, prout fides, & ſpes propriè Theologicæ ſunt virtutes: quódque poſtquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiua, & facialis viſio, & fruitio in eiſdem, eiuſdem viſio, & fruitio ſine aliqua intermiſſione, ſeu euacuatione prædictæ viſionis, & fruitionis continuata exiſtet, & continuabitur vſque ad finale Iudicium ex tunc vſque ad ſempiternum.* Clemens VI. in epiſtola ad Patriarcham Armenorum ſcripta 13.Kalend.Octobris anno 1351. ſimiliter inquit:*intuitiuam,& facialem, claram & apertam viſionem, & fruitionem in animabus ſine aliqua interciſione, ſeu euacuatione continuatam exiſtere, & continuandam vſque ad finale Iudicium,& ex tunc vſque in ſempiternum.* Profitentur id ipſum Doctores Pariſienſes anno 1333. in M.S. de quo in num.128.

134 Veruntamen difficile apparet, mentem & præcipuam Benedicti XII. fuiſſe excludere in animabus beatis augmentum viſionis poſt vnionem ad corpora,ita vt beatitudo non ſit futura maior intenſiuè; ſiquidem fore maiorem, ſenſerint ſanctus Auguſtinus multis in locis, & apertiſſimè lib.12. de Geneſi ad litteram capite 35. Haymo in cap.6. Apocalypſis, S.Bernardus ſermone 3. de omnibus Sanctis & in libro de diligendo Deo, capite 12. ac 13. Magiſter Sententiarum in 4. diſtinct. 49. Pariſienſis, & Albertus apud Carthuſianum ibi, quæſt. 3. Bellouacenſis in libro conſolatorio de morte amici capite 10. & 11. S. Thomas in 4. diſtinct. 49. quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncula 1. imò & 1.2. quæſt 4. art.5. Si credimus Raphaëli Auerſæ ad eam quæſtionem ſect.7.& Loreæ in 1.2. diſp.36. membro 2. quanuis alij Interpretes frequenter dicant, Angelicum Doctorem mutaſſe ſententiam, quam tradiderat, dum ſcriberet ſuper Magiſtrum. Huic etiam adhæſerunt Petrus Tarantaſienſis, ſanctus Bonauentura, Richardus ad diſtinct. 49. Henricus Gandauenſis, quodlibeto 6. quæſt.5. & quodlibeto 7. quæſt.6. Marſilius in 4. quæſt.13. art.3. & hic meminit Extrauagantis editæ à Benedicto, tranſcribitque eius verba: Abulenſis in c.5. Mathæi quæſt. 63. Armachanus in quæſtionibus Armenorum libro 12. capite 20. Author tractatus de oculo morali, vel myſtico capite 3. numero 1. Reginalderus in ſpeculo finalis retributionis f.97. Ex modernis Ægidius Luſitanus tomo 3.de Beatitudine in appendice quæſt. 2. Stat ferè pro maiori ea beatitudine eſſentiali, atque intenſiua, reſpondétque in §.5. numero 33. Verba Benedicti ſolùm denotare viſionem, quæ ante reſurrectionem fuit, continuandam fore ſine aliqua intermiſſione, ſeu euacuatione vſque in ſempiternum; Cui aſſertio non opponitur maior intenſio eiuſdem viſionis continuatæ. Et expenſis Benedicti verbis, vt ſonant, videntur potiùs excludere remiſſionem, decrementúmque viſionis poſt reſurrectionem,quàm eius intenſionem, & augmentum, non enim defuerunt, qui exiſtimarent apud Abulenſem ſuprà, beatitudinem animæ poſt reſumptum corpus fore imperfectiorem.

135 Mens Benedicti in verbis adductis n. 133. fortaſſis nos non lateret, ſi nanciſceremur duos, quos ſcripſit, tomos, & vndecim quæſtiones de ſtatu animarum ante generale Iudicium, vt refert Ludouicus Iacob. à S.Carolo in Bibliotheca Pontificia pag. 24. Quid etiam præcipuè intenderit, tanquam priuatus Doctor Ioannes XXII. exploratum etiam forſan eſſet nobis, ſi eius Sermones de viſione beatifica, ſeu faciali, aſſeruatos Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, vt teſtatur idem Ludouicus pag. 139. vidiſſemus. Sed dum pleniùs aſſequendi vtriuſque ſenſum deeſt nobis occaſio, conformiùs Benedicto, adeóque tutius iudicamus aſſeuerare, viſionem beatam, reddito corpore, non ſolùm non forè remiſſiorem, ſed neque etiam intenſiorem. Eminentiſſimo Bellarmino libro 1. de Sanctorum beatitudine cap.5. videtur, vtrumque id definitum à Benedicto, *Adde*, inquit, *quòd videtur hoc definitum à Benedicto XII. nam in Extrauaganti, Benedictus Deus dicit, continuari viſionem Dei, quam habent animæ à morte corporis vſque ad reſurrectionem,& inde vſque in æternum. vbi videtur dicere, eam non creſcere, neque minui.* Flauius Cherubinus in ſcholiis ad Extrauagantem *Benedictus Deus*, explicans mentem Benedicti Papæ ſcribit, reſpexiſſe eò, vt definiret,animas ſeparatas Sanctorum videre perfectè eſſentiam diuinam; & quod maioris momenti eſt, Ioannes Papa in Bulla *Ne ſuper his*, fatetur, & credit ſecundùm intentionem, quam cum ſancta Eccleſia Catholica habet, & habuit, animas ſeparatas, & purgatas intueri Deum. Nunquam ergo id negauit. Quare de intuitionis perfectione videtur ſolùm dubitaſſe, vt priuatus Doctor. Ad hæc: In præactis ad Concilium Florentinum concordarunt tam Latini, quàm Græci, *animas quidem, vt animas, ad perfectam beatitudinem perueniſſe, in reſurrectione tamen perfectionem eſſe conſequuturas cum propriis corporibus, quando fulgebunt vt Sol, ſiue inſtar eius lucis, qua in monte Thabor Dominus noſter IESVS Chriſtus reſplenduit.* Et verò cùm alij ex Græcis antea contendiſſent, *Sanctos nondum eſſe conſequutos beatitudinem*; *Alij, animas eſſe in*

loco quietis, & videre tantùm, ac modicum lætari; Alij conuenientes cum Latinis, dicerent, *Animas ſanctorum perfectam eſſe adeptas beatitudinem, & perfectè laureolam aſſequutas in cœlis, nulloque intermedio, Trinitati aſſiſtere:* Declaratio demùm facta conſenſu Latinorum, & Græcorum, non alia videtur fuiſſe, quàm iam nunc Sanctorum animas perueniſſe ad beatitudinis eſſentialis, ſubſtantialis, & intenſiuæ perfectionem integram, ex reſurrectionis autem die augendam tantùm accidentaliter, atque extenſiuè.

136 Hactenus de nobiliſſima circa Sanctorum beatitudinem, cæleſtémque habitationem controuerſia; quàm iam penè ſedatam in Eccleſia Latina reſtaurauit Ioannes Papa; permiſitque in ipſo Deus, tanquam in priuato Doctore ſenſum, aut propenſionem oppoſitam communi Theologorum, & fidelium ea tempeſtate, vel permiſit ſaltem ſic de ipſo cenſeri vulgariter, vt re hinc, & inde diligenter diſſa, examinatis ſolicite ſacrarum Litterarum, Patrúmque Eccleſiæ monumentis, & ſucceſſori Benedicto maiore luce cælitus conceſſa annumeraretur tam grauis, & neceſſaria veritas aliis dogmatibus Catholicæ fidei. Equidem dum attentè conſidero huius proceſſum controuerſiæ, & à Romano Pontifice editam tandem deciſionem, cui Catholici omnes aſſentiri debeamus, magnam excitor in ſpem, fore, vt quandoque in controuerſia præſentis ſeculi, aliorúmque retroactorum de Conceptione Deiparæ Virginis abſque labe originalis peccati prodeat ab Apoſtolica Sede definitio, quæ Immaculatam declaret Conceptionem. Plura Scripturæ Sacræ teſtimonia, pluréſque Eccleſiæ Patres allegabantur fauentes in ſpeciem dilationi beatitudinis animarum vſque ad Iudicium vniuerſale, quàm qui nunc afferuntur à Catholicis nonnullis contra Deiparæ exemptionem ab originali noxa. Dilationi illi ſuffragati ſunt aliqui ex religioſiſſima, grauiſſimáque familia Franciſcana, licèt alij multò plures reſtiterint, quod celat Abrahamus Bzobius, vt præclariſſimi ordinis ſui Dominicani diſſenſus glorioſior appareat; ſed non ſine querela Lucæ Vvadingi, Dermicij Thadæi, aliorúmque Authorum Seraphicæ Religionis. Nunc vice verſa puriſſimam defenſant Conceptionem Franciſcani, renitentibus, non omnibus, ſed aliquibus Dominicanis, iiſque ſolis in Chriſtiano orbe, quantùm noſcere poſſumus. Cur ergo non liceat ſperare ſopiendas tandem diſcordias Pontificio ſcito, quod Conceptionis puritati ſupremam fidei authoritatem aſciſcat? *Multa noſtris temporibus clariora ſunt nobis, quàm fuerunt antiquis, vt res ipſa teſtatur. Nam multa paulatim cognouit, & determinauit Eccleſia, quod & S. Thomas teſtatur, quæ olim in dubio erant.* Sic Catharinus lib. 4. adnotationum aduerſus Caietanum pag. 354. & Ioannes Gerſon piiſſimus, doctiſſimúſque Cancellarius Pariſienſis parte 4. ſermon. de Conceptione B. Mariæ inquit, *Spiritum Sanctum interdum reuelare Eccleſiæ, vel Doctoribus poſterioribus aliquas veritates, vel expoſitiones ſacræ Scripturæ, quas non reuelauit eorum prædeceſſoribus, ſicut dicit Gregorius, Daniel 12. Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia Domini: ideo Moyſes ſciuit plus, quàm Abraham; Propheta, quàm Moyſes; Apoſtoli, quàm Propheta: & Doctores addiderunt multas veritates vltra Apoſtolos.* Subdit Stephanus Cantuarienſis in Allegoriis Tilmanni ſuper caput 2. Ruth, *Dominus non omnia reuelauit Expoſitoribus ſacræ Scripturæ & etiam diſpenſauit, vt aliquid ex induſtria relinquerent de iis, quæ videbant, vt ſolicitudo noſtra exerceretur. Multa enim vidit Auguſtinus quæ non expoſuit.*

SECTIO XVIII.

An præter beatas animas aliæ ad tempus exiſtant aliquando in Empyreo?

137 Innuunt nonnulli Patres, animam ex loco, in quo ſeiungitur à corpore, deduci ante Tribunal Chriſti, vt ab ipſo iudicetur. Et hinc Authores aliqui ſumpſerunt anſam vt dicerent, deferri in cœlum, & præſentari Chriſto. Ita refert Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 52. ſect. 2. v. *tertiò ex dictis*, addens, *ſed de animabus damnandis, & purgandis, id eſt incredibile, quia nihil coinquinatum ingreditur cæleſtem illam ciuitatem, & eſſet impertinens ille aſcenſus in cœlum, ſi ſtatim deſcenſuræ ſint in Infernum. Nam ad audiendam ſententiam non eſt neceſſarius, & aliàs locus ille non eſt conſentaneus, nec meritis eorum debitus.* Hæc ratio elucidari poteſt ex dictis in ſect. V. Exercitationis præcedentis, ad probandum non patere Dæmonibus acceſſum ad Empyreum. Confirmari prætereà valet, quia ſicut congruum eſt, vt Iudicium vniuerſale non fiat in Empyreo, ne Dæmones, & homines praui ſanctiſſimam aulam quaſi temerent, ita conueniens apparet, vt animæ iudicandæ non deferantur in illud, ne quæ ex ipſis culpæ, aut pœnæ reatu obſtringuntur, aliquid quaſi maculæ importent auguſtiſſimo ſacrario.

138 Quoad animas immunes à reatu culpæ, & pœnæ non deſunt aliæ rationes. Prima, Empyreum eſt locus præmij & triumphi. Non ergo conuenit, vt ſimul ſit locus, in quo anima iudicanda præſentetur. Secunda, antequam Chriſtus penes humanitatem exiſteret in Empyreo, animæ iudicandæ illuc non deferebantur. Ergo nec modò. Nam etſi nunc exerceat Chriſtus iudiciariam poteſtatem, quam penes humanitatem non exercuit erga animas ante Incarnationem, & mortis, vel reſurrectionis inſtans, tamen ad id neceſſe non eſt, vt animæ deducantur in Empyreum, vbi exiſtit Seruatoris humanitas: ſatis eſt, ſi in loco ſeparationis à corporibus eleuentur intellectualiter ad audiendam ſententiam decretam à Chriſto, non ſolùm vt Deo, ſed etiam vt homine. Et hoc eſt deduci, ac ſiſti ante tribunal Chriſti Iudicis, vt obſeruant pro Patrum intelligentia Suarez ſuprà, v. *Quocirca*. Henriquez libr. vltim. c. 25. §. 1. in Gloſſa littera L, Valentia tomo 4. diſp. 11. q. 1. puncto 2. Granadus 1. p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 1. diſp. 3. Cornelius, & Pineda in cap. 3. Eccleſiaſtis v. 21. Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 3. Auerſa 3. p. q. 53. ſect. 9. Eodem pacto accipiendum eſt, quod enuntiatur in Scriptura, & Patribus, de Aduentu Chriſti in morte vniuſcuiuſque.

139 Tertia, animæ iudicantur ipſomet inſtanti ſeparationis à corporibus, vt neminem auſurum negare perſuaſum fuit Richardo de S. Victore tractat. de Iudiciaria poteſtate; docéntque citati Authores, & Abulenſis, ac Thyræus apud Granadum num. 6. Ægidius Trullench. lib. ac dub. 4. in expoſitione Bullæ ſanctæ Cruciatæ, Leſſius capit. 3. de Purgatorio dubit. 3. num. 29. Duuallius in tractat. de quatuor nouiſſimis quæſt. 1. artic. 9. pag. 506. vbi etiam ait, quod nos in n. 74. animas ſcilicet eo inſtanti beatificari, aut damnari; & in contrarium citat S. Bonauenturam, & Sotum ſuper 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 3. concluſ. 2. ſed Sotus falsè allegatur.

Digitized by Google

allegatur. Hoc tamen omiſſo, ratio prioris doctrinæ eſt, quia neque ex parte animarum, quæ illo inſtanti conſtituuntur extra viæ ſtatum; neque ex parte Dei, & Chriſti vt hominis, qui optimè noſcunt quicquid pro ſententia ferenda neceſſarium eſt, datur vlla dilationis cauſa. Ergo non iudicantur exiſtentes in Empyreo. Conſequentiæ vis fundatur in ſcriptis S. X. Antecedens intelligendum eſt iuxta legem ordinariam. Nam ſententia in aliquas animas forſan aliquando manſit ſuſpenſa: de quo Granadus à n. 2. vſque ad 6.

140 Narrat Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis fidei p. 16. c. 2. quendam, vt iudicaretur, ereptum in cœlum ad thronum Iudicis. Sed in iis, & ſimilibus aliis hiſtoriis raptus aut non fuerunt niſi imaginarij, aut non fuerunt in Empyreũ vſque. Videatur ſ. 5. exerc. ſeq. Philipp. Solitar. lib. 4. Dioptræ cap. vltimo cogitat, animas damnatas in Iudicio particulari deduci per cœleſtem paradiſum, vt ex recognitione loci, ac felicitatis amiſſæ maiorem concipiant mœſtitiam. Sed hæc meditatio pij hominis eſt, non tam Scholaſtici, quàm Eremitæ.

SECTIO XIX.

Quotus erit numerus animarum inhabitantium Empyreum? An plures illud incolent, quàm Infernum, & Limbum puerorum? Num tot fœminarum, quot virorum animæ manebunt in Empyreo?

141 QVoad primum noſter Cornelius in c. 7. Apocalypſis v. 9. coniectatur, ſaluandarum animarum numerum conficere centenos aliquot milliones, & vltrà. Sed re vera *Soli Deo cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus*, prout docemur ab Eccleſia. Illud etiam eſt indubitabile, beatarum animarum numerum fore copioſiſſimum. Nam citato loco Apocalypſis poſt centum quadraginta quatuor millia ſignatos, viſa eſt à Ioanne turba magna quam dinumerare nemo poterat. Pſalm. 138. v. 17. & 18. dicitur, *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Ideſt, tanta erit multitudo, *quæ ſicut arena maris numerari non poteſt, niſi à Deo.* Ita explicat S. Auguſtinus. Legitur Ieremiæ 33. v. 22. *Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri arena maris, ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei, & Leuitas miniſtros meos.* Quibus in verbis denotatur multiplicatio fidelium miniſtrantium Deo perſeueranter, & in æternum. Matthæi 8. v. 11. ait Chriſtus, *Multi ab Oriente, & Occidente* (nempe à toto orbe extra Iudæam) *venient, & recumbent cum Abraham, & Iacob in regno cœlorum.* Multi ſcilicet *in ſocietate Angelorum*: vti expendit S. Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Domini.

142 Quoad ſecundum, ſi computentur omnes animæ totius mundi, maiorem fore numerum damnatarum, quàm beatarum, communis, & vera ſententia tenet, eámque de fide eſſe, docent Alarcon tract. de Prædeſtinatione diſp. 6. cap. 2. Montepiloſus tom. 2. part. 1. diſp. 37. art. 4. Araujus 1. p. q. 23. art. 7. vbi cum S. Thoma aut ſupponitur tanquam indubitatum, aut exertè aſſeritur à cunctis Theologis, inter quos P. Didacus Ruiz de Montoya vir ſapientiſſimus iuxta, ac eruditiſſimus diſp. 54. de Prædeſtinatione exhauſit quicquid erui poſſet ex ſacris Litteris, & Patribus ad confirmandam hanc veritatem: multa etiam collegerat Robertus Epiſcopus Aquinenſis ſerm. integro de prædeſtinatorum, & damnatorum numero, qui eſt ſermo 2. poſt finem Quadrageſimalis, & habetur fol. 181. ac ſequentibus. Lectorem ad vtrumque remitto; addens vnum tantum teſtimonium S. Bernardi pronuntiantis apud Duuallium tract. de quatuor Nouiſſimis q. 5. art. 2. pag. 624. *In mari Maſſilienſi ex decem nauibus vna perit, ſed in mari huius mundi ex decem animabus vix vna Saluatur.* Parentum noſtrorum ætate venerabilis ſeruus Dei Philippus Batcinonenſis Diſcalceatus Franciſcanus vidit in raptu animas inſtar denſæ pluuiæ deſcendentes in orcum, vt conſignat litteris F. Martinus de S. Ioſepho l. 2. Hiſtoriæ Franciſcanorum excalceatorum c. 24. & in monumentis Eccleſiaſticis deprehenduntur non rarò ſimiles aliæ viſiones.

143 Sed en Hieronymus Columbus lib. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia cap. 49. audet præſumere, homines, qui ſaluentur, fore centies pluries his, qui pereant. Si autem obiiciat quis illud Chriſti cap. 20. Matthæi v. 16. cap. 22. v. 14. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, & illud eiuſdem cap. 7. Matthæi v. 13. ac 14. *Intrate per anguſtam portam, quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem & multi ſunt qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Reſpondet ad primum, multos quidem eſſe vocatos, & paucos electos, quia nomine vocatorum comprehenduntur tam prædeſtinati, quàm reprobi, & electorum nomine ſoli prædeſtinati qui pauciores ſunt reprobis, & prædeſtinatis collectiuè ſumptis; vel quia multi prædeſtinantur ad vitam æternam vtcumq; & pauci ad eminentem gradum eius vitæ, ſeu gloriæ. Reſpondet ad ſecundum, & ſi multi ingrediantur peccatorum lethalium latam portam, ſpatioſámque viam, quæ ducit ad perditionem; & pauci anguſtam portam, arctámque virtutis viam, quæ ducit ad vitam; inde tamen non ſequi, quòd priores non recedant tandem à ſua illa via, & accedant ad hanc aliam poſteriorum. Adiicitque Chriſtum interrogatum Lucæ 13. v. 23. *Si pauci ſunt, qui ſaluantur?* Noluiſſe, dicere, multos eſſe, vel paucos, ſed rem indeciſam relinquere, vt liceret cogitare vtrumuis.

144 Fallitur Columbus in hac adiectiuncula. Auſcultet S. Auguſtinum ſerm. 32. de verbis Domini, *Quando audis, ergo pauci ſunt, qui ſaluantur? Confirmauit Dominus quod audiuit, & inquiens, contendite intrare per anguſtam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Et licèt S. Cyrill. in catena S. Thomæ ſcripſerit, *non ſatisfeciſſe Dominum quærenti, vtrum pauci ſint, qui ſaluentur*, aliud eſt diſſimulare reſponſum iuſtis de cauſis, & aliud annuere, vt liberè iudicetur, multos, vel paucos adepturos ſalutem æternam. Interpretatio ſecundi teſtimonij eſt contra ſcopum intentum à Chriſto contra verborum contextum, & contra Patrum intelligentiam. In priori teſtimonio per *τὸ vocati* accipiuntur friuolè ſoli prædeſtinati vtcumque, & per *τὸ electi* ſoli prædeſtinati ad præcellentem gloriæ gradum; nec minus inconſultè *electi pauci* ſeu prædeſtinati contraponuntur multis vocatis, ſeu omnibus hominibus tam reprobis, quàm prædeſtinatis, non enim contraponuntur ex omnibus hominibus, niſi ſolis reprobis, & horum reſpectu dicuntur pauci; quæ eſt perpetua Patrum explicatio; nec niſi nugatoriè poſſent dici pauci reſpectu etiam ipſorummet prædeſtinatorum. Sed de his ſatis. Recolatur ſ. 11. exercitat. præcedentis,

Digitized by Google

ybi tractaui, an Angelorum beatorum numerus adæquabitur à numero beatorum hominum? Et aliquia huc pertinentia attigi. Diſputat etiam Ruiz latiſſimè, an ex fidelibus plures adſcribentur cœlo quam inferis; Concluditque affirmatiuè cum Suario libr. 6. de prædeſtinatione cap. 3. Alfonſo de Mendoza in quæſtionibus quodlibeticis, quæſt. 1. poſitiua n. 11. & 12. Lorino in Pſalmum 138. v. 14. ſi computentur infantes baptizati. Negatiuè verò, ſi non computentur. In quo concordant plerique Theologi contra Syluestrum, Carthagenam, Franciſcum à Christo, & contra Authorem orationis de defunctis attributæ communiter S. Damaſceno. P. Vaſquez ait, id eſſe humanitus incertum.

145 Quoad tertium, Marſilio in 2. q. 13. art. 1. dub. 4. in corollario poſt concluſionem *videtur, quòd finaliter in ciuitate cæleſti erunt beati homines in vtroque ſexu pares, ſcilicet tot viri, quot mulieres, & è contrario.* Probat Marſilius, quia qui ſaluarentur, ſi perſeueraſſet ſtatus innocentiæ, nunc etiam iidem, & non plures, nec pauciores, comparabunt æternam vitam. At in ſtatu Innocentiæ par numerus virorum, & mulierum naſceretur, & ſaluaretur. Ergo, &c. S. Thomas quodlibeto 3. q. 11. art. 25. non tenuit admittere paritatem virorum, ac fœminarum in cœlo. Alexander Alenſis 2. p. quæſt. 95. membro 4. Scotus in 2. diſt. 20. quæſt. 2. Gabriel ibidem artic. 3. dub. 1. rem in medio relinquunt. P. Ruiz exiſtimat, prædeſtinatas fœminas excedere numerum virorum, quamuis virilis ſexus ſuperabit muliebrem, tum in eo, quòd ille ſuſceptus à Verbo diuino, & Apoſtolico, ſacerdotalique munere decoratus emineat in cœlo; tum etiam in eo, quòd ex viris plures, quàm ex fœminis in altiori ſint gloriæ gradu: nam excepta Deipara Virgine, reliquæ mulieres excedĕtur in beatitudine à multis viris. Congruentes octo rationes proponit Ruizius, & ad eam, quam in oppoſitum affert Marſilius, Reſpondet, alios, & plures homines nunc prædeſtinatos eſſe, quàm qui in ſtatu innocentiæ prædeſtinarentur, vt tradiderat diſp. 13. Incertum præterea eſt, an in ſtatu Innocentiæ eſſent pares numero maſculi, ac fœminæ, & an Adamo non peccante nullus ex poſteris peccaret, ac damnaretur. Quibus de punctis conſulendi ſunt Molina, Suar. & Arriag. in opere ſex dierum vltra Sententiarios in 2. diſt. 20.

146 Sed cauendum eſt, ne approbetur hæc, quæ in Scoto legitur, additio, *Vel poteſt dici, quòd etſi tunc fuiſſent æquales, tamen nunc in participatione gloriæ ſunt inæquales numero, quia aliqua perſona eſt mortua mulier, quæ tamen reſurget vir. Et videtur, quòd illud decens ſit, quia ille ſexus non requitur niſi propter imperfectionem. Ideò non oportet, iſtam perſonam reſurgere in illo ſexu, quia tunc omnis imperfectio tolletur, excepta Beata Virgine, & huius, quæ gaudium immenſum, & gloriam habebit ex ſexu illo muliebri propter ſpecialem rationem.* Cauendum, inquam, eſt, nam muliebrem ſexum retinendum in reſurrectione, & in cœlo inſinuatur non obſcurè c. 20. Lucæ, conſtanſq; eſt Patrum, ac Theologorum iudicium, negarique non poſſe ſine errore cenſet Richardus relatus ab Ægidio Luſitano tom. 3. de Beatitudine lib. 2. q. 6. artic. & §. 3. Vbi fœminas ſuo in ſexu reſurrecturas, docet non indiligenter, vt & etiam Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. 3. art. 1. pag. 544. Scio, Montepiloſum loco ſuprà citato ſcribere, additionem Scoticam probabili ſuo in Scriptura ſacra fulciri fundamento, cùm Paulus Epheſ. 4. v. 13. dixerit *Donec occurramus omnes in veritatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Sed Montepiloſum latere non debuit, nomine viri intelligi ibi marem, & fœminam, prout ſæpè ſolet in diuinis Litteris, vel eatenus dici viros, qui occurrent Chriſto, quatenus ipſe etiam fœminæ fortitudine, & iudicio inſtar virorum erunt. Sic enim interpretantur S. Auguſtinus, & S. Ambroſius. Alij Scotiſtæ eam additionem tribuunt *ſimplicitati Doctoris* (Quæ ſunt verba eiuſdem Montepiloſi) *dicentes: ſæpè in magnis aliquam contingere ſimplicitatem.* Mihi magis placet, magiſque è decoro Scoti videtur, intruſam, & ſuppoſititiam illam habere, cum Ioanne Pontio, qui Noſtrum Cornelium à Lapide pungit, quia non nouit diſtinguere inter additionem, & textum nec exactiùs omnia examinauit, ne errorem tribueret tanto Doctori. Sed immeritò lædit hominem mitiſſimum, quando Scotiſtæ ipſi in gratiam ſui Magiſtri aut non omninò repudiant doctrinam additionis, aut excuſant tanquam ortam ex ſimplicitate, quin à textu ſecernant.

EXERCITATIO VIGESIMASECVNDA.

De nonnullis, præter Chriſtum, & Deiparam, incolis Empyrei in corporibus glorificatis ante generalem Reſurrectionem.

PRIVS quàm deueniam ad Empyrei Ciues penes corpora, & animas glorioſas ex die vniuerſalis reſurrectionis; opus eſt, vt ſermonem habeam de nonnullis aliis occupantibus iam, aut occupaturis ſedes Empyreas ante diem illum.

SECTIO PRIMA.

An Sancti, qui Chriſto reſurgente reſurrexerunt, incolant Empyreum in corporibus glorificatis.

1 SI mortui iterùm non ſint, nemo iam negabit, aſcendiſſe vnà cum Chriſto ad Empyreum in corporibus glorificatis, agerentque ibi immortalem vitam. Quare inſtituenda eſt

Præuia diſcuſſio, An præfati Sancti non obierint rurſus?

MAtthæi, cap. 27. à verſ. 52. refertur, *monumenta aperta eſſe, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexiſſe, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius veniſſe in ſanctam ciuitatem,*

Digitized by Google

ciuitatem, & apparuiſſe multis. Ex his verbis patet, præfatos ſanctos ſurrexiſſe verè & propriè. Num autem rurſus non deceſſerint, neutiquam conſtat.

Patres & Scriptores, qui affirmant non obiiſſe rurſus.

2 Celebratiſſima hæc eſt multorum veterum Patrum opinio, Origenis in cap. 1. ad Romanos v. 4. & tract. 35. in Mathæum, Clementis Alexandrini lib. 6. Stromatum, S. Epiph. hæreſi 75. & in Ancoratu, licèt non adeò clarè; Rufini in expoſitione Symboli, Sophronij in lib. ſeu epiſt. de Aſſumptione B. Mariæ ad Paulam, & Euſtochium, alterius Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani in epiſtola recitata in 6. Synodo, Euſebij Cæſarienſis lib. 4. demonſtrationum c. 12. Bedæ in c. 27. Matth. Remigij in Catena S. Thomæ ad idem caput, S. Anſelmi in Elucidario, & in illud caput, S. Thomæ ibid. & in 1. ad Corinth. 15. v. 20. necnon in 4. diſt. 43. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 3. Citantur hi omnes à Suario in 3. p. q. 53. in comment. art. 3. Adiicit S. Gregorium Nyſſenum lib. de cognitione Dei cap. de Chriſti reſurrectione, & S. Ambroſium in Pſal. 1. prope finem. Sed primus ſolùm ait, Sanctos illos *ſurrexiſſe tertio die, quo ſurrexit Chriſtus*: Ex quo loquendi modo non ſequitur, cenſuiſſe S. Nyſſenum, quòd reſurrexerint, ſicut Chriſtus ad vitam immortalem. Secundus ſic fatur, *Sunt, qui reſurrexerunt in paſſione Chriſti, & iſti planè beati, qui acceperũt Chriſti gratiam.... Et ingreſſi ſunt in Sanctam ciuitatem. Puto, quòd illam magis ſignificet ſupernam, quàm iſtam Hieruſalem, quàm reliquit, quam incuſauit; quod in iſtam pedibus, in illam autem ſupernam meritis intrauerint.* Vltima hæc verba non tranſcripta à Suario, videntur excludere ingreſſum Sanctorum illorum, penes corpora in Hieruſalem cæleſtem, quando ad eam Chriſtus aſcendit; & priora intelligenda non ſunt de reſurrectione ad vitam immortalem, cùm loquatur S. Ambroſius de reſurrectione facta tempore paſſionis Chriſti, ſeu tempore intercedente ab ipſius morte vſque ad reſurrectionem, quam nulla alia perpetua præceſſit, vt ſæpe docet idem S. Doctor.

3 Meliùs (ni fallor) citaretur in ſerm. 74. vbi hunc in modum ſcribit explicans verba Pſalm. 15. *Notas mihi feciſti vias vitæ: Hoc vtique in reſurrectione ex perſona dicitur Saluatoris, qui dum poſt mortem ab inferis redit ad Superos, incipiat notam habere viam vitæ, quæ anteà habebatur ignota. Ignota enim erat ante Chriſtum via vitæ, quæ nullius adhuc reſurgentis fuerat temerata veſtigio. At vbi Dominus reſurrexit, nota facta ſolo attrita eſt plurimorum; de quibus S. Euangeliſta ait: Multorum corpora Sanctorum ſurrexerunt cum eo, & introierunt in ſanctam ciuitatem. Vnde cùm Dominus in Reſurrectione ſua dixerit: Notas mihi feciſti vias vitæ; poſſumus & nos iam dicere Domino: Notas feciſti nobis vias vitæ: ipſe enim nobis notas fecit vias vitæ, qui nobis ſemitam manifeſtauit ad vitam.* Hactenus ille, qui videtur loqui de reſurrectione Sanctorum ad vitam immortalem; huius enim ſolius vitæ via ignota erat ante reſurrectionem Chriſti, ſiquidem ante hanc iam euenerant reſurrectiones aliæ ad vitam mortalem.

4 Fateor, S. Ambroſium aliis in locis non fauere. Nam lib. 6. in Lucam cap. 8. inquit: *Reſurrectio temporalis in Domini paſſione celebratur, vt perpetua illa credatur.* Et lib. 1. de interpellatione cap. 7. Ipſe (id eſt Chriſtus) *eſt reſurrectio, primogenitus ex mortuis, in quo omnes quidem prærogatiuam futuræ reſurrectionis accepimus: ſolus tamen adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit.* Subintellige exceptam à generali iſta propoſitione Virginem Deiparam, vt & ab alia S. Iuſtini in reſponſione ad q. 85. orthodoxorum vbi leges, *Nulliuſdum ad immortalem, & incorruptibilem vitam facta eſt reſurrectio, præterquam IESV Chriſti.*

5 Patribus allatis à Suario addo alios. S. Hieronymus in cap. 27. Matth. ait, *Sanctam ciuitatem, in qua viſi ſunt reſurgentes, aut Hieruſalem cæleſtem intelligamus, &c.* in epiſt. 150. ad Hedibiam q. 8. *Monumenta quoque.... ideo ſunt aperta, vt egrederentur de his, qui priùs in infidelitate mortui erant, & cum reſurgente Chriſto, atque viuente viuerent, & ingrederentur cæleſtem Hieruſalem, & haberent municipatum, nequaquam in terra, ſed in cælo, morientéſque cum terreno Adam reſurgerent cum Adam ſupercæleſti.* Sic ibi, ſed in epiſt. 17. Paulæ, & Euſtochij ad Marcellam attributa communiter S. Hieronymo admonemur, *ne ſtatim Hieroſolyma cæleſtis, ſicut plerique ridiculè arbitrantur, in loco Matthæi intelligatur, cùm ſignum nullum eſſe potuerit apud homines Domini reſurgentis, ſi corpora Sanctorum in cæleſti Hieruſalem viſa ſunt.* Non ideò tamen putandum eſt, S. Doctorem Maximum mutaſſe ſententiam; nam in his poſtremis verbis tantummodò vult, ne Euangeliſta, dum tradit, Sanctos rediuiuos veniſſe in Sanctam Ciuitatem, accipiatur ad litteram de Hieruſalem cæleſti; quòd autem in ſenſu myſtico anagogico poſſit accipi de ea, quatenus cum Chriſto poſt quadraginta dies aſcenderint ad eam, non improbatur à S. Hieronymo Neque in comment. ſuper c. 27. Matthæi, inquiens, *Quomodò Lazarus mortuus reſurrexit, ſic & multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, vt Dominum oſtenderent reſurgentem*, denotat, reſurrexiſſe ad vitam mortalem, ſolùm namque vtitur exemplo reſurrectionis Lazari, vt conſtet, Sanctos illos reſurrexiſſe non minus verè, & realiter, quàm Lazarus. Ita exponit Viegas comment. 1. ad c. 1. Apocal. ſect. 12. n. 5. Et promouetur hæc interpretatio, quia iuxta S. Hieronymum in verbis immediatè ſequentibus, non anteà reſurrexerunt Sancti, quàm Dominus reſurgeret, vt qui deberet eſſe primogenitus reſurrectionis ex mortuis: quæ ratio nihil concluderet, niſi ſupponeret, Sanctos reſurrexiſſe ad vitam immortalem.

6 S. Maximus Epiſcopus Taurienſis homil. 2. in feſto Paſchæ conſonat non obſcurè, *Apertus Tartarus reddit mortuos, innouata terra germinat reſurgentes, cælum reſeratum ſuſcipit aſcendentes: denique aſcendit Latro in paradiſum; Sanctorum corpora ingrediuntur in ſanctam Ciuitatem, ad viuos mortui reuertuntur, & profectu quodam in reſurrectione Chriſti ad altiora cuncta elementa ſe tollunt. Tartarus, quos habet, reddit ad ſuperos; terra, quos ſepelit, mittit ad cælum; cælum, quos ſuſcipit, repræſentat ad Dominum.* Multò clariùs Paſchaſius Rathbertus lib. 12. in Matthæum, *Multi quærunt, vtrùmne perpetua fuerit illa reſurrectio, an ſicut Lazarus ſurrexit iterùm moriturus, & iſti rurſus morituri reſurrexerint? Quod omninò Euangelium non declarat. Verumtamen plures ſunt, qui hoc affirmare ita conantur, quòd perpetua cum Chriſto eorum ſit reſurrectio facta, quamuis alij aliter ſentiant. Quia ſi veri teſtes veræ reſurrectionis Chriſti fuerunt, pium eſt, non ſolùm opinari, verùm & credere, ac fateri, quòd perpetualiter nunquam morituri reſurrexerint. Alioquin quomodo veri teſtes veræ reſurrectionis, ac perpetuæ eſſe poterant, ſi mox in*

terra

Digitized by Google

terræ puluerem rediiſſent? Sed quia de Euangelio id minus contradicentibus perſuadere poſſumus, ſatis ſit nobis, ſi noluerint credere, quod nec ipſi contradicere queunt, quæ ſatis deuotè vnà cum quibuſdam Sanctis Doctoribus ſuſpicamur. Rupertus lib.6.in Ioannem cap. 6. *Corpora in monumento iacentia virtute cibi huius non caruerunt, mox vt eodem ventre, quo tenebantur & ipſa, receptum eſt corpus eius. Nam virtute huius cibi factum eſt, vt multa ex ipſis reſurgerent in teſtimonium futuræ vniuerſalis reſurrectionis; qui vtique, non vt quidam exiſtimarunt, iterùm morituri reſurrexerunt, de quibus ait Euangeliſta, quia venientes in ciuitatem ſanctam poſt reſurrectionem eius apparuerunt multis: Quod videlicet abſurdè diceretur de iterùm morituris, v.gr. de Lazaro, vel de filio viduæ; qui non apparuerunt multis, ſed omnibus viſibiles, & contrectabiles, atque omninò conſimiles, ſiue compaſſibiles fuerunt ſub conditione mortali.*

7 Prudentius lib. Apotheoſis carmine contra Ebionem canit,

Hunc ego non venerer, qui cælo viſus, humique
Inuentus Rex, atque Deus moderatur vtrumque
Naturæ regimen, tumulóque Inferna refringens
Regna, reſurgentes ſecum iubet ire ſepultos,
Cælum habitat? ———— ——

Arator lib.1. Hiſtoriæ Apoſtolicæ,

Ad vitam monumenta patent, cineréſque piorum
Natalem poſt buſta nouant, lux tertia ſurgit,
Maieſtas cum carne redit, ſpeciémque coruſcam
Vmbrarum de ſede refert, vt ab exule limo
Interclusa diu patria repetatur origo.
Omnipotens parat ipſe vias, & corpora ſecum
Poſt tumulos regnare iubet, moriente veneni
Semine, florigero ſua germina reddidit horto.

Concordant Leontius, Chriſtianus Druthmarus, Zacharias Chryſopolitanus in cap. 27. Matth. Albertus Magnus in vltimum cap. Ioannis, & in 4. diſt.12.art.14. Interpres Apocalypſeos ſub S.Thomæ nomine cap.1.v.15.S.Antoninus 1.p.Hiſtoriali tit.5.cap.7 §.1. ait, remanere dubiam quæſtionem, & in 3.p.tit.19.cap.2.§.10. refert cum Iacobo Vitriaco, & Vincent.Bellouacenſi, S.Mariam Oegniacenſem iam morientem, & diuino, vt par eſt, credere, afflatam ſpiritu pronuntiaſſe, Deiparam Virginem corpore glorificatam, & Sanctos, qui cum Chriſto reſurrexerunt. Accedunt Ioachimus Abbas expoſit.6. in Apocalypſ.cap.19.v.12. Petrus Abaëlardus expoſitione in Symbolum S.Athanaſij, licet ſerm. 12. in die Paſchæ loquatur ſubobſcurè, Notherus Balbulus in Martyrologio 17. Kalend.Septembris apud Henricum Caniſium tom.6.lectionis antiquæ pag.904. Gerſon ſerm.in feſto Paſchæ 4.p. fol. 94. & in Meditationibus circa Aſcenſionem p.4.fol.178.eſto dubius ſit in Paſſione p.4.fol.174. & in ſerm. de Aſcenſione p. 1. fol. 53. Diſcipulus ſerm.1.in feſto Aſcenſionis, Iacobus de Vitriaco in 3.p.ſerm.feriæ Sextæ Paraſceues, Vbertinus Caſalenſis in arbore Vitæ crucifixæ lib.4.cap.32. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.4. cap.1. & lib.7.cap 65. Mauburnus in Roſeto tit. 21. Alphabeto 63 lit. G. Marcus Marulus de humilitate & gloria Chriſti; lib.3.Georgius Venetus de Harmonia mundi Cantico 3.ton.8. concentu 3. Buſtus in Mariali p.11.ſerm.1.de Aſſumptione, in eius 6.p. Ægidius Romanus opuſculo de vniuerſali Reſurrectione apud Salas infrà. Franciſcus de Mayronis in 4.diſt.43.q.1. Vvendelin.Argentinenſis, Ouandus ad eandem diſt. Carthuſianus in 3.diſt.22.q.6. & in cap. 27. Matth. Nyſſe in Reſolutione Theologorum tract.4 p.3 portione 2.q.1.concluſ.2. Arboreus in cap. 19. Ioannis, Caietanus in cap. 27. Matthæi, & in 3.p.q.53.art.3. Ianſenius cap.143. Concordiæ, Faber Stapulenſis, Ioannes Ferus, Ioannes Cagnæus, Claudius Guilliaudus apud Salmeronem infrà, Cantapretenſis lib. 2. Hypotypoſeon cap.3. Angelus de Pace lib.6.in Symbolum cap.27. Alfonſus de Mendoza in quodlibetis q.5. Scholaſtica à n.11. Ægidius Luſitanus tom.3.de Beatitudine lib.1. q.4. art. & §.3. à n. 12. Baronius anno Chriſti 48. n.24. Bonacina in 3.p.diſp.3.q.4. puncto, & propoſit.1. n.4. rurſus punct. 2. propoſit.7. n.16. Ioſephus de la Cerda Academia morali 29.in v.2.& 3.cap.8. Iudith, ſect.3.n.20. Benzonius expoſitione in Pſalm.86. cap.40. traditione 35. Lintrenſis in Acta Apoſtolica cap. 2. v. 29. Arthurus Pitſeus in c.27.Matthæi v.52. Eſtius ibidem, Torniellius anno mundi 4084.n.27. Hieronymus Columbus in Angelica, & Humana Hierarchia lib.8. cap.3.n.6. Franciſcus à Chriſto in 3.diſt.22.q.3.de Reſurrectione Chriſti, Robertus de Licio ſerm.72. cap.1. Ioannes Soarez Epiſcopus Connimbricenſis tract.5.in cap.28.Matth. Franciſcus Sonnius in demonſtrationibus Religionis Chriſtianæ lib.2.tr.5. cap.4.& 7.tract 6.cap.4. Alfonſus de Auendaño in cap.27. Matthæi, Gaſpar à Melo ibi.

8 Ex Societatis ſcriptoribus, Maldonatus in cap.27.Matthæi, Cornelius à Lapide ibidem, & in Acta cap.1.v.9. cap. etiam 2. v.29. vbi & Lorinus, Viegas ſuprà, Pineda in cap.19.Iobi v.25. Morales in cap.1.Matth.lib.5.tract.11.n.5. Iacobus Aluarez de Paz tom.3.de vita ſpirituali lib.3.p.2.c.4. meditatione 2. Azor part. 2. Inſtitutionum Moralium lib.1.cap.12.q.9. Ioannes Fernandez lib.1.Theſauri diuinarum ſcripturarum cap.114. n.4. Thyræus de Apparitione Thaborina cap. 8. n.13. Roa de ſtatu Beatorum cap.1. Tirinus in cap. 27. Matth. Salas in 1.2.tract.2.diſp.14.ſect.3.n.19. Tannerus tom.4. diſp.2.q.3.dub.4.n.115. Granadus 2. p. contr.13. de Nouiſſimis tract.1.diſp.3.n.7. Licèt in commentario ad 3.p. S.Thomæ q.53.art.3. propendeat n.9. in oppoſitam ſententiam, Raynaudus de bono Latione cap.13.n.18. Suarez ſuprà, compluréſque alij Moderni, tam exteri, quàm domeſtici, quos ne prolixior ſim, in ſyllabum non redigo, reſeruans & alios tam veteres, quàm recentes vſque ad ſectionem ſequentem. Vnde attento tot antiquorum Patrum, quot recenſuimus, conſenſu, mirandum eſt, Etherium, & Beatum lib.1.contra Elipandum, rurſúſque Beatum expoſitione M.S. ſuper Apocalypſim c.11. v.12. hæreſeos ferè damnare ſic opinantes. Sed par pari refert S. Anſelmus vnus ex ſic ſentientibus; arguit namque temeritatis eos, qui dicunt, Sanctorum reſuſcitata corpora rediiſſe poſteà in cineres. Remigius etiam pronuntiat, talia dicentibus fidem nullo modo accommodandam eſſe, & oppoſitum credi incunctanter debere.

Patres, & Scriptores, qui negant, non ſubiiſſe rurſus mortem.

9 CÆterùm vti cenſura Etherij, & Beati hac maximè tempeſtate tolerabilis non eſt, ita S. Anſelmi, & Remigij minus bona exiſtimatio de iis, qui dixerint, Sanctos reſurrexiſſe ad vitam mortalem, probari non debet. Dixerunt namque S. Chryſoſtomus homil. vlt. in cap.27. Matthæi, & ſerm.2. in Symbolum. S. Auguſtinus epiſt. 99. ad Euodium, tract. etiam vlt. in Ioannem, & lib.3. de mirabilibus ſacræ Scripturæ cap.13.(ſi Auguſtinianum ſit hoc opus) S.Proſper, (ſed ſubobſcurè) lib.

de

de promiſſionibus 3. parte cap. 29. S. Damaſcenus in hiſtoria Barlaam, & Ioſaphat, S. Sidonius Apollinaris in Euchariſtico ad Fauſtum Reienſem, Theophylactus, Euthimius in cap. 27. Matth. Oecumenius in 1. ad Corint. 15. v. 23. Petrus Comeſtor ex parte in hiſtoria Euangelica c. 178. S. Thomas 3. p. q. 53. art. 3. ad 2. Alenſis 3. p. q. 20. membro 2. art. 4. Incognitus in Pſal. 129. v. 23 24. B. Thomas à Villanoua concione in octaua Paſchæ Reſurrectionis, Catharinus opuſculo de vniuerſali omnium morte, & reſurrectione v. *Hic verò* Sotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1. Anerſa 3. p. q. 53. §. 1. Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. & art. 3. in fine, Franciſcus Lucas in c. 27. Matthæi, Ludouicus Tena in c. 11. ad Heb. difficult. 28. ſect. 5. n. 25. Et ex noſtra Societate Salmeron tom. 10. tract. 47. Valentia tom. 4. diſp. 2. q. 5. punct. 1. Natalis Adnotatione in imaginem Reſurrectionis Chriſti litt. *F.* Toletus in c. 9. Lucæ, Adnotatione 61. Pereyra in c. 6. Apocalypſ. diſp. 24. Barradas tom. 4. in Euang. lib. 7. c. 21. Salianus anno mundi 4086. n. 60. Eſcobar lib. 12. commentariorum in Euangelia ſanctorum de Chriſti funeribus ad c. 27. Matth. Adamus Contzen ad idem caput v. 52. & 53. q. 1. §. 2. Gordonus, & Menochius ibidem. In vita S. Brigittæ lib. 6. cap. 94. narratur audiuiſſe à Deipara, *Multi etiam in Hieruſalem ſancti mortui reſurrexerunt, quos vidimus, quorum animæ aſcenderunt cum filio meo, ſed corpora expectant cum aliis iudicium, & reſurrectionem.* Rurſus lib. 7. c. 26. *Item ſcias, quòd nullum corpus humanum in cœlo eſt, niſi corpus glorioſum filij mei, & corpus meum.* Eſt ergo valdè probabilis hæc ſententia ab authoritate. Sed tamen

Eligitur prior opinio.

10 NAm non minori authoritate nititur, Suario iudice, & connaturaliùs, ac decentiùs cogitat de vnione beatarum animarum ad corpora extra viæ, & meriti ſtatum: glorioſior præterea eſt tam Chriſto, quàm ſanctis rediuiuis, diuinámque erga hos pietatem multò ampliùs commendat. Duas alias rationes non admodùm vrgentes afferunt Paſchaſius, & Rupertus in verbis exaratis num. 6. neque vrgentior eſt alia deſumpta exinde à Remigio, quòd ſanctis rediuiuis maius eſſet tormentum deponere rurſus corpora, quàm ſi non reſurrexiſſent. Videatur Suarez. Iam ſi quis contra præhabitam ſententiam obiectiones eneruatas velit, morem geram in ſectione proxima.

Sanctorum cum Chriſto reſurgentium exiſtentia in Empyreo ſecundùm animas, & corpora glorificata ſubinfertur.

11 CVm itaque Sancti reſurgentes cum Chriſto non obierint rurſus, ſed acceperint corpora immortalia, & glorificata, fit, aſcendente Chriſto, aſcendiſſe vnà cum ipſo ad Empyreum, ibíque viuere feliciſſimam vitam ſecundùm animas, & corpora. Aſcendiſſe in cœlum exprimunt omnes ferè Patres relati pro reſurrectione ad vitam immortalem. Certè ſi non aſcendiſſent, reportaſſent damnum ſanctorum animæ ex vnione perpetua ad corpora, ſiquidem aliæ animæ extractæ è ſinu Abrahæ & non vnitæ ad corpora aſcenderunt cum Chriſto. Præterea beatis animabus, & glorificatis corporibus locus proprius, & connaturalis non alius eſt, quàm cœleſtis, vt liquet ex Exercit. antecedente, & conſtabit ampliùs ex ſubſequente. Ad hæc: ſi nonnullorum animæ, quæ reunitæ ad corpora patiuntur iam tam in ſe, quàm in corporibus pœnas damnationis æternæ, includuntur intra Orci carceres, ſicut de Dathan, & Abiron ſupponitur in tranſitu à Suarez 3. part. quæſt. 53. commentario art. 3. perſuaſúmque aliquibus eſt, vt Druthmaro c. 56. in Matthæum, & aliis apud Cornelium Numerorum 16. verſ. 33. Apocalypſis 19. verſ. 20. probabiléque cenſetur ab ipſo, & à Lorino in Pſalm. 54. verſ. 16. Numeror. 16. verſ. 30. Ribera ad locum deſignatum Apocalypſis, degent è contrario intra Empyrei Regiam illorum ſanctorum animæ beatæ, quibus glorificatio corporum indulta eſt iam à Deo. Denique beata hominum corpora ante generalem reſurrectionem, nullibi cōmodiùs exiſterent, quam in Empyreo, tum ob loci excellentiam, tum & magis præcipuè, ob ſocietatem, & conuictum cum Chriſto; ex cuius ſuauiſſima præſentia creſcet magnopere accidentalis conciuium gloria: & rationabile videtur, vt ipſius Chriſti beatitudo corporalis haberet ſocios; *minus enim corporalis felicitas aliquid habere videtur, ſi deſit corporalis ſocietas. Eſt enim homo ſecundùm vitam corpoream animal ſociale non ſolùm propter indigentiam neceſſariorum ad vitam, vt in hoc mundo contingit; ſed etiam propter naturalem delectationem in ipſa corporali conuerſatione conſiſtentem.* Quæ ſunt Caietani verba. An ne Chriſti corpus vacua ſe iactet in aula Empyrea? Anne is, cui *deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum,* nullos ibi homines, nullos ibi ſocios corpore, & animo conſtantes habebit? Aſt, inquis, habere ſociam Matrem. Multum id eſt, fateor, ad delitias, & corporalem felicitatem. Sed tamen Virgo Mater poſt nati aſcenſionem commorata eſt diù in terris; quare toto eo tempore Chriſti corpus ſocietate corporali careret, & adhuc poſt Virginis aſſumptionem congruum apparet, vt adſint ſocij alij.

12 Obiicies nihilominus cùm P. Salmerone, *non decuiſſe, vt quiſquam in corpore, & anima ingrederetur ad nuptias agni ante ſanctiſſimam Virginem primariam Dei ſponſam, vt quemadmodùm paradiſum terreſtrem primus Adam, & prima Eua coluerunt, ita in cæleſtem, in illo terreſtri deſignatum, nemo ante ſecundum Adam, & ſecundam Euam fuerit habitus dignus, qui ingrederetur. Nam etſi gloria corporis extrinſeca ſit, tanta tamen eſt, vt nemo ante Matrem eam ſit promeritus: vt vita æterna primo à capite, deinde per MARIAM Virginem, quæ venerabile collum eſt huius corporis myſtici in reliquum totius Eccleſiæ corpus diffundatur.* Ita ex Salmerone, & hic ex Catharino; confirmaríque poteſt ex epiſtola Michaëlis Glicæ ad Alypium, vbi ait; *Quemadmodum poſt primorum peccatum parentum corpora per peccatum interitui facta ſunt obnoxia: & hinc huiuſmodi peſtis, ac labes per omnem eorum poſteritatem permanauit: ita modò duo corpora, facta corruptionis ignara, & neſcia, primitiæ fuere vitæ, quam expectamus, ſempiternæ.* Reſpondeo, ſicut tanta non eſt hæc congruentia, vt ex ea probetur, Deiparæ penes animam deberi præ reliquis animabus ſecundum ingreſſum in Empyreum; ſic nec tantā eſſe, vt ex ea probetur, deberi ſecūdum quoad corpus glorioſum.

Patres aliqui deſignantes rediuiuis cum Chriſto Sanctis ſtationem in paradiſo terreſtri notantur.

13 S. Cæſarius in Dialogo 4. ſanctis, qui cum Chriſto reſurrexerunt, non ampliùs morituri, paradiſum terreſtrem in habitationem conſtituit,

Digitized by Google

tuit. En eius verba: *Non enim propter præſentes incarnatus Chriſtus iis ſolis profuit; ſed & præcedentes à morte reſuſcitauit, & poſteris ſpem reſurrectionis, vitámque donauit. Propter quod à mortuis ſuſcitatus, ſecum quoſdam reſuſcitauit, & ipſe quidem cœlos eſt ingreſſus, illos autem in regionem viuentium tranſtulit, vbi Henoc, & Elias ſunt, non amplius morituros.* Tertullianus lib. de Anima c.55. indicat id ipſum dum inquit, *Sed in æthere dormitio noſtra cum pueris Platonis:: imo inquis in paradiſo, quo iam tum & Patriarchæ, & Prophetæ appendices Dominicæ reſurrectionis ab Inferis migrauerint.* S.Iuſtinus, aut quiſquis eſt Author illarum quæſtionum in explicatione quæſt.85. ad Orthodoxos, ait, eos Sanctos exiſtere in paradiſo cum Henoc, & Elia, quin tamen habeant corpora immortalia, & glorificata, quale iam eſt corpus Chriſti, & qualia erunt ipſorum, ac cæterorum iuſtorum corpora in reſurrectione generali. Nicephorus Calliſtus lib.1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.31. videtur conſentire. Ambroſius Catharinus citatur à Salmerone, quatenus in opuſculo de conſummata gloria ſolius Chriſti, ac Diuæ Virginis relinquat ſub dubio, an viuant in paradiſo. Sed in eo opuſculo remittit ſe ad aliud ſupra memoratum, quin vtrobique addubitet.

14 Tertullianus, & Author illarum quæſtionum ac Nicephorus opinati ſunt ſanctorum animas non beati ante Iudicij diem; ideóque cœleſtis paradiſi ſedes denegarunt animabus, & corporibus Sanctorum, de quibus eſt ſermo; idémque coniectari poteſt de S.Cæſario. Audiendi tamen non ſunt, eo quòd Iuſtorum animabus, quibus nihil purgandum ſupereſt, dilata beatitudo vſque ad Iudicij diem damnata iam eſt ab Eccleſia. Si ergo Sancti rediuiui cum Chriſto beatitudinem penes animas adepti ſunt, cur non & corporum glorificationem? Hac autem conceſſa, negatur, aut in dubium vertitur immeritò exiſtentia in paradiſo cæleſti.

SECTIO II.

Quinam ſint Sancti, qui, Chriſto reſurgente, reſurrexerint; & aſcendente, aſcenderint in Empyreum maneántque ibi cum corporibus glorificatis?

15 EO progredior, vt aliquorum iuſtorum, qui in corporibus glorificatis aſcenderint cum Seruatore ad Empyreas ſedes, & modò eas poſſideant, ſperem rationem reddere ex probaris Authoribus. Agam de illis ordine temporis, quo mortem obiêre.

An Adam, & Eua?

16 REſurrexiſſe cum Chriſto Adamum, traditur in Apochrypho Euangelio Nicodemi apud Bellouacenſem lib.7. ſpeculi hiſtorialis c.59. Creditur à Petro de Natalibus lib.3. Catalogi Sanctorum cap.2. Franciſco Luca in cap.27. Matth. Carthuſiano in cap.28. eiuſdem Matth. Pineda in cap.19. Iobi, verſ. 25. Lorino, & Cornelio in c.10. Sapientiæ verſ.1. Luiſio Apaticio in tract. Apologetico pro cultu erga Adamum concluſ. 3. n. 23. Tirino in cap.27. Matth. Ex quibus Petrus de Natalibus inquit, *Quòd autem Adam ſanctus fuerit, ex eo maximè creditur, quòd in horto ſepulturæ Dominicæ tumulatus cum Chriſto reſurrexiſſe perhibetur, & vnà cum cæteris reſurrectionis teſtibus; & beata in æternis ſedibus immortalitate veſtiri, vt dicit Hieronymus.* Pineda, & Lorinus citant S.Auguſtinum q.161. in Geneſim, Origenem tract. 35. in Matth. S.Athanaſium in ſerm. de Paſſione. Cornelius accenſet S.Macharium homil.11.

17 Sed in S.Auguſtino nihil ad rem inuenio. Et eius ſerm.71. de tempore, vbi etiam de Adami ſepultura, commendat quidem redemptionem per ſtillantem Chriſti ſanguinem, non autem reſurrectionem Adami. Origenes hæc tantùm habet, *Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus, vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, id eſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo per reſurrectionem Domini Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit. Inconueniens enim erat, vt cum multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe Pater omnium hominum huiuſmodi gratiam conſequeretur.* Hucvſque Origenes, cuius vltima verba anſam dedere Pinedæ. Aſt ea quis intelliget de gratia reſurrectionis in die Iudicij, *cum populo vniuerſo*; de qua fuerat loquutus Origenes. In S.Athanaſio hæc lego, *Non alibi patitur, nec alibi crucifigitur Chriſtus, quàm in Caluariæ loco, quem Hebræorum Doctores dicunt eſſe ſepulchrum Adæ: nam eum illic fuiſſe ſepultum poſt maledictionem affirmant. Quòd ſi verum eſt, admiror loci congruentiam. Conueniebat enim, vt Dominus volens reuocare primum Adam, eo in loco pateretur; vt illius peccato remiſſo, idem à toto genere tolleret. Et quoniam audiuit Adam, Terra es, & in terram abibis; ideò rurſus illic poſitus eſt, vt illic reperto Adamo primum diſſolueret peccatum. Deinde pro eo, quod dictum erat, Terra es, & in terram abibis; iam dicat, Surge, qui dormis, & reſurge à mortuis, & luceſcet tibi Chriſtus. Atque iterum Surge, & veni, ſequere me, poſthac ne ſis in terra poſitus, ſed aſcendas in cælum. Neceſſe eſt enim, vt excitato Domino, ſimul cum hoc excitetur & Adam, & quotquot ex Adam progeniti ſunt.* Sic S.Athanaſius, ſed tamen de Adami reſurrectione in extremo die, aut de ea vt habita per ſpem poſſet commodè percipi; Vel hoc modo percipi debet quantùm ad reſurrectionem poſterorum Adæ. S.Macharius nullum habet verbum de huius reſurrectione.

18 Expendo alios Patres. S.Epiphanius hæreſi 46. ſcribit, *In Cranij, ſeu Caluariæ loco Crucifixus Dominus noſter IESVS Chriſtus, per aquam, & ſanguinem, qui fluxit ab ipſo per compunctum ipſius latus, in ænigmate ſalutem noſtram oſtendit ab initio maſſæ primi Patris reliquias aſpergere auſpicatus. Quo etiam nobis oſtenderet reſperſionem ſanguinis ipſius ad mundationem noſtræ inquinationis, & animæ pœnitentis, & in exemplum rigationis; ac purificationis ſordium peccatorum noſtrorum factam eſſe; effuſam videlicet aquam ſuperiacentem ſub loco, & ſepultum in ſpem ipſius, & noſtram, qui ex ipſo geniti ſumus. Quare & hic implebatur, quod dictum eſt; Surge, qui dormis, & reſurge ex mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus. Etiam ſi enim de nobis dicit, qui mortificati ſumus operibus, & in profundo ignorantiæ ſomno dormimus: attamen illuc principium inſinuationis modum continet, & non ſimpliciter, neque otioſè. Surrexerunt enim, inquit, multa corpora Sanctorum, velut Euangelium habet, & ingreſſi ſunt cum ipſo in Ciuitatem ſanctam.* Hactenus S.Epiphanius, qui dum meminit reſurgentium cum Chriſto, indicat non obſcurè, vnum ex illis fuiſſe

Adamum

Digitized by Google

Adamum, niſi illorum meminiſſe dicatur in exemplum reſurrectionis futuræ.

19 Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam nomine Paulæ, & Euſtochij inquit, *In hac vrbe, imo & in hoc tunc loco & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam; vnde & locus, in quo Crucifixus eſt Dominus noſter, Caluaria appellatur, ſcilicet, quòd ibi ſit antiqui hominis Caluaria, vt ſecundus Adam, & ſanguis Chriſti de cruce ſtillans primi Adam, & iacentis protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo ille Apoſtoli compleretur; Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Sic ibi. Et in epiſtola ad Heliodorum de Epitaphio Nepotiani interpretatur illa Apoſtoli verba non diſſimili modo, licèt ſpeciatim de Adamo non loquatur. *Ante Chriſtum Abraham apud inferos, poſt Chriſtum Latro in paradiſo. Et idcircò in reſurrectione eius multa dormientium corpora ſurrexerunt, viſáque ſunt in cœleſti Hieruſalem. Túncque impletum eſt illud Elogium; Surge qui dormis, &c.* Ita Maximus Doctor; qui tamen Commentario tum in capite 27. Matth. verſ. 33. tum in cap. ad Epheſios 5. verſ. 14. arguit falſitatis eam interpretationem, vt & Petrus Comeſtor in Hiſtoria Euangelica capite 170. vbi credit, à falſariis poſitam in ſancto Ambroſio ſuper epiſtolam ad Romanos. Sed inueniri à me non potuit. Quicquid tamen ſit de ea Expoſitione, ſanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam, & lib. 5. epiſtol. 19. ſequitur communem inter Patres traditionem acceptam ab Hebræis, iuxta quam Chriſtus Crucifixus eſt, vbi Adæ ſepulchrum: & ſubdit S. Doctor, *Vt Adamum mortuum in ſua cruce reſuſcitaret Chriſtus.* Sed exponi poteſt de reſuſcitatione in ſpe, vti S. Chryſoſtomus, & Leo Papa IX. dum ille in Miſſa ait, *Crucem ſponte pro nobis ſubiit, per quam reſuſcitauit Protoplaſtum, & à morte animas noſtras ſaluauit*, & dum hic Canon. 54. *Hi duo*, de conſecrat. diſtinct. 1. dicit, *In Chriſto reſurgente reſurrexit prolapſus ille protoplaſtus.* Exponi prætereà poſſunt, quatenus Chriſti morte, & reſurrectione anima Adami donata ſit viſione Dei, & de Limbo Inferni ſit extracta; ſic enim Leo Papa explicatur in Gloſſa.

20 Qui ſatis fundatam in Patribus cenſuerit Adami reſurrectionem, reperiet pro ea plures congruentias. Et quidem conueniens videtur Pinedæ, *Vt qui mortis ſententiam audiuit, ab eo etiam reſurrectionem ſtatim acciperet, qui illius peccatum ſua morte expiarat.* Quæ ratio habetur apud ſanctum Athanaſium ſuprà. Quòd ſi ſanctus Irenæus lib. 3. cap. 34. colligit, *Cùm ſaluatur homo, oportere ſaluari eum, qui prior formatus eſt homo, quoniam nimis irrationabile eſt, illum quidem, qui vehementer ab inimico læſus erat, & prior captiuitatem paſſus eſt, dicere, non eripi ab eo, qui vicerit inimicum ereptos verò filios eius, quos in eadem captiuitate generauit*: Licebit etiam colligere, reſurrexiſſe Adamum cum Chriſto, quo tempore aliqui eius filij reſurrexerunt. Scio S. Clementem Romanum libr. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum capite 8. dicere, *qui corpus Adæ ex terra fabricatus eſt, idem & Adæ corpus, & ceterorum poſt diſſolutionem reſurgere faciet.* Sed pro his verbis ſatis eſt, ſi corpora Adami, & poſterorum diſſoluta, redactáque in puluerem reparentur iterùm in reſurrectione ſiue omnium ſimul, ſiue Adami vno tempore, & poſterorum alio.

21 Carthuſianus, Franciſcus Lucas, & Tirinus ſuprà reſurgenti Adamo coniungunt Euam. Cæterùm Lorinus in c. 2. Actor. v. 29. exiſtimat, *non decuiſſe ſaltem fœminam aliam primogenitam eſſe ex mortuis ad immortalitatem ante Deiparam, ſicut fuit Chriſtus inter viros.* Exiſtimatio hæc non diſplicuit Cornelio in c. 27. Matth. Mihi etiam videtur valdè pia; licèt quemadmodùm Deiparæ anima inter fœminarum aliarum animas non fuit prima, quæ permanenter adepta eſt beatitudinem, ita potuit dicere, vt corpus eius non eſſet primum, quod inter mulierum reliquarum corpora obtinuerit immortalitatem. Obiiciet aliquis, vt quid Adami, & Euæ reſurrectio? Eſſent enim ignoti iis, quibus apparerent, & proinde incongrui teſtes reſurrectionis Chriſti. Reſpondeo, ſanctos rediuiuos, ignotos in vita mortali iis, quibus apparuerunt, cognitos fuiſſe interno inſtinctu, & reuelatione diuina, vel talia ſui exhibuiſſe indicia, vt quos dignati ſunt colloquio reddiderint expertes omnis incertitudinis. Non abſimiliter reſponderi ſolet, dum quæritur, quomodo Apoſtoli teſtes Transfigurationis Chriſti cognoſcere potuerint Moyſem, & Eliam, quos nunquam viderant.

An Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, & Ioſeph?

22 HOs etiam inter reſurgentes cum Chriſto numerat Pineda; innixus nonnullis coniecturis, quæ niſi authoritate Scripturæ, aut Patrum obfirmentur, non admodùm conuincunt. De Noë aliquid indicat quidam Iulianus in verbis exarâdis n. 26. Eſcobar tom. 2. Commentariorum in Euang. Sanctorum lib. 1. ad cap. 16. Marci, ſect. & Panegyr. 5. obſeruatione 6. num. 7. teſtatur, ſe legiſſe ſpecialiter apud Patres, quòd reſurrexerit Noë. Vtinam illos oſtendiſſet vir de ſacris non tantùm litteris, ſed de omni etiam re litteraria optimè meritus; neſcias enim, an fæcunditatem in tot libris edendis, an ſingulorum probitatem magis mirere, & laudes. Dominicus de Soto in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1. ait, reſurrectionem Abraham eſſe maximè credibilem. Carthuſianus eam affirmat, vt & Tirinus concordans etiam quoad Noë: & vterque quoad Iſaac. In Abulenſi quoad Iacob, & Ioſeph obſeruaui hæc ad cap. 50. Geneſ. *Cauſa, quare adiurauit Ioſeph aſportare oſſa ſua in terram Chanaan fuit, quia ſicut Iacob per ſpiritum Propheticum cognoſcebat Meſſiam de ſuo ſemine naſciturum, & in terra Chanaan conuerſaturum, ibique poſt paſſionem reſurrecturum: cum quo & corpora multa Sanctorum reſurrectura eſſe credebat, deſiderauit eſſe vnus de illis reſurrecturis: Ita Ioſeph eundem ſpiritum Propheticum habens, credidit eadem, optauitque ſe inter reſurgentes cum Chriſto computari. Quod ſatis veriſimile eſt, cùm dicatur Matth. 27. multa Sanctorum corpora reſurrexiſſe. Ioſeph autem de principalibus erat inter Patriarchas, quibus cum Chriſto reſurgere primò conuenit, & conſequenter aliis minoribus, vt Prophetis.* Hactenus Abulenſis, cui colludunt Primaſius in c. 11. epiſt. ad Hebræos v. 22. Petrus Comeſtor in hiſtoria Geneſis c. 100. Nicolaus de Lyra ad cap. 47. eiuſdem Geneſis. Petrus de Natalibus in Cathalogo Sanctorum lib. 4. cap. 1. Ouandus in 4. diſt. 43. propoſ. 5. Carthuſianus, & Tirinus, Salianus etiam anno mundi 2299. num. 6. multis proſequitur Pineda, prænouiſſe Iacobum reſurrectionem ſuam cum Chriſto reſurgente; nihil verò quod allegoricum non ſit, in eo reperies.

23 Contra horum omnium Patrum reſurrectionem iam factam ad vitam immortalem vrget locus Pauli ad Hebræos 11. verſ. 39. & 40. Cùm enim commendaſſet eorum fidem, concludit, *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.* Si autem reſurrexerunt ad vitam immortalem, ſequitur, accepiſſe iam plenam repromiſſionem animi, & corporis, & conſummatos iam eſſe ſine nobis, quantùm ad integram animi, corporiſque beatitudinem. Reſpondetur, Noë, & alios Patres memoratos non accepiſſe repromiſſionem, neque conſummatos eſſe ſine nobis, etiamſi iam glorificati ſint anima, & corpore; quia hæc glorificatio non eſt facta niſi tempore noui Teſtamenti poſt Chriſti mortem, & quia ingreſſi non ſunt in cœlum ſine Sanctis noui Teſtamenti, & Legis gratiæ, non quidem omnibus, ſed aliquibus, quod ſolùm intenditur ab Apoſtolo.

24 Minoris momenti eſt obiectio petita ex verbis Ioannis cap. 6. Apocal. v. 11. *Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec impleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut illi.* Nam expeditur facilè, ſi reſpondeatur primò, Ioannem habere ſermonem de Martyribus, qui poſt Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem obierunt. Secundò exprimere generalem regulam, de differenda ſecunda ſtola glorificatorum corporum vſque ad diem Iudicij; cui generali regulæ non repugnat exceptio aliqua ex peculiari priuilegio. Expedienda eſt eodem modo alia obiectio deſumpta ex verbis Chriſti apud Ioannem cap. 5. v. 28. *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei* in finali Iudicio. Etſi enim Noë, & alij Sancti recenſi iacerent in monumentis, quando Chriſtus loquebatur; tamen vniuerſalis ea loquutio exceptionem patitur, vt ſæpe euenit in aliis.

25 Quòd ſi vrgeas ex 1. ad Corinth. 15. v. 22. & 23. ac 24. vbi dicitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine: primitiæ Chriſtus; deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentum eius crediderunt; deinde finis, &c.* In quibus verbis proponitur hoc ordine reſurrectio ad vitam immortalem, vt ſcilicet primò Chriſtus eam adeptus ſit, ſecundò iuſtis concedatur, & poſtea proximè ſequatur mundi conſummatio. Eundem ſenſum confirmat epiſtola 1. ad Theſſalonicenſes cap. 4. verſ. 15. ac 16. & 17. Præter Chriſtum ergo nullus iuſtus reſurget immortalis multò ante finem mundi. Reſpondetur, S. Pauli verba interpretanda eſſe de iuſtis, quorum reſurrectio glorioſa non ſit anticipata ob ſpeciale indultum: alioqui non liceret ſentire Deiparam Virginem reuixiſſe iam immortalem.

An Iob? An Moyſes? An Dauid?

26 Reſurrectionis Iobi inſigne præbent teſtimonium Septuaginta Interpretes, & Theodotio. Legunt námque in vltimo cap. Hiſtoriæ Iob, *Mortuus eſt Iob ſenior, & plenus dierum. Scriptum eſt autem, ipſum rurſus reſurrecturum, cum quibus reſuſcitat Dominus.* Quæ verba amplectuntur S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Polychronius, Olympiodorus, Iulianus, Seuerus, Euagrius, Græci omnes, S. Ambroſius, & Auguſtinus, Latini. Tam hos, quàm illos collegit Paulus Comitolus nota marginali ad additiones in cap. 42. Iobi. Accedit S. Clemens Romanus lib. 5. conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 8. inquiens, *Diuinus ille, atque inſignis tolerantia Iob, de quo ait Scriptura, ſcriptum eſſe, ipſum rurſus ſuſcitandum eſſe cum iis cum quibus Dominus reſurgit, ſic Deo loquitur, &c.* Sapientiſſimus Franciſcus Turrianus notat in margine illud, *Rurſus ſignificare non ſolùm ſuſcitandum eſſe Iob in illa nouiſſima, & generali omnium reſurrectione; ſed iterùm: & quidem prius ſuſcitandum fuiſſe, cùm Chriſtus reſurgeret.* Iulianus verò (Nicetam vult Pineda) notat illud *Rurſus*, appoſitum eſſe, *vt prior ea intelligatur reſurrectio extitiſſe, cùm is ab ærumna fuit excitatus. Reſurget autem cum Noë & Daniele, quibuſcum ab Ezechiele numeratur.* Et anteà dixerat, reſurrecturum *aut die extrema, aut Crucis tempore.* Aſt prior interpretatio aduerbij *Rurſus* grata fuit Viegæ in cap. 1. Apocalypſis commentario 1. ſect. 11. Ægidio Luſitano tom. 1. de Beatitudine lib. 4. q. 5. art. 2. §. 5. n. 50. Recupito lib. 6. de Deo q. 10. c. 4. n. 28. &, quod plus eſt, S. Ambroſio lib. 1. de interpellatione Iob cap. 8. ſcribenti, *ſimul etiam illud prophetare intelligitur dicendo, ſtatuas mihi tempus, in quo memoriam mei facias: quòd in paſſione Domini reſuſcitandus foret, ſicut in fine huius libri teſtatur.* Salianus anno mundi 2544. num. 781. cùm reſurrectionem Iobi ad immortalem vitam propoſuiſſet ex placito Pinedæ ſubiungit, *Reuera æquum fuit, eum accipere matura reſurrectionis priuilegium, qui præ omnibus Prophetis mundo myſterium reſurrectionis tanto apparatu, ac luce verborum enuntiarat.*

27 Ingerunt nihilominùs non leuem difficultatem illa ipſius Iobi verba cap. 19. v. 25. *Et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Reſpondet Viegas non de ſua ipſius perſona, ſed de vniuerſali hominum reſurrectione more prophetico enuntiaſſe. Pineda verò reſpondet, loqui de ſtatu legis Euangelicæ, & Chriſti patientis, atque reſurgentis complentis ſua morte, & reſurrectione priora ſæcula, & incipientis ſtatuere nouum; eſt enim Pater futuri ſæculi. Suarez denique reſpondet, intendiſſe ſolùm dicere directè, in nouiſſimo die Iudicij ſe victurum, & habiturum corpus. Omitto Eugubini interpretationem de reſurrectione metaphorica ab ærumnoſo ſtatu ad priſtinam felicitatem; nam hæc interpretatio, neque in contextum quadrat, neque arridet aliis Expoſitoribus.

28 Obiicitur vlteriùs contra reſurrectionem Iobi ad vitam ſiue immortalem, ſiue mortalem, eius ſepulchrum non fuiſſe prope Hieruſalem, vnde reſurgere oportebat eos, qui futuri eſſent teſtes reſurrectionis Chriſti. Sed reſponderi poteſt primò, non conſtare ex ſacris Litteris, an tantùm propè Hieruſalem aperta ſint monumenta; & an tantùm reſurrexerint corpora Sanctorum prope illam iacentia. Secundò, non conſtare, an oſſa Iobi longè à Hieruſalem iacerent ſepulta; fortè ex Idumæa in Iudæam ſunt adducta. Poſterior hæc reſponſio diuinatoria eſt, ideóque prior probanda magis.

29 Corpus Moyſis comparaſſe cœleſtem gloriam in reſurrectione Chriſti, tradit S. Ambroſius lib. 4. de fide cap. 1. inquiens, *Nam & Moyſem, licet & corpus eius non apparuerit in terris, nuſquam tamen in gloria cœleſti legimus, niſi poſteaquam Dominus reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſoluit Inferni, & piorum animas eleuauit.* Ad quorum verborum intelligentiam ſupponendum eſt, S. Ambroſ. ſenſiſſe in lib. 1. de Cain, & Abel c. 2. mortuum non eſſe Moyſem; ideóque hîc à S. Doctore animaduerti, corpus

eius,

Digitized by Google

eius, etſi antea viuum, non comparaſſe cæleſtem gloriam vſquè dum Chriſtus *reſurrectionis ſua pignore vincula ſoluit Inferni.* Video poſſe aliter intelligi Ambroſij verba, quatenus illa, *Nuſquam tamen in cæleſti gloria legimus.* referantur cum Carthagena in homil. 12. de Reſurrectione Chriſti ad ſolam Moyſis animam. Sed planior eſt alius ſenſus. Dominico Soto videtur maximè veriſimile, quòd Chriſto reſurgente, reſurrexerit Moyſes ad vitam mortalem. Tyræus tract. de apparitione Thaborina c.8.n 25. applaudit, vt & Pineda reſurrectioni eiuſdem ad immortalem.

30 Non applaudet Viegas, qui in cap. 11. Apocalypſis comment. 5. ſect. 7. numer. 2. ait, indicari in Epiſtola Iudæ verſ. 9. eo tempore adhuc iacuiſſe corpus Moyſis in ſepulchro. Sed qua ratione indicetur, non apparet mihi, quandoquidem Michaëlis Archangeli cum Diabolo altercatio de Moyſis corpore non euenerit tempore Apoſtoli Iudæ. Applaudent multo minùs, qui venturum putant Moyſem contra Antichriſtum; Hi autem ſunt Ioachimus Abbas in capite 11. Apocalypſis verſ. 3. Iſidorus Clarius, Gagnæus, Ianſenius, Maldonatus, & Toletus cenſentes (excepto Ioachimo) ſuſcitandum tempore Antichriſti, aut iam reuixiſſe, vel cùm apparuit in monte Thabor, vel cùm Chriſtus reſurrexit; & tranſlatum ad amœnum aliquem locum. Quo pacto conciliatur optimè aduentus ille cum morte: neque hanc negauit Maldonatus, vt ei imponit Maluenda lib. 9. de Antichriſto, capite 18. Dixi *excepto Ioachimo*, nam iſte tum ibi, tum in lib. Introductorio in Apocalypſ. cap. 27. tum in cap. 1. Apocalypſis verſ. 18. opinatur, Moyſem non eſſe mortuum; pro qua opinione ſtant etiam Catharinus in Geneſim, & Arboræus lib. & cap. 11. Theoſophiæ; qui tamen vel ſui immemor, vel meliùs ſapiens inquit in cap. 9. Lucæ, verſ. 30. conſtare ex ſcriptura, Moyſem obiiſſe. Et ita quidem eſt; Deuteronomij namque 32. & 34. tam clarè exprimitur Moyſis mors, vt mirandum ſit, dubitari potuiſſe de illa. Quare ſibi perſuadet Thyræus ſuprà c.3.n.32. S.Ambroſium in loco præcitato, S.Hilarium can. 20. in Matthæum, S.Gregor. Niſſenum in fine lib. de vita Moyſis neutiquam velle, hunc non obiiſſe, ſed paulò poſt mortem reuixiſſe. Fides ſit penes Thyræum.

31 Sed non ſilebo, non improbari à Ioachimo in capite 11. Apocalypſis verſ. 3. reſurrectionem Moyſis paulò poſt mortem; quæ reſurrectio, ſi non fuerit in corpore immortali, & gloriſicato, vt cogitabat Rabbi Samuël Marrochianus de quo in n.149. Exercit. 18. haudquaquam ſubiacet rigidæ cenſuræ. Neque item tacebo S.Ambroſium in Pſal 118. ſerm. 18. ad v. 5. apertè tradere, mortuum eſſe Moyſem; & à S.Hilario canone 17. in Matth. innui id ipſum, dum in Transfiguratione Chriſti Moyſem conſpicabilem adſtitiſſe, pronuntiat, *vt humanis corporibus decreta eſſe reſurrectionis gloria doceretur:* quæ ratio nulla eſſet, ſi mortem Moyſes non ſubiiſſet, neq; reuixiſſet, vel paulò poſt mortem, vel cùm apparuit in monte Thabor: & vno ex his temporibus reuixiſſe ſignificat ſuboſcurè S. Hilarius canone 20. dicens, *Siquis conditionem & mortis, & ſepulchri Moyſi diligenter aduertit, & ſecretarum ſcripturarum, ſecundùm Apoſtoli authoritatem, cognitionem adeptus ſit, intelliget, omnia ita eſſe tractata, vt Moyſes potuerit iam videri,* ſcilicet in monte Thabor.

32 Quicquid ſit de mente S.Hilarij, reſurrectioni Moyſis ad vitam immortalem ſimul cum Chriſto, parùm præiudicaret opinio de ipſius contra Antichriſtum aduentu, vt porej parùm probabilis iudice Suario tom. 2. in 3.p. diſp. 55. ſect. 3. imò & omninò improbabilis, iudice Viega ſuprà; ſaltémque apud Patres, & Biblicos Interpretes inſueta eſt, & exotica. Author operis de mirabilibus ſacræ Scripturæ ſub nomine S. Auguſtini lib. 3. cap. 10. ſentiens, Moyſem *in ſuo vero corpore de ſepulchro reſumpto* apparuiſſe, quando transfiguratus eſt Chriſtus, addit, *Moyſi iterùm poſt hanc viſionem corpus ſepulturæ commendatur, vt ipſum in nouiſſimo die, quando reſurgent mortui, aſſumere poſſit.* Ita ille. Verùm neque opus citatum agnoſcitur vt S.Auguſtini legitimus fœtus, neque nos ſic reſurrectionem Moyſis ad vitam immortalem proponimus vnà cum Chriſto, vt inter Patres omnes conſtantem aſſeramus.

33 Quantùm ad Dauid durum videtur S.Auguſtino in epiſt. 99. *Vt non fuerit in illa reſurrectione Iuſtorum, ſi eis iam æterna donata eſt; cuius ex ſemine Chriſtus ::: tanta honorificentia commendatur.* Ne autem credat, donatam eſſe Dauidi, his retardatur, *Illud adhuc reſtat ::: quomodò à Petro dici potuerit :::: quando per illam prophetiam non de Dauid, ſed de Chriſto aſſeruit, fuiſſe prædicatum, carnem eius non vidiſſe corruptionem; & quod adiunxit de Dauid, apud eos eſſe monumẽtum eius. Vnde illos vtique non conuincebat, ſi corpus eius ibi iam non erat, quia etſi ante reſurrexiſſet, nec caro eius vidiſſet corruptionem, poſſet nihilominus monumentum illud manere.* Hactenus S.Auguſtinus. Sed Sophronius in lib. ſeu epiſtola de Aſſumptione B.Mariæ ad Paulam, & Euſtochium flectit S.Petri argumentationem in oppoſitum. Non enim dixit Apoſtolus, *Et corpus eius eſt apud nos*, ſed, *& ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem.* Actor. 2. v. 29. Gaſpar Sanchez in hoc loco notat, inefficacem eſſe argumentationem Sophronij. Nam cùm in ſepulchro conſtaret eſſe Dauid, idémque fortaſſe viſus eſſet ab iis, qui aderant, aut à maioribus viſum audiſſent, ſatis fuit meminiſſe ſepulchri, quòd memoriam Dauidis ibi ſepulti atque corrupti renouaret. Præterea ratio S.Auguſtini etiamnum vrget. Quare fateor cum Lorino ex ſepulchro ſolo non ſequi intentum S.Petri. Attamen non ideò neceſſe foret, vt eo tempore, quo loquebatur S.Petrus, exiſterent in Mauſolęo cineres Dauidis, nam ipſum Mauſolæum vſque tunc ſuperſtes, vbi tandem iacuerat Regis corpus, & corruptioni obnoxium videri, aut ex maioribus, qui vidiſſent, potuerat audiri ab iis ad quos Apoſtolus ſermonem habebat, ſatis vtique erat pro firmiſſimo argumento, & ineluctabili teſtimonio. Ipſe Petrus paulò poſt, videlicet in v. 34. inquit, *Non enim Dauid aſcendit in cœlum*, vt probet, non ipſi, ſed Chriſto competere eam prædictionem, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, &c. non tamen loquitur de anima Dauidis, niſi iuxta tempus præteritum, id eſt, antequam cum Chriſto cœlum aſcendiſſet. Si ad S.Petri diſcurſum neceſſaria adhuc iudicetur præſentia cadaueris Dauidici in ſepulchro, quando ipſe ſermonem habebat, Reſponderi poteſt, vt de S.Ioanne Baptiſta infra n.46.

An Ionas, Daniel, Ananias, Azarias, & Miſael?

34 DE Ionæ reſurrectione ad vitam immortalem primus, quem ſciam, affirmauit Pineda. Quoad Danielem præbuit ipſi occaſionem Iulianus, aut Nicetas allatus in num. 26. Sed dubitari meritò

meritò poteſt cum Sandæo in Theologia Symbolica lib.4.commentatione 6. Exercitat.1.n.33. cum Lorino ſuprà, & aliis. Nam Vercellis colitur Danielis crus, de quo Baronius in Martyrologio ad diem 21. Iulij, & S.Epiphanius lib.de vita, interitúque Prophetarum c.10. ait, Danielis ſepulchrum Babylone inuiſi ſuo tempore: Iacobus Philippus Bergomas in ſupplemento Chronicorum lib. 17. fol.418. tradit, Danielis corpus in Babylonis deſerto apud Ballachiam vrbem fuiſſe frequentatum ſæculo proxime elapſo.

35 Ambigi etiam poteſt de Anania, Azaria, & Miſaële adactis à Pineda. Etenim, de eorum reliquiis extat mentio in S.Danielis Stylitæ vita tranſcripta à Surio die 11.Decẽbris, & in Actis Ioannis, ac Cyri refertur, trium corpora puerorum Babylone Alexandriam tranſlata. Baronius paulò ante citatus aſſeuerat, ea inde Venetias deducta; magnamque ipſorum partem aſſeruari Romæ in Diaconia S.Hadriani apud boarium forum. Præterea in Cathedralis Eccleſiæ Ouetenſis *Camera Sancta*, intra arcam magnam conduntur reliquiæ de oſſibus trium puerorum, vt in officio ſanctarum Reliquiarũ eiuſdem Ædis recitatur die 13. Martij, lectione 6. narratque tum Pelagius Ouetenſis Epiſcopus, qui rerum Hiſpaniæ hiſtoriam continuauit à temporibus Bermudi II. Regis vſque ad obitum Alfonſi nuncupati Imperatoris, tum Lucius Marinæus Siculus lib.5. de rebus Hiſpaniæ titulo de ſacris Ædibus, aliique iam iam recenſendi. Vt enim conſtet, quantam fidem mereantur memoratæ reliquiæ oſſium Ananiæ, & ſociorum, viſum eſt, de arca, in qua continentur, pauca quædam hîc inſerere; quæ, dum Oueti degerem, ab amico conſultus explorare potui. Adiiciam diſcuſſionem de Sudario ſepulchrali capitis Chriſti Domini, ſumma ibidem Religione venerati; quod tamen Veſontioni extare, & coli contendunt Ioannes Iacobus Chifflerius in Criſi hiſtorica de linteis ſepulchralibus Chriſti, & Ioannes Acuña del Adarue diſcurſu 51. de effigiebus, & veris imaginibus non manufactis faciei, & corporis Chriſti. Simúlq; agam de S.Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi, quem fama eſt, vexiſſe ſecum in Hiſpaniam ſacra hæc Pignora. Ignoſcat Lector religioſis iſtis excurſibus, quos Hiſpanis, maximéque Aſturibus gratos fore confido.

36 Thecam itaque illam plurimis Sanctorum Reliquiis diuitem Toleto in Aſturias deportauit Vrbanus Præſul Toletanus, comitante Principe Pelagio Hiſpaniarum paulò pòſt reparatore, ne, à Mauris vrbe capta, ad ſacrilegas eorum deueniret manus; non ſecus ac è Troiæ incendio Anchiſes, & Æneas patrios penates extraxiſſe dicuntur. Sic prodiderunt memoriæ Noſtrates Hiſtorici Pelagius, & Sebaſtianus, ille Ouetenſis, hic Salmanticenſis Antiſtes. Lucas Tudenſis, Rodericus Toletanus, & alter Rodericus Palentinus, Alfonſus Rex cognomento Sapiens, Illeſcas, Garibay, Morales, Mariana, dum Regis Roderici miſerandam cladem commemorant, aut dum Alfonſi Caſti laudabilem vitam commendant: necnon Iulianus Perez in Chronico n.369. & 377. Luitprandus in chronico ad annum Chriſti 717. rurſúſque in Aduerſariis *n.25*. bonarum omnium litterarum præſtantiſſimus inter Hiſpanos cultor & toto notus in orbe Laurentius Ramirez de Prado in notis ad poſterius Chronicon, & in eiſdem Thomas Tamayo de Vargas, Ioannes Ægidius Zamorenſis ex Religione Seraphica in lib. de præconiis Hiſpaniæ tract.5.(librum hunc, quem M.S poſſidet noſtrum Collegium Salmanticenſe ſua in Bibliotheca, dicauit Author anno 1278. Infanti Sanctio, poſtmodùm Regi Caſtellæ, quartóq; inter alios ſui nominis) Blaſius Ortizius de deſcriptione Toletani templi c.14. Maurus Caſtella Ferrer. in hiſtoria S. Iacobi Patroni Hiſpaniarum l.1. c.14. Aluarus Gomezius lib.3. de geſtis Franciſci Ximenez, Loayſa in notis ad decretum Gundemari pag.279. Conciliorum Hiſpaniæ, Didacus Castejon, & Fonſeca de primatu Eccleſiæ Toletanæ 3.p. tom.2. cap.1. pag.541. Thomas Truxillus tom.2. Theſauri Concionatorum in vita S.Ildefonſi. Gilius Gonzalez Dauila in Theatro Eccleſiæ Ouetenſis, Martinus Carillus in Annalibus Chronologicis anno 792. Didacus Saauedra Farardo in chronico Gothico, Caſtellan. & Aſtriaco, c.30. Petr. de Medina in c.13. de Hiſpaniæ excellentiis, Iulian. del Caſtillo in hiſtoria Regum Gothicorum lib.3. diſcurſu 4. Alfonſus Sanctius in Anacephalæoſi de rebus Hiſpaniæ lib.2. cap 20. Accedunt ex exteris Baronius tom.9. anno Chriſti 718. n.6. & anno 791. à n.9. Ferreolus Locrius in Maria Auguſta Virgine Deipara lib.4. c.19. lib.5. c.41. Ioannes Vaſæus in Hiſpaniæ Chronico anno Domini 791. Marinæus Siculus ſuprà, Ioſophus Miqueli in Pelagio Reſtauratore pag.130. Ioannes Bollandus in vita S.Thyrſi Martyris die 28 Ianuarij. Permanſit arca diu incluſa in ſpecu alti & inuij montis, inde *Sacri* dictitati, non longè Oueto diſtantis, vſque dum erecta S.Saluatoris primaria Æde piiſſimus Rex Alfonſus Caſtus illuc traduxit, locuſque, vbi manet, *Camera ſancta* appellatur, ipſaque Ouetenſis Eccleſia ob tam cœleſtem theſaurum *Sancta* titulum inter alias Hiſpaniæ Cathedrales obtinet. Crediderim, Pelagium, dum infans eſſet, & intra fiſcellam incluſus Tago flumini expoſitus, non aliter ac Nilo Moyſes, ſicut in Epinicio ſcribit Antonius Honcala, ſeruatum à Deo incolumen non minori miraculo, vt in adulta ætate arcam ipſe liberaret tam erga ſanctos pius, quàm erga patriam ſtrenuus.

37 Traditur in ſuperiori Officio, *Primitùs conſtructam eam arcam ab Apoſtolorum Diſcipulis ex lignis imputribilibus, ac Dei magnalibus refertam, & à Hieroſolymis per Africam, & nouam Carthaginem Hiſpalim, & ab Hiſpali Toletum eſſe delatam.* Aſportauit in Africam Philippus quidam, tranſtulitque in Hiſpaniam, vnde originem trahebat, ſanctus Fulgentius Ruſpenſis Antiſtes, vt narrant Sebaſtianus Epiſcopus Salmanticenſis coæuus ferè Regi Pelagio, cuius hiſtoriam, & aliorum Regum vſque ad Ordonij primi extremum diem contexuit, Iulianus Perez in Chronico numer.159. & 369. Morales in generali Hiſpaniæ hiſtoria libr. 13. capite 38. Franciſcus Portocarrero in libr. de Deſcenſione B. Mariæ ad Eccleſiam Toletanam cap. 28. & 29. Petrus Salazar de Mendoza in vita ſancti Ildefonſi cap.21. Alfonſus Vaſquez in defenſione eiuſdem ſancti lib. 1. c.4. Petrus Alcocer lib.1. Hiſtoriæ Toletanæ c.42. Marcus Antonius Alegre de Caſanate in paradiſo Carmelitici decoris præambulatione 19.§.3.pag.51. Paulus de Eſpinoſa de los Monteros, & Rodericus Carus in antiquitatibus Hiſpalenſibus, ille lib.2. c.22. hic lib. etiam 2. c.4. Claudius Clemens in Tabula Chronologica rerum Eccleſiaſticarum Hiſpaniæ anno 529. aliique apud Ramireſium ſuprà.

38 Sed & Toleti in Hiſpania ortum eſſe S.Fulgentium, dicitur in Breuiario veteri Eccleſiæ Burgenſis, in Iuliani Chronico n.159.(niſi pro ciuitate Toletana legendum ſit Teleptana ex M.S. viſo à Portocarrero) in Cathalogo ſanctorum, Authore

Petro

Digitized by Google

Petro de Natalibus lib. 2. cap. 23. vbi habetur, *Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis ex patre Fulgentio* (ſeu potiùs Claudio) *& matre Marchiniana* (ſeu potiùs Marianna, vel Mariana) *Nobilibus in ciuitate Toleto Hiſpaniæ natus eſt.* Fortè non natale ſolum Fulgentij, ſed parentum ſubintelligendum eſt Toletum. Noſter Quintana Dueñas in Sanctis Ciuitatis & Archiepiſcopatus Hiſpalenſis pag. 249. Toletanum ortu facit Fulgentium, vt & Marieta recenſus à Biuario in Apologetico pro L. Dextro, f. 7. Certè non niſi apud Teleptem in Africæ Prouincia Byzacena natus eſt, ſi eius Diſcipulo, & antiquo vitæ ſcriptori aſſenſum debitum præbeamus cum Bollando in vita alterius S. Fulgentij Præſulis Carthaginis nouæ die 14. Ianuarij, cum Gyraldo dialogo 5. de hiſtoria Poëtarum pag. 217. & Ambroſio de Morales lib. 12. c. 5. Hinc à S. Iſidoro Hiſpalenſi in lib. de viris illuſtribus non Hiſpanus, ſed Afer aſſeritur S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis: diſtinxitque optimè inter Toletum originis locum, & Teleptem natale ſolum Marcus Maximus Antiſtes Cæſarauguſtanus in Chronico anno 527. impoſuit aliis nominum ſimilitudo. De Telepte vltra notitiam Africæ apud Sirmundum agunt Dexter in Chronico ad annum 429. Baronius anno 418. n. 31. Pamelius in notis ad Concilium Carthaginenſe, & tom. 1. Lyturgicon pag. 551. Binnius in notis ad Concilium Telepten ſe, corruptè nominatum Telenſe, licet neſcio quod aliud eodem ferè tempore celebratum Telæ prope Pintiam, & Palentiam in Hiſpania intrudat Dexter anno 423. ſubdubitétque Abrahamus Hortelius in theſauro Geographico, an Concilium, quòd vulgò Telenſe, coactum ſit Telæ, cuius meminit itinerarium Antonini, ac Ptolomæus, & cuius ſedes Epiſcopalis tranſlata eſt Palentiam circa annum 480. vt in Chronico Marci Maximi lego. Quicquid ſit de Telenſi in Hiſpania Concilio, Telepte Africana vrbs videtur ex Plinio lib. 5. Hiſtoriæ naturalis cap. 4. non eſſe diuerſus locus à Lepte Sarrana, ſeu Minori in Byzacena regione, ad quam etiam pertinebat Ruſpe, ſeù Ruſpina, ſic enim vocatur à Plinio, & à Silio Italico lib. 3. Punici belli verſu 260. Vnde Baronius anno 490. num. 2. Spondanus, & pleríque communiter in Lepte ciuitate ortum S. Fulgentij deſignant. Quando verò ad Hiſpaniam potuerit ille arcam deuehere, diſquiram poſteà.

39 Oportet enim, cùm huc diuerterim, & Reliquiarum Ananiæ ac ſociorum, quibus diteſcit arca, fidem promouerim, ſatisfacere priùs ſcrupulis quorundam, qui poſt editum Chiffletij tractatum ſuprà allegatum hæſitare cœperunt circa Chriſti Domini ſepulchrale Sudarium, quod ex arca iam antiquitus eductum proponitur ad ſpectandum, & adorandum bis, aut ter in anno. Conteſtari equidem valeo cum Morales, memoriam Sudarij fieri in argentea Bractea iuſſu Regis Alfonſi Magni dominantis ab anno 862. vſque ad 910. vel 912. elaboratâ, qua contegitur arca. Nec pro ſuo Veſontino Sudario vllum tam antiquum, tamque authenticum monumentum proferet Chiffletius. Inſigne etiam eſt, quod in Officio Ouetenſium Reliquiarum conceſſione Apoſtolicæ Sedis vſitato proponitur ſub his verbis, *Viſum eſt in arca Sudarium, quod Ioannes in Euangelio refert poſitum ſuper caput Domini IESV, quando iacuit in ſepulchro.* Inueni & ego in Miſſali peruetuſto Eccleſiæ de Salas, quo loci aſſurgit eximium Mauſolæum Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Hiſpalenſis Ferdinandi Valdeſij officium Miſſæ de feſtiuitate Sudarij Ouetenſis, & tranſumptum eius apud me retineo. Statum Eccleſiæ Ouetenſis publicatum ſexaginta ab hinc annis; litteræ, quas Decanus, & Capitulum in fidem, & teſtimonium Reliquiarum è tempore immemorabili conſueuerunt præbere; vetuſtiſſimæ picturæ, recepta à maioribus traditio, & ſolemnes concurſus tam Aſturum, quàm aduenarum diebus illis, quibus magno, & ſumptuoſo oſtenditur apparatu, religioſiſſimáque ſpectantium deuotione, authoritatem non ſpernendam conciliant.

40 Quæ omnia à fortiori vrgent aduerſus Serarium lib. 1. rerum Moguntiacarum cap. 17. lib. 2. cap. 31. affirmantem, ſepulchrale totum Sudarium capitis Chriſti cuſtodiri Moguntiæ duas diuiſum in partes. De hoc, Sudariiſque aliis Chriſti, quatenus exemplaria non ſint, prudentem fert cenſuram Chiffletius cap. 27. vbi memorat ea, quæ in variis templis Chriſtiani orbis venerationi ſunt; & in Hiſpania apud S. Turibium Liebanenſem cuiuſdam partis Sudarij notitiam exhibet Gillius Gonzalez Dauila cap. 9. Theatri Eccleſiæ Aſturicenſis; partiſque alterius Sanctius Dauila Epiſcopus Giennenſis in opere de veneratione debita Sanctorum corporibus, & reliquiis circa initium. Si alicubi reperiatur tantùm, quantum cum portione Ouetenſi ſat ſit ad octo longitudinis pedes conficiendos, non refragabor. Nam Sudarium capitis Domini illam habuit menſuram: portio autem Ouetenſis longa eſt non ampliùs palmos tres, & lata duos, facta quidem ex lino non valdè ſubtili, apparétque inſperſa colore ſanguineo, magiſque in medio, quàm in extremitatibus, ſed ſine effigie faciei Chriſti. Menſura prototypi Sudarij nota fuit V. Bedæ cap. 5. de locis Sanctis ex relatione Arnulphi Epiſcopi Galli, qui cùm poſt Mahumiæ Principis Saracenorum anno 678. obitum, & ante annum 734. quo V. Beda migrauit ex hac vita, viſitaret terram ſanctam, vidit Hieroſolymis Sudarium. Et hinc liquet, Veſontinum Linteum miſſum anno 439. à Theodoſio ſecundo Imperatore, vt ſcribit Noſter Gaulterius in chronographia ex priſcis M. SS. Eccleſiæ Veſontinæ, diuerſum prorſus eſſe à Sudario autographo. Quod è Hieroſolymis ad Hiſpaniam delatum, & Oueti repoſitum, certa mihi perſuaſio eſt; ſed Veſontioni Coli ſindonem, quæ lotum, & nudum obtexit Chriſti corpus in ſepulchro; Taurini verò alteram, quæ cruentum, & recenter cruce demiſſum excepit, portandum honeſtè ad pollincturæ locum: quam ſindonem non fuiſſe Sudarium capitis, probat non indiligenter Chiffletius cap. 6. ac 25. contra Paleotum, & Malonium, etſi voces *Sudarium*, & *Sindon* ſoleant ſumi promiſcuè. Sed dices, vt quid Sudarium tam longum, ſi caput, & faciem ſolummodò operuit? Reſpondeo, forſàn fuiſſe plicatum. Dices rurſus, cur impreſſa facies Chriſti in Sindone ſepulchrali, & non in Sudario? Occurro, Oueti non ſeruari integrum Sudarium; fortaſſis pars, quæ deficit, non caruit effigie vultus Chriſti, licet V. Bedæ ſilentium faciat, vt de ea dubitem valdè. Vide aliud reſponſum in Grethſero, tomo, & lib. 1. de Cruce cap. 97.

41 Reſtat diſquiſitio, quo tempore Sudarium è Hieroſolymis tranſlatum in Hiſpaniam vnà cum hierotheca? Philippum, quem alij Epiſcopum Hieroſolymitanum, alij Presbyterum vocant, hanc ſecum occultè in Africam tuliſſe, quando à Choſ-

Digitized by Google

roë Perſarum Rege capta eſt Hieroſolymorum vrbs & ex Africa in Hiſpaniam S. Fulgentium Antiſtitem Ruſpenſem miſiſſe, aut traduxiſſe, concordant plerique Hiſtorici, & Authores Noſtrates; coniectantúrque aliqui à S. Fulgentio tunc aſportatam, cum anno 504. relegatus ad Vvandalorum Rege Traſamundo euexit etiam in Sardiniam corpus S. Auguſtini, & alias plures Sanctorum Reliquias; de quo Baronius ad eum annum num. 38. Sed quis non ſtupeſcat, hæc tam inter ſe pugnantia irrepſiſſe Noſtratibus? Et non dicat cum Dione Chryſoſtomo in oratione 2. *Perpauci res norunt exactè, ſed rumore dumtaxat audiunt, atque hoc qui eo ſeculo vixerunt; poſteriores verò, & tertij planè ſunt ignari, etſi quis quid dicat, amplectuntur facilè.... Cùm enim primus aliquis anticipauerit, vt ſolet fieri, iam videtur abſurdum non credere.* S. Fulgentius viuebat ab anno 464. vſque ad 529. Ciuitas autem Hieroſolymitana anno 614. vaſtata eſt à Choſroë; nec eo temporis Philippus, ſed Zacharias Hieroſolymitanæ præſidebat Epiſcopali Sedi ab ann. 609. & 628. niſi iam hoc anno Modeſtus in ipſius locum fuerit ſuffectus, vt Suidas affirmat in Heraclio, ſed contra communem traditionem Eccleſiæ, obſeruante Spondano anno illo 628. Ad hæc: Sudarium celebre erat Hieroſolymis poſt annum 678. ætate V. Bedæ, qui anno 734. functus eſt vita incepta prope annum 671. Non igitur potuit intra arcam incluſum deferri in Africam anno 614. multóque minùs in Hiſpaniam anno 504. Quòd ſi quis cum Noſtro Portocarrero teneat, tranſlationem arcæ è Hieroſolymis contigiſſe ſub Hadriano Imperatore, qui eam deuicit vrbem, & profanauit anno 137. vt ſic quæ de Philippo, & Fulgentio Epiſcopis narrantur, componat quadantenus, poterit æquali licentia retrogradi ad tempora Veſpaſiani, & Titi, qui eandem vrbem ſolo æquarunt anno 72. ſicut enim vnum mente tantùm cogitatur abſque vllis Hiſtoriarum præſidiis, quid ni & aliud comminiſci liceat, aſſereréque vniuerſim, ea eueniſſe, quæ fieri potuerunt, quin aliunde conſtet, facta fuiſſe. Philippus Hieroſolymitanus Epiſcopus mortuus eſt, vt minimùm anno 127. id eſt, decennio antequam Hadrianus Hieroſolymam deuaſtaret: & Eliam diſceſſiſſe cum arca ex Iudæa in Africam, quia imminentem cladem prænouerit diuina reuelatione, aut humana prudentia diuinarit, quo fundamento pronuntiatur? Et quamuis arcam eduxiſſet, quidnam putatur actum de Sudario? Nobis ſatius eſt fateri, ignotam eſſe occaſionem, & tempus, quo ex Hieroſolymis arca, & Sudarium in Africam, Hiſpaniámve appulerint ante annum 715. hoc enim anno Vrbanus Præſul Toletanus, & Pelagius Infans, ſeu Princeps ſacra ea Pignora ad Aſturias tranſportarunt ſimul cum octo Spinis Coronæ Dominicæ, veſtéque cœlo delata S. Ildefonſo à Deipara Virgine, multis etiam Sanctorum corporibus, & Conciliorum, Patrúmque ſcriptis. Vnam ex illis ſpinis Ouetenſis Eccleſia dono dedit Venerabili Patri F. Petro compatri, quem S. Franciſcus Aſſiſius in Aſturias deſtinauit; & in Ouetenſi Franciſcanorum templo adoratur. Veſtis, ſeu caſula S. Ildefonſi repoſita in obſerata capſula, quam continet arca magna, nulli adſpicienda permittitur, & vt vulgi ſermo eſt, occulta manſit ab antiquiſſimis temporibus; ſed, vt enarrat P. Franciſcus Portocarrero cap. 30. eam vidit P. Petrus de Cauañas Noſtræ Societatis, cum ante Religionis ſuſceptum habitum Canonicus eſſet Ouetenſis; meminique, audiſſe me id etiam ex P. Didaco de Baëza qui ab ipſius Petri de Cauañas excepit ore. Corpora Sanctorum complurium extant in Camera Sancta, & intra arcam innumera ſacra lipſana; libri verò veteres nulli, quos ſciam, retinentur ob cuſtodum incuriam.

An SS. Ioachim, & Anna parentes Virginis Deiparæ?

42 P. Ioannes Baptiſta Poza lib. 2. Elucidatij Deiparæ tract. 12. cap. 1. teſtatur, à piis quibuſdam in ſcriptis iactari, reſurrexiſſe Ioachimum, & Annam ad ſtatum immortalem vnà cum Chriſto. Ille verò non improbans reſurrectionem ad tempus, falsò aſſeri priorem eam conuincit ex lib. 6. Reuelationum S. Brigitæ cap. 104. vbi dicitur, *Sacriſtam Monaſterij S. Pauli extra muros Romæ dediſſe ſponſæ Chriſti Reliquias de S. Anna Matre Dominæ noſtræ.* Et paulò poſt additur, S. Annam ſic loquutam ad Brigittam, *Reliquiæ meæ, quas habes, erunt diligentibus in ſolatium, donec Deo placuerit eas altiùs honorare in reſurrectione nouiſſima.* P. Salmeron, tom. 10. tract. 47. pag. 490. teſtatur etiam, oſtendi Romæ in quodam templo, brachium S. Annæ: refértque ex Molano Baronius in adnot. ad Roman. Martyrolog. die 26. Iulij caput eiuſdem S. Annæ monſtrari Duræ, quod eſt oppidum Ducatus Iuliacenſis. P. Serarius lib. 1. Moguntiacarum rerum cap. 17. agens de ipſomet ſacro capite, locum, vbi è Moguntia delatum honoratur, vocat Marcodurum. Hainricus Monachus Rebdorffenſis in Annalibus anno 1361. partem brachij S. Annæ tradit fuiſſe vnum ex Imperialibus inſignibus, ſeu Iocalibus. De aliis eiuſdem Reliquiis Arturus Monaſterienſis in Martyrologio Franciſcano ad diem 26. Iulij §. 1. & 2. ac 3.

An S. Ioſeph Sponſus Deiparæ Virginis?

43 S. Bernardinus Senenſis tom. 4. in ſerm. de S. Ioſepho c. & art. 3. *piè credendum eſſe*, inquit, reuixiſſe immortalem cum Chriſto. Dúmque hæc Patauij ad populum diceret S. Bernardinus, apparuit ſuprà ipſum Crux aurea fulgentiſſima, vt tradit Andreas de Soto in lib. de S. Ioſepho c. 33. S. Bernardinum, & antiquiorem Ioannem Gerſonem in ſerm. de Natiuitate B. Mariæ conſideratione 3. p. 3. fol. 314. rurſus in Ioſephina diſt. 12. in oratione fol. 311. & tandem in quadam epiſtola de feſto S. Ioſeph inſtituendo p. 4. fol. 41. Sequuti ſunt Buſtus in Mariali p. 4. ſerm. 12. in eius p. 2. Viguerius inſtitutionibus c. 20. §. 9. Author Margaritæ Confeſſorum q. vlt. ex Moralibus n. 9. Hieron. Gratian. lib. 5. de S. Ioſeph c. & tit. 5. Fonſeca lib. 1. vitæ Chriſti c. 9. Maubutnus in Roſeto tit. 21. Alphabeto 63. lit. G. Iſidorus Iſolanus lib. de S. Ioſeph p. 4. cap. 3. Melchior Prieto in Ioſephina, tract. 7. §. 9. cum Breuiario antiquo Ordinis B. Mariæ de Mercede, Elias à S. Thereſia tom. 2. legationis Eccleſiæ Triumphantis ad Militantem in dedicatoria ad S. Ioſeph. Andreas de Soto vbi ſuprà. Ex Noſtris, PP. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 8. ſect. 2. Barradas tom. 3. in Euang. lib. 6. cap. 8. Morales in cap. 1. Matthæi lib. 5. tract. 11. n. 7. Cornelius in c. 1. Matth. v. 16. Tirinus ibi, Salian. anno mundi 4066. Ribadeneyra in vita S. Ioſephi, Petrus Biuerus in ſacris priuilegiis B. Mariæ communicatis S. Ioſepho n. 44. & alij moderni tam exteri, quàm domeſtici. Si obiiciatur, S. Ioſephum inter mortales adhuc fuiſſe cùm Chriſtus in cruce Matrem ſuam Ioanni commendauit, vt ſupponunt

Digitized by Google

ſupponunt S. Cyprianus ſerm. de Paſſione, S. Chryſoſtomus hom. 5. in Math. & hom. 3. in Acta Apoſt. S. Ambroſius libr. 2. & 10. in Lucam, lib. de Inſtitutione Virginis cap. 6. & 7. necnon epiſt. 79. S. Auguſtinus ſerm. 81. de tempore, Arnoldus Carnotenſis in tract. de laudibus B. Mariæ, & in alio ſuper ea verba Chriſti, *Mulier Ecce Filius tuus*, dum dicunt, Virginem traditam Ioanni, & non Ioſepho, quia nimirùm voluit Chriſtus ſignificare Mariam & Ioſephum non contraxiſſe Matrimonium, quod fuerit conſummatum. Verumtamen *potius ex eo, quod Chriſtus Matrem ſuam Ioanni commendauit, inferri certius poſſet, eo tempore Ioſeph fuiſſe mortuũ; Nam illo viuente non quæſiuiſſet Chriſtus fideliorem alium Virginis ſocium, ac miniſtrum.* Ita eximius Doctor Suarez diſp. 7. ſect. 1. allegans pro anteriori obitu S. Epiphanium, S. Vincentium Ferrerium, Petrum Comeſtorem. Et videndi ſunt Arnaldus Albertinus tract. de agnoſcendis Catholicis, & Hæreticis aſſertionibus quæſt. 6. n. 5. Sylueira lib. 4. in Euang. cap. 1. q. 9. n. 36. ac 37. l. 5. c. 30. q. 3. n. 17. Chryſtophorus Caſtrenſis in Deiparæ hiſtoria c. 13. n 9. Morales ſuprà tract. 10. à n. 5. Potuit itaque cum Chriſto reſurgere S. Ioſephus, vt qui iam anteà deceſſiſſet. Si deinde opponantur verba S. Mechthildis lib. 1. ſpiritualis gratiæ c. 44. *Inter quos* (loquitur de ſanctorum exercitu Chriſtum in cœlum comitante) *Ioannes Baptiſta, Ioſeph nutritius Domini, Simeon, qui Chriſtum ſuſcepit in templo, erãt primates, qui omnes cum Domino aſcendebant.* Reſpondetur, proponi quidem in his verbis aſcenſionẽ eorum trium, an autem abſque corporibus, vel cum illis, neutiquam declarari. Vnde nihil obſtat aſcenſui S. Ioſeph penes animã, & corpus, vt vt ſit de duobus aliis, de quibus poſteà. Iſidorus Iſolanus multas, & pulchras colligit rationes in fauorem reſurrectionis S. Ioſephi ad vitam immortalem. En illas: *Priuilegium illud datum fuit ſanctis illis* (de quibus Math. 27.) *propter ſanctitatis excellentiam; nullis verò inferiorem fuiſſe Ioſeph ſanctitudine credimus: hoc igitur priuilegio donatus eſt. Ampliùs, filij eſt honorare Parentem, ac curam gerere corporis deficientis Patris. Ergo Chriſtus filius Ioſeph putatus, magis verò eum diligens, quàm ſi fuiſſet eius naturalis filius, multa ſanctorum corpora ſuſcitans de puluere, corpuſculum Patris ſui putatiui non eſt paſſus manere in puluere, Fauet huic rationi argumentum Diui Bernardi, quo arguit dicens, non decuit, vt carnem matris ſuæ ſine honore in terra relinqueret, eum, qui honorem parentum ſub præcepti diſtrictione poſuit. Item qui in vita mortali præ cæteris honorauit Ioſephũ, proſequens nomine Patris, pium eſt, credere eum in morte præ cæteris honoraſſe. Ampliùs, filius reſurgens omni affecit ſolatio Matrem, quæ ei compaſſa fuerat: ergo etiam Patrem, qui illum educauerat. Et fortè Ioſeph fuit vnus, de illis, qui apparuerunt multis, ac ſingulariter B. Virgini.* Hæc Iſolanus, quibus nihil adiiciendum ſe mihi offert, niſi altè repetam merita ſanctiſſimi Ioſephi; quæ tanta ſunt, vt Gerſon, Buſtus, Iſolanus, Chriſtophorus de Fonſeca, Ioannes Oſorius, Ludouicus Granatenſis, Viguerius, Morales, Suarius, Piotæus ſupremam dignitatem poſt Virgineam ſponſam adſcribant ipſi in Empyrea aula, vel adſcribentibus non contradicant.

An Simeon Iuſtus, & duo eius filij? An Zacharias, & eius filius Ioannes Baptiſta?

44 POſt Franciſcum Lucam Tirinus in cap. 27. Mathæi v. 52. ait, fortè reſurrexiſſe cum Chriſto Simeonem Iuſtum: Vincentius autem Bellouacenſis lib. 7. ſpeculi hiſtorialis cap. 58. Iacobuſque de Voragine in Legenda Reſurrectionis Dominicæ referunt ex Euangelio Nicodemi, reſurrexiſſe Carinum, & Leucium filios Simeonis Iuſti & in c. 63. addit Vincentius ex eodem Euangelio, reuixiſſe multos alios; verum neque hos, neque illos ad vitam immortalem. Præcitatum Euangelium non eſt Canonicum, ſed potius reprobatum ab Eccleſia Catholica; ideóque nihil curandum de eius teſtimonio. Et quà attinet ad Simeonem Iuſtum, ſuſpicio Tirini, nec improbatur, nec probatur à nobis.

45 Cum Franciſco Luca idem Tirinus apponit Zachariam & eius filium Ioannem Baptiſtam. De primo dubito, quantum ad reſurrectionem in immortali corpore, niſi credendum haudquaquam ſit Bernardo Breidembachio, initio Itinerarij ad Terram ſanctam, vbi ſcribit, eius corpus extare Venetiis in templo ipſi dicato; Romæ verò in Laterano coli ipſius caput, teſtis eſt Baronius in notis ad Martyrologium die 5. Nouembris. De ſecundo negandum prorſus eſt, reſurrexiſſe, ſi cenſeatur cum eodem Tirino eam ſanctorum reſurrectionem fuiſſe ad immortalem vitam. Nam *reuocare in dubium hiſtoriam, & traditionem de Reliquiis Baptiſtæ, neque pium eſſet, neque antiquitati conſentaneum*, vt aduertit Suarez. Scio, Ioannem Echium homilia 5. de Aſſumptione B. Mariæ referre ex Franciſco Mayrone, *Ioannem Baptiſtam corpore, & anima eſſe in cœlo, non obſtante illo quod caput eius ſit hìc in terra. Atque hoc aſſerit ille de aliis pluribus ſanctis, in quorum numero ſunt, qui reponunt Paulum quoque.* Sed hæc talia ſunt, vt ridenda potiùs tanquam ſomnia, quam ſeriò impugnanda veniant, & plures putabunt tot contradictionum implicantias inuoluere, quot verba. Licèt autem contradictionum implicantiæ euincerentur (vt plurium iudicio poſſunt) tum in præſentia circumſcriptiua multiplicata eiuſdem corporis ad diuerſa loca, tum in tam variis affectionibus, & mutationibus, quas in vno loco pateretur, & non in alio: tamen ſine fundamento authoritatis, & rationis innumera cogitantur prodigia, & miracula, ſemelque admiſſo, corpora Baptiſtæ, Pauli, & aliorum exiſtere ſimul in cœlo, & in terra, ibi animata, & glorificata, hìc inanimata, & corruptioni obnoxia; quid cauſæ erit, ne idem putetur de corporibus reliquorum ſanctorum? Et tunc qui ſaluabitur Iuſtorum reſurrectio in die Iudicij? Simile quid probabile viſum eſt poſt Vuendelinum, & Ioãnem Maiorem Coſmæ Magallanes in cap. 5. Ioſue ſect. 1. annotat. 7. n. 3. Martino Breſſero lib. 8. de conſcientia c. 22. n. 324. & 327. ac 330. quoad præputium abſciſſum è Chriſti corpore in Circumciſione, vt nimirùm modò maneat in terra inanime, & ſimul in cœlo animatum, & vnitum Chriſti corpori. Sed id, vt incredibile refellitur à Suario tomo 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 1.

46 Inquies, Ioannes Baptiſta poſt Deiparentem Virginem primus eſt inter Beatos ex ſententia Frãciſci Mayronis, Ioannis Ekij, Ioannis Gerſonis, Alfonſi Salmeronis, Vincentij Regij lib. 4. Dilucidationum Euangelicarum cap. 10. digreſſione 8. Morali num. 14. Pauli Roterigij in Triumpho veræ gloriæ vtriuſque Ioannis parte 1. curru 6. laurea 23. & ſequentibus vſque ad 30. vbi Eccleſiaſtici Patres adſtipulatores recenſentur, vti etiam in certamine 4. expoſitiuo Laureæ Salmantinæ Antonij Perez Benedictini, atque n ſect. 3. diſp. 23. tomi 2. P. Suarez ſuper 3. part. Et tamen non ſurrexit cum

Digitized by Google

Chriſto immortalis. Ergo tribuitur immerito rediuiuis aliis ſanctis hoc priuilegium. Reſpondeo, reſurrectionem Sanctorum cum Chriſto ad vitam ſiue immortalem, ſiue mortalem non fuiſſe factam propter ipſos, ſed propter reſurrectionem Chriſti teſtificandam, vt inquit S. Thomas in 4. diſt. 43. q.1.art.3.quæſtiuncula 1. ad 2. Vnde, vt optimè explicat Sotus ibidem q.2. art.1. non eſt facta ratione ſanctitatis ipſorum, quod & à me eſt traditum in n.48. Exercit.19. ſed ex ſingulari prærogatiua, & gratuito priuilegio Dei indulto in gratiam Chriſti. Etſi ergo Baptiſtæ ſanctitas tam eximia ſit, potuit iuſtiſſimè Deus ob merum ſuum beneplacitum, vel ob ſpeciales rationes nobis occultas reſurrectionis perpetuæ, vel temporariæ prærogatiuam non tribuere tunc Baptiſtæ, concedere verò aliis minore ſanctitate conſpicuis.

An Beatus Latro? An aliqui alij.

47 RAynaudus cap.13. de bono Latrone n. 19. ſcribit, ſi ſecluſa temerè quicquam definiendi præcipitatione, ſanctorum Latronem quis annueret Iuſtis rediuiuis cum Chriſto, adſtipulatorem ſe nec inuitum adiuncturum. Refert id, nec improbat Cornelius in c. 21. Mathæi v.16. Eſcobar tom. 2. comment. in Euang. Sanctorum lib. 1. ad cap.16. Marci ſect. & panegyri 5. obſeruatione 6. n 7. ait, ſe ſpecialiter in Patribus legiſſe beati Latronis reſurrectionem. Sed quidem S. Auguſtinus lib. contra Felicianum cap.15.inquit, *Corpus ſancti Latronis ad communem reſurrectionem morte incluſum eſſe*, S. Chryſoſtomus adductus in Catena S. Thomæ ad c.23. Lucæ, Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q.87. in ſcripturam Author quæſtionum ſub nomine S. Iuſtini in explicatione q. 76. propoſitæ à Gentibus ſupponunt, iuſtum Latronem reſurrecturum in die Iudicij cum aliis Iuſtis. Quare eius cum Chriſto ad vitam immortalem reſurrectio his ſaltem Patribus conformis non eſt.

48 Hugo de S. Charo in cap. 27. Matthæi teſtatur dici in Euangelio Nazaræorum, *quòd duo, qui fuerunt mortui ante circiter annos quadraginta, boni & ſancti viri, venerunt in Templum poſt reſurrectionem Domini, & non loquentes petierunt pergamenum, & encauſtum, & ſcripſerunt, quomodò illi, qui erant in Lymbo exultauerunt in deſcenſu Domini ad Inferos, & Dæmones triſtabantur.* Sed hæc ſunt apochrypha,& omninò reſpuenda, maximè ſi in prædicto Euangelio dicatur nonniſi duos illos viros reſurrexiſſe,ſiquidem iuxta S.Mathæum multi fuerunt, qui ſurrexerunt, quique apparuerunt multis.

49 Petrus Comeſtor cap. 178. Hiſtoriæ Euangelicæ, vbi de ſignis in morte Domini, ſic fatur, *Quidam Sancti ſurrexerunt à mortuis, & venerunt in Hieruſalem, & apparuerunt multis. Fortè hi fuerunt, de quibus ſuper epiſtolam ad Hebræos legitur, quòd multi affectauerunt ſepeliri in terra ſancta, vt Domino reſurgente, reſurgerent. Vtrùm aliqui eorum ita permanſerint, & cum Domino aſcendente aſcenderint? neſcimus. Quòd autem aliqui eorum iterùm mortui ſunt, poſtquam Dominum ſurrexiſſe teſtificati ſunt, ſcimus; quia corpora quorundam adhuc quieſcunt in Hieruſalem, & ſanctus Scarioth vnus eorum fuiſſe à quibuſdam perhibetur.* Hactenus ex Magiſtro Hiſtoriæ ſcholaſticæ, qui poſtea in additione ſubiungit, *Dicitur Sanctus Scarioth fuiſſe Abbas, quo mortuo, quidam monachi inconſolabiliter dolentes mortui ſunt, & adhuc compaginati videntur.* Subleſtæ ergo fidei eſt,quòd antea dicebatur de Scatioth, niſi is fuerit Abbas conuentus neſcio cuius Carmelitani apud Engaddum tempore Chriſti, vt Marcus Antonius Alegre in paradiſo Carmelitici decoris pag.135.perſuadere cupit: ſed ægrè faciet fidem. Nec probandum illud, vt alij ex ſanctis rediuiuis manſerint expertes mortis, alij obierint rurſùs. Prætereà ſi aliqui perſtiterunt immortales, neutiquam reſurrexerunt, quando in morte Chriſti monumenta ſunt aperta, ſed poſteriùs tempore,aut natura ſaltem,quàm Chriſtus, qui eſt ex Paulo 1. ad Corinth.15.v.20. *Primitiæ dormientium*; & iuxta eundem ad Coloſſenſes cap.1. v. 18. Ioannémque in Apocalypſim cap.1.v.5. *Primogenitus ex mortuis ac mortuorum* ſcilicet ad vitam immortalem. Vnde per anticipationis figuram, poſt relatam monumentorum in morte Chriſti apertionem addidit S. Mathæus,*& multa corpora ſanctorum,qui dormierant, ſurrexerunt*. Ita obſeruant quot opinantur,eos Sanctos mortuos iterùm non fuiſſe; imò & plures,qui ſecus cenſent,inſinuaturque ab Euangeliſta immediatè aiente, *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius*, nam ſi è ſepulchris non exierunt, neque teſtimonium de Chriſto reddiderunt, niſi poſt eius reſurrectionem, vt quid à feria ſexta vſque ad diem Dominicam anticipata fuiſſet ipſorum reſurrectio? Quòd autem monumenta in morte Chriſti anticipatè aperta ſint, ea forſitan de cauſa diuinitùs diſpoſitum, vt Hieroſolymitanis commotis ex ſepulchrorum ſubita reſurrectione, & cadauerum intra iacentium conſpectu euidentior poſteà fieret horum reſurrectio.

50 Huc vſque progreſſus ſum ex variis Authoribus recenſens eos Sanctos, qui cum Chriſto reſurrexerunt. Res fuit diuinationum plena. Iam quandoquidem ſimul curaui obuiam ire difficultatibus, quæ contra reſurrectionem ad immortalem vitam efferebant caput, operæ pretium erit, vnam, quæ Dominicum Sotum maximè mouit, intactam non relinquere. Inquit itaque Sotus. *Sed quæ me ratio multùm mouet, eſt, quod ſi reſurrexerunt in vitam perpetuam, non eſt opinandum, manſiſſe in terris; ſed certiſſimè credendum, in cælos aſcendiſſe. Si verò illuc aſcenderunt, procul dubio non prius Chriſto,ſed cum ipſo ſimul. Quòd ſi ita geſtum eſt; non eſt dubium, quòd Euangeliſta inter enarrandam Chriſti Aſcenſionem tam preclara hiſtoria mentionem feciſſent. Aut ſi non cum Chriſto aſcendiſſent, eorum tamen aſcenſum, ſicut & reſurrectionem enarraſſent.* Reſpondetur ex Euangeliſtis ſolum Mathæum ſcriptis tradidiſſe horum Sanctorum reſurrectionem, & eo quidem loco, vbi de aſcenſione Chriſti enarranda competens occaſio haud quaquam ſe offerebat; de qua aſcenſione ipſe poſtmodùm in c.28. ſermonem non habuit. Habuere Marcus, & Lucas ille cap.16.v.19. hic cap.19.v. 51. & in Actis cap. 1.vterque breuiſſimè in Euangeliis; ſed in Actis aliquantò latiùs Lucas. Verumtamen ſicut etſi neuter ſcripſerit ſanctarum animarum cum Chriſto in cœlos aſcenſum, non ideò debemus moueri ad illum negandum, ita prætèrita ab vtroque aliorum corporum præter Dominicum in cœlos aſcenſio, non eſt ſufficiens fundamentum, vt credamus, Chriſti ſolius corpus aſcendiſſe. Et fortè ideò prætermiſerunt Marcus, & Lucas, quia à Diſcipulis ſolius corpus Chriſti viſum ſit aſcendens. Si verò & aliorū Sanctorum corpora viſa ſint, ideò ſubticuerunt, quia ad noſtram fidem neceſſarium non erat; & multa ab Euangeliſtis ſilentur, quæ

Digitized by Google

quæ nihilominùs piè creduntur. Lege Suarium, tum in Comment. ad art. 3. quæſt. 53. verſ. *vltima coniectura*, tum diſp. 51. ſect. 2. verſ. *quarta & vltima* Inſinuat magnus is Doctor in poſteriori loco, ſi conferatur cum numero penultimo ſectione 3. diſp. 57. Angelos etiam in aſſumptis corporibus comitatos fuiſſe triumphalem Chriſti aſcendentis pompam; deducitúrque id non illepidè à Salmerone ex 1. Ioannis verſ. 51. vbi Cornelius tribuit Euthymio ipſammet cogitationem, de qua nos circa finem ſect. 3. Exercit. 14. & Duuallius in Tractatu de quatuor Nouiſſimis quæſt. 4. artic. 2. pag. 605.

SECTIO III.

An S. Ioanes Euangeliſta in corpore glorioſo incolat Empyreum?

51 SAnctus Ambroſius, cùm lib. 7. in Lucam cap. 11. & lib. de obitu ſui fratris Satyri indicet, S. Ioannem Euangeliſtam non obiiſſe, ſcribit in Pſal. 118. verſ. 153. *De morte eius aliqui dubitauerunt, de tranſitu per ignem dubitare non poſſumus, quia in paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto.* Sed quia incredibile eſt, tantam excellentiam tribuere ipſi, vt quin mortem ſubierit, paradiſi cœleſtis municipem efficiat, ideò ſuperiora verba intelligi poſſunt, præeunte Salmerone tomo 11. tract. 32. de exiſtentia in paradiſo terreſtri, *propter tranſitum per ignem.* Addo, poſſe intelligi de exiſtentia ſolius animæ in paradiſo cœleſti; neque enim clarè fatur S. Ambroſius de reſurrectione Ioannis; quem lib. de Reſurrectionis fide inſinuat eſſe mortuum. Et tunc *tranſitus per ignem* erit, vel acceſſus ad ignem diuini Iudicij, vel ad ignem Purgatorij, ſine læſione, vt poſt Bellarminum lib. 2. de Purgatorio cap. 1. & Suarium tomo 4. in 3. part. diſp. 45. ſect. 1. num. 28. diſp. etiam 47. ſect. 1. num. 5. interpretantur Raynaudus cap. 13. de bono Latrone num. 8. Eliaſque à S. Thereſia lib. 1. legationis Eccleſiæ Triumphalis ad Militantem pro liberandis animabus Purgatorij cap. 25. num. 7. Affert Lipomanus in vita S. Ioannis quædam S. Ambroſij verba ſerm. de ſanctis Martyribus tempore Paſchali, in quibus apertè ſignificatur reſurrectio glorioſa S. Ioannis. Sed cùm extet ſermo, verba ea deſiderantur, vt notat Salmeron pag. 321. Petrus Abaelardus in ſerm. 24. de S. Ioanne profert eadem verba, ſed ſub nomine S. Auguſtini: poſtea tamen in ſerm. 25. de Aſſumptione B. Mariæ attribuit ipſa S. Ambroſio.

52 Sophronius in lib. ſeu epiſtola de Aſſumptione B. Mariæ inquit, plurimos aſſeuerare, Ioannem iam reſuſcitatum, & beata cum Chriſto immortalitate in cœleſtibus veſciri; ipſe verò indeciſum relinquit. S. Fulbertus Carnotenſis in ſerm. de Natiuitate Virginis adſtruit expreſſis verbis reſurrectionem Ioannis, & in cœlo exiſtentiam penes corpus glorificatum. Dedi verba in n. 11. Exer. 19. Petrus Damiani ſerm. 64. & 2. de S. Ioanne non audet, pleniter definire, pium tamen cenſet arbitrari, *vt ſicut de B. Dei Genitrice creditur, ita etiam B. Ioannes iam reſurrexiſſe probabiliter aſſeratur; quatenùs ſicut in Virginea fuerunt integritate participes, ita nihilominùs in anticipata reſurrectione meritò videantur æquales; nec ſit in reſurrectione diuerſitas, quibus tanta fuerat vnanimitas conuerſationis in vita.* Hæc ille. Sed tamen paulo anteà dixerat, *Affuit itaque Dominus promiſſionis ſuæ non immemor, qui & animam eius in illa ſuperna Hieruſalem quietè ſuſciperet, & Sacratiſſimum corpus in ea, quæ ipſe nouit, ſecreti receſſus arcana transferret. Nam & de B. Henoch legitur quia ambulauerit cum Deo, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus.* Aſt cùm non niſi chymæricè cogitari poſſit, animam Ioannis eſſe in ſuperna Hieruſalem, & corpus rediuiuum, animatúmque in paradiſo terreſtri, aliòve occulto receſſu (ni anima abſque vlla cauſa occupare ſimul duo diſſita loca confingatur) putari debet, Petrum Damiani de Ioannis corpore inanimi hæc dixiſſe. Et proinde hæc verba cum illis ſunt fœderanda, quatenùs in his loquutus ſit ex communiori ſententia; in illis autem ex pia apud ſe præſumptione de reſurrectione Ioannis, & exiſtentia penes animam, & corpus glorificatum in ſuperna Hieruſalem.

53 S. Anſelmus in Elucidario conteſtatur non obſcurè, dum ait, *Iuſti cùm reſurgent, mox ab Angelis in aere obuiam Chriſto rapientur; & electi viuentes cùm eis rapientur, & in ipſo raptu morientur, & reuiuiſcent. Hoc præceſſit in Maria, & Ioanne; Maria, quæ recepto corpore poſt mortem in gloria eſt aſſumpta, Ioanne, qui cum corpore raptus, & in ipſo raptu actu creditur mortuus.* Rabanus in Martyrologio, 6. Kalendas Ianuarij apud Henricum Caniſium tomo 6. Lectionis antiquæ pag. 758. ſcribit, *Aſſumptio S. Ioannis Euangeliſtæ apud Epheſum.* Notherus Balbulus in Martyrologio 8. Kalendas Iulij apud eundem Caniſium pag. 861. *Reclinauit ſe S. Ioannes in ſepulchro, quaſi in lecto, tam liber à dolore mortis, quàm immunis creditur à contagio corruptionis.* τὸ *Aſſumptio* in priori teſtimonio indicat ex vulgari vſu tranſlationem in Empyreum penes animam, & corpus. In poſteriori teſtimonio *Immunitas à contagio corruptionis* ſtare poteſt ſine tranſlatione ad Empyreum, vel quia corpus maneat alicubi emortuum, incorruptum tamen, vel quia rediuiuum exiſtat in paradiſo terreſtri. Author Anonymus in Commentario de Tranſlatione S. Iacobi Apoſtoli primarij Tutelaris Hiſpaniarum inquit, *Qui Theologum Ioannem prærogatiua ſingularis dilectionis ſibi vnitum intro, quo voluit, modo, etiam corpore in cœlos aſſumpſit, potuit, & fratris eius ſanctiſſimam glebam inæſtibili virtute ſua de loco vno ad alterum tranſuehere locum.* Ita Anonymus, cuius Commentarius ante ſexcentos annos deſcriptus in membranis Floriacenſibus emiſſus eſt in lucem anno 1605. ab Ioanne Boſco Cœleſtino pag. 186. Xiſti Dexteri Bibliothecæ Floriacenſis.

54 Nicephorus Calliſtus nomine S. Ioannis ſic loquitur lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 35. *Non dixit ei:: Ieſus, quod moriturus non ſit; moriturus eſt enim eo, quo Dei genitrix, modo: confeſtim verò reuiuiſcet, ac reſurget, incorruptibili ſcilicet corpore, alterum Magiſtri expectaturus aduentum.* Et ruſſus lib. 2. cap. 42. narrat ſic S. Ioannis mortem; *Dei autem ineffabilis, atque inueſtigabilis gloria, ea, quam ipſe nouit ſolus, hora illuceſcens corpus eius terrenum, & corruptibile in immortale, & incorruptibile (ô miraculum ingens!) tranſmutauit, & in diuinum paradiſum, itidem vt omnibus laudibus celebrandam Dei Genitricem, quæ per gratiam Mater eius fuit, recepit.* Hactenùs Nicephorus, qui de terreno paradiſo videbitur fatus, ſi conferantur appoſita modò verba cum aliis tranſcriptis num. 30. Exercit. 19. Etenim ſi per eum corpora illorum, qui cum Chriſto reſurrexerunt ſunt in paradiſo Edem, & corpus Marianum in paradiſo, in quo viret arbor

vitæ;

vitæ; quid aliud de Ioannis corpore perſuaſum ipſi eſſe credemus, cùm ait, receptum in diuinum paradiſum, non ſecùs ac Dei Genitricem? Ideò autem rediuiuo, & immortali Ioannis corpori paradiſum cœleſtem denegat Nicephorus, quia ingreſſum in cœlum & Dei viſionem ante Iudicij diem Sanctorum animabus, quibus nihil purgandum ſupereſt, non conceſſit, in quo non ſolùm errauit, ſed etiam inconſequenter ſe geſſit. Nam ſi iuxta ipſum ſancti Ioannis anima non eſt iam beata, debuiſſet in eius corpore permanentem immortalitatem, & glorificationem non agnoſcere, ſiquidem corpus immortale, & permanenter glorificatum ſupponat connaturaliter animam, cui innititur, iam beatam. Præterea corpus immortale, & permanenter glorificatum ſuo quaſi iure exigit habitationem cœleſtem. Quòd ſi hanc Chriſti, & aliorum Sanctorum corpora, de quibus in ſectionibus præcedentibus, ſtatim non obtinuerunt; ſed poſt quadraginta dies, ea fuit de cauſa, vt veritas reſurrectionis comprobaretur, vti ſapienter adnotauit S. Thomas 3. part. quæſt. 57. artic. 1. ad 4. Et hæc ſatis quantùm ad Nicephorum, eatenùs ſolùm audiendum, quatenùs S. Ioannis corpus immortale iam, & glorificatum admittit.

55 Prætermittendus non eſt Auguſtinus Steuchus, qui annotationibus in cap. 2. Geneſ. inquit, *Eodem modo Henoch aſſumptus eſt; ſed quem in locum Scriptura non refert. Eadem de Ioanne dici poſſunt. Quòd ſi hi (Elias, Henoch, & Ioannes) cum corpore aſſumpti ſunt, arbitror, eos ibi poſitos vbi & Ieſus cum corpore verſatur.* Quid cauendum ſit in his Steuchi verbis, aduerti num. 144. Exercit. 18. Neque item ſilendus eſt Henricus de Haſſia Carthuſianus, qui teſte Bartholomæo Sybilla in ſpeculo quæſtionum peregrinarum capite & quæſt. 3. Decadis 1. ſcripſit, *non ſolùm Henochum, & Eliam ad finem prædicandi contra Antichriſtum in paradiſo conſeruari, ſed fortaſsè & Ioannem Euangeliſtam, & illos, qui reſurrexerunt cum Chriſto.* Sed extra dubitationis aleam debuiſſet eſſe, reſurgentes cum Chriſto non exiſtere in paradiſo terreſtri, vt iam pertractaui in numero 14. quicquid ſit de S. Ioanne.

56 S. Brigitta libro 4. Reuelationum capite 1. teſtatur, ſe a B. Ioanne audiuiſſe hæc, *Ego ſum ille, qui ſcripturam auream plenius agnoui, & agnoſcendo augmentaui. Ego fui nudatus ignominioſè, & quia patienter ſuſtinui, Deus veſtiuit animam meam veſte immortali. Ego etiam fui intinctus oleo, ideò nunc gaudeo oleo lætitiæ ſempiternæ. Ego inſuper poſt Matrem Dei leuiſſima morte de mundo tranſiui, quia cuſtos Matris Dei factus fui, & corpus meum eſt in loco quietiſſimo, & ſecuriſſimo.* Rurſùs capite 23. narrat, ſe audiuiſſe Deiparam dicentem Ioanni, *Ideò placuit Deo te vocare de mundo morte leuiſſima poſt me, quia Virgo Virgini fuit commendata.* Sed cùm libro ſeptimo capite 26. tradat, nullum corpus humanum eſſe in cœlo nunc præter Chriſti, & Mariæ, *locus* ille, *quietiſſimus*, & *ſecuriſſimus* erit alius ab Empyreo. Erit forſan paradiſus terreſtris. Vt tamen de hac interpretatione dubitem, facit animæ glorificatio, quam ſancta Brigitta exprimit vtrobique. Vnde etſi pro rediuiuo & glorificato S. Ioannis corpore videantur ſtare ſanctæ Brigittæ verba, inclinor magis, vt ea intelligam, quatenùs ſancti Ioannis corpus morte leuiſſima ab anima ſeparatum iaceat modò inanime in loco aliquo quietiſſimo, & ſecuriſſimo extra Empyreum, & glorificata anima intra exiſtat induta immortali veſte dotium gloriæ. Sanctę Gertrudi Manſfeldenſi libro quarto Inſinuationum diuinæ pietatis, capite quarto, dixiſſe refertur Chriſtus de Ioanne, *Tali modo complacuit mihi in præſenti vita remunerare, quòd eum ab omni dolo mortis illæſum quaſi in iubilo de corpore aſſumpſi.* Quæ verba conſona ſunt illis aliis apud S. Brigittam; nec minùs conformia ſunt, quæ habet S. Mechthildis libro primo ſpiritualis gratiæ capite 14. Ætate noſtra fœminæ cuidam cœlitus illuſtratæ prout priuata fide piè creditur, cùm ſanctorum plurium animæ ſub aſſumptis corporibus perſæpè apparerent; at de S. Ioanne Euangeliſta retulit, apparuiſſe ſibi ſemel alio modo, itaut putaret, corpore reſuſcitato viuum viſum à ſe fuiſſe.

57 Doctor Angelicus in 4. diſtinct. 43. art. 3. quæſt. 1. in 2. argumento, & in opuſculo de ſymbolo Apoſtolorum art. 3. *die reſurrexit*, præterea lectione 5. in capite 21. Ioannis. S. Vincentius Ferrer. in ſermone de S. Ioanne. B. Thomas Villanouanus in concione de S. Ioanne, Albertus Magnus, & cùm ipſo Turrecremata in feſto S. Ioannis quæſtione ſecunda. Diſcipulus in ſermone de Aſſumptione, Radulphus Ardens homilia 2. in feſto S. Ioannis, Echius, Clictouæus, Ianſenius, & cum ipſis Caniſius libro & cap. 5. de B. Virgine, Lanſpergius in exegeſi Euangelij de feſto S. Ioannis, Sylueſter in eiuſdem feſto tract. 4. Aureæ Roſæ Mayro in 4. diſtinctione 48. quæſtione 2. Argentinenſis diſtinctione 43. articulo 4. Ouandus ibidem, propoſitione 5. Marulus de religioſè viuendi inſtitutione per exempla lib. 6. capite 16. Epiſcopus Equilinus lib. 2. Catalogi Sanctorum capite 7. Ludouicus Granatenſis ſermone 2. de S. Ioanne, Didacus Stella in capite 6. Lucæ, Baronius (ſaltem non renuit) tomo 2. Annalium anno Chriſti 101. Pereyra in capite 21. Ioannis, Barradas tomo 4. in Euang. libro 9. capite 4. citans S. Iſidorum in libris originum (mihi tamen non licuit locum inuenire, vt nec in Leone Papa recenſo à Salmerone tomo 10. tract. 47. pag. 488.) Henriquez libro vltimo de fine hominis capite 21. §. 3. citans in Gloſſa Stobæum, rurſus cap. 23. §. 9. & multi alij apertè pronuntiant, S. Ioannem rediuiuum commorari in Empyreo.

58 Si in contrarium opponantur, quæ pro Ioanne non mortuo, ſed venturo cum Henoch, & Elia in fine mundi contra Antichriſtum, habent Catharinus in opuſculo de conſummata gloria Chriſti, Salmeron tomo 11. tract. 32. Georgius Trapezuntius in opuſculo de hac re, Ioachimus Abbas libro Introductorio in Apocalypſis cap. 27. & expoſitione 1. capite 1. Apocalypſis verſ. 18. Aldhelmus Occidentalium Saxonum Epiſcopus libro de Laudibus Virginitatis capite 11. Mantuanus in Alfonſo libro 5. Hieronymus Vida in hymno de S. Ioanne, Guilielmus Vorrillong. cum Mayrone in 4. diſtinctione 48. artic. 1. Amadæus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis, vt alios ſileam huius opinionis Patronos: diluuntur optimè à Maldonato in capite 21. Ioannis verſ. 20. & 21. Suario tomo 2. in 3. part. diſput. 55. ſect. 3. Viega in cap. 10. Apocalypſis comment. 4. ſect. 8. Tannero in 3. p. diſp. 1. q. 4. dub. 1. n. 25. Granado 1. p. controu. 13. de nouiſſimis tract. & diſp. 1. à n. 9. Cornelio in Prologo. ad Apocalypſim, & 10. Apocalypſis v. 11. Ioannis etiam 21. v. 22. Coſma Magallanes pręfatione in Ioſue, ſect. 6. n. 9. ac 10. Benedicto Iuſtiniano proluſione in epiſt. B. Ioannis c. 6. Duuallio in tract. de quatuor Nouiſſimis, q. 4. art. 2. pag. 597.

Digitized by Google

pag. 597. Sandæo 1.p. Theologiæ commentatione 37. Exercit. 3. Maluenda lib. 9. de Antichriſto cap. 11. Bonacina in 3.p. diſp. 3. q.5. puncto 1. §. & n. 2. qui rem adeo accuratè tractant, vt omnem poſterorum operam præoccuparint.

59 Multò magis vrgere poſſunt, quæ ſequuntur. Nam Cæleſtinus Pontifex Romanus in epiſt. ad ſynodum Epheſinam facit mentionem reliquiarum S. Ioannis, *Ante omnia*, ait, *illa vos præcipuè conſiderare, iterùm, atque iterùm recolere decet, quibus Ioannes Apoſtolus, cuius reliquias præſentes honoratis, ad mutuam concordiam, dilectionémque hortatur.* In 2. Synodo Nicæna actione 5. dicitur de Ioanne Anachoreta, *Erat ſtudioſus Martyrum, nunc enim in Epheſum ad Ioannem ibat.* Schiſmatici Orientales in epiſt. ad Senatum Conſtantinopolitanum ſcribunt, *Comperimus, Cyrillum Alexandriæ Epiſcopum, & Mennonem Epheſiorum Antiſtitem ::: ſacra templa, ſacras inuictiſſimorum Martyrum ædes præcluſiſſe, ita vt nec orare quidem cupientibus licuerit, neque è locis vſque adeò remotis venientibus, tantóque ſacras ſanctorum, triumphatorúmque Martyrum, maximè vero beatiſſimi Ioannis Theologi, ac Euangeliſtæ ::: reliquias videndi, eas denique complectendi deſiderio flagrantibus, integrum fuerit.* S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 26. in epiſt. ad Hebræos inquit, *Apoſtolorum plurimorum oſſa neſcimus, vbi iacent: Petri, & Pauli quidem, Ioannis, & Thomæ manifeſta ſunt ſepulchra.* Rursùs homil. 2. in Euang. Ioannis, dum affirmat Apoſtolum hunc Euangelio totum comprehendiſſe orbem, corpore mediam obtinuiſſe Aſiam, & ſecundùm animam ſeceſſiſſe in eum locum, qui Sanctis congruus eſt, loqui videtur de corpore iacente Epheſi. S. Paulinus carm. 26. in Natalis 11. fragmentis apud Dungalum canit,

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris
Sparſit vbique loci magnas ſua membra per vrbes.
Sic dedit Andream Patris, Epheſóque Ioannem,
Vt ſimul Europam, atque Aſiam curaret in illis,
Diſcuterétque graues per lumina tanta tenebras.

Polycrates Epheſiorum Epiſcopus in epiſtola quadam apud S. Hieronymum Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & apud Euſebium lib. 3. hiſtoriæ cap. 31. habet hæc digna notatu. *In Aſia elementa maxima dormierunt, quæ reſurgent in die Domini, quando venturus eſt de cælis in maieſtate ſua, & ſuſcitaturus omnes Sanctos: Philippum loquor, &c. ſed & Ioannes ::: in Epheſo dormiuit.* Reſpondet ad aliqua ex his teſtimoniis Barradas, appellari reliquias, *Sepulchrum, Pallium, Crepidas, & ſimilia.* Vereor, ne expoſitio hæc videatur violenta, & ſaltem in alia non quadrat.

60 Quapropter veneror piam tantorum Doctorum, & præcipuè Angelici Præceptoris opinationem pro exiſtentia Ioannis, quoad corpus glorificatum in Empyreo, deſidero tamen ſinceram intelligentiam teſtimoniorum, quæ proximè adduxi; & vlteriùs firmari rationem pro ea exiſtimatione; quæ non placet Hugoni de S. Victore in fine annotationum ad Euangelium Ioannis, Dominico Soto in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1. Maluendæ lib. 9. de Antichriſto cap. 12. Lucæ Fernandez de Ayala diſcurſu 17. de eodem Antichriſto; Suario tom. 2. in 3.p. diſp. 55. ſect. 3. Cornelio in c. 21. Ioannis v. 22. Eſtio v. 23. Benedicto Iuſtiniano proluſione in ep. B. Ioannis c. 6. n. 11. Roæ c. 3. de ſtatu Beatorum. Et Petrus Comeſtor ait cap. 196. Hiſtoriæ Euangelicæ, *melius eſſe de huiuſmodi piè dubitare, quam temere definire.*

SECTIO IV.

An alij in corpore glorioſo incolant iam Empyreum?

61 DE S. Simeone Salo innuere videtur Metaphraſtes, aut Leontius Epiſcopus Cypri in eius vita apud Surium tom. 4. die 1. Iulij; inquit enim, *Cùm autem aperuiſſet ſepulchrum* (Ioannes Diaconus) *nequaquam eum inuenit. Eum enim glorificans tranſtulerat Dominus.* Aſt quò transferret corpus glorificatum, niſi in Empyreum? cogitet ſecum prudens Lector, an ſatis ſit Metaphraſtis, vel Leontij authoritas ad id credendum? Et conſulat de hoc ſancto, Euagrium lib. 4. c. 33. Nicephorum lib. 17. cap. 22. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Leontium in Metaphraſte, & Lipomano, ac Surio, Ioannem Molanum in additionibus ad Vſuardum die 1. Iulij, Baronium in notationibus ad Martyrologium Romanum, & in Annalibus, anno Chriſti 548. à n. 15. tomo 7. Benedictum Gononum in vitis inſignium Eremitarum Orientis pag. 48. vbi aduertit, Synodum Nicænam ſecundam, act. 4. inter alia opera Leontij laudare S. Simeonis vitam, quam ſcripſit; & ipſe Gononus ad præſcripta verba hanc appendit marginalem notam, *Corpus S. viri cum anima ſua æterna beatitudine fruitur.*

62 Bernardinus de Buſto 11. parte Marialis ſermon. 1. de Aſſumptione B. Mariæ parte 6. ſcribit, *S. Ambroſius in ſermone Paſchali videtur velle, quòd quoties celebratur Feſtum Reſurrectionis Domini aliqui mortui ex Sanctis reſurgunt, & in cœlum cum corpore glorioſo aſſumuntur.* Echius hom. 5. de Aſſumptione B. Mariæ fatetur, ſe id non legiſſe in S. Ambroſio. Et certè S. Ambroſius in ſerm. de Martyribus tempore Paſchali (ad quem reſpexit forsàn Bernardinus, cùm dicat confirmare ibidem glorioſam reſurrectionem S. Ioannis Euangeliſtæ) loquitur ſolummodò de futuro Martyrum reſurrectione, vt legenti illum conſtabit, nec verbum habet de S. Ioanne Euangeliſta, vt obſeruabam in num. 51. Ouandus in 4. diſt. 43. propoſ. 5. credit, Bernardinum deſumpſiſſe id ex fragmento quodam apud antiquum Breuiarium, vbi aiebat S. Ambroſius, *Cur non quotieſcumque Reſurrectionis Domini feſtiuitas celebratur, toties reſurgere credimus & ſanctos. Hi iam in monumentis audierunt vocem Filij Dei, & audient poſt aduentum ad Iudicium.* Sed in his verbis (quæ S. Ambroſij eſſe non facilè adducar, vt credam, ſed compoſita ad ſimilitudinem extantium in ſermone illo de Martyribus) nec reſurrectio in corpore glorificato, nec Aſcenſio ad cœlum penes corpus exprimitur: & poſſunt intelligi de reſurrectione in ſpe priora verba; poſteriora autem, quatenus aliqui Sancti, vt qui reſurrexerunt cum Chriſto, audierint iam in monumentis vocem ipſius, & alij audient poſt aduentum ad Iudicium, Brianſus, & Franciſcus Mayronis apud Echium ſuprà tribuunt S. Auguſtino cogitationem de annua aliquorum ſanctorum reſurrectione. Niſi locum videro, non aſſentiar. Vbertinus de Caſali in arbore Vitæ lib. 4. cap. 32. anceps manet. Sanè cùm ea cogitatio careat ſtabili authoritatis, & rationis fundamento, explodenda prorſus eſt à nobis poſt Salam tomo 1. in 1.2. tract. 2. diſp. 14. ſect. 3. num. 20.

Digitized by Google

SECTIO V.

An de cætero Henoch, & Elias ante generalem Reſurrectionem incolent Empyreum in corporibus glorificatis? & an in non glorificato raptum eſſe in illud ad tempus Sanctum Paulum colligatur ex ſacra Scriptura?

63 Apocalypſis cap. 11. dicitur de duobus teſtibus, qui iuxta meliorem interpretationem ſunt Henoch, & Elias, occidendos Hieroſolymis ab Antichriſto, eorúmque corpora inhumata iacentia in illius vrbis plateis per tres dies, & dimidium, ſuſcitanda diuinitus, & audita hac voce de cœlo, *Aſcendite huc*, aſcenſuros ſtatim *in cœlum in nube*. Quæ narratio, cùm ad Litteram intelligatur ab Eccleſiæ Patribus, & Biblicis interpretibus, fit, eos duos teſtes incolas Empyrei futuros in corporibus glorificatis ante vniuerſalem reſurrectionem. Huic deductioni, *ſiquis putet illud aduerſari, quod de veteribus Sanctis ſcribit Paulus Hebr. 11. & hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur, id eſt, conſummationem beatitudinis, ſiue gloriam corporis acciperent, nequaquam aduerſatur, quamuis in eo Catalogo nominatus fuerit Henoch. Primò quoniam paucorum priuilegium legi communi non nocet, vt quod beatiſſima ſemper virgo Maria in cœlo glorioſum corpus poſſideat, non obſtat legi, quam indicat Apoſtolus, cùm ait, vt non ſine nobis conſummarentur; nec obſtaret ſi verè idem probari poſſet de Ioanne Apoſtolo. Deinde quoniam cùm poſt paucos dies futura ſit reſurrectio, non poteſt dici Henoch, & Eliam ſine nobis conſummari; ſimul enim fieri dicitur, quod exigua mora interpoſita ſit*: Attexui Sapientiſſimi Franciſci Riberæ verba in v. 12. cap. 11. Apocalypſis, vt obiter notarem, Authores, qui ob locum Pauli exaratum negant, Sanctos, cum Chriſto rediuiuos, immortali corporum vita donatos, debere & ipſum exponere, vel vt Ribera modò, vel vt ego ſuprà num. 23. cum multis aliis, inter quos Cornelius ſatis copioſè. Multò ante Riberam Thomas Angelicus, vel Anglicus, S. Bernardinus Senenſis eadem fermè dixerunt ibi.

64 Nihilominùs vtroque antiquior Beatus explanatione in Apocalypſim ſcribit, *Quòd autem dixit, Aſcendite huc. & aſcenderunt in cœlũ in nube, hoc eſt, quò Apoſtolus dicit, Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto. Ante aduentum autem Domini nullibi hoc poteſt contingere, vt aliquis homo præter Chriſtum in cœlum aſcendat in corpore. Scriptum eſt enim, Initium Chriſtus, deinde qui ſunt viui diſcipuli Chriſti in aduentum eius rapientur in nubibus, & occurrent obuiam ei. Vnde excluditur omnis ſuſpicio quorundam, qui putant, hos duos teſtes viuos eſſe, qui ante aduentum Domini cœlum in nubibus aſcendant.* Huc vſque Beatus. Sed Pauli teſtimonium, quod allegat, explicatum iam eſt in n. 25. Et hæc quoad primam ſectionis partem.

65 Secundam appoſui intendens in illa Pauli ad Corint. c. 12. v. 23. ac 4. *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore, neſcio, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominem, ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt in Paradiſum* &c. Nam cùm loquatur Apoſtolus de raptu ad Empyreum, & ad nobiliorem, eminentioremque eius paradiſum, vt non ſemel in ſuperioribus illuſtrauimus; & aliunde hic raptus non fuerit imaginarius, vel intellectualis, ita vt reuera manſerit in terra Paulus, & per imaginationem tantùm, aut intellectum videretur ſibi eſſe in Empyreo; quippe verum fuiſſe, & realem raptum localem ex terra, docent communiter Eccleſiæ Patres, & Interpretes: examinandum venit an Pauli mortale corpus ingreſſum ſit ad tempus in Empyreum?

66 Si Pauli anima ſeparata ſit realiter à corpore in eo raptu, reſpondendum erit negatiuè. Aſt S. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. cogitat probabiliter, non ſeparatam, licet Apoſtolus aſſerat, ſe hac de re nihil certò ſcire. Et meritò ſic cogitatur à S. Thoma, *alioqui enim Paulus mortuus fuiſſet, & mox reſurrexiſſet; Deum autem non decet, vt cùm homines in extaſim rapit, occidat; imò ſic non fuiſſet hic raptus, & exſtaſis, ſed occiſio, & mors: multa hîc interueniſſent miracula, quæ fruſtrà multiplicamus; cùm ſine his ſuauiùs, & naturaliùs manens in corpore rapi potuerit, vt alij Sancti rapti ſunt.* Ita Cornelius pulchrè. Accinitque Maſſutius in vita S. Pauli lib. 4. cap. 1. nec non Claudius Dauſquius lib. 3. de ſanctitudine S. Pauli, cap. 11. Imò nullus non Interpretum, & Scholaſticorum affirmat id ipſum, teſte Maximiliano Sandæo in Theologia Myſtica lib. 2. commentatione 8. diſquiſitione 3. vbi reiicit Bodinum, qui dixit, animam in raptu migrare è corpore: Et in commentatione 7. diſquiſitione 5. Exercit. 4. probauerat Sandæus, animam, dum patitur exſtaſim, è corpore non recedere. S. Hildegardis in ſolutione quæſtionis 24. ſignificare videtur, Pauli animam in raptu fuiſſe à corpore diuiſam. Sed ſi verba exactè ponderentur, abſtractionem tantùm à ſenſibus exprimunt. Iam ergo ſi raptus animæ fuit in Empyreum, & realis, manſitque anima coniuncta corpori, ſequitur & hoc introductum fuiſſe in illud; niſi velis Pauli animam duplici in loco ſimul locatam: quod etſi diuinitus fieri potuerit, factum tamen fuiſſe nec Authoritas, nec ratio ſuadet. Et præterea, vt benè idem Cornelius, *Dignum, congruúmque Paulo fuit, vt totus è cœlo, & Dei alloquio quaſi alter Moſes prodiret, vt potè non Iudæorum tantùm, ſed & Gentium omnium cæleſtis futurus Doctor, & Apoſtolus.*

67 Nec temeritatis nos quiſquam incuſet, eo quòd raptum cum corpore dicamus Paulum ad tertium vſque cœlum, & paradiſum cæleſtem, quando ipſe Paulus bis repetat, ſe neſcire, ſiue in corpore, ſiue extra corpus raptus ſit. Nos enim probabiliter, ſuppoſita inſeparatione animæ à corpore, procedimus eò, vt dicamus, raptum cum corpore Paulum; ipſe verò quoniam certam cognitionem non habebat de præfata inſeparatione, ideò palàm, & bis profitetur, nõ ſcire ſe certò, an in corpore, an extra corpus raptus ſit; de quo ſimiliter nos non certã, ſed probabilem aſſertionẽ dedimus: abſit namque, vt Apoſtolo *dubitante quis noſtrum certius eſſe audeat.* Vnde ſuper hoc loquuti ſumus, *magis coniecturaliter quàm per certitudinem*, edocti à S. Auguſtino lib. 12. de Geneſi ad Litteram. cap. 5. à S. Thoma ſupra ad 1. Tandem quicquid ſit, an corpus S. Pauli leuatum ſit ad Empyreum, vel ſola anima illuc ſit euecta, *vtrumque tamen ipſe confirmauit*, inquit Ambroſius, *quia vtrumque poſſe fieri non negauit, vt & ſine corpore rapi potuiſſet, & in corpore:::: Quid ergo mirum, ſi poſt reſurrectionem corpus iam expiatum, atque tenuatum, factum*

immorta

Digitized by Google

immortale, futurum credatur in cœlis, quando non dubitat Apoſtolus, adhuc mortale corpus potuiſſe leuari ad cœlos, & tolli in paradiſum Dei Patris cœleſtem.

68 Poſſem hic non pauca colligere ex Eccleſiaſticis Hiſtoriis, & Sanctorum viris, in quibus frequenter narratur, multos in mortali corpore viuentes raptos ad cœlum & Beatorum Regiam. Sed cum exiguæ noſtræ authoritatis limites ſuperet diiudicare, raptos fuiſſe verè, & realiter, idcircò miſſa facio. Animaduerterim tamen primò, narrationes illas, quantùm fieri poſſit, intelligendas de exſtaſi imaginaria, vel intellectuali, & nonnullas ex illis de viſione materiali Curiæ cœleſtis elicita ab eleuatis diuinitùs oculis corporis manentis in terra; magnum enim quid eſt, euehi mortale corpus ad Empyreum, & proinde non facilè credi debet. Etſi autem diſpenſatum ſit cum S. Paulo, vt adhuc mortalis inuiſeret locum Beatorum, inſignis hic fauor fuit, & non ſine magno fundamento aſſeuerandus in aliis. Quòd ſi Apoſtolus vidit tunc diuinam eſſentiam, vt ſentiunt multi apud Recupitum lib. 6. de Deo q. 14. cap. 5. & Dauſquius lib. 3. de Sanctitudine S. Pauli, cap. 9. iam qua parte habuit; licet tranſeunter, ſupremam animæ felicitatem, inuectus congruè eſt ad ſtationẽ Beatorum. Animaduerterim ſecundò, Martinum Gundiſaluum Conchenſem in Hiſpania ignibus damnatum ab Archiepiſcopo Toletano, quòd inter fatua alia blatteraret, ſcandere ſe cœlum ſingulis diebus hora deſignata, & oſculari illud. Sic referunt in Annalibus Eccleſiaſticis anno 1359. Bzobius n. 8. Spondanus n. 4. ex Franciſco Diago in Hiſtoria Prædicatorum Prouinciæ Aragoniæ lib. 1. cap. 24.

SECTIO VI.

Num Deipara Virgo poſt aſcenſionem Chriſti in Empyreum rapta ſit illuc aliquando cum corpore mortali? Num ſpecies Sacramentales Euchariſticæ illuc etiam transferantur interdum?

69 RAtio controuertendi ſpecialiter priorem tituli partem hæc eſt; quòd *quicquid dignum vnquam de aliquo extra ſuam perſonam voluit Chriſtus, perperam eſt de matre ſua, beatiſſima fœminarum, noluiſſe: & quod vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum:* & *quicquid ſinguli habuere Sancti, ſola* Virgo *poſſedit*, vt docent S. Anſelmus cap. 4. de Conceptione B. Mariæ, S. Bernardus in epiſt. 174 ad Lugdunenſes, Bernardus Archiepiſcopus Toletanus ſuper *Salue Regina* Sermone vltimo; de cuius, aliorumque trium Authore cum iamdudum dubitaretur, teſte Franciſco Biuario Ciſterciensi in SS. PP. vindicatis pag. 135. at nunc ex Iuliani Perez Authoris coæui Chronico n. 607. verus parens innotuit. S. Thomas 3. p. q. 27. art. 1. in corpore ait, *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis maiora priuilegia gratiæ accepit.* Conſonátque ſapientiſſimus Idiota libro de contempl. Virg. c. 2. inquiens: *Sanctorum omnium priuilegia eſſe in Maria.* Hinc qui Moyſem, & Paulum, dum inter mortales degerent, vidiſſe, nonnunquam Deum aſſeuerant, id ipſum multò potiùs de B. Virgine credunt. *Quis enim audeat tam ſpeciale priuilegium aliis conceſſum, Virgini denegare?* inquit Vaſquez tom. 1. in 1. p. diſp. 56. cap. 2. n. 5. Cùm igitur Pauli mortale corpus eleuatum eſſe ad Empyreum dixerimus adeò probabiliter in ſect. proxima, videtur idem de Virgineo putandum.

70 Et vt in hac inueſtigatione ex voto S. Bernardi ſermone ad milites templi cap. 11. *Sic adſit de nouitate iucunditas, vt de vetuſtate non ſit authoritas.* Audiatur S. Hieronymus vel Sophronius in ſerm. de Aſſumptione inquiens, *Conuerſabatur* Virgo *cum Senatoribus cœli intra Curiam paradiſi*, Rupertus lib. 3. in cantica cap. 4. verſ. 1. *Si quiſpiam dixit, raptum ſe fuiſſe in paradiſum, & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui; quanto magis tu, Regina Cœlorum, perſæpe cœleſtibus interfuiſti; & inter hæc didiciſti, vel aſſequuta es aliquid, quod latet, & latere nos debet.* S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſerm. 36. parte 3. principali, pag. 375. *Virginem plus quàm Paulum raptam in tertium cœlum, quia ſi eſſent tot Pauli, quot creaturæ, non attingerent eius contemplari, nam Paulus fuit vas electionis, Maria vas diuinitatis.* S. Bernardus in ſerm. de B. Virgine (qui habetur ſerie 2.) *Credendum eſt, Chriſtum frequenter Matrem ſuam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris ſublimaſſe, in cellam vinariam occultaſſe; ſui, prout nouit, & voluit, gloriam Deificam, & ſupercœleſtem reuelaſſe notitiam.*

71 Accedit præterea, Virginem in terris commorantem conſpexiſſe ſæpe Deum intuitiuè, vt Amadæus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis reuelatum ſibi ſcribit. & vt Recupitus ſupra cap. 1. ac 2. excultè, & doctè comprobat. Ergo veriſimile, religioſúmque eſt, affirmare, immaculatum eiuſdem corpus, ſanctiſſimamque animam euectam interdum miniſterio Angelorum ad Empyream aulam. Nam ſi verearis admittere id poſterius, quia *quod in Scripturis ſanctis non legitur, melius ignorare, quàm definire temerè, credimus*, iuxta Paſchaſij Rathberti animaduerſionem in cap. 2. Math. verſ. 16. Neque illud prius legitur in ſacris monumentis, & tamen licet maius quid ſit, aſſeritur prudenter, & piè à Theologis multis, & à non paucis Eccleſiæ Patribus indicatur: eóque procedunt Suarez, Arriaga, & alij 1. part. q. 12. art. 11. vt quamuis Moyſes, & Paulus ob generales Scripturæ regulas exiſtimentur Deum non vidiſſe in ſtatu viæ, nihilominus ſub eis regulis Virginem non comprehendendam pronuntient, vti non continetur ſub aliis communibus, peccati originalis, & dilatæ reſurrectionis vſque ad finem mundi: quippe *Auguſta, licet ſit ſubdita, Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipſe habet.* leg. *Princeps.* ff. de legibus.

72 Si etiamnum cuncteris concedere poſterius, quia cum S. Anſelmo in lib. de excellentia Virginis cap. 2. *Indecens eſſe reputes de Beata Matre Dei quid dubitabile in laudem eius recitari, cùm ea, quæ incunctanter de illa vera exiſtunt, tanta laudis materia ſint referta, vt quicumque in laudando eam morari deſiderat, neceſſe ſit, vt facultas eius magnitudini rei, & veritati ſuccumbat; ſicut enim ſola præ cunctis meriti ſingularis enituit; ita quicquid ad eam attinet ſpeciali quadam veritatis firmitate dignum eſt enitere.* Sed certè neque prius à tot, tantíſque conceſſum Doctoribus eſt indubitabile; neque quicquid pro Deiparæ excellentia, & laudibus cogitatur, debet eſſe extra omnem ambiguitatem, ſatis vtique eſt, ſi neque contra diuinas Litteras, neque contra Eccleſiæ definitionem, neque contra communem Patrum, & Theologorum conſenſum ſit, & aliunde congruẽtibus nitatur rationibus, Patrúmque inhæreat veſtigiis; etſi non prorſus certis, ac exploratis. Vnde cùm in præſenti puncto hæc omnia,

nia, quæ ſatis eſſe dixi, concurrant, propendeo in partem affirmatiuam.

73 Etſi refragari videatur Philippus Abbas lib. 3. in cantica cap. 19. ſic fatus, *Eſt filius in ſinu, in conceſſu, in Dei Patris dextera, coæqualis gloria, vnius ſubſtantia, eiuſdem maieſtatis, coæternus æterno, par inuiſibili, lucem quoque habitans inacceſſam, nec ſolùm cuiuis noſtrûm, ſed & Matri, dum hîc viueret, inconceſſam. Ad thronum enim gloria, in quo & in Patre Filius, & in Filio manet Pater, non Ioannes, non Iacobus, non denique peruenit Virgo Mater; & ſicut illis ad concedendum non datur dextera vel ſiniſtra, ſic nec Matri, quæ humanitatis filij lege mortalium eſt miniſtra.* In quibus verbis Virgini agenti mortalem vitam negat viſionem diuinæ eſſentiæ; & contra aſcenſum in cœlum videtur ſtare, ſed non ideò refero pedem ab opinione prætenrata.

74 Vtinam inde laus aliqua accreſcat Diuæ Matri! de qua credo, & confiteor cum Petro Abbate Cellenſi lib. 9. epiſt. 10. *plura eſſe apud nos ignota, quàm nota, quia confortata eſt & gratia, & gloria, & non poſſumus ad eam.* Dico etiam cum Nicolao Monacho in quadam ad ipſum Cellenſem Epiſtola, *ſi quid ſcribo de Virgine, quod non legerim in canone; laudem tamen ſapit Virginis, laudem & Filij Virginis. Et occaſione Scripturæ canonica vel vera ſcribo, licet occulta, vel veriſimilia, & ipſa Catholica. Præſumuntur multa de Virgine, quæ nuſquam leguntur, & præſumptionibus ſtandum eſt, donec probetur contrarium.*

75 Diſquiſitioni propoſitæ in poſteriori parte titculi occaſionem dedêre quædam verba Guitmundi Epiſcopi Auerſani lib. 2. de veritate Euchariſtię non longè ab initio. *Ad hoc verò* (ſic ille) *quòd à brutis animalibus* (ſpecies ſacramentales Euchariſtiæ) *conſumi poſſe dicuntur, reſpondere poſſumus ob prædictas cauſas, id eſt, probandæ fidei, aut damnandæ, ſeu corrigendæ cuſtodum negligentiæ, bruta animalia eò tenus ad corpus Chriſti poſſe accedere, quouſque poteſt humanus viſus aſpicere; deinde aut mox inuiſibiliter Angelorum ſibi ſemper aſſiſtentium miniſterio, vel ſuapte virtute raptum iri, in cœliſque conſtitui.* Quæ verba non improbantur a Thoma Vvaldenſi tom. 2. de Sacramentis cap. 60. Et cum in eis ſubticeatur, quid fiat de ſpeciebus ſacramentalibus, videtur indicari, quod transferantur ad cœlum: nec niſi in hoc ſenſu poteſt intelligi, Chriſti corpus raptum iri, in cœliſque conſtitui, quatenùs ſcilicet ſermo ſit de Chriſti corpore vt contento ſub ſpeciebus, nam ſecundùm ſe, ſeorſimque ab ſpeciebus non raperetur in cœlum, neque conſtitueretur in illo, ſiquidem ibi iam anteà ſic manebat.

76 Sed Guitmundus audiendus non eſt, vt qui miracula proprio Marte confingat, ne ſacramentales ſpecies à brutis corrodantur, aut deuorentur; quod fieri poſſe, & ſæpe contingere, debuiſſet vltrò fateri. Quòd ſi per raptum in cœlum intelligatur ſolummodò deſitio corporis Chriſti ſub ſpeciebus, quæ maneant in ore, aut ventre animalis: quo pacto loquitur Gloſſa in cap. *Tribus gradibus* de conſecrat. diſt. 2. reiiciendus eſt etiam Guitmundus. Euoluat Lector Bellarminum lib. 3. de Euchariſtia cap. 10. Suarium tom. 3. in 3. part. diſp. 61. ſect. 2. Valentiam tom. 4 diſputatione 6. quæſt. 8. punct. 2. Vaſquium tomo 3. in 3. part. diſp. 195. capite 4. & 5. Tannerum tom. 4. diſp. 5. quæſt. 4. dub. 2. à num. 28. & quæſt. 8. dub. 1. numero 30. Granadum tomo 5. controu. 6. tract. 10. diſput. 1. num. 3. & 4. Henriquez lib. 8. ſummæ cap. 40 §. 3. Lucam Vvadingum in Annalibus Minorum anno 1341. à n. 14. Gamachæum 3. part. quæſt. 77. capite 7. Eymericum in Directorio Inquiſitorum parte 1. Peñam ibi Commentario 15. Bzouium & Spondanum in Annalibus Eccleſiaſt. anno 1371. Conſultis priùs S. Thoma 3. p q 80. art. 3 ad 3. & 5. Damaſceno in capitulo de ſacro corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

EXERCITATIO VIGESIMATERTIA.

De hominibus vt Empyrei incolis in anima, & corpore glorioſis poſt generalem Reſurrectionem.

HANC ex fide Catholica certam ſuppono; nec quæ ad eam pertinent voco ad diſputationem, ne præfixam tranſiliam metam. Quapropter ſolummodò agam de loco, quem incolent Beati homines rediuiui.

SECTIO I.

Firmatur ex ſacris Litteris Catholica veritas de hominum Beatorum in cælo habitatione poſt generalem Reſurrectionem.

1 DOCTOR Eximius Franciſcus Suarez tom. 2. in 3. part. diſput. 58. ſect. 1. ait, & meritò, *De fide certum eſſe videtur, finito Iuditio, Chriſtum cum omnibus electis, & eadem, vel ſi fieri poteſt, maiori gloria, & triumpho rediturum in cælum, vnde ad iudicandum venerat.* Rursùs ſect. 4. pronunciat, *veritas eſt de fide certa, Chriſtum poſt Iudicium perpetuò in cælis regnaturum, non ſolùm ſecundùm diuinitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem*, regnaturum ſcilicet cum Angelis, & hominibus.

2 Probatur primum ex variis Sacræ Paginæ effatis. Nam Math. 22. verſ. 30. inquit Chriſtus, *homines in reſurrectione neque nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Math. etiam 24. verſ. 28. *vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Cùm ergo corpus Chriſti futurum ſit in cœlo, illic congregabuntur Sancti. Prætereà Math. 25. verſ. 34. prædicit, ſe in die Iudicij dicturum Iuſtis, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete*

Digitized by Google

poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Quod quidem regnum eſt cœlorum. Ad hæc Paulus 1. ad Theſſalonicenſes capite 4. verſ. 16. docet, *Simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Chriſtus autem Dominus erit in cœlo. Idem Paulus hortatur Coloſſenſes capite tertio, verſ. 1. *vt quæ ſurſum ſunt ſapiant, non quæ ſupra terram.* Fruſtrà autem ad cœleſtia quærenda, & ſapienda adhortaretur eos, ſi non in ſupernis, & cœleſtibus, ſed in terrenis, aut aliis ſubcœleſtibus ſcirent Coloſſenſes, æternam futuram felicitatem. Hinc iuxta ſanctum Anſelmum, *Petrus, qui oblitus eſt, regnum Sanctis non alicubi terrarum, ſed in cœlis eſſe promiſſum, neſciebat quid diceret*, dum in Thabor transfiguratum Chriſtum ſic eſt alloquutus, *Domine faciamus hîc tria tabernacula.* Apocalypſis 22. verſ. 14. ait Deus, *Beati, qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Ciuitatem*, nimirùm in Hieruſalem Cœleſtem. Denique prætermiſſis innumeris aliis teſtimoniis, Chriſtus apud Ioannem 14. verſ. 2. & 3. conſolans Diſcipulos mœſtos ob ſui abſentiam imminentem, inquit, *vado parare vobis locum; Etſi abiero, & parauero vobis locum, iterùm venio, & accipio vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Cùm ergo in cœlum vaderet paraturus Diſcipulis locum, eos reſuſcitatos illuc ſecum feret, quando ſecundò veniet in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate, qualis decet ſupremum Iudicem.

3 Probatur ſecundum ex illo Lucæ 1. verſ. 32. & 33. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis:* ex illo etiam Danielis 7. verſ. 13. ac 14. *Ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum, & dedit ei poteſtatem, honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* Vtrobique eſt ſermo de Chriſto vt Deo, & homine. S. Cyrillus Alexandrinus in epiſtola ad Anaſtaſium, Alexandrum, & alios Patres Monaſticam vitam agentes intelligit de Chriſto locum Danielis. Prætereo alia teſtimonia ex Iſaia capite 65. à verſ. 17. capite 66 à verſ. 10. ex Apocalypſi capite 21. à verſ. 3. & capite 22. à verſ. itidem 3.

SECTIO II.

Firmatur ex rationibus eadem Catholica veritas.

4 RAtio prima ſit; Chriſtus Dominus exiſtet in cœlo poſt generalem Reſurrectionem. Ergo & Iuſti rediuiui. Nam vt ponderat S. Leo Papa ſermone 1. de Aſcenſione, *Chriſti Aſcenſio* (in cœlum) *prouectio noſtra eſt, & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis. Hodie enim non ſolùm paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cœlorum in Chriſto ſuperna penetrauimus.* Et vt ſanctus Theophilus Antiochenus lib. 3. comment. in Euang. *Cùm Chriſtus ſit caput, ſancti autem ſint membra eius, neceſſe eſt vt ſequamur membra eò, quò caput præceſſit, vt ſit in cœlo Chriſti corporis plenitudo.* Et vt ſanctus Auguſtinus ſermone primo de Aſcenſione. *Propter vnitatem, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus eius, cùm aſcendit in cœlum, nos ab illo non ſeparamur. Qui deſcendit de cœlo, non nobis inuidet cœlum; ſed quodammodò clamat, Mea membra eſtote, ſi aſcendere vultis in cœlum.* Concinit ſanctus Petrus Cryſologus ſermone 83. inquiens, *Nos cœlo intulit Chriſtus, dum ſe ſuſtulit cœlo.* Quippe à Seruatoris Aſcenſione *didicit cœlum portare hominem, atque ſub pedibus Chriſti famulantia æthera iacuerunt. Patet iam porta, quam clauſerat Adam; clauſtrum, quod cœlo iniquitas infixerat, reparatum eſt.* Hac Patrum doctrina imbutus Theologorum Coriphæus ſanctus Thomas ſcribit 3. parte quæſtione 57. articulo primo ad 3. *Per hoc, quod Chriſtus humanam naturam aſſumptam in cœlo collocauit, dedit nobis ſpem illuc perueniendi; quia vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

5 Secunda: Deus dignatus eſt habitare in natura humana aſſumpta, ſibique vnita. Ergo par fuit, vt eam per æternitatem in cœleſtibus collocaret, & vt iuſtos vnà contubernales faceret. Ratio hæc eſt ſancti Ambroſij, ſeu potiùs Ruffini expoſitione in Symbolum cap. 31. *Dignum eſt* (ait) *& ſatis dignum, vt caro hominis cœlis inferretur, cuius habitator Deus eſſe dignatus eſt. Nec poteſt videri hominem citra meritum factum eſſe incolam cœli; cuius regionem non eſt dedignatus ſpiritus, qui Deus eſt, habitare. Iuſtum ergo fuit, vt corpus, in quo Deus habitando viſitare dignatus eſt, per quod noſtri particeps factus eſt, ad immortalitatem perduceret, & in cœleſtibus collocaret. Vbi ergo Dei habitatio eſſe debuit, niſi in regno Dei? Vbi autem regnum Dei; niſi in cœlis? vbi & nos omnes, ipſo donante, atque iubente, tunc futuri ſumus, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem.*

6 Tertia: homo conditus eſt à Deo corporeus partim, & partim ſpiritualis. Ergo in Reſurrectione oportet, vt homini, quà ſpirituali, detur, ſi benè ſe geſſerit, locus quaſi ſpiritualis, vti datus eſt, quà corporeo, locus paradiſi corporeus. Rationem hanc didici ex ſancto Ioanne Damaſceno, qui libro ſecundo de fide capite 11. ſic fatur. *Nonnulli ſenſibilem prorſus paradiſum fuiſſe animo ſibi finxerunt; Alij contra ſpiritualem, & qui intelligentia ſola perciperetur. Mea autem hæc eſt ſententia; quòd quemadmodum homo ita conſtitutus fuerat, vt ſimul & ſenſus, & rationis, atque intelligentiæ particeps eſſet; ſic etiam ſanctiſſimum ipſius templum tale erat, vt & in ſenſum caderet, & animo, ac ratione cerneretur, duplicemque ſpeciem haberet. Corpore namque in diuiniſſima, vt memoriæ proditum accepimus, ac pulcherrima regione degebat; animo autem in ſublimiori, ac pulchriori, atque omni comparatione præſtantiori loco commorabatur, Deum ſimul & pro domo, & pro hoſpite, & pro illuſtri indumento habens, eiuſque gratia veſtitus, atque ipſius contemplatione, qui ſolus dulciſſimus fructus eſt, mira cum voluptate, velut alius quiſpiam Angelus fruens, eáque ſe paſcens.* Tantùm ille; duplicem diſtinguens paradiſum, vnum terreſtrem, alium cœleſtem, & vtriuſque incolam deprædicans Adamum; cœleſtis tamen *non ſecundum animæ exiſtentiam*, vt optimè declarat Iacobus Billius, cum illa *corpori coniuncta, quod viuificabat, præſens erat in eodem domicilio, paradiſo ſcilicet voluptatis, vbi & corpus; ſed ſecundùm intentionem, & conuerſationem anima erat in ſuperiori loco.*

7 Quarta: Animæ iuſtorum ante reunionem ad corpora, erunt in cœlo. Ergo & poſt illā. Nam alioqui

Digitized by Google

qui damnũ reportarent ex coniunctione ad corpora, ſiquidem animabus beatis commodior alius locus aſſignari non poteſt, quàm cœlum. Hinc, vt aduertit Granad. 3.p.controu.13. de Nouiſſimis tract.5. diſp.5. ſect.2. n. 7. Poſt glorioſam Reſurrectionem agilitas Beatorũ nullum potiori iure motum efficiet, quàm illum, qui ordinatur, vt locum ſibi aptum conſequantur; qui ſanè debet eſſe maximè ſublimis, vt ita proportionetur ſublimitati electorum. Quòd ſi *tanta futura eſt corporum agilitas Beatorum, vt poſſint, ſi velint, abſque omni mora, ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem.* Sicut ait S. Bernardus ſerm. 4. in feſto omnium Sanctorum, nunquam ſanè maiori velocitate, ac voluptate motum peragent, quàm cùm in cœlum ſe conferent: quare breuiſſimo tempore, & ferè imperceptibili ſiſtent ſe in loco cœli deſiderato.

8 Quinta: Glorificata corpora ſuperant in perfectione elementaria omnia, & cœleſtia. Ergo congruum eſt, vt in ſublimiori cœleſtium habeant ſedem. Confirmatur, quia ſi poſt Iudicium generale ſeruabunt elementa ordinem ſibi connaturalem, ita vt aqua terram circumdet (niſi fortè aliqua huius pars manſura ſit diſcooperta ad habitationem eorum, qui cum ſolo peccato originali deceſſerunt, de quo in ſect. 14. exercit. 28.) cur corpora glorioſa non habebunt locum excelſiorem ab ipſorum exactum dignitate?

9 Sexta: *Oportet congruere locum cum iis, qui illum inhabitant, neque multùm diſcrepare domicilium ab iis, qui in eo viunnt.* Ita Zacharias Epiſcopus Mitilenenſis Dialogo de Mundi creatione contra Philoſophos; & breuiùs S. Hilar. in Pſal. 122. *Neceſſe eſt, vt habitatio habitatore ſuo digna ſit.* Beatorum autem corporibus incorruptibilibus, & lucidis nulla alia habitatio magis conuenit, quàm ſupremum cœlum incorruptibile, & lucidum. Æneas Gazæus in Theophraſto inſiſtens huic rationi ait, *Facta iam animarum probatione, & perſpicua atque omnibus nota malitiæ reprehenſione, hoc omne, quod ſenſibus eſt expoſitum, in id, quod immortale eſt, atque æternum conuertetur, quando conueniens eſt hominum immortalitati, vt locus aptus, atque accommodus fiat incolarum felicitati. Oportuit in eo qui periturus eſt mundus, mortale quoque, ſeu periturum animans eſſe, ac rurſus in illo æterno æternum, atque immortale.* Ob id S. Auguſtinus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 23. meditatur, corpora glorificata *talia fore dono cœleſti, vt cœlo incolendo, non amiſſa natura, ſed mutata qualitate conueniant.* Conſequentur enim proprietatem corporum cœleſtium, inquantum erunt clara, impaſſibilia, abſque difficultate, & labore mobilia, & perfectiſſimè ſuâ formâ perfecta, vt expendit S. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 86. ac 87. Ob id etiam S. Anaſtaſius Sinaita lib. 5. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus probat aſcenſionem Chriſtiani corporis glorificati in cœlum, *Neque enim locus hic terram vndique ambiens deinceps fuerat accommodus ei corpori, quod inclitam naturæ carnis craſſitiem depoſuerat, quod ex corruptibili incorruptibile, ex mortali immortale, ex animali factum eſt ſpirituale. Quemadmodum enim locus quaqua verſum terram ambiens, ac terrenus, corporum eſt domicilium, quæ pinguetudine concretiora ſunt; ſic & illa cœleſtis manſio eorum, quæ ſpiritualia ſint.*

10 Septima: Reproborum corpora erunt in infimo orbis loco poſt Iudicium generale. Ergo electorum in ſupremo. Sic enim ſummè diſtabit horum felicitas ab infelicitate illorum, ſicque veriſſimum erit Chriſti Domini oraculum apud Matthæ. 25. v. 46. *Ibunt (Reprobi) in ſupplicium æternum, iuſti in vitam æternam.* quatenùs reproborum corpora non gradientia pedibus, neque raptata à Dæmonibus, neque per miraculum penetrantia terram, ſed aperto vaſtiſſimo hiatu ab extima ſuperficie vallis Ioſaphat vſque ad centrum terræ deturbabuntur in Tartarum æterni ſupplicij locum: Iuſtorum verò corpora ibunt abſque adminiculo Angelorum, & à ſe ipſis agilitatis dote euecti, ac ſubtilitatis, *tota libertate ſpiritus ſine vlla cunctatione*, vt inquit S. Bernardus in fine ſerm. 8. ſuper Pſalm. 90. ad cœlum æternæ vitæ ſedem.

SECTIO III.

Subinſertur habitatio Beatorum hominum in Empyreo & errores aliqui contra eam notantur.

11 EX authoritatibus allegatis in ſect. 1. & rationibus in 2. expenſis conuincitur, glorificata corpora extitura in Empyreo, ſi eius admittatur, vti par eſt, exiſtentia. Quapropter hic articulus ſeptimus damnatus eſt Pariſiis, anno 1240. videlicet, *quòd nec anima glorificata, nec corpora glorioſa, vel glorificata erunt in cœlo Empyreo cum Angelis, ſed in cœlo aqueo, vel cryſtallino, quod eſt ſuper firmamentum. Quod etiam dicere præſumunt de B. Virgine.* Damnatus eſt, inquam, hiſce verbis. *Firmiter credendum eſt, & nullatenus dubitandum, quòd idem eſt locus corporis, ſcilicet Empyreum cœlum Sanctorum Angelorum, & beatarum animarum, & idem erit corporum humanorum glorificatorum. Et ſimiliter idem eſt locus ſpiritualis Sanctorum Angelorum, & hominum bonorum.* Rurſus anno 1340. damnatus eſt quintus hic articulus, nimirùm, *quòd corpora glorificata non erunt in cœlo Empyreo cum Angelis, ſed in cœlo Cryſtallino, vel aliquo, quod eſt ſupra firmamentum. Quod præſumebant dicere de B. Virgine.*

12 Antiſiodorenſis lib. 2. ſummæ tract. 7. in operibus ſecundæ diei cenſet, *eſſe contra fidem dicere, Sanctorum animas exiſtere non in cœlo Empyreo, ſed in aqueo.* Albertus Magnus in 3. diſt. 22. art. 8. ſcribit, *Phantaſia fatua eſt, dicere, quòd corpus Chriſti, & B. Virginis ſint in cœlo cryſtallino, vel etiam quòd Sancti ſint in cryſtallino, & ſolus Chriſtus, & B. Virgo ſint in Empyreo.* & iam antea in 2. diſtinct. 9. art. 8. ſcripſerat idem Albertus: *Quidam dixerunt (neſcio quare, quia nulla id ratio ſuadet) homines futuros in cœlo aqueo, & Angelos in Empyreo.* Carthuſianus in 2. diſtinct. 14. quæſt. 1. *opinionem* deſignantem aquas ſupercœleſtes in ſedem, & habitationem beatorum hominum vocat *Ineptam, & quæ diſſonet à communi doctrina Sanctorum.* Tribuit eam Guilhelmo Pariſienſi in partis de Vniuerſo parte 1. cap. 39. Hic tamen Author poſteà cap. 42. & 43. probat, aquas illas non fore habitaculum glorificatorum corporum, & ipſe fuit, qui damnauit Pariſiis, conuocato Concilio omnium Magiſtrorum, articulum 7. ſupra tranſcriptum, vt notat Bellarminus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 1240. obiitque anno 1244. vt tradit Miræus in Auctario de Eccleſiaſticis Scriptoribus cap. 401. Redigo Guilielmum in concordiam, quatenùs c. 39. voluerit, Beatos ad tempus diuerſuros in

Digitized by Google

in aquas ſuperas: c. autem 42. ac 43. & in Pariſienſi decreto mens ei fuerit, præfatis aquis dignitatem Sedis perpetuæ Beatorum denegare.

12 Diſſonat multo magis ſedem in igne Beatis hominibus deſignare, vti feciſſe Ioannem Scotum Erigenam, colligitur ex his Eccleſiæ Lugdunenſis aduersùs ipſum verbis *Quod autem dicit, in quo procul dubio habitabunt non minus Beati, quam miſeri, manifeſtè vtroſque, & beatos, & miſeros in vno igne æterno poſt Reſurrectionem habitaturos affirmare contendit.* Scriptus eſt hic liber ab Eccleſia Lugdunenſi contra Ioannem Erigenam circa annum 850. extatque in nouioribus V.V.P.P. Bibliothecis, vbi videat Lector impugnatum latè Beatorum in igne domicilium. Niſi fortè Ioannes ille ſub ignis nomine intellexerit lucem, & ſplendorem ſimilem igneo, quoad vim illuſtratiuam; quo ſplendore clareſcit Empyreum. Et in hoc ſenſu loquuti ſunt nonnulli Patres adducti in ſect. VI. Exercit. X. Si noſtra probetur coniectura, abibit indemnatum Ioannis illius dictum, hominis aliàs Hæretici, vel ſuſpecti ſaltem de fide, vt noſcere eſt ex Gaultreio pag. 605. Chronographiæ, Petauio p. 1. Rationarij temporum lib. 8. cap. 10. Gordono in Chronologia, anno Chriſti 884.

SECTIO IV.

Patres aliqui neſcio quid indicantes de exiſtentia omnium Iuſtorum, vel quorumdam poſt Reſurrectionem in alto loco, quam Cæleſti, & Empyreo, referuntur.

13 Tertullianus ſic fatur cap. 26. de Reſurrectione carnis, *Etiam ſi quis audebit terram Sanctam, paradiſum potiùs argumentari, quàm etiam Patrum dici capiat, Adæ ſcilicet, & Euæ: proinde & in paradiſum reſtitutio carni videbitur repromiſſa, quæ eum incolere, & cuſtodire ſortita eſt, vt talis illuc homo reuocetur, qualis inde pulſus eſt.* Lactantius lib. 2. Diuinarum inſtitutionum cap. 12. *Tunc Deus eiecit hominem de paradiſo ſententia in peccatores lata, vt victum ſibi labore conquirerent, ipſumque paradiſum igne circumuallauit, ne homo poſſet accedere, donec ſummum faciat iudicium in terra, & iuſtos viros, cultores ſuos, in eundem locum reuocet morte ſublata.* S. Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, *Ad eundem modum Protoplaſtum noſtrum inobedientia ex paradiſo expulit ::: At Deus maximum beneficium homini præſtitit, ne perpetuum in peccatorum ſordibus hærere cogeretur. At quod eſt illud beneficium? Nempè quod eum eiecit paradiſo quaſi exulem iubens, vt ſtatuto, ſiue determinato tempore peccatum exſoluens, & probè omnia edoctus, & inſtitutus poſtremò reuocaretur. Quapropter cùm homo iam recens in mundo conditus foret, quaſi ſub ænigmate & myſterio in Geneſi Scriptum reperitur, hominem bis in paradiſum eſſe collocatum. Prima in paradiſum inductio contigit, altera eueniet poſt vniuerſalē Reſurrectionem, & extremum iudiciū.*

14 S. Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 36. *Qui digni fuerunt cælorum conuerſatione, illuc tranſibunt, id eſt, in cælos; alij tutè paradiſi delicijs vtentur, alij autem ſpecioſitatem ciuitatis poſſidebunt: vbique autem Deus videbitur, & quemadmodùm digni erunt videntes eum.* S. Philaſtrius lib. de hæreſibus in hæreſi de vxoribus, & Concubinis Salomonis, *In Chriſti præſentia triplex gratia reſplendet, ac dignitas, vt alij perfecti, alij ſequentes, alij poſteà ſequuturi demonſtrarentur, non in vno modo dignitatis, id eſt regni cæleſtis inueniendi; ſed ſecundùm fidem, ac laborem eorum adepturi mercedem congruam, dicente Domino, Multæ manſiones ſunt apud Patrem meum. Ideo & Dauid animam ad regimen vocatam modis omnibus collaudat, edocens, Aſtitit Regina a dextris tuis. Aliam etiam ſequi hortatur, Audi filia, & vide, & obliuiſcere domum Patris tui, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam. vt ergo eſt rationis, conuenit agnoſcere quòd alij in regnum, alij in paradiſum, alij in viam atque remiſſionem peccatorum in futurò erunt deputandi: quod non negatur currentibus ac volentibus nunc, vt oportet; diſſimulantibus autem, & non rectè currentibus à Domino hæc non erunt conferenda.* Irenæi verba grata fuere Anaſtaſio Epiſcopo Nycæno, vel Antiocheno q. 74. in Scripturam, Author Chronici Alexandrini agens de S. Paulo Apoſtolo deſignat inter cælū, & Inferos ſtationem quampiā mediam, vbi poſt extremum Iudicium adulti homines iuſti, ſed imperfecti, ac tepidi cōmorabuntur.

15 Tertullianum, Lactantium, & S. Theophylum poſſet quis interpretari, quatenùs penes ipſos glorificati homines reuocentur breui aliquo tempore ad Paradiſum Adamicum poſt generalem Reſurrectionem, ſeu illac tranſeant, quando cum Chriſto remeant in cœlum Empyreum. Hæc interpretatio liberabit quidem illorum Patrum dicta ab hæreſis contra Catholicam veritatem cenſura, non tamen ab omni nota, tum quia paradiſus Adamicus abſumetur igne extremæ conflagrationis, vt vltra alios citandos num. 20. Exercit. 28. ſtatuunt Philippus ſolitarius in Dioptræ capit. 6. Maluenda in commentario de Paradiſo c. vltimo, & Bonacina in 3. p. diſp. 3. q. & punct. 5. propoſit. 4. n. 8. tum quia etſi permanſurus eſſet poſt diem Iudicij, caret omni fundamento tranſitus glorificatorum hominum per illum in cæleſtes ſedes.

16 S. Irenæus non adeò benignè explicari poteſt; vt nec Anaſtaſius, dum cœlum, paradiſum terreſtrem, & ciuitatem quandam in habitationem deſignant hominibus iuſtis rediuiuis peracto Iudicio, prout *alij centeſimum fructum ferant*, alij ſexageſimum, & alij trigeſimum. Quæ ſunt verba Anaſtaſij ſic concludentis cum S. Irenæo, *Alij quidem aſſumentur in cælos, alij verò verſabuntur in paradiſo, alij autem habitabunt ciuitatem, & ideo dixiſſe Dominum, In ædibus Patris mei manſiones multæ ſunt. Dei enim ſunt omnia, qui præbet habitationem omnibus conuenientem.*

17 S. Philaſtrius forſitan loquitur de animabus iuſtorum ante Reſurrectionem corporum; nam in illis verbis, *Alij in viam atque remiſſionem peccatorum* videtur denotari Purgatorij locus, cuius nullus erit vſus poſt diem Iudicij, vt contra Origenem homil. 14. in Lucam docent cum S. Auguſtino lib. 21. de ciuitate Dei cap. 16. & Enchiridij cap. 111. Theologi cuncti, præcipuè Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 9. Suarez in Defenſione contra Regem Angliæ lib. 2. cap. 15. num. 14. Valentia tomo 4. diſp. 11. quæſt. 1. puncto 3. in 5. aſſertione, Duuallius in tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt. 2. art. 6. pag. 524. Sed & quatenùs pro receptaculo aliquarum animarum abiunctarum à corpore in Dei gratia, & ſtatu Sanctitatis diſcriminet S. Philaſtrius paradiſum à regno cœlorum, & Purgatorio, debet cautè legi.

18 Chronici Alexandrini Author ſuauem omnem interpretationem reſpuit. Et iam diu S. Ephræm de Manſionibus beatis, S. Chryſoſtomus

Digitized by Google

parænesi 1. ad Theodorum lapſum S. Auguſtinus lib. homiliarum quinquaginta, in vltima, Iſaacus Syrus lib. de Mundi contemptu cap. 17. Pſeudo Sixtus III. Papa, in epiſtola de malis Doctoribus, Simeon Iunior libr. ſacrarum commentationum cap. 2 refutarunt acriter quoſdam, qui ſic fermè, ac Chronici Alexandrini Author, opinabantur, & ſperabant.

SECTIO V.

Recenſentur Patres alij, qui ſimile quid innuunt.

19 SAnctus Ambroſius in lib. ad Virginem lapſam cap. 8. ſcribit, *Talis vita, talis actio pœnitentia, ſi fuerit perſeuerans, audebit ſperare, & ſi non gloriam, at certè pœnæ vacationem.* Quæ verba inſinuant aliquos in altero æuo, & ſi ex præſenti diſceſſerint iam adulti, nec pœna vlla afficiendos, nec ſempiterna gloria. Traditur id à S. Gregorio Nazianzeno in oratione de moderatione in diſputationibus ſeruanda, & expreſſiùs in alia de ſancto baptiſmo; vbi ſuffragatur Nicetas ſcholiaſtes. Traditur etiam ab Origene homilia 17. & 35. in Mathæum, à S. Athanaſio in exhortatione ad Monachos, à Saluiano lib. 3. ad Eccleſiam Catholicam. Aggregauit iſtorum Patrum teſtimonia Iacobus Billius in 40. ſcholio ad eam Nazianzeni orationem de Moderatione, Prudentius in fine Hamartigeniæ optare ſibi videtur eum ſtatum medium:

Multa in theſauris Patris eſt habitatio, Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis. Non poſco beata
In regione domum. Sin illic caſta virorum
Agmina, puluereum que dedignantia cenſum
Diuitias petiere tuas. Sit flore perenni
Candida Virginitas animum caſtrata recisum.
At mihi tartarei ſatis eſt, ſi nulla miniſtri
Occurrat facies, auida nec flamma gehennæ
Deuoret hanc animam merſam fornacibus imis.

Innominati aliqui apud Comeſtorem cap. 174. hiſtoriæ Euangelicæ *putarunt, eſſe multa loca bonorum præter cœlos, paradiſum ſcilicet Adæ, locáque in aere, & terra, vbi beatè viuent, nec tamen Deum videbunt. Soli enim perfecti cum Angelis fruentur Dei viſione. Ob hoc dictum putant, Multa manſiones in Domo Patris mei ſunt.* Sic illi, quos errasse, pronuntiat Magiſter ſcholaſticæ Hiſtoriæ, & ego cum ipſo. Quoad Patres verò difficile eſt, ipſorum verba ad ſanum trahere ſenſum, niſi fortè quis velit cum Billio, extremum Beatitudinis gradum, & infimam cæleſtis domus manſionem, minuendæ rei gratia, per hyperbolem dici à Patribus gradum, qui vix attingat præmium gloriæ, & regni cæleſtis, vt ſic excitent fideles ad maiora, & altiora virtutum opera, & perterrefaciant tepidos, ac deſides.

20 S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Glaphyrorum in Exodum inquit differentibus baptiſmum vſque ad ſenectutem: *Etſi conſilij ſui compotes fiant non eſſe firmam ſpem, ſed ingens damnum, & inopinato accidere, nam ſolam remiſſionem peccatorum conſequuntur, & Patriſfamilias talentum reddunt infructiferum, nihil ſuperlucrati.* S. Gregorius Nyſſenus oratione aduerſus eos, qui differunt baptiſma ſcribit, baptizatos adultos in fine vitæ, ſi ex induſtria procraſtinarint, abire ad locum, vbi neque honorentur, neque puniantur, *idque cum venia, vt ſine hæredes per Dei propriam benignitatem.* Et ſubiungit: *Quid ergo magni lucraberis, ſi à regno excidas & ab illis promiſſis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Non punior, inquit, neque timeo minas: ſatis autem habeo, ſi neque graue quid patiar, neque præclarum aliquid feciſſe renuntier. Hoc eſt mali ſerui inſtitutum, qui piſtrini, & vinculorum, & flagrorum ſolum ſtudet vitare ſupplicia, liberalem autem gloriam, & honorum ſplendorem, ne tantillum quidem ſibi vendicat,* Sic Nyſſenus.

21 S. Gregorius Nazianzenus oratione in Sanctum Baptiſma ait, *Inter gratiam, ac mortem temporis aliquid intercedat, vt non ſolum praua litteræ deleantur, verùm etiam earum loco meliores inſcribantur; nec ſolùm gratiam habeas, verùm etiam præmium conſequaris, nec ignis tantùm ſupplicium effugias, verùm etiam gloriæ hereditatem percipias, quam negotiatio dono adiuncta conciliat. Nam paruus quidem, atque abiectis animus amplum ac præclarum videtur pœnam vitare; at qui magno, & excelſo animo præditi ſunt ad mercedem quoque aſpirant.* S. Baſilius in exhortatione ad Baptiſmum videtur non longè recedere ab eadem mente. Sed Petrus Arcudius lib. 1. de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis, in ſeptem Sacramentorum adminiſtratione cap. 15. conatur interpretari hos Patres, quatenùs ſentiant, adultos baptizatos in extrema vitæ periodo non comparare gloriam, ac beatitudinem, quæ propriis meritis, ſed quæ gratiæ collatæ vi Sacramenti reſpondeat, & quæ penè non æſtimetur pluris, quàm exemptio à ſuppliciis. Vtinam Billij, & Arcudij expoſitiones tam reputentur conformes ſenſui, & verbis Patrum, quàm ſunt erga eoſdem ſtudioſæ!

SECTIO VI.

Memorantur incidenter Scriptores, qui adultis nonnullis Gentilibus rediuiuis habitationem concedunt in loco diuerſo ab Empyreo, & Inferno. Firmatur amplius ex ſacris Litteris, ex Patribus, & rationibus exiſtentia rediuiuorum Gentium vel in Empyreo, vel Inferno.

22 CLaudius Seyſſellus in tract. de diuina Prouidentia parte & art. 2. docet, Gentilibus qui Deum, primámve cauſam naturali iudicio cognouerunt, totámque naturæ legem obſeruarunt, ſine vllo ſupernaturalis fidei lumine, diuerſum à Beatis, & damnatis locum poſt præſentis vitæ curſum deſignatum eſſe, in quo abſque præmio gloriæ, & abſque vllo ſupplicio maneant perpetuò relegati, ibique diuinæ bonitati ingentes habere gratias, ſeque fœlices, ac beatos in damnatorum comparatione reputare, neque Beatorum inuidere fœlicitati, ſed ſuam ipſorum ſortem æquanimiter tolerare.

23 Hieronymus Columbus, lib. 2. de Hierarchia Angelica, & humana cap. 8. n. 19. proponit vt probabile, Ethnicos benè viuentes, vel ante, vel poſt Chriſtum, etſi non ſint prædeſtinati ad Regnum cœlorum, non per hoc tamen in Infernum detruſos, ſed nunc eorum animas ſeparatas, & poſt reſurrectionem vnitas corporibus manere in medio, ac magno quodam hoſpitio ſub cœlo fruentes maxima fœlicitate, ac beatitudine naturali. Addit aſſertiuè in num. 23. Si quis non prædeſtinatus crediderit, ac dilexerit Deum, ac totam eius legem adimpleuerit, quantùm in ſe eſt per ſufficien

Digitized by Google

ſufficientia auxilia, hunc iturum in eundemmet locum. Rurſus lib. 3. cap. 22. n. 14. poſt tranſcripta quædam S. Brigittæ verba concludit, *Ex his videtur, quod Gentes, quæ optimam crediderunt Religionem ſuam, quam tenebant, ſi fecerint, quod in ſe eſt, ac naturæ legem ſeruauerint, non perire cum Diabolo in Inferno, ſed aliquo modo conſolari in alio receptaculo expectantes diuinam miſericordiam in ſuppliciis. At quæ miſericordia, & quæ ſupplicia illis indicta ſint, Brigitta non expendit. Non inerter poſſemus hæc leuiora arbitrari inſtar pœnæ mundi huius, & carentiam gloriæ ſempiternæ; miſericordiam verò eis futuram eſſe, vt poſt finem ſæculi partem habituri ſint in hoc mundo immortali vita donandos, non diſpari ratione ab ea, quâ plures Theologi de non baptizatis pueris philoſophantur, de quibus nihil certè adſtruo; ſed iudicio S. Matris Eccleſiæ in omnibus me ſubmitto.* Sic Columbus.

24 S. Brigittæ teſtimonia allegata à Columbo continentur tum lib. 3. Reuelationum cap. 26. tum lib. 6. cap. 77. Et in priori quidem loco Chriſtus inducitur ſic loquens; *Nunc autem cum ita ſim miſericors quærere poteris, cur non miſereor Gentilibus, & Iudæis, quorum aliqui, ſi erudirentur fide recta, libenter pro Deo morerentur? Reſpondeo tibi, quòd omnibus facio miſericordiam tam Gentilibus, quàm Iudæis, nec relinquitur aliqua creatura ſine miſericordia mea. Nam quicumque audiunt, quòd fides eorum non eſt vera, & deſiderant feruenter veram, aut quicumque credunt, hoc eſſe optimum, quod tenent, quia non eſt eis aliud vnquam prædicatum, faciúntque toto conamine quæ poſſunt, horum iudicium erit in leuiori* (maiori, legendum reor) *miſericordia. Nam duplex eſt iudicium damnandorum ſcilicet, & ſaluandorum. Chriſtianorum enim damnandorum erit ſine miſericordia, quorum pœna erit æterna, & tenebræ, & voluntas firmata contra Deum. Saluandorum verò erit viſio Dei & gloriatio in Deo, & velle Deo bonum. Ab his excluſi ſunt Gentiles, & Iudæi, & mali, & falſi Chriſtiani. Qui quamuis non habuerunt fidem rectam, habuerunt tamen Iudicem conſcientiam ſuam, credentes eundem eſſe Deum quem coluerunt, & offenderunt. Iſti autem, quorum voluntas, & actio erat, & eſt ſecundùm iuſtitiam, & contra peccatum, habebunt cum minùs malis Chriſtianis iudicium miſericordiæ in ſuppliciis propter dilectionem Iuſtitiæ, & odium peccati; ſed non habebunt conſolationem in fruitione gloriæ, & viſionis Dei, quem non videbunt propter Baptiſmi carentiam, quia aliquod temporale, aut occultum Iudicium Dei retraxit eos in quærendo Deum verum, & Baptizando, non timor, aut labor, non diſpendium bonorum, vel honorum, ſed impedimentum ſolum humanam fragilitatem ſuperans. Iſtos, ego, qui Cornelium, & Centurionem nondum baptizatos vidi, altiùs, & perfectiùs remunerare ſcio, ſicut eorum exigit fides. Quia eſt alia ignorantia malitiæ alia pietatis, & difficultatis. Quæ omnia nouit penſare Deus, qui omnium nouit corda.*

25 In poſteriori autem loco hæc habentur ſub perſona etiam Chriſti, *Quid dixit tibi ille frater loquax? Reſpondit illa. Quod Gentiles, qui non vocati fuerunt ad vineam, nullo modo habebunt fructum de vinea. Reſpondit Dominus, dic illi, veniet tempus, quo fiet vnum ouile, & vnus paſtor, vna fides, & vna clara cognitio Dei, & tunc multi, qui vocati fuerunt ad vineam, reprobabuntur, qui verò non vocati fuerunt, & tamen iuxta poſſibilitatem ſuam laborauerunt, vt vocarentur, percipient quidem à Deo in ſuppliciis aliquam miſericordiam & gratiam releuaminis, quamuis ipſam vineam non intrabunt.*

26 Legi, & relegi ſæpiùs vtrumque locum, nihilque diſpicio, quod vel verbo ſpecie faueat Columbo. Nam in poſteriori dicitur, Gentiles, qui non vocati ſunt ad vineam, laborauerunt tamen, quantùm in ſe erat, vt vocarentur, non intraturos in vineam, neque habituros eius fructum, id eſt, cœleſte regnum, ſed futuros in ſuppliciis ob peccata, ſcilicet aliqua lethalia, quæ commiſerint; ea verò ſupplicia infligenda ipſis maiori cum miſericordia, & gratia releuaminis, quàm ſi non laboraſſent. Non caret hæc doctrina ſuis difficultatibus; ſed quo ad mediam ſtationem eorum Gentilium extra cœli, Infernique ſedes, extra ſtatum æternæ gloriæ, & æternæ pœnæ ſenſus, nullum apparet veſtigium, quod odoretur Columbus.

27 Priorem locum expendit Gonzalus Durantus Interpres Reuelationum S. Brigittæ, aduertitque, fieri ibi comparationem inter Gentiles, Iudæos, & Chriſtianos malos, eoſque omnes fore damnandos exprimi, quamuis Gentilium iudicium erit in maiori miſericordia, & cum inflictione leuioris, ſeu minoris pœnæ æternæ tam damni, quàm ſenſus, ſi à lege naturali omninò receſſerint, aut ſi ad eam non omninò acceſſerint in ſuis actionibus, quia cùm caruerint ſubſidiis ac directione legis ſcriptæ, & Euangelicæ, digniores ſunt mitiori mulcta, quàm Iudæi, & Chriſtiani ſontes. Dicet quis, agi etiam de Gentilibus, *quorum voluntas & actio erat, & eſt ſecundùm iuſtitiam, & contra peccatum.* Fateor, ſed & de his aſſeritur, *habituros cum minùs malis Chriſtianis iudicium miſericordiæ in ſuppliciis.* Chriſtiani autem minùs mali non reſidebunt in loco medio, ſed in Inferno, ſi obierint cum peccato lethali, aut ſi abſque reatu eius criminis deceſſerint, manebunt in Empyreo, etiam ſi priùs ob pœnæ temporalis reatum Purgatorij flammas ſubierint, maiorem Dei miſericordiam experti ſiue in Inferno, ſiue in Purgatorio, quàm alij Chriſtiani nequioris vitæ. Quare nec Gentiles, de quibus procedit replica, medium eum locum tenebunt; quicquid ſit, an ad tempus punientur in Purgatorio, an æternum in Inferno, ſed vtrobique leuioribus pœnis; ad tempus quidem in Purgatorio, ſi contingere poſſit, vt denaſcantur non fœdati vnquam culpa graui contra legem naturæ, & præuenti à Deo iis, quæ ſunt neceſſaria, vt poſt expiatas in Purgatorio leues noxas admittantur ad regnum cœleſte; aut æternum in Inferno, ſi dictamini rationis non obſecundarint in omnibus grauibus naturalis legis præceptis, licèt in multis obtemperarint. Et hanc præhabeo explicationem indicatam à Duranto. Dices rurſus, non congruere cum hac explicatione verba illa, *Iſtos ego.... altiùs, & perfectiùs remunerare ſcio, ſicut eorum exigit fides.* Nam punitio in Inferno minimè eſt remuneratio. Reſpondeo, in illis verbis ſermonem iam eſſe de Gentilibus, quibus ad ſalutem profuit Baptiſmi votum.

28 Ex his patet, S. Brigittæ reuelationes propitias non eſſe Columbo, contra quem & Seyſſellum, omittam multa, quæ à præſenti inſtituto aliena ſunt: attigit aliqua Franciſcus Collius lib. 1. de Animabus Paganorum cap. 11. & 12. Quare ea ſolùm argumenta vſurpabo, quibus perpetuus ſtatus, & locus medius inter gloriam cœleſtem, & Inferni pœnas adultis competens oſtendatur prorſus improbabilis, vt à grauiori cenſura abſtineam. Audiatur in primis S. Auguſtinus lib. 1. de ciuitate Dei c. 25. inquiens de adultis, *qui in regni Dei poſſeſſione nunquam erunt, æterno ſupplicio tenebuntur, quia non eſt locus medius, vbi non ſit in ſupplicio, qui illo non*

Digitized by Google

fuerit conſtitutus in regno. ſer.14.de verbis Apoſtol. *Cum terreret Paulus Apoſtolus homines, non paruulos non baptizatos, ſed ſceleſtos, facinoroſos, cõtaminatos, perditos, non eos terruit, quòd erunt in igne ſempiterno, quo ſine dubio ibunt, ſi non corriguntur; ſed tantum terruit, quia in regno non erunt, vt cum viderent ſe perdere ſpem regni, non viderent eſſe conſequens, niſi pœnam ignis æterni.: : :. Non dixit, illi & illi, tales, & tales, igne æterno torquebuntur, ſed regnum Dei non poſſidebunt. Subtracta dextra, non remanebit niſi ſiniſtra. Vnde autem euadunt ab igne ſempiterno non ob aliud, niſi quia erunt in regno.* Legatur idem S.Doct.lib.3.de Anima,&eius origine,ad Vincent. Victorem, c.11. Et in multis locis. Licèt agens de paruulis non baptizatis,docet,non ire,neque manſuros inter cœlum,& terram, neque ſortiri ſtatum medium inter regnum cœlorum, & damnationem ad Inferos, quod æquè aſſereret de adultis; authoritatéque Scripturæ, & rationẽs, quibus vtitur, non minus vrgentes ſunt pro adultis, quàm pro paruulis. S.Anſelmus lib. de conceptu Virginali c.22. ait, *Poſt diem Iudicij nullus erit Angelus, aut homo, niſi aut in regno Dei, aut in Inferno*; & c.27. *omnis homo aut ſaluatur, aut damnatur. Omnis homo, qui ſaluatur, ad regnum cœlorum admittitur, & omnis, qui damnatur; ab eo excluditur.* S.Antoninus 3.p. Hiſtoriali tit.21.cap.5.§.2. delapſus in ſermonem de Dante Poëta,tripartitoque eius opere continente Infernum, Purgatorium,& Paradiſum,ſcribit hæc maximè notanda: *In hoc videtur Dantes erraſſe non parùm, quia antiquos Sapientes, Philoſophos, Poetas, Rhetores infideles, vt Democritum, Pythagoram, Anaxagoram, Platonem, Socratem, Ariſtotelem, Homerum, Virgilium, Ciceronem, & alios deſcribit eſſe in Campis Elyſiis, vbi etſi non in gloria, tamen ſine pœna exiſtant: cùm ſecundùm fidem Catholicam non ſit dare talem ſtatum in tali vita, quoad illos, qui habentes iam vſum rationis de hac luce migrarunt. Sed aut ad cœlum euolant purgati ab omni reatu in exitu ſuo, aut obnoxij poſt purgationem ad paradiſum aſcendunt. Cæteri verò ad inferna deſcendunt, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat pœnarum immenſarum, ex quibus nulla eſt redemptio, vel diminutio, vel alleuiatio.* Hucvſque S.Antoninus.

29 Cuius, & SS.Auguſtini, Anſelmi, aliorúmque Patrum, quos prætereo, motiuum præcipuum illud fuit, quia in ſacris Litteris duo tantùm proponuntur iudicandorum ordines in extremo iudicio. Vnus, qui ſit à dextris, alter, qui ſit à ſiniſtris; vnus eorum,quibus dicet Chriſtus, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Alter eorum, quibus dicet, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*, Ita refertur Matthæi 25. verſ.34. & 41. Concluditque Chriſtus in v.46. *& ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Neque opponas plures Theologos ſentire, paruulos infectos peccato originali,qui non poſſidebunt regnum,non ideò ituros in ignem æternum, quare ſicut in ea ſententia verbis Chriſti conueniens aptatur interpretatio, ita in hac alia non deerit. Non, inquam opponas; nam multò plures Theologi cõtendunt,paruulos illos ituros in ignis æterni locum, vel in proximum aliquem intra terræ viſcera, licèt cum exemptione ab ignis tortura, quam nonnulli etiam admittunt. Et omnibus in confeſſo eſt, Verba Chriſti, quoad adultos,nullam permittere exceptionem; quatenus certum ſit, adultum quemque auditurum ſententiam vel regni,vel cruciatus ignis æterni, etſi de infidelibus aſſeratur à quibuſdam non diſcuſſionis,ſed ſolius damnationis iudicio fore iudicandos in extremo die. Et hæc ſatis aduerſus Claudium Seyſſellum, Hieronymumque Columbum.

30 Libet adiungere duo,vel tria Corollaria. Primum cum Alfonſo Ciacone in tract.de Traiano,ad preces D.Gregorij liberato pag.23. & 24. ſi ea hiſtoria, memoriæ prodita inter vulgatos alios à Ioanne Sareſberienſi l.5. de nugis Curialium c.8. ſit vera, non putandum eſſe cum Ioanne Diacono lib.2. vitæ S. Gregorij cap.44. ſic ereptum Traianum,vt modò, & poſt diem Iudicij maneat in Inferno, ſed quin ſentiat ignis tormenta. Etenim poſt diem illum quiuis adultus exiſtet vel in Empyreo,vel in Inferno,ibique igne cruciabitur.

31 Secundum, dum Theologi ad 1.2.S.Thomæ quæſt.89. art.6. diſputant, an puer perueniens ad vſum rationis, quin ab originali peccato ſit expiatus,poſſit decedere cum adiuncto ſolo peccato veniali, diſcurrendum eſſe cautè ab his, qui affirmatiuè reſpondent, quantum ad locum, in quo poſt iudicium manebit. Legatur Salas tract.13. ad 1.2. diſp.18.ſect.7.

32 Tertium, ſi ad peccati lethalis grauiſque Theologicè, cui ſoli æterna ſenſus pœna debetur, opus ſit aduertentia ad Deum, & contingere poſſit vt Gentilis aliquis toto vitæ decurſu habeat inuincibilem ignorantiam veri Dei, moriatúrque patrato homicidio v.g.aliiſve ſceleribus enormibus contra naturæ rationalis dictamen, theologizandum eſſe circumſpectè circa locum, quò deferetur anima, & in quo reſidebit poſt diem Iudicij. Audiui quendam Neothericum dicentem, eius Gentilis animam deportandam in receſſum Lymbi puerorum,vbi patiatur æternam damni pœnam, & temporalem ſenſus, vel deferendam in Purgatorium, vbi perſoluat temporalem ob crimina perſonalia contra naturam rationalem,indéque transferendam ad Limbum puerorum,vbi ſubeat æternam ob peccatum originale. Sed præterquam quòd hæc tranſportatio ex vno loco ad alium, & illa eiuſdem loci ad diuerſa officia deſtinatio videantur commentitiæ,adulti homines,vel in ſedibus cæleſtibus,vel in Inferni cauernis,igniſque tormentis debent conſtitui poſt vniuerſale Iudicium.

SECTIO VII.

Humanorum corporum in Cœlo exiſtentia comprobatur ex prophanis litteris.

33 IN Romanis nihil magis decantatum, quàm receptio Romuli in cœlum. Ex adulatione quidem fabuloſa, vt inquit S. Auguſtinus lib.3. de Ciuitate Dei c.15. Sed quibus verbis fabulam conſignent antiqui nonnulli, videamus. Liuius lib.1. ſcribit, *His immortalibus editis operibus, cum ad exercitum recenſendum, concionem in Campo ad Capræ paludem haberet, ſubitò coorta tempeſtas cum magno fragore, tonitribúſque tam denſo Regem operuit nimbo, vt conſpectum eius concioni abſtulerit, nec deinde in terris Romulus fuit*

Ouidius lib.2. Faſtorum canit,

Nam Pater armipotens, poſtquam noua mœnia vidit,
Multáque Romuleâ bella peracta manu,
Iuppiter, inquit, habet Romana potentia vires,
Sanguinis officio non eget illa mei.

Redde

Redde patri natum, quamuis intercidit alter,
Pro ſe, proque Remo, qui mihi reſtat, erit.
Vnus erit, quem tu tolles ad ſydera cæli
Tu mihi dixiſti, ſint rata dicta Iouis.
Iuppiter annuerat, nutu tremefactus vterque
Eſt polus, & cæli pondera nouit Atlas.

Similia habet lib. 4. Metamorphoſ. Accinit Horat. lib. 4. carminum Ode 3.

——protinus & graues
Iras, & inuiſum nepotem,
Troica, quem peperit ſacerdos;
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.

Satis hæc ſint in ſpecimen aſcendentis Romuli ad cœlum, *ſcalis mendacij*, vt ait Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Inde mos, de quo Noſter Iulius Cæſar Bullengerus in Imperatore & Romano lib. 1. cap. 10. producendi aliquem, qui Imperatorum animas è rogo in cœlum aſcendentes iuratus diceret. Quod etiam de animabus Pauli Æmilij, ac Pompeij Magni fabulantur Silius, & Lucanus: refértque Herodianus lib. 4. Hiſtoriarum, ſolitam è pyra demitti aquilam, quæ in cœlum credebatur ipſam Principis animam deferre.

34 Plutarchus in vita Romuli putat figmentum illud germanum cum fabulis *apud Græcos de Ariſtea Proconneſcio, & Cleomede Aſtypalenſi ::: & Alcmena .:: Huiuſcemodi multa fabulantur commentitia, ea, quæ natura mortalia ſunt inter cæleſtia recenſentes.* Addit paulò pòſt, *Adimere ſemel virtuti diuinitatem, nefas, & illiberale; rurſus in cælo locare terram ſtultum ſit. Relinquendæ igitur fabulæ, cum rem ipſam teneamus, vt ait Pindarus,*

Omnium corpus tenetur morte pallida,
Mens reſtans æternitatis effigiem tenet.

Ea enim ex Diis eſt ſola, inde eius ortus, eodem eſt & reditus: non quidem comitāte corpore, verùm vbi planè à corpore explicata ſit, & ſeiuncta, euaſeritque iam vndequaque pura, carne exuta, & munda. Aridus enim hic animus eſt, vt vult Heraclitus præſtantiſſimus, qui ex corpore, vt è nube fulgur, exilit: commixtus vero corpori, & implicitus velut vapor grauis, nebuloſúſque ægrè accenditur, & ſupera petit. Non ſunt ergo bonorum corpora contra legem naturæ vnà cum animo in cælo collocanda; ſed virtutes, atque animi natura & iudicio diuino ex hominibus inter Heroas, & Heroibus inter lares, ex laribus, ſi ſemel ſicut in initiationibus luſtrati ſunt, & purgati, omni depoſita conditione mortali, & dolore, non publica lege, ſed reipſa, & conſentanea ratione in numerum referendi ſunt Deorum, optimum, & beatiſſimum finem adepti. Hactenus Plutarchus. Et ante ipſum Cicero aſſeuērauit, Herculem, & Romulum ex hominibus Deos factos eſſe: eorum tamen corpora non fuiſſe elata in cœlum. *Neque enim natura pateretur, vt id, quod eſſet à terra, niſi in terra maneret.* Ita ex Cicerone refert S. Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 4. reſpondens (vt & in lib. de fide & Symbolo. cap. 6.) appoſitæ rationi, quatenus ea aliqui vtebantur ad improbandam Chriſtianam fidem de glorificatorum corporum in cœlo exiſtentia poſt Reſurrectionem. Encherius etiam lib. 1. in Geneſim cap. 1. v. 7. ait, *Ex pondere elementorum multi Philoſophorum reſurrectionem carnis illudentes, non poſſe fieri inquiunt, vt homo, qui vtique ex terra factus eſt, ſit in cælo. Sed hos veritas conuincit, qui facit multa animalia terrena volitare in aere, & aquam eſſe ſupra aerem, & ignem, quod eſt vtique quartum elementum eſſe in terra.*

35 De Herculis corpore nugantur Græci ab Æſculapio ſanitati reddirum, & ita in cœlis locatum, vt obſeruat Viues in locum præcitatum S. Auguſtini. Hinc, Authore Plinio lib. 35. hiſtoriæ naturalis cap. 11. *Artemon depinxit Herculem ab Oeta monte Doridos exuſta mortalitate conſenſu Deorum in cælum euntem.* Hinc Ouidius lib. 9. Metamorphoſ. modulatur,

——vbi mortales Tirynthius exuit artus
Parte ſui meliore viget, maiórque videri
Cœpit, & auguſta fieri grauitate verendus,
Quem Pater omnipotens inter caua nubila raptum
Quadriiugo curru radiantibus intulit aſtris,
Senſit Atlas pondus ——

Et Philippus Byzantius apud Natalem Comitem lib. 7. Mythologiæ,

Augias me non fugit, non cerua, volucres,
Cerberus eductus, nunc ſed Olympus habet.

Feliciori Muſa Boëtius lib. 4. de conſolatione Philoſophiæ metro. 7.

Vltimi cælum meruit laboris,
Ite nunc fortes, vbi celſa magni
Ducit exempli via, cur inertes
Terga nudatis? Superata tellus
Sydera donat. ——

Iuuenalis Satyra 11. Loquens de Ænea, & Hercule ait,

Alter aquis, alter flammis ad ſydera miſſus.

Vbi notat Ioannes Britannicus ex Dionyſio, corpus Æneæ nunquam apparuiſſe, inito prælio cum Mezentio Etruſcorum Rege non procul à Lauino; indéque ortam nonnullorum opinionem, quòd ſtatim fuerit relatus in Deos. Videatur noſter excultiſſimus Cerda ad lib. 12. Æneidos verſ. 794. Nóſque ad Herculem reuertamur.

36 Narrat ex Græcis Lactantius lib. 1. Diuinarum Inſtitutionum cap. 18. *Virtutem eſſe, quæ hominem tollat in cœlum, non illam, de qua Philoſophi diſſerunt, ſed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo; quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruiſſe creditur ::: Hunc à rogo, quo viuumſe ipſum combuſſerat, aſcendiſſe in cælum putauerunt.* S. Theophilus Antiochenus lib. 1. ad Autholycum ex Herculis credita ab Ethnicis fabella conatur trahere ad Reſurrectionis fidem, *Si credis*, inquit, *Herculem, quem flamma abſumpſit, viuere, Æſculapium fulmine tactum vita reſtitutum, quæ dementia eſt, nolle dare fidem illis, quæ Deus loquitur?*

37 De Apollonio Tyanæo prodit memoriæ Philoſtratus lib. 8. c. 12. *Cum ipſe templum* (Dictææ Matris apud Cretam) *intraſſet ::: Vox quaſi cantantium Virginum in templo eſt audita. Erant verò cantantium verba huiuſmodi: Veni de terra, veni, in cælum aſcende, ſicut deſuper in terram veniſti.* & cap. 13. addit, *Sepulchrum autem tanti viri, aut ſepulchrale nuſquam vidi, quamuis magnam habitabilis terræ partem peragrauerim.* Hæc propter Euſebius Cæſarienſis in Hieroclem ait, *Cùm tantum caliginis de illius* (ſcilicet Apollonij) *morte nobis offundat Philoſtratus; vult tamen eundem viuum ad Superos, conſcendiſſe.* Tribonianus Ethnicus & impius homo perſuadere voluit Iuſtiniano primo huius nominis Imperatori, *Eum non moriturum, ſed cum carne in cælum aſſumptum iri.* Ita in Triboniano habet Lexicon Suidæ.

38 Alexander Magnus, vt ex Ioanne Monacho tradit Ludouicus Cælius lib. 3. Lectionum antiquarum conſcius famæ, quæ de aliis Heroibus ſublatis

Digitized by Google

ſublatis ad æthera ferebatur, cùm iaceret conclamatus planè, voluit clam in Euphratem ſe demergere, vt opinionem poſt ſe relinqueret, ceu morbo non foret aſſumptus, ſed integer ad Deos abiiſſet. Et quidem Ethnicos tanta gloriæ ambitio inuaſit, vt quò Dij haberentur, in cladem aliquam voluntarij incurrerent ea cautione, vt à nemine alio viderentur. Quò fiebat, vt cum diſparuiſſent, putarentur rapti, adſcriptique in Deos. Sic prælaudatus Cerda, qui exemplis Romuli, Empedoclis, & Iuliani hanc illuſtrat obſeruationem.

39 Simon Magus irrito conatu Romæ aggreſſus eſt in cœlum auolare, vnde ſe veniſſe gloriabatur. Sic refertur in Eccleſiaſticis hiſtoriis. Trecenti circiter Anabaptiſtæ, Simiæ Simonis, aſcendentes in excelſum montem prope Abbacellam in Heluetiis iactitabant, aſſumendos ſe illinc in cœlum corpore ſimul, & anima, vt narrat Eccleſiaſticorum Annalium cõtinuator Henricus Spondanus anno 1527. num. 18. De Antichriſto in Gloſſa Ordinaria ad caput 11. Danielis hæc habentur, *Veniet vſque ad ſummitatem montis Oliueti, vnde aſcendit Chriſtus in cœlum, tanquam inde aſcenſurus in altum virtute Dæmonis ipſum portantis.* Cogitationem iſtam Gloſſatoris non pugnaturam cum Danielis textu in v.45. capitis illius 11. admittit Barradas tom.3. in Euangelia lib.9.c.7. Si dicatur Antichriſtus voliturus in cœlum aſcendere, à Dæmone perſuaſus, mox reuerſurus, vt ab exercitu maior de eius ſanctitate, & potentia concipiatur æſtimatio.

40 Ad ſectionis clauſulam non poſſum non exarare memorati ſupra Hieroclis Philoſophi Stoici Interpretis Pythagoræorum verſuum quædam verba, in quibus loquens de anima, *quæ veritatem, atque virtutem adepta ſit*, quæque accomodatè ad doctrinam Pythagoricam tranſmigrarit ex vno corpore mortali ad aliud immortale, ait: *Quia congenitum corpus habet, etiam loco indiget, in quo aſtri more, atque ordine veluti ſedem exquirit. Conueniat verò corpori eiuſmodi locus ille, qui proximè ſub Luna ſequitur, tanquam corporibus quidem corruptioni obnoxiis ſuperior, inferior autem cæleſtibus, quem liberum, æthereum nominant Pythagorici; æthereum quidem tanquam materia expers, atque æternum corpus; liberum autem tanquam materialium perturbationum vacuum.* En apud Gentilem Philoſophum exiſtentiam immortalium corporum humanorum, ſi non in cœlo, ſaltem prope cœlum.

SECTIO VIII.

Quem ſitum habebunt in Empyreo homines glorificati?

41 Commoraturos intra, & non ſupra Empyreum, ſuppono ex ſect. 2. Exercitat. 18. Iam verò agendum eſt de ſitu, quem ibi ſeruabunt. Fore, vt frequenter ſtent, creditur communiter à Theologis, maximè ab Scoto in 4. diſt.49. q.14. in 4.p. v. *ad primum dico* Baſſolio ibidem q.2. art. 3. Mayrone in 4. diſt. 48. q.1. art.6. Nyſſe in Reſolutione Theologorum tract.7. parte, & portione 3.q. etiam 3. de beatitudine corporis, Guillelmo Vorillong. in 4.diſt.49.art.3. Salmerone tom.11. tract. 35. pag. 360. Carthagena lib.15. homil.7. Pelbarto in Pomerio ſermonum de B Virgine lib.10. parte 2. art. & cap.1. Franciſco Sonnio lib. 2. demonſtrationum Religionis Chriſtianæ tract.5.c.8. Ludouico Sotomaior in 1. ad Timoth. cap.2. v.7. Caietano in Acta cap.7. v.55. rurſus in 3.p.q.58. art.1. Medina ibi, Suario tomo 2.in 3.part.diſp.51. ſect.3. verſ. *Nihilominus* Granado 3.p. controu.13. de Nouiſſimis tract.3. diſp.5.ſect.4. n.22. Bonacina in 3. p. diſp.3. q.4. punct. & propoſitione 3. n.4. Felici cap.6. de Beatitudine difficult. 3. num. 14. Maldonato in Marcum 16. v. 19. & Expoſitione in Pſalm.109. verſ.1. Azorio 2. part. ſummæ lib.1. capite 12. quæſt. 14. Henriquez libr. 8. Summæ c.27. §.4. Cornel. in Acta c.7. v.55. & in Sapientiam cap.5. verſ.1. Gordono item, nec non Guilielmo Eſtio in Acta, Franciſco Luca in c.16. Marci verſ.19.

42 Probatur primò ab exemplo Chriſti, quem S.Stephanus vidit *ſtantem à Dextris Dei* in cœlo, vt narratur Actorum 7. v.55. & 56. Quæ verba in ſenſu proprio intelliguntur à Patribus apud Maldonatum Expoſitione in Pſalm.109. v.1. & apud Suarium, v. *quartò explicandum eſt*, adducitúrque ſpecialiter ab Scoto S.Auguſtinus in lib. de Symbolo. Neque immeritò ſic intelliguntur à Patribus; cùm S.Stephanus, vt oſtenderet, quàm apertè & diſtinctè cerneret Chriſtum, etſi adeò diſtantem, & circumſtantium oculis omninò occultum, videatur ſignificare voluiſſe corporis poſitionem, in qua eum cernebat. Eritque friuolum dicere, Chriſtum antea ſediſſe; tunc autem ſurrexiſſe, vt ſtans cerneretur à S.Stephano.

43 Sed tamen Arator lib.1. hiſtoriæ Apoſtolicæ indicat id vltimum (vt omittam alios Patres videndos apud Lorinum) dum canit,

Ne lateat quod Chriſtus agat pro Martyre, ſurgit,
Quem tunc ſtare videt, confeſſio noſtra ſedentem
Cum ſoleat celebrare magis.———

Et plures Patres interpretantur S.Stephani verba, de ſtatione metaphorica, & non de corporali, ac propria: vti *à Dextris Dei* debet ſic ab omnibus explicari. Præterea vt ex multis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmat Maldonatus in Matth. 28. verſ.3. *ſtandi* verbum latinè, & Græcè non ſemper rectum corporis habitum, ſed ſolam aliquando præſentiam, ſolam aliquando quietem ſignificat, etſi ſedeat, qui præſens, aut quietus eſt. S.Auguſtinus in lib.1. de Symbolo ad Catechumenos c.4. tantùm docet, vt dum confitemur, Chriſtum *ſedere ad dexteram Patris*, intelligamus idem eſſe *ſedere*, ac habitare. In altero autem lib. vnico de fide & Symbolo cap.7. admonet, vt ſub voce *ſedendi ad dexteram Dei Patris*, non accipiamus in Patre poſitionem, aut dexteram corpoream. Quòd denique S.Stephanus voluerit ſignificare corporis habitum, quo Chriſtum conſpiciebat, ponderatur acutè à Maldonato, & Suario; poterit tamen ab Aduerſariis negari.

44 Probatur ſecundò; quia ſtare, perfecti, & benè valentis eſt; ſedere autem, vel iacere, infirmi, languidi, aut laſſi eſt: neque enim niſi aut quieſcendi, aut cibi, ſomníve capiendi, aut alterius neceſſitatis cauſa ſedemus, aut iacemus. Stare, naturalis hominis habitus eſt. Quare cùm corpora glorioſa ſint maximè valentia, & ob impoſſibilitatem incapacia defatigationis, ſtabunt frequentiùs. Ex agilitate conatur Scotus ſuadere idipſum; *nam inclinatio partium*, inquit ille, *videtur repugnare agilitati. Sed erectio, ſiue ſtatio videtur eſſe ſitus conueniens corpori, inquantum eſt inſtrumentum animæ, quia tunc magis promptum eſt, & aptum ad operationem.* Imò addit Scotus, *Vnde & iacere, magis videtur eſſe ſitus naturalis corpori humano, quàm ſedere; quod includit curuitatem partium.*

45 Cæte

Digitized by Google

45 Cæterùm his vt ſummùm euincitur, neceſſarium non eſſe Beatis hominibus, vt ſedeant; non verò non poſſe ſedere pro ſuo libito. Sic Chriſtus iudicaturus ſedebit, vt tradit Suarez diſp.57.ſect.3. v.vltimo, Henriquez lib.vlt.de fine hominis, c.25. §.4. Figuerus in Pſalm 9.v.9.& complures alij: vt autem ait S. Petrus Chryſologus ſerm. 83. *non ad requiem fatigati, ſed ad authoritatem Iudicis.* Sic Angelus, qui iuxta Matth. 28.v.2. *deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum,* quin vlla illi ineſſet laſſitudo, vt expendit idem Chryſologus ſerm.74. Dixi, *vt ſummum euincitur,* nam quemadmodùm motus localis in corporibus glorificatis non arguet imperfectionem, ita nec ſeſſio, vt enim ille non erit ex indigentia, ſed ad virtutis declarationem, & omninò arbitrarius, ita hæc non erit ex defatigatione, aut alterius neceſſitatis cauſa, ſed ad dignitatis oſtenſionem, & prorſus voluntaria. Neque agilitas beatorum hominum retardabitur aliquantulùm ex inclinatione partium corporis, quippe ex S.Auguſtino lib.13. de Ciuitate Dei cap. 18. tribuet Deus animis perfectiſſimè beatis, *vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt, ponant, & quò volunt, agant, ſitu, motúque facillimo.* Surgent quidem, vt moueantur motu ſiue progreſſiuo, ſiue ſimplici, ſi antea ſedebant; ſed ſurgent velociſſimè; quia *vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus,* iuxta eundem Auguſtinum lib. 22. cap. 30. Neque ſeſſio impediat corporeas operationes, quas in Empyreo habituri ſint beati homines: quòd ſi ad aliquas ſtatio erit poſitio magis accommoda, ſurgent ſemper, ac velint. An autem aliquando iacebunt? dicam poſteà.

46 P. Mendoza lib.4. Viridarij problemate 1. num.3 decernit, Beatos ſeſſuros. Aduocat Lorinum Patronum. Fides ſit apud ipſum; nam ego nec pro ſeſſione, nec pro ſtatione corporali video ſtare in cap.7. Actorum v.55.& 56. Quò loci citatur. Fundamenta Mendozæ ſunt iſthæc. Primum, ille ſitus eſt præſtantior, magiſque homini connaturalis, qui eſt ipſi peculiaris, neque aliis conuenit animantibus, niſi fortè impropriè; ſed hic eſt ſeſſio: Ergo competet beatis hominibus ordinariè. Nam *quod vnicuique ſecundùm naturam eſt, id & magis proprium ei eſt, & cognatius, adde etiam gratius*, vt ait Antoninus Philoſophus, & Imperator Romanus, lib.8. de vita ſua.

47 Secundum, ille ſitus videtur excellentior, qui apud homines pluris habetur. Sed magnus eſt honor ſedere apud Principes. Vnde in ſignum honoris Matth. 19. Lucæ 22. pollicitus eſt Chriſtus Apoſtolis, quòd ſeſſuri ſint ſecum, vt vnà iudicent in extremo die: quæ promiſſio intelligitur de ſeſſione corporali, ac propria in ſedibus aëreis ſplendidiſſimis ab Interpretibus Biblicis, & Theologis communiter. Legantur inter alios Maldonatus in cap.18. Matth. Salmeron tom.4 part. 3. tract.25. Sotus in 4.diſt. 47. quæſt.2. art. 5. in 1. concluſ. Suarez diſp.57. ſect. 4. v.vltimo. Valentia tom.4. diſp.11. quæſt.4. punct. 1.& 2. Granadus 2. part. contron.13. de Nouiſſimis tract.4. diſp.7. num.3. Cùm ergo beatos homines in Empyreo Chriſtus Princeps proſecutus ſit eximio honore, ſequitur, & ibi ſeſſuros.

48 Idque confirmari poteſt ex Paulo ad Epheſios 2.v.6. vbi ait, *Deum conuiuificaſſe nos Chriſto, & conreſuſcitaſſe, & conſedere feciſſe in cœleſtibus in Chriſto IESV*: qui Matth.20. v.23.& Apocalypſis 3. v. 21. dixit, *ſedere :::: ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Confirmari etiam poteſt ex Ruperto lib.1.comment.in Geneſ.cap.6.affirmante de Chriſto Pontifice ſummo, qui penetrauit cœlos, *localem ibi eſſe, & localiter ſedere ſecundum verum hominis corpus*: nec non ex S. Damaſceno lib. 4. de fide cap.2.ſcribente, *A dextris Dei, & Patris ſedere dicimus Chriſtum corporaliter; verum non localem dexteram Patris dicimus*: Demùm ex Abulenſi, qui in cap.25.Matthæi q.297.ait, *ad oſtendendam iſtam tranquillitatem, & quietem ſuam,* Chriſtus in iudicio generali *erit meliùs ſedens, quàm aliter. Et ita dicitur de Chriſto, quòd ſtatim vt aſſumptus eſt in cœlum, ſedit à dextris Dei, Marci 16. cap.& ad Hebræos 1.cap.*

49 Sed ad primum fundamentum reſponderi poteſt, neque aliis animantibus, niſi homini, propriè conuenire, quòd ſtent erecto corpore, vt enim canit Ouidius lib.1. Metam.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit ——————

& vt S.Baſilius homil.9.in Exameron expendit, alloquens hominem, *Qualis nam eſt animantium quadrupedum forma? Caput illis ad humum eſt pronum, ad ventrem ſpectat, voluptatem omnibus modis perſequitur. Caput tuum ad ipſum cœlum exurgit, oculi tui res ſupernas conſpiciunt.* Adde, etſi ſeſſio ſit peculiaris homini, & magis, quàm ſtatio, non ſequi præſtantiorem eſſe ſitum, quàm hæc: neque item ſequi debere hominem beatum habere ſemper illam; ſatis namque eſt, ſi pro ſuo arbitrio valeat habere.

50 Ad ſecundum, eſſe quidem magnum honorem ſedere coram Principe, quando Princeps ipſe ſedet; cùm ergo non probetur, Chriſtum ſeſſurum, nihil concludi. Et licèt Chriſtus ſederet, ſatis honoris haberent cœleſtes Proceres, ſi poſſent ſedere, quoties eis placeret. Qui in ſacris Litteris eatenus dicuntur ſeſſuri, vt docemur à S.Thoma 3.p. q.58. art.3. quatenus cœleſti beatitudine fruentes & potiſſimis bonis Dei pro maiori vel minori meritorum dignitate habitabunt cum Chriſto, quieti, ac ſecuri. Adde, ſediũ & ſedendi voces vſurpari frequenter pro habitatione, vt Petrus Faber probat in Dodecameno pag.275. ex Iuribus, Cicerone, Claſſiciſque aliis Auctoribus. S. Damaſcenus, & Rupertus, poſſunt facilè (non ſic Abulenſis) explicari, vt ſolùm velint, Chriſtum exiſtere in cœlo localiter ſecundùm corpus.

51 Propoſui ob oculos, & examinaui vtriuſque opinionis fundamenta. Ne pro vna potiùs, quàm pro alia ferrem iudicium, retardabar nonnihil S. Auguſtinus lib. de fide, & Symbolo cap. 6. ſic loquens de Chriſto, cuius, & aliorum beatorum hominum, eadem quoad hoc videtur eſſe ratio, *Credimus in cœlum aſcendiſſe; ſed vbi, & quomodò ſit in cœlo corpus Dominicum, curioſiſſimum eſt, & ſupernacaneum quærere. Tantummodò in cœlo eſſe credendum eſt. Non enim eſt fragilitatis noſtræ cœlorum ſecreta diſcutere; ſed eſt noſtræ fidei de Dominici corporis dignitate ſublimia, & honeſta ſapere.* Hæc Auguſtinus, quem imitati ſunt Rupertus lib.9. de officiis diuinis c. 8. Valentia diſp. 2. q.6. punct.1. in fine. Imò adiicit Proclus apud S. Epiphanium hæreſi 64. *Delictum eſſe dicere in quali vita ſtatu tunc erunt* (id eſt poſt Reſurrectionem) *corpora, cùm neque aer, neque terra, neque alia futura ſint.* Sed tamen ex cauſa, quam alibi tradit S. Auguſtinus, licebit id quærere, & tractare, quia ſcilicet *de fide agitur Scripturarum :::: ne quiſquam eloquia diuina non intelligens, cùm de hiſce rebus tale aliquid*

Digitized by Google

aliquid vel inuenerit in libris noſtris, vel ex illis audierit, quod perceptis aſſertionibus aduerſari videatur, nullo modo eis cætera vtilia monentibus, vel narrantibus, vel prænuntiantibus credat. Sic in lib. 2. de Geneſi ad litteram cap. 9. vt reſpondeat ad quæſtionem de forma, & figura cœli. Idem S. Doctor cap 59. Enchiridij ſermonem habens de non abſimili difficultate inquit; *Cum iſta quærumur, & ea, ſicut poteſt quiſque, coniectat; non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium ſe ſcire, quod neſciunt. Quid enim opus eſt, vt hæc, atque huiuſmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur.* Et in l. 12. de Ciuitate Dei cap. 15. *Illa quæ vel ſapientioribus in hac vita ſcire permiſit Creator noſter, vel omnino perfectis in alia vita ſcienda permiſit, vltra vires meas eſſe profiteor, ſed ideo putari ſine affirmatione tractanda, vt qui hæc legunt videant, à quibus quæſtionum periculis debeant temperare, nec ad omnia ſe idoneos arbitrentur; potiuſque intelligant, quàm ſit Apoſtolo obtemperandum præcipienti ſalubriter, vbi ait, Dico autem per gratiam, quæ dicta eſt mihi omnibus, qui ſunt in vobis, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei.*

52 Coniecto itaque & ex fine præſtituto à S. Auguſtino dico non curioſus, nec ſuperuacaneus, fore, vt beati homines ſtent frequentius; & vt ſedeant aliquando, provt ipſis libuerit: vti quieſcent ordinariè, & mouentur aliquando. Ioann. Echius homiliâ 6. de Aſcenſione inquit, *In cœlo ſtare, ſedere & eſſe poſſunt pro arbitrio ſuo.* Beati. Concordat Roa cap. 1 de ſtatu Beatorum in cœlo, Ægidius Romanus quodlibet 1. quæſt 5. ſcribit, *Non eſt nobis notum, qualiter ibi* (ideſt, in cœlo) *ſtet Chriſtus. Si placet ſibi ſtare, eſt ſub ratione ſtantis; ſi ſedere, ſub ratione ſedentis; ſicut ſibi placet, ſic eſt.* Palatius in 4. diſt. 44. diſp. 4. anceps manet. Hieronymus Columbus in Angelica, & Humana Hierarchia lib. 4. cap. 74. num. 4. commentatur, Chriſtum aſcendentem in cœlum primò verè ſediſſe ad Maieſtatis ſuæ oſtenſionem. Et lib. 8. cap. 20 num. 4. agnoſcens Thronum deputatum Chriſto in Empyreo ad eius inſinuandam præeminentiam, addit, non eſſe opus, vt continuò ſedeat, cùm viſus ſit adſtans à Stephano, cùmque S. Ioannes in Apocalypſi cap. 5. v. 6. dicat, viſum à ſe *agnum ſtantem*, & c. 3. v. 5. affirmet ipſemet Seruator, *Ambulabunt mecum in albis*, ideſt, Beati: quorum ordinaria ſtatio perplacet Columbo.

53 Si roges, an alios habebunt ſitus? Reſpondeo, iacendi ſitum non adeò videri ex decoro illius ſtatus, in quo *quod non decebit, non erit, nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere, nec corpus.* vt animaduertit Sanctus Auguſtinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 30. Nec admiſſo ſitu ſedendi, cogimur admittere ſitum iacendi, nam quòd iſte ſitus non includat partium curuitatem, vt obiiciebat Scotus, neutiquam arguit, eſſe magis connaturalem corpori humano, quàm ſitum ſedendi. Certè homines iacere non ſolent niſi ſomni, ægritudinis, aut ſimilis alterius neceſſitatis cauſa: & aliqui nec laboris, nec mortis ex ægritudine inſtantis causâ iacere voluerunt. Hinc illa, *Non decet Cæſaris Præfectum, niſi ſtantem mori: Imperatorem ſtantem mori oportet.* Alexander Magnus *decidit in lectum, & cognouit, quia moreretur*, vt legimus lib. & cap. 1. Machabæorum v. 6. & liceat cogitare neceſſitatem iacendi in lecto ex inualentia prouenientem ſignum fuiſſe, inter alia, fortiſſimo Regi propinqui obitus.

54 Poſitionem genuflexionis in Beatis coram Chriſto Domino meditatur piè Sotus citandus à nobis ſect. 1. Exercit. 32. vbi & coram Sanctiſſima Deipara eandem poſitionem extendemus. Interim mirum id non ſit conſideranti, Chriſtum in vita mortali multoties genuflexiſſe coram Matre, vt à multis credi teſtatur Richardus de Sancto Laurentio lib. 3. de laudibus Virginis, & commendat Ripalda tomo 2. de ente ſupernaturali diſput. 79. num. 64. Vnde fas ſit, exiſtimare, parem reuerentiæ cultum Deiparæ exhibendum in Empyreo aliquoties à Beatis cunctis, excepto Chriſto, *ita quòd* non ſolum in nomine Filij, ſed & Matris *omnia flectantur in cœlo, in terra, & in inferno*, vt ait Gerſon apud Ripaldam. Si ſitus iacendi aliquando in faciem ordinetur ad venerationem Regis, & Reginæ cœlorum, non apparet, cur glorificata corpora nequeant illum habere.

55 Hieronymus Columbus in illo num. 4. hæc habet, *Neque Beatorum ſtatui quoque repugnat, vt flectant genua ante Deum pro gratiarum actione acceptæ gratiæ, & gloriæ beneficij: quod mox peracto iudicio quando reſurgentes primùm cæleſtes ſedes penetrabunt, procul dubio ab omnibus hominibus vnà cum Chriſto agendum fore ex verbis Apoſtoli inſtruimur 1. Corint. cap. 15. verſ. 28. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia in omnibus.* Hactenus ex Columbo; cui non debuiſſet eſſe tam certa ea Chriſti genuflexio; ſolus namque ipſe ita intellexit verba Apoſtoli; & præpoſterè quidē, alioqui genuflexio Chriſti foret æterna in cœlo, vti erit Patri ſubiectio ſecundùm humanitatem. S. Gregorius Nazianzenus qui oratione 36. renuit admittere nunc in Chriſto orationem ad Patrem cum ſupplici corporis geſtu, *Eodem modo* (ſic Theologus) *Aduocatum quoque IESVM, non vt noſtra cauſa ſeſe ad Patris pedes aduoluentem, ſeruilique modo abiicientem: Procul ſit iſta ſeruilis ſanè ſuſpicio:* fortè non patienti animo illam Chriſti poſt iudicium genuflexionem audiret. Cuius doctrina inſtructus Noſter Maximilianus Sandæus, inquit in Theologia Iuridica, commentatione 25. *Caue cum patronum noſtrum in cœlis perorantem, ac deprecantem audis, concipias illum vt genuflexum ante Patrem.*

SECTIO IX.

An locorum ordinem ſeruabunt in Empyreo homines glorificati?

56 SVmmoperè miror Ioannem Arboreum lib. 3. Theoſophiæ c. 18. dicentem, *Abſurdiſſimum eſſe fateri, quòd corpora immortalia, impaſſibilia, ſpiritualia, & glorificata poſt reſurrectionem in ſedibus æternis occuparent locum, & à ſe inuicem, & ſitu diſtarent:* & hinc arguentem poſſe penetrari corpora. Miror, inquam, nam quis credat, glorificata habitura continuò inter ſeſe penetrationem? Imò teſte Soto in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 6. in 3. conclus. *Nullus Theologorum admittit, vnum corpus glorioſum poſſe ſe penetrare cum alio glorioſo; nec admittendum eſt, quia eſt contra illorum corporum decentiam, & decorem.* Superfluum eſſet in re apud omnes antiquos, & recētes Theologos confeſſis

Digitized by Google

confeſſa allegare ſpeciatim aliquos : & plurium copias recenſuit Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine lib. 5. quæſt. 6. artic. 6. §. 1. num. 3. §. 2. num. 6. Cuius veritatis duas reddit rationes S.Thomas in 4. diſtinct.44. quæſt. & artic.2. quæſtiuncula 4. Prima, quia inter corpora glorificata debitus ordo diſtinctionem locorum requirit. Secunda, quia Beatus vnus homo non ſe opponet alteri, neque tentabit incedere per ſpatium ab altero occupatum. Quare etſi non repugnet diuinitus ea penetratio, Deus tamen non permittet, vt fiat ſiue intra, ſiue extra cœleſtem curiam; vti non permittet, vt fiat inter eiuſdem corporis glorificati partes, quia nimirùm vtraque fieret minus conuenienter ad ordinem corporum glorificatorum, & partium inter ſe, & vtraque pro illo ſtatu fieret ſine vtilitate. Sanè ſi in Inferno, vbi nullus ordo, & vbi multò anguſtior eſt locus pro damnatorum corporibus, hæc non penetrabuntur, licet conglomerata, & compreſſa erunt, vt quid in Empyreo glorificatorum corporum ea continua penetratio? Arborei itaque perſuaſio eſt abſurdiſſima, & contra Theologorum, ac Chriſticolarum omnium aſſertionem, & mentem. Noſter Vaſconcellius libr.1. de Angelo Cuſtode capite 15. parte, & num. 3. autumat, Beatorum corpora aliquando ſe ſe mutuò penetratura, vt tam intima præſentia ſignum ſit amoris, ac beneuolentiæ arctioris inter ipſos. Conſulti Theologiæ ſtatuant de hac pij, & docti hominis opinatione.

57 Caietanus in 3. part. quæſt.57. artic.5. ſupponens Empyreum eſſe Sphæricum penes ſuperficiem etiam conuexam, & in ipſa exiſtere cœlites, diſtinguit nihilominus illorum ſedes, & vnicuique eò meliorem tribuit, quò merita fuerint maiora; *Nam diuina Sapientia* (inquit Eminentiſſimus Cardinalis) *ſuperficiem cœli Empyrei, quamuis ſecundùm ſe fecerit æqualem, ſecundùm tamen quod venit in vſum habitationis creaturarum beatarum, diſpoſuit vnam partem quaſi ſolium, & reliquas in ordine ad illam ſuperiores, vel inferiores. Et ſic Chriſtus ſecūdùm corpus in illa parte ſolij ſtans, in ſuprema parte, ſupremóque loco reſidere dicitur, & reliqua creatura beata hinc, & inde inferiores partes tenent.* In ingenioſam hanc cogitationem accumulat Suares multas difficultates, quibus ſuccubuere Thyræus tract. de Iudiciaria Chriſti apparitione cap.26. à num.107. Duuallius tract.de quatuor Nouiſſimis q.6.art.4. in fine. Sed antequam ab authoritate, & ratione confirmemus, quantùm ad loca altiora, & inferiora, eáque deſignata in Beatorum ſedes, extricare oportet quæ Suario viſa ſunt implexa.

58 Arguit primò, ſi Beatorum corpora habeant ſedes diſtinctas pro meritorum inæqualitate, cum hæc ſint inuariabilia, erunt & illæ, ac proinde diſcedere non valebunt à locis ſemel poſſeſſis. Secundò, erunt plures iuſti æquales in meritis: Ergo eis idem locus reſponderet. Tertiò, multi non poterunt reſpicere Chriſtum linea recta, ſiquidem multi erunt valdè remoti à throno Chriſti. Quartò, Sedes occupatæ ab Angelis erunt ampliſſimæ. Quare magna ſpatia Empyrei erunt vacua corporibus humanis, & inter hæc erunt ingentia interualla, & quaſi hiatus, cùm multi Angeli extituri ſint inter homines. Quintò, Angeli aut à ſua beatitudine habuerunt ſedes loco diſtinctas, aut poſt animarum felicium aſcenſum retroceſſere ab illis, vt potè deputatis non ipſis; ſed compluribus animabus, quæ aliquos ex Angelis ſuperant in meritis. Sextò, ſi in cœlo eſſet aliquis locus deſignatus ſpecialiter Chriſto, vacuus manſiſſet vſque ad eius aſcenſionem, & Angeli ſcirent Chriſto reſeruari.

59 Ad primum reſpondeo, locum congruum vnicuique glorioſo corpori deputatum iuxta gradum ſuæ dignitatis non pertinere ad præmium, ſecundùm quòd actu continet corpus locatum, ſed ſecundùm quòd eſt debitus pro meritis, ita vt Beatus habeat ius exiſtendi in illo, quoties voluerit. Quare ſi ab eo diſcedat, & interim occupetur ab alio Beato minus digno, cedet hic digniori redeunti. Et notat S.Thom.in 4.diſt.44.q.2.art.3.quæſtiunc.2.ad 5.manere in recedente à proprio loco gaudium de tali loco, quia nimirum fundatur in iure ad exiſtendum in illo. Scotus etiam in 4.diſt.49.q.14.in fine aduertit, non minui beatitudinem accidentalem, eo quòd Beatus recedet ſecūdùm libitum ſuum ab approximatione ad Chriſtum; ſicut aliqui modò habent propinquitatem ad Regem in camera, vel extra in aula. Vterque Doctor videtur innuere in Beato recedente à proprio loco intermitti poſſe Dominici corporis intuitum materialem, licèt non intermittatur beatitudo accidentalis, & gaudium conceptum ex iure ad locum. Vtrique Doctori adhærent Tartaretus, Argentinas, Vuendelinus ſiue in diſt.49. ſiue in 44. Ruiz controu.131. in reſponſione ad 3. Argumentum Baſſolis diſt.49.quæſt.2. art.3. addens tamen, *nec fortè minuetur aliquid de præmio accidentali Beatis hunc inferius quaſi ad ſpatiandum deſcenſuris, quia ſemper poſſunt videre etiam Chriſtum corporaliter, ſicut vidit Stephanus :::: Et dato, quod cœli eſſent clauſi, adhuc viſio talis poſſet in eis miraculosè conſeruari.* Arriaga tom.2. in 1.p. diſp.56. n.20. ſimiliter concedit, Beatos, quando Empyreo ad tempus exeant, habituros ſpecies impreſſas, quibus non ſolùm Chriſtum, ſed alios etiam Beatos videant. Examinabo id latè in ſect.10. Exercit.28.

60 Ad ſecundum, Beatos æquales in meritis habituros ſedes in gyru æquè proximas, aut diſtantes à Chriſto. Quòd ſi hic in die Iudicij ſedebit in eminentiori loco aëreo ſupra vallem Ioſaphat, & Iuſti pro meritorum dignitate erunt propè ipſum à dextris non penetrati inter ſe, neque permixti damnatis, vt facilè intelligit ipſe Suarius diſp.53. ſ.3.v.*Mihi tamen*,& v.*vnum verò*, necnon diſp.57. ſ.4.v.*ex iis*. Quid vetat ſic cogitare cætum Beatorum in cœlo tam à dextris, quàm à ſiniſtris Chriſti?

61 Ad tertium, diſtantiam inter Chriſtum, & quemlibet ex Beatis non fore impedimento, vt à quolibet ex propria ſtatione cernatur, ſi eleuet directè oculos, cum nullum extiturum ſit corpus intermedium opacum; & cum facultas viſiua futura ſit acutiſſima. Aureolus in 4. diſt.50. art.4. propoſita quorumdam ſententia, qui dicebant, Beatos naturaliter viſuros ex Empyreo damnatos exiſtentes in Inferno, nec impediendos propter diſtantiam : *quod apparet, quia Beatus in quocumque loco remotiſſimo ſit in cœlo Empyreo videbit faciem Chriſti, & Matris ſuæ.* Propoſita, inquam, hac ſententia, ſubiungit : *Non imaginor, quòd corpora Beatorum ſint ibi in tanta diſtantia, vt corpus Chriſti ſit ſuprà, corpus verò Beati infra terram.* Ratio eſt, *quia ſtella eſt maior tota terra, & è conuerſo terra eſt maior quoad viſum. Pone autem omnes ſtellas, quas ſimul vides in cœlo ſtellato, ibi eſſe plus, quàm mille millia ſtellarum. Illa ergo pars, quæ apparet nobis ſupra terram, poſſet recipere totam terram. Quare ergo non innumerabilem multitudinem hominum?* Et

Digitized by Google

hinc concludit corpus Chriſti eſſe in loco determinato à Deo, neque in tanta diſtantia, quæ impediat naturaliter viſionem. S. Bonauentura in 2. diſt. 14 art. 2. q. 1. n. 17. ait, Beatos, etſi eſſent diuiſi per totum Empyreum, *habituros virtutem viſiuam adeò potentem, vt Chriſtum videre poſſint, vbicumque ſit.* Non declarat Seraphicus Doctor, an ea virtus competet Beatis naturaliter, vel ex ſpeciali miraculo, & eleuatione: Sed cùm deſignata illis loca, credibilius ſit, non extendenda per totum Empyreum, vt ex ſequentibus ſectionibus eluceſcet; forſitan nullus Beatus adeò diſtabit à Chriſto, vt ſi velit, non valeat naturaliter ipſum intueri. Cæterùm ſi miraculo ſit opus, aſſerit Suarius diſp. 47. ſect. 6. v. *ſed quomodò*, non eſſe ſibi dubium, quin corpus Chriſti habeat efficaciam imprimendi ſui ſpeciem viſiuam in quacumque diſtantia: & diſp. 53. ſect. 3. v. *Mihi tamen* rogatus, quomodò Chriſtus iudicaturus ſedens videri, & audiri queat ab Electis, & Reprobis, ſiquidem multi magno interuallo diſtabunt? Reſpondet, non eſſe difficile Chriſto tanta efficacitate ſui ſplendorem, vel ſpeciem, aut vocem emittere, vt in tota illa diſtantia videri poſſit, & audiri, etiam ſi oporteat miraculosè id facere, & omnia impedimenta auferre. Cur ergo non licebit eodem modo diſcurrere in præſenti materia?

62 Ad quartum, opus non eſſe occupari ab Angelis totum locum extrinſecum, ad quem poſſunt ſe extendere; ſed ſatis eſſe, ſi cuilibet deputetur locus peculiaris, ita quidem, vt non reſultet immodica diſtantia corporum glorificatorum à Chriſto, & inter ſe. De hoc rurſus in ſectione ſequenti.

63 Ad quintum, vtrumlibet dici poſſe: primum quidem; quia non eſt, cur à Deo qui omnia futura nouit, non fuerint conceſſæ Angelis ſedes cum reſpectu ad animas Beatas cumulatiori gloria donandas: ſecundum; quia Angeli libentiſſimè relinquent ſedes debitas animabus.

64 Ad ſextum, etſi ſcirent Angeli reſeruati alicui locum, quem Chriſtus poſteà occupauit, potuiſſe ipſos latere, quiſnam foret. Adde, concedi à nonnullis relatis in ſ. 3. Exercitat. 18. non latuiſſe.

65 Expeditis iam difficultatibus contra diſtinctionem locorum in Empyreo, opus eſt eam ab authoritate, & ratione confirmare. In primis S. Thomas 3. part. quæſt. 57. artic. 4. & 5. manifeſtè ſentit, corpus Chriſti Domini occupare altiorem locum, quàm Angeli, & reliqui Beati, adducitque in artic. 4. ex Gloſſa interlineari, Chriſtum aſcendiſſe in altum, non ſolùm dignitate, ſed etiam *loco.* Et licet in eo artic. vt & in cap. 14. Apocalypſis v. 18. (ſi eius expoſitionis ſit Author) loquatur ſpecialiter S. Doctor de corpore Chriſti; ratio, qua vtitur, valet non minus pro præcellentia aliorum corporum glorificatorum in ordine corporali, ſeu locali penes maiorem participationem diuinæ bonitatis per gloriam. Si enim corpus Chriſti, quia inter cætera corpora glorioſa refulget maiori gloria, obtinet altiorem locum iuxta S. Thomam, quàm cætera: Ergo quò cætera comparata inter ſe maiori, aut minori refulgeant gloria, eò ſuperiorem, aut inferiorem locum tenebunt. Sed quid ex indiciis mentem S. Thomæ indagamus? cùm in 4. diſt. 44. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 2. inter proponendum 5. argumentum dederit nobis eam expreſſam conceptis his verbis: *Quantò corpus eſt nobilius, tantò debetur ei locus nobilior. Vnde corpus Chriſti, quod eſt nobiliſſimum, habet locum eminentiorem inter cætera loca, vt patet Hebræorum 1. Excelſior cœlis factus, Gloſſa, loco, & dignitate. Et ſimiliter vnumquodque corpus glorioſum habebit eadem ratione locum ſibi conuenientem ſecundùm menſuram ſuæ dignitatis.* En ad cæterorum Beatorum corpora ampliat, quod de Chriſtiano dixerat.

66 S. Bonauentura multò copioſiùs eandem locorum diſtinctionem exponit. Nam in 2. diſtinct. 2. art. 2. in expoſitione litteræ num. 34. ſcribit, *In Empyreo cæteros excellit Chriſtus tam Angelos, quàm homines & loco, & dignitate. Poſt ipſum credimus, Beatam Virginem ſuper omnes alios: deinde cæteri ordinantur ſecundùm dignitatem ipſorum.* Adiicit alia circa modum ordinationis commodiùs tranſcribenda à nobis in ſect. proxima; & tam hæc, quàm illa approbantur à Nicolao de Orbellis in 2. diſtinct. 2. in fine quæſt. 1. Vorrillongus in 2. diſtinct. 9. art. 3. ad 3. Buſto parte 2. Roſarij ſermon. 19. titul. de tertio paradiſi gaudio, pagin. 528. Et videtur S. Bonauenturæ veſtigiis inſtitiſſe Viguerius, dum in Inſtitutionibus c. 14. §. 1. verſ. 2. dixit, *Data ſunt Angelis ſingulis certa ſedes, & manſiones locales ad ornandum eas::: Locus excellentior, ſiue ſublimior debetur Chriſto::: Poſt Chriſtum eſt Diua Virgo Maria::: & D. Ioſeph ſecundùm aliquos; deinde Apoſtoli.* Pro eadem diſtinctione, inæqualitate, & deputatione locorum ſtant apertè Pariſienſis in 1. partis de Vniuerſo parte 2. cap. 47. & in 2. partis parte 2. c. 80. Claudius Seiſſellus in cap. 2. Lucæ tract. 2. Bachonius in 4. diſtinct. 47. art. 4. dub. 3. Sapientiſſima Virgo S. Thereſia cap. 38. ſuæ vitæ, Mayro in 4. diſtinct. 48. quæſt 1. art. 6. Sotus diſtinct. 49. q. 4. articul. 7. ad 2. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 1. punct. 1. verſ. *Et quidem.* Tannerus, & cum eo Bonacina in 3. part. diſp. 3. punct. 2. propoſ. 1 n. 6. iterum punct. 4. §. 1 propoſ. 3. num. 6. Syluester in Roſa Aurea tract. 1. Dominica 9. poſt Trinitatem, v. *Sed quæritur* allegans Ioannem Niderum, Roa cap. 1. de ſtatu Beatorum in cœlo. Granadus 3. p. controu. 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſp. 5. ſect. 3. à n. 12. Pincus Ramireſius 2 p. M.S. vitæ Marinæ de Eſcobar Virginis Eximiæ Valliſoletanæ, & Fundatricis Recollectarum Birgittenſium lib. 1. c. 42. lib. 2. c. 39. Nec abſolutè diſcordat Suarius, vt conſtat ex v. *Tandem cenſeo.*

67 Et hanc puto eſſe communem Fidelium conceptionem fundatam in illis Chriſti apud Ioannem verbis, c. 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Ea enim verba aptè intelliguntur de diuerſitate, & inæqualitate tum in beatitudine, tum in locis. Vnde Prudentius in Hamartigenia modulatur,

Multa in theſauris Patris eſt habitatio, Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis.——

Vel ipſi delyri Ethnici diuerſas, & inæquales ſedes in Eliſiis campis deſtinatas putabant beatis animabus. Norunt cuncti, qui librum ſextum Æneidos lectitarunt. Et norat Cerda, illuſtrioribus animabus, ſecretius, amœniúſque nemus deſignatum à Virgilio, dum ait,

——— *Exinde per amplum*
Mittimur Elyſium, & pauci læta arua tenemus.

Illuſtrátque id eſt ex Statio Pincus Ramireſius in Parallelis Politicis n. 871. Adiicio ex Ouidio l. 1. Metamorph. v. 178. ex Virgilio lib. 10. Æneidos v. 3. Iouem habitare in ardua cœli parte, in ſupremis cœli atriis, in polo interiori, quia loci præ-

nentia

Digitized by Google

eminentia deceat ipſum, quò cæteris Diis maior, & felicior fingebatur. Sed dimiſſis Ethnicorum næniis, iam Chriſtiana perſuaſio

68 Probatur breuiter à ratione; quia ſicut ordo Curiæ cæleſtis eam diſtinctionem requirit in locis, quæ non patiatur, Beatum vnum penetrari cum alio, ita videtur requirere, vt cuique Beato ſuus ſit deſignatus locus ſecundùm meritorum qualitatem, non ſecùs ac in orbe cæleſti, & elementari ſuus cuique corpori præfixus eſt, iuxta perfectionis gradum; non ſecùs etiam ac in Regnis, Rebus publicis, & domibus benè moderatis ſuus cuique deputatus eſt, iuxta muneris, nobilitatis, aut rectè geſtorum menſuram. Iam verò ſi cuiuis Beato ſuus eſt deſignatus locus in cæleſti regno, cur non eò eminentior, quò maiora fuerint merita? Id enim ſuadent tum exempla allata, tum illæ ipſæ rationes, quibus Beatorum exiſtentiam in ſupremo cœlo comprobamus. Et vt ſpeciatim argumenter in Beatorum hominum corporibus, hæc quia per dotes gloriæ ſuperant in nobilitate cæleſtia, par eſt, vt & in loco ſuperent, quantùm fieri poſſit, ſalua complexione Vniuerſi. Ergo æquum itidem erit, vt quò magis vnum corpus humanum excedat aliud in dotibus gloriæ, eò magis excedat in loco cæleſti intra ambitum Vniuerſi, quantùm fieri poſſit, ſalua propinquitate conueniente, vt beati homines omnes conſtituant ſimul cum Angelis politicum quendam cœtum, & ſocietatem, & velut collaterales aſſiſtant Chriſto Domino, & Virgini Matri.

69 Erit, qui opponat cogitatum aliter fuiſſe à S. Sidonio Apollinari, & Iſaaco Syro. Ille enim lib. 9. epiſt. 8 ſcribit: *Et ſi per actionum differentiam, non tamen per locorum diſtantiam diuidemur in cœlo.* Hic verò de Mundi contemptu cap. 17. *Multas manſiones Patris ſui Saluator vocat menſuras mentium in illa commorantium regione, videlicet diſcretiones, & diuerſitates, quibus in animo perfruuntur. Non enim differentia locorum, ſed ordine chariſmatum multas fore manſiones expreſſit. Sicut quilibet materiali Sole iuxta ſinceritatem virtutis viſus, & gratia fruitur, & ſicut vna lucerna in vna domo lucente fit cuilibet lux diuerſa in ſplendores plurimos lumine indiuiſo: ita futuro ſæculo Iuſti omnes in vna regione indiuiſi morabuntur, quilibet autem ab vno intelligibili Sole illuſtrabitur ſecundùm menſuram ſuam.* Habentur eadem verba in ſermone de Manſionibus beatis ſub nomine S. Ephræm Syri. Hic tamen, & ille Pater nihil aliud contendunt, quàm Iuſtos non in diuerſis regionibus, ſed in eadem cæleſti commoraturos. Sic in eodem loco viuere dicuntur, qui in eadem ciuitate degunt.

70 Eodem modo intelligendus eſt Haymo, dum lib. & cap. 1. de amore cæleſtis patriæ ait: *Si ibi erit diſtantia manſionum; ſumma in illis erit vnius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cæleſtis vna felicitas* S. Ambroſius lib. de Nabuthe cap. 3. neutiquam negat Angelis beatis diſtincta loca deputata in cœlo, quando inquit: *Nunquid Angeli diuiſa cœli ſpatia habent, vt tu terram poſitis diſtinguas terminis?* Solùm vult Angelis in cœlo liberum eſſe acceſſum ex vno loco ad alium: non aliter ac de Virginibus eatenus *ſequi agnum quocumque ierit*, interpretatur antiquus Author de laude virginitatis apud Viegam in cap. 14. Apocalypſis comment. 1. ſect. 7. quatenus *nullus eis locus in illa cæleſti aula clauditur, ſed cuncta eis diuinarum manſionum habitacula reſerantur.* Abrahamum, & Loth *non capiebat terra, vt habitarent ſimul.* Geneſ. 13. verſ. 6. quia, vt ponderat Sanctus Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 6. *ſtudio iam deflecti cœperant inter ſe. Nulla enim ſpatia poſſunt ſatis eſſe diſcordibus: Quietis, & pacificis etiam anguſta abundant: diſſonis moribus etiam ſpatioſa arctantur.* Summa erit inter cœlicolas concordia; & idcirco diuiſa cœli ſpatia non habebunt in ſenſu explicato.

71 Si locales manſiones ſingulis deputatæ diſtarent valdè inter ſe, adhuc poſſet vnus per manſionem alterius diſcurrere, & mutuò ſe quaſi viſitare, & alloqui, vt piè cogitant ſupra Viguerius §. 2. verſ. 5. Sotus in concluſ. 2. & anteà in art. 5. concluſ. 3. Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt. 3. art. poſtremo, v. *quod ſpectat.* Hieronymus Columbus in Angelica, & Humana Hierarchia lib. 8. cap. 20. num. 7. Arriaga tomo 1. in 1. p. diſp. 57. ſect. 1. n. 3.

SECTIO X.

De particulari locorum ordine, quem glorificati homines habebunt in Empyreo?

72 Corpus Chriſti Domini exiſtet in parte orientali cœli reſpectu Hieroſolymorum. Sic inter alios perſuadent ſibi Claudius Seiſſellus tract. 2. ad 2. cap. Lucæ, Hieronymus Columbus in Angelica, & Humana Hierarchia lib. 4. cap. 74. num. 8. Syluester in Roſa Aurea tract. 2. Dominica 9. poſt Trinitatem verſ. *Sed dubitatur.* Bellarminus in Pſal. 67. verſ. 34. Granadus 3. p. controuerſ. 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſput. 5. ſect. 2. num. 9. Diſcordante Franciſco Mayronis apud Pelbartum lib. 10. Pomerij ſermonum de B. Virgine parte 2. art. 1. cap. 3. vbi teſtatur opinionem illius eſſe, *quòd thronus Chriſti, ac Mariæ, nec non manſio ſuperna Ciuitatis ſit ad Aquilonem.* Sed ſimilius vero videtur, quod præpoſuimus.

73 Et ſuadetur primò quia Chriſtus exiſtet in ea parte cœli, quam elegit aſcendens; quippe cùm potuerit tunc eligere conuenientiorem, diceretur ſine fundamento mutaturus poſt Iudicium. Elegit autem partem orientalem; aſcendit enim motu directo ex Oliueti monte, qui comparatione Hieroſolymorum ſitus eſt in Orientali parte iuxta Zachariam, cap. 14. verſ. 4. Quare quieuit in loco reſpondente directè monti præfato; quippe veroſimile non eſt, non continuaſſe inceptum motum directum, poſtquam nubes ſuſcepit eum ab oculis Diſcipulorum. In Pſalmo 67. verſ. 33. & 34. dicitur, *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem.* Quibus verbis denotatur, aſcendiſſe Chriſtum à parte Orientali, & perueniſſe ad locum parti illi imminentem. Vnde Bellarminus explicans iſthæc verba inquit: *Chriſtus vt Deus à principio ſedit ſuper cœlum cœli, & vt homo poſt Reſurrectionem aſcendit in cœlum, & nunc eſt ſuper cœlum cœli ad Orientem, aſſiſtens æterno, & ſupremo Orienti, id eſt, fonti lucis.* Chriſtianus Adrichomus in theatro terræ ſanctæ num. 192. de Hieruſalem colligit ex veſtigiis Chriſti impreſſis lapidi, quòd aſcenderit à parte orientali; & vt expendit Marcus

Digitized by Google

Marulus lib. 3. de humilitate, & gloria Chriſti, *Ideò ad Orientem Chriſtus aſcendit, quia Adam deſcenderat ad Occidentem.* Congruúmque eſt, vt Chriſtus exaltetur in parte cœli orientali reſpondenti Hieroſolymorum vrbi, in qua adeò abiectè depreſſus eſt.

74 Suadetur ſecundò, quia Sanctus Stephanus in eadem Ciuitate, proindéque prope illum montem Oliueti, vt potè quindecim quaſi ſtadiis ſolummodò diſtantem, conſtitutus, intendens in cœlum vidit *I E S V M ſtantem à Dextris Dei*, vt refertur Actorum 7. verſ. 55. Ex quo infert Granadus, Chriſtum viſum exiſtentem in tractu cœli Orientali comparatione Hieruſalem. Sed quidquid de illatione ſit, ab incunabulis Eccleſiæ mos fuit inter Chriſtianos, Orientem versùs orare, vt multis ex Patribus adſtruunt Bellarminus lib. & cap. 3. de cultu ſanctorum. Baronius tomo 1. Annalium anno Chriſti 58. à numer. 106. Guilielmus Durantes lib. 5. Rationalis officiorum diuinorum cap. 2. à num. 57. Ioannes Sauaro in notis ad epiſtolam 10. lib. 2. S. Sidonij, Barthius lib. 41. Aduerſariorum cap. 16. Acoſta in cap. 4. Ionæ tract. 16. §. 1. num. 22. Iulius Cæſar Bullengerus lib. 7. de templis cap. 7. Sherlogus in Canticum Cantic. veſtigatione 24. num. 18. Cerda. 8. Æneidos verſ. 68. Bartholomæus Gauantus commentariis in Rubricas Miſſalis parte 2. tit. 5. pag. 122. Petauius tomo 3. Theolog. dogm. lib. 2. de opificio ſex dierum, c. 5. num. 8. Ioannes Stephanus Durantus lib. 1. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 3. Gretſerus tomo, & lib. 1. de Cruce cap. 27. Cornelius cap. 9. Ezechielis verſ. 16. in cap. 16. Sapientiæ verſ. 28. Ergo quia putabant, vt propius vero eſt, Chriſtum corporaliter reſidere in Empyrei tractu quaſi Orientali. Et licèt Gentilibus conſuetum etiam fuiſſet, deprecari ad Solis ortum, de quo ritu Hieronymus Pradus in cap. 8. Ezechielis verſ. 17. Pontanus 12. Æneidos verſ. 172. Cerda vbi ſuprà, & in Aduerſariis ſacris cap. 178. numer. 8. viſum eſt Chriſtianis non innouare, ſed Ethnicorum retinere inſtitutum, diuerſo tamen ex fine. Antiquitus Catechumeni, poſtquam conuerſi in Occidentem renunciabant Sathanæ, conuertebantur rursùs in Orientem; quo ſignificabatur, hominem baptizandum debere, ſpreto Dæmone, coordinari, ſeu coniungi Chriſto, & directo obtutu ipſum cernere, vt interpretatur S. Dionyſius Areopagita c. 2. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, S. Ambroſius c. 2. de iis, qui myſteriis initiantur, aliíque Patres apud Ioſephum Vicecomitem lib. 2. de antiquis ritibus baptiſmi c. 19. Adoleſcens quidam, de quo Ioan. Moſchus in Prato ſpirituali cap. 72. cùm ob crimen falsò iniectum pararetur ad ſuſpendium, petiit Orientem versùs ſuſpendi, vt Chriſtum intueretur. S. Benedictus in Ordinationibus Regularis diſciplinæ bis præcipit Monachis eadem de cauſa, vt puto, ſalutationẽ Crucis verſis vultibus ad Orientem. Si itaque, qua parte Sol aſſurgit, putabatur Chriſtus corporaliter in cœlo conſtitiſſe poſt primam Aſcenſionem, illuc poſtliminio rediturus, finito Iudicio non ineptè Affirmabitur.

75 Suadetur tertiò, quia Chriſtus venturus eſt ab Orientali parte ad Iudicium generale, vt colligunt communiter Patres, ac Theologi ex illo Math. 24. v. 27. *ſicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.* Ergo cùm videatur venturus, & rediturus motu recto, pars, in qua reſidet, & ad quam redibit, eſt orientalis. Pro maiori luce huius, & præcedentium rationem tranſcribo S. Damaſceni verba lib. 4. de fide cap. 13. vbi inter alias cauſas, ob quas Chriſtiani ſoleant ad Orientem adorare, exhibet ſequentes: *Dominus, cum in Cruce penderet, ad occaſum proſpiciebat, eóque nomine ita adoramus, vt ipſum intueamur. Ac rurſus cùm in cœlum reciperetur ad Ortum efferebatur, ſicque à diſcipulis adoratus eſt: atque ita venturus eſt, vt eum in cœlum euntem conſpexerunt, quemadmodùm ipſe quoque Dominus dixit, Sicut fulgur. Quocirca eius aduentum operientes ad Orientem adoramus.* Hactenus S. Damaſcenus.

76 Ex quo obiter notetur fauor, quo Chriſtus proſequutus eſt Occaſum proſpiciens ad illum tum in Cruce, tum in Aſcenſione. Et hinc, non renuente Lorino, concilio illud Pſalmi ſuperioris verſ. 5. *Aſcendit ſuper Occaſum, Dominus nomen illi*, inferóque Chriſtum etiam nunc, & poſt Iudicium vniuerſale habere præ oculis Occiduam plagam. Indicatus fauor de proſpectu in Cruce ad Occaſum illuſtratur Theophilo Raynaudo lib. de Iuda cap. 6. num. 7. Ieremiæ verbis cap. 18. verſ. 17. *Dorſum, & non faciem oſtendam eis.* (idest Hieroſolymitanis ciuibus) *in die perditionis eorum*, idest, in die, qua me crucifigendo perdiderunt ſe ſe; confirmatur ab Ioanne Molano lib. & cap. 4. De Imaginibus, Daniele Malonio cap. 20. de Ieſu Chriſti Crucifixi ſtigmatibus, Gretſero tomo, & lib. 1. de cruce cap. 27. obſeruatione multorum Patrum, quibus addo Lucam Tudenſem lib. 2. aduerſus Albigenſes cap. 12. Albertum Magnum cum Haymone in cap. 6. Oſeæ, Germanum Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, Hugonem Etherianum de animarum regreſſu ab Inferis cap. 14. Nec prætermittam adnotationem Martini Garſiæ Epiſcopi quondam Barcinonenſis in ſerm. 114. *Chriſtus dum paſſus fuit in Cruce, habuit faciem verſus Occidentem. Quod patet, nam cùm Sol tranſiret per meridiem, & vmbra Chriſti ſecundùm contemplatiuos tangeret Latronem dextrum, non poſſet eſſe aliter, niſi faciem Chriſtus haberet in Occidentalem regionem : : : Et cùm viſus fiat per lineam rectam, cùm magis rectè aſpiceret Hiſpaniam; nam pars Hiſpaniæ eſt eiuſdem paralleli cum aliqua parte Terræ ſanctæ, vt patet per Ptolomæum; ſequitur, quòd hæc patria non potuit perire.* Sic ille.

77 Regredior ad Chriſti aduentum ex parte Orientali, confirmóque illum cum Thyræo in tract. de glorioſa Filij Dei apparitione cap. 1. numer. 25. nam conſuetudo Chriſtianorum corpora ſic collocandi in ſepulchris, vt facies eorum reſpiciant Orientem, nata exinde videtur, quòd ab Oriente Chriſtum venturum ſpectent. Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. 4. art. 3. pagin. 615. fatetur Chriſtum deſcenſurum ab Oriente in vallem Ioſaphat; exiſtimat tamen non rediturum eadem via, ſed per Occidentem, vt totum Hemiſphærium ſua viſitatione colluſtret; refertque ex quibuſdam Chriſtum tranſiturum per Hieruſalem; nam in cap. 21. Apocalypſis poſtquam dixiſſet Ioannes verſ. 1. *Vidi cœlum nouum, & terram nouam*, quod fiet peracto Iudicio, ſubiungit verſ. 2. *Vidi ſanctam Ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, ſcilicet, vt Chriſtum decenter, & ornatè recipiat. Sed ipſe Duuallius ait, Cum hæc Ioannis ſint obſcuriſſima, & ab Interpretibus explicentur de Eccleſia militante, vel de cætu Beatorum comitantium Chriſtum in die Iudicij; & cum eo die Ciuitas Hieroſolymitana igne conflagrationis extincta erit, probabi

Digitized by Google

probabile tantùm vt ſummùm videri, Chriſtum tranſiturum per ſpatium, in quo ſita erat illa vrbs, theatrum principalium myſteriorum Redemptionis noſtræ. Placet mihi magis reditus Chriſti in cœlum recto itinere, eóque, quod tenuit, quando primò aſcendit.

78 Suadetur denique commoratio Chriſti in parte Orientali, quia Angelus mouens ſphæram cœleſtem exiſtit in Oriente, vt ſupponit Ariſtoteles, lib. & cap. 2. de cœlo, eaque cœli pars concipitur à nobis, vt excellentiſſima totius mundi corporalis. Comprobàtque S. Iuſtinus in reſponſione ad quæſt. 118. Orthodoxorum, & Origenes homilia 25. in Ioſue. Ergo in Empyrei tractu, qui parti illi reſpondeat, putandum eſt Chriſtum modò exiſtere, & extiturum poſt Iudicium: neque enim eſt cur non exiſtimemus de Chriſto, ſeruata proportione, quod de Angelo Ariſtoteles: neque item eſt, cur Empyrei tractus, qui à nobis concipitur vt nobiliſſimus, non occupetur à Chriſto nunc, & poſt Iudicium. Occupabit itaque ſupremum locum quaſi Orientalem ſuprà Hieruſalem, ſiue montem Oliueti, vt inquit Sylueſter, & circumquaque exiſtent Beati à dextris, & ſiniſtris in gyrum, vel potiùs ſemicirculum, ita quidem vt glorificatorum hominum quiſque poſſit ſine ſpeciali, & miraculoſa oculorum eleuatione intueri faciem Chriſti, & Virginis Matris, quæ poſt filium tenebit ſublimiorem locum aſſiſtens à dextris eius in veſtitu deaurato circumdata varietate.

79 Amadeus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis, notat, Deiparam *non ſtare propriè à dextris Filij, ſed ante ipſum, ita quòd ſemper ſeſe mutuò conſpiciant, capútque Domini paulò altius ſit capite Mariæ.* Etſi autem Virgo Mater compluréſque alij Beati exiſtant à dextris Chriſti, latúſque dextrum ſit honoratius, quàm ſiniſtrum, vt contra Antonium Nebriſſenſem in vltima quinquagena locorum ſacræ Scripturæ cap. 39. Ioannem Goropium Becanum lib. 5. Hierogl. versùs fin. Franciſcum Riberam in cap. 1. epiſt. ad Hebr. à n. 20. pertractatum eſt à multis, non ideò ignobilior erit Chriſti locus: nam medius præſtantior habetur, quando dexter, & ſiniſter tenetur ab aliis. Addo ex floridiſſimo Laurentio Ramirez de Prado in Pentecontarcho cap. 39. partem ſiue ſiniſtram, ſiue dextram honoratiorem eſſe, quoties locus eſt altior. Addo etiam ex Gaſp. Sanch in c. 2. Actuum Apoſtolor. v. 25. Paulo Sherlog. tom. 3. in Cantica veſtig. 19. ſ. vn rurſúſque veſtig. 21. ſ. 1. ex Iacobo Bold. in c. 30. Iob v. 12. cùm nulla ſedenti de dignitatis primatu intercedere poteſt controuerſia, tunc locum dextrum honoratiſſimum non eſſe reſpectu primarij, ſed reſpectu alterius, cui conceditur gratioſè, comiter, & beneuolè, proindéque abſque dedecore, aut detrimento concedentis. Nobis nunc ſat eſt, Chriſtum tenere locum medium, qui ſemper nobilior eſt reputatus, prout variis exemplis oſtendunt Barthius lib. 2. aduerſ. cap. 3. Tiraquellus de Iure primogeniorum in præfatione num. 116. Lipſius lib. & cap. 2. Electorum, Creſollius l. 2. vacationum autumnalium cap 9. ſect. 7. Iacobus Sirmundus in Coronide Sidoniana.

80 Aſſignatæ in cœlo ſituationis *imaginatio faciliter poteſt haberi* ſecundùm S. Bonauenturam in 2. diſt. 2. art. 2. in expoſitione litteræ n. 34. *Si quis imaginetur aues in aëre, & piſces in aqua. Sic in Empyreo intelligenda ſunt collocari corpora, quia corpus illud multum habet de altitudine, ſicut alij cæli. Vnde non debet quis imaginari, quòd ibi ſint Beati velut in ſolario. Nec tamen intelligendum eſt, quòd vnus ſit directè ſuper caput alterius, ſed ſicut ſi eſſet mons rotundus, & aliquis eſſet in culmine, & aliqui circum circa. Sic poteſt aliquis imaginari, qui melius neſcit, diſpoſitionem Beatorum in cœlo Empyreo, & Chriſti. Vix tamen poteſt aliquis imaginari, quod perueniat ad cogitandum diſpoſitionem per eum modum, per quem eſt, & ideò magis eſt deſideranda, quam in imagine deſcribenda.* Hæc Seraphicus Doctor, quæ melius percipientur, ſi reuocentur in memoriam, aut oculos, ſcripta à nobis inn. 33. exercit. 18.

81 Hominum beatorum ſedes totum per Empyreum non extendentur: tum quia vbi fuerit corpus Chriſti, illuc aquilæ, qui ſunt glorificati homines, congregabuntur: quod ægrè intelligitur, ſi per totam Empyrei amplitudinem vaſtiſſimam, terræ globum (ſi credimus Noſtro Cornelio in cap. 21. Apocalypſis verſ. 16.) non millies, nec centies millies, ſed plus quàm decies centies millies ſuperantem beatorum hominum ſtationes deſignatæ diuidantur: tum quia tanta ſedium diſiunctio impediret conuictum degentium quaſi in vna domu, & lætantium quaſi in vno conuiuio, vix enim, & ne vix quidem Beatus homo poſſet intueri, & alloqui corporaliter alium exiſtentem in oppoſito hemiſpherio, diſſitóque intercapedine cœlorum omnium mobilium, & elementorum, niſi Deus miraculosè eleuaret ſenſus: quæ eleuatio admittenda non eſt ſine conuincente authoritate, vel ratione. Si dicatur, Beatum vnum acceſſurum quandoque ad ſedem alterius. Non nego poſſe id fieri; ſed congruentius videtur, eſſe diſpoſitas ſic manſiones cœleſtes, vt quin huc, & illuc Beati concurſent, ſed fixi, & immoti habeant inter ſe commercium, ac ſocialem vitam. Et aduertit S. Bonauentura in 2. diſt. 14. art. 2. q. 1. num. 17. Si Beati ſint in media parte cœli, non ideò alteram dicendam eſſe vacuam, nec ſuperfluam. *Sicut magnum palatium non eſt vacuum quando eſt vnus magnus inhabitator, quamuis non impleat omnem partem: magnitudo enim curia, & ſpatioſitas, etſi non impleatur totaliter, facit tamen ad oſtenſionem Regalis magnificentiæ.* Conſequenter ad hæc in 4. diſt. 44. num. 46. docet, dum cœlum plenum fore electis prædicatur, intelligendum non eſſe *de plenitudine coanguſtationis, ſed de plenitudine pulchritudinis, qua dicimus, cœlum plenum eſſe ſtellis, & mare piſcibus, & mundum hominibus.*

82 Beati Angeli, (quorum principalior ſtatio ponitur in partibus Aquilonis, leui fundamento, à Guilielmo Vorrillong. in 2 diſt. 2. art. & difficult. 3.) habebunt etiam diſtinctas, & inæquales ſedes penes maiorem, aut minorem propinquitatem ad Chriſtum. Neque enim erunt plures in eadem cœli parte, idque propter maiorem pulchritudinem, & ornatum ipſius cœli, vt obſeruat Suarius lib. 4. de Angelis cap. 9. num. 7. & ſicut, vt ait idem Doctor, conſiderando moraliter loca, vt præmia meritorum, pertinet ad rectum ordinem, quòd boni Angeli ſint in nobiliſſimo loco, mali verò in infimo; ita ſimiliter pertinet, quod ex bonis Angelis illi ſint in nobiliori loco, qui magis boni, & ſancti fuerint. Vincentius Bellouacenſis lib. 1. ſpeculi naturalis c. 28. inquit, *Propterea tanti ambitus factum eſt* Empyreum *quia non poſſunt minimo in loco plures Angeli eſſe, ſed ad mirandum, & laudandum Creatoris immenſitatem cum gaudio tanquam in eiuſdem Regis altiſſimo palatio.* Supponit hic Author, non poſſe plures Angelos eſſe in eodem loco, quod de phyſica potentia non probo, carent enim Angeli quantitate quæ eſſe poſſet impedimento. Et quidem cum forma materialis, & accidentia materialia valeant naturaliter eſſe in eodem loco, ac materia, quia huius quantitas eſt communis illis, valebunt

Digitized by Google

multò potiùs duo Angeli, quandoquidem expertes ſint omnis quantitatis. Præterea ſi Angelus, & animus rationalis queunt exiſtere naturaliter in eodem loco, quid ni, & duo Angeli? Quare quòd diuerſis locis ſint præſentes, proueniet ex ratione ab eximio Doctore ſuprà tradita. Et huc etiam (ſeruata proportione) faciunt illæ, quæ num. 56. propoſuimus, ne homines glorificati penetrentur in Empyreo.

83 Iam cùm tot ſint beati Angeli, magnam loci amplitudinem quaſi occupabunt. Vt enim ait S. Brigitta lib. 4. Reuelationum cap. 11. *Si computarentur omnes homines, qui nati ſunt ab Adam vſque ad nouiſſimum, qui naſciturus eſt in fine mundi, pluſquam decem Angelorum inuenirentur pro vnoquoque homine*, & vt ex S. Dionyſio Areopagita refert S. Bernardinus Senenſis tomo 3. ſermon. 49. de amore glorioſo parte 1. principali pag. 428. *Angeli in paradiſo exiſtentes ſunt plures, quàm ſint ſtellæ, quàm ſint arena maris, ac terræ, quàm ſint folia, & herbæ, & quàm ſint omnia quæcumque creata.* S. etiam Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 15. Illuminatorum ſcribit, *Cogita primùm, quantum ſit Romanorum genus, cogita, quot gentes barbarorum nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui; cogita, quot ante mille annos ſepulti ſint, cogita eos, qui fuerunt ab Adam vſque ad hodiernam diem. Magna quidem hæc multitudo; ſed hæc tamen parua eſt; plures enim Angeli: nonaginta nouem ſunt oues illi, tu verò centeſima, quoniam vnum tantùm eſt genus humanum. Nam pro locorum magnitudine cogitandum eſt. Si hæc noſtra terra eſt tanquam centrum in medio cæli, & tantam habet multitudinem; quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit? Et cæli cælorum immenſam certè habent multitudinem. Scriptum eſt enim, mille millia miniſtrabant ipſi, & decem millia myriadum aſſiſtebant ei. Non quòd tanta ſolùm eſſet multitudo, ſed maiorem hac Propheta dicere non poterat.* Huc vſque S. Cyrillus, quem, prætermiſſis aliis Patribus, ideò adduxi, vt tranſcurſim penſitentur verba illa; *quantam habebit multitudinem cælum, quod terram ambit? & cæli cælorum, &c.* Dum enim diſtinguit cœlos cœlorum à cœlo ambiente terram, videtur innuere Empyreum.

84 Ob eandem cauſam appono miranda alia Æneæ Gazæi verba tum pro multitudine Angelorum, tum pro exiſtentia ipſorum in Empyreo. *Plenum eſt* (ita in Theophraſto) *totum cœlum, plenus etiam æther Angelorum, atque Dæmonum, itémque plenus aër, plena terra, plenum mare, plena denique, quæ ſub terra ſunt omnia; ac quemadmodùm ait quidam ſapientum noſtratium, adeò nihil eſt in rerum natura vacuum, vt ne ſit quidem, quo capillum inijcias. Sed etſi mortalibus in decies millenos annos hæc externis ſenſibus expoſita vita producatur, nunquam tamen opinor tantæ Angelorum, atque Dæmonum multitudini humanarum animarum numerus par erit.* Hæc ille, qui cùm diſcriminet cœlum ab æthere, & aëre videtur indicare Empyreum, ſi mauis nomine *ætheris*, & *aëris* ſignificare aërem purum, & caliginoſum, nomine autem *cæli* aſtrigerum cœlum.

85 Quantum verò ad ſpatium quilibet Angelus extendet ſeſe, ſciri à nobis non poteſt, niſi Deo reuelante. Credibile eſt, tantùm ſpatij occupaturum in theatro cœleſtis curiæ, quantum beatus quiſque homo, excepto Chriſto, & Deipara; quorum throni materiales erunt ampliores, quàm ſedes aſsignatæ cuiuis ex reliquis beatis Angelis, & hominibus. Credibilitatis illius ratio eſt, quia licèt vel infimus Angelus dilatare ſe poſsit ex natura rei ad ingentem loci ſphæram, & quò perfectior eſt, eò ad maiorem; congruum tamen apparet, vt manſiones Angelorum, & hominum certam quandam ſeruent vniformitatem pro meritorum proportione. Hinc ſi præter Chriſtum, & Deiparam beatorum hominum aliorum ſedes fuerint æquales in magnitudine; erunt etiam, & omnium Angelorum: ſi verò beatior homo habeat extenſius ſpatium, habebit etiam beatior Angelus ſpatium extenſius, quàm alius Angelus, & homo minùs beatus. Sic ferè diſcurrit Guilielmus Antiſtes Pariſienſis in 2. part. de Vniuerſo part. 2. c. 79. Certè ſi ſpatium aſſignetur Angelis per reſpectum ad perfectionem naturalem ipſorum, & non cum conformitate ad homines, ægrè poterimus imaginari theatrum curiæ cœleſtis; ſiquidem ingentiſſimum eſt ſpatium adæquatum, ad quod ex natura rei poteſt vel imperfectior Angelus ſe extendere. Quare vnus Angelus erit valdè diſſitus ab alio, & ab hominibus beatis; hi etiam eſſent valdè diſiuncti inter ſe, ſi interiaceat aliquis Angelus.

86 De animabus ſeparatis, quæ nunc Triumphantem Eccleſiam componunt, diſcurrendum eſt eodem ferè modo, ac de Angelis. Placet quibuſdam, animam non poſſe naturaliter exiſtere in maiori loco, quàm qui reſpondet humano corpori maximo ſecundùm ſpeciem, quia ſi illa ad extenſiorem locum dilatari valeret, non eſſet præſcriptus humano corpori talis terminus. Sed certè in corpore animando ſpecialis eſt ratio propter obeundas functiones vitales, vt minùs dilatetur anima, quàm in corpore, aut loco, cui præciſè aſſiſtat; & ſicut magnitudo corporis humani in hoc, & in illo indiuiduo non commenſuratur ſemper locabilitati animæ ita magnitudo ſuprema ſecundùm ſpeciem poſſet non commenſurari, ſed excedi. Quidquid de hoc ſit, animæ ſeparatæ eandem loci ſphæram nunc diſtributam habent, quam poſt recuperatam ad corpora vnionem.

87 Nonnulli Authores, vt Gabriel Biel, in ſermon. 3. de S. Michaële, & Iuſtus Lanſpergius in ſerm. 1. de eodem S. Archangelo, dum ex magnitudine Empyrei deducunt multitudinem Angelorum inhabitantium, videntur denotare, vt & S. Cyrillus ſuprà, eorum ſedes longè, latéque patere per totum Empyrei ambitum. Sed S. Cyrillum, & Authores illos licebit interpretari, quatenus non loquantur de loco, qui actu ſemper occupetur in Empyreo à quolibet Angelo; ſed de loco, quem poſſet occupare, aut qui poſſet ipſi deputari, quin ſingulis aliis deeſſet in Empyrei immenſa penè magnitudine par loci occupati, aut deputati ſphæra: & ſecundùm hanc etiam conſiderationem diffuſiſſima Empyrei moles ſuadet numeroſiſſimam eſſe Angelorum multitudinem.

88 Non abſimiliter interpretor S. Bernardum, ſi eius ſint hæc verba relata à S. Bonauentura in Diæta ſalutis tit. 10. cap. 5. *Quilibet Sanctus in cœlo Empyreo habebit locum ſuum ſibi aſſignatū proprium, & ſpecialem, magis ſpatioſum quàm ſit ab Oriente ad Occidentem.* Videntur quidem intelligenda de loco, qui cuilibet Sancto poſſet reſpondere ex deſignatione Dei. In eodem ſenſu accipiendus eſt Iordanus de Saxonia inquiens apud Martinum Garciam ſermon. 121. *Cuilibet Beato aduenit tanta quantitas ſpatij, ſicut eſt Hiſpania, vel etiam ſicut terra habitabilis tota.* Iuxta intentum à nobis ſenſum loquutus

Digitized by Google

loquutus eſt Mauburnus titul. 38. Roſeti Alphabeto 75. litt. D. *Si cuilibet* (ſic Mauburnus) *Sanctorum vnus locus, & certa portio deputaretur, plus illud ſpatium contineret, quàm occupat terra vniuerſa.* Concordant in modo loquendi Drexelius 3. parte Æternitatis libr. 2. de cœlo capite 8. §. 2. Nietembergius libr. 4. de diſcrimine inter temporale & æternum capite 3. Imò addit Ioannes Gailer apud vtrumque, *Si Deus è ſingulis arenæ granulis, quæ littus marinum ſtipant, ſingulos crearet orbes terrarum, innumeri certè, ac infiniti eſſe dicerentur: ij tamen immenſa Cœli Empyrei ſpatia non implerent.* Idem traditur à S.Bernardino tom.1.ſer.50.pag.300.

89 Animaduerto in ſectionis calce, Origenem homiliâ 25. ſuper Ioſue aliter, ac nos, iudicare de locatione Beatorum omnium in parte Orientali Empyrei. Scribit namque, *Fortaſſis ſicut ordinauit Deus ſtellas cœli, & rationibus eas quibuſdam mirandis, & ineffabilibus collocauit, & alias quidem ipſarum ſtatuit in axe Aquilonis, alias in partibus Orientis, alias verò in Auſtrali parte conuexa, atque alias in Occaſu: ita credo, quòd & eos, qui ex reſurrectione mortuorum tales erunt ſicut ſtellæ cœli in multitudine, & claritate, venientes ſcilicet ex ſemine Abraham, collocabit Deus in regno cœlorum ſecundùm ordinem ſtellarum, & partium cœli: & dabit aliis ſortem ad Orientem, aliis ad Occidentem, aliis ad Auſtrum, & quos ipſe nouit, ſtatuet ad Aquilonem.*

SECTIO XI.

De amplitudine ſpatij, in quo exiſtent frequenter glorificati homines.

90 AD maiorem præcedentium elucidationem apponam, quæ de amplitudine ſpatij in quo velut in theatro exiſtent Beati coram Chriſto Rege ſupremo, & Deipara Virgine Regina ſereniſſima Empyrei, meditantur quinque inſignes Apocalypſeos Interpretes; licet tandem profiteri oporteat cum Ruperto lib. 1. commentar. in Geneſ. cap. 6. *Spiritualem hominem, quantumcumque cœleſtia contemplantem dum viuit, nihil ſufficienter dijudicare poſſe, niſi quia magnus, & immenſus locus magna, & ſpiritualis eſt Patris domus, in qua ab initio manſiones multæ paratæ ſunt beatis Angelis, & ſanctis hominibus.* Vocatur ab Angelo apud Zachariam cap. 2. verſ. 4. puer is, qui anteà ab ipſo Zacharia dictus eſt vir, viſúſque eſt pergere cum funiculo menſorum, vt metiretur Hieruſalem cœleſtem. Sed meritò ſub pueri nomine ab Angelo tacitè ſugillatur inſcij, & inconſiderati, vt qui rem adeò difficilem aggrederetur intrepidè. Ne ergo nos eiuſdem inſcitiæ, & inconſiderantiæ inſimularemur, maluimus cœleſtis Curiæ dimenſiones ab aliis elaboratas producere, eaſque non vt certas, ſed vt veriſimiles commendare: quo, & non alio modo proponuntur à prudentiſſimis, quos adducam, viris, dum explicant illud Apocalypſ. 21. v. 16. *Ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo, & menſus eſt ciuitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia, & longitudo, & latitudo eius æqualia ſunt.*

91 En iam Cornelij dimenſionem, & verba: *Cùm ergo ciuitas hæc duodecim in ſui ambitu haberet portas* (vt patet ex verſ. 12.) *ſequitur ab vna porta vſque ad aliam fuiſſe ſpatium mille ſtadiorum. Ita enim ex ſpatio duodecim portarum conflabis duodecim millia ſtadiorum ambitus vrbis. Eſt hic ambitus ingens, vt deſignet ingentem cœleſtis Hieruſalem capacitatem, quæ capiet tot milliones hominum, quos conſtabuntur ex omnibus electis, qui quouis ſæculo ab Adam vſque ad finem mundi fuerunt, ſunt, vel erunt in quauis orbis plaga. Octo ſtadia faciunt milliare Italicum. Ambitus ergo Ciuitatis continens duodecim millia ſtadiorum, continet mille, & quingenta milliaria Italica. Iam cum quadrata, & æquilatera ſit hæc ciuitas, ſequitur quodlibet eius latus tam longitudinis, quàm latitudinis habuiſſe quartam huius numeri, & horum milliarium mille, & quingenta partem, nimirum tercentum & ſeptuaginta quinque. Ergo hæc ciuitas longa erat ſeptuaginta quinque milliaria Italica, & totidem lata. Eſt itaque tam longa, quàm longum eſt iter, & diſtantia Neapoli Mediolanum circiter. Immanis eſt hæc ciuitas, quæ tot prouinciarum ſpatia ambitu ſuo complectitur. Quocirca qui hæc ad litteram, vt ſonant, accipiunt, dicunt, tantum prorſus eſſe ſpatium ciuitatis, ſiue loci Beatorum, quem ipſi inter ſe per varias ſtationes diſtributi occupant in cœlo Empyreo; neque enim totum Empyreum occupare poſſent, eſſent enim inter ſe nimis diſiuncti.* Hactenus Cornelius, iuxta quem, & Gordonum, locus Beatorum in Empyreo extenditur quaquauerſum ad centum & vigintiquinque leucas horarias.

92 Alcazar, & cum ipſo Tirinus tribuunt ſtationi Beatorum maius ſpatium, augéntque illud in quadruplum, ita vt longitudo ciuitatis ſit duodecim mille ſtadiorum, & latitudo etiam habeat totidem ſtadia. Putant namque dimenſam tantùm ab Angelo ciuitatis longitudinem; tunc quippe menſurari dicitur ciuitas, quando eius longitudo ab vna parte ad aliam oppoſitam menſuratur. Ex quo concludunt, tam longam eſſe ciuitatem, quàm longa eſt via, & diſtantia ab vrbe Hiſpali vſque Neapolim. Et aduertit Tirinus, *tantam Ciuitatis capacitatem afferri pro ſymbolo ingentis, & quaſi innumeræ multitudinis ſaluandorum, de qua Apocalypſis 7. verſ. 9. veriſimile nihilominus eſſe etiam ad litteram, vt ſonat, prorſus tantum ſpatij, quantum hic deſcribitur à ſanctis in Empyreo cœlo occupandum in modum cœleſtis paradiſi delitioſiſſimè inſtructi.* Sic Tirinus, penes quem & Alcazarem, annuente Vaſconzellio libr. 1. de Angelo Cuſtode c. 18. p. 3. n. 8. locus Beatorum in Empyreo continet quingentas leucas horarias quoad longitudinem, & totidem quoad latitudinem.

93 Libet huc transferre, quæ pro hac magnitudine ciuitatis Empyreæ expendit Alcazar; nam etſi multa ſint, vt maximæ voluptati mihi fuerunt, ita lectori futura ſpero. Ait itaque in comment. 2. de ſenſu Myſtico, *Immenſa ciuitatis magnitudo nos reddit ſecuros fore, vt nullo merenti deſit in illa domicilium, quia in domo Patris mei, ait Chriſtus, manſiones multæ ſunt. Significat etiam glorioſiſſimã Chriſto Domino, & Apoſtolis futuram ingentem illam ciuitatis magnitudinem, vbi cum innumerabilis ſit ciuium multitudo, cuncti tamen ditiſſimi, ſapientiſſimi, & feliciſſimi erunt. Certè in ſumma ciuitatis magnitudine potuit facilè Ioannes cognoſcere plurimam hominum multitudinem eò demum euehendam. Cùm enim tantam, támque immenſam fabricet vrbem, qui futurorum ciuium nomen probè nouit,*

Digitized by Google

id argumento eſt, maximam fore ſaluandorum hominum multitudirem. Tanta hac vrbis magnitudo, ſi attentè perpendatur, dua præciduntur ſuſpiciones, quæ nonnullos ſollicitarunt. Prima eſt, mundum paucos admodum annos duraturum; altera exiguum valdè ſaluandorum numerum. Ego quidem in neutra harum rerum nouam velim inducere doctrinam, ſed meam interpretationem ad receptum Sapientium, ac Prudentium ſenſum conformare, atque hæc ex ipſius contextus coniecturis eruere. Si ad vrbem tantæ magnitudinis incolendam opus eſſe videtur maior ciuium multitudo, quàm quæ occupare poſſit bicies centena millia vrbium Hiſpalim magnitudine adæquantium, quinam hoc ſtare poteſt cum perexiguo illo prædeſtinatorum numero, & cum mundi duratione adeò breui defectura, vt nonnulli opinantur. Verùm dicet aliquis, hac ratione plus æquo probari. Licet enim quot annis plures ſaluarentur homines, quam qui opus eſſent ad viginti vrbes, inſtar Hiſpalis incolendas, adhuc ad bicies centena millia opus eſſet annis centies mille. Reſpondetur, puerorum qui ſaluantur, numerum eſſe penè innumerabilem etiam inter hæreticos, & ſchiſmaticos. Quòd verò attinet ad homines iam adultos, viri aliquot valdè pij, ac ſpirituales affirmant, multò eſſe plures, qui ſaluantur, quam aliqui affirmant. Qui enim ſuum pro nobis ſanguinem effudit, maximam adhibet diligentiam, ne animæ, quas ipſe redemit pretio tanto, in æternam perniciem ruant. His accedit, quòd maxima hæc ciuitas non conſideratur ſolùm, vt ſanctorum domicilium, ſed etiam quaſi ipſorum prædia, horti, & viridaria ſint: quæ omnia ingenti illo murorum ambitu coexerceantur, vt ab hoſtium incurſionibus ſecura, & pacata ſint. Et quamuis ignoremus omninò, quot ſæcula ſit mundus duraturus, nouimus tamen inanem fuiſſe eorum timorem, qui orbem citò interiturum timebant. Tantùm Alcazar, qui addere potuiſſet, Ciuitatem Empyream ab Angelis etiam habitandam diuiſis in ſuas ſtationes. Etenim vt S. Auitus lib.4. de diluuio,

Eſt ille in cœlis, numeros qui præterit omnes,
Angelicus ſine fine chorus————

94 S.Bernardinus Senenſis, vel qui eius nomen præ ſe fert in expoſitione Apocalypſis, habet notabilia iſta verba ad cap. 21. verſ. 16. *Dicendum, quòd duodecim millia ſtadia menſurant vnum latus iſtius quadri; & per conſequens totum ſpatium continet duodecies duodecim millia ſtadia; & eſt numerus quadratus reſultans ex ductu duodenarij in ſeipſum. Hic autem numerus continet nouies ſexdecim. Cum igitur octo ſtadia faciant vnum milliare, & duo milliaria leucam vnam, ſequitur, quòd prædictum ſpatium Ciuitatis continet decem & octo millia milliarium, & nouem millia leucarum: & quodlibet latus muri duodecim millia ſtadia, quia murus ponitur hìc quadratus æquilaterus; nec tamen hìc computatur ſpiſſitudo muri, ſed ſuperficies interior tantùm vt patet ex prædictis.* Hactenus Interpres ille; cuius mira dimenſio non debuit ſilentio obuolui. Hanc verò, & ſuperiores alias in medio relinquo.

SECTIO XII.

Occurritur tribus difficultatibus circa amplitudinem theatri Beatorum in Empyreo. Tractatur de amplitudine Inferni, & Paradiſi Adamici.

95 SOlicitant animum tres difficultates contra tantam theatri Empyrei magnitudinem, quantam ex vnoquoque memoratorum Authorum propoſuimus in ſectione ſuperiori. Prima, Adamicus Paradiſus habuit in longitudine tres, vel quatuor leucas & in circuitu duodecim, aut parùm plus, vt ad cap.13. Geneſis quæſt.98. cenſet Alfonſus Toſtatus, qui in cap. 2. quæſt. 9. refert ex aliis, longitudinem fuiſſe quaſi triginta, vel paulò plus, & ambitum quaſi centum leucarum. Siue verò his Doctoribus, ſiue Toſtato aſſentiamur, ſufficiet æqualis amplitudo in theatro Empyreo. Nam in paradiſo commorarentur omnes homines vſque dum omnes ſimul transferrentur ad gloriam; vt ſentit Moſes Barcephas parte 1. de Paradiſo capite 14. indicatque S. Auguſtinus lib.9. de Gen. ad litt. cap. 3. & probabilius videtur Alberto Magno apud Carthuſianum in 2. diſtinct. 20. quæſt.4. circa finem. Eorum autem multitudo ingentiſſima eſſet; quòd ſi non maior, par ſaltem ei, quæ in præſenti ſtatu ſaluabitur, ſicut docet Suarez lib.5. de opere ſex dierum cap. 4. num. 15. cum Scoto; quamuis verò non omnes ſimul transferendi forent ad gloriam, ſed ſucceſſiuè prout tempus cuiuſlibet completum fuiſſet, quod placet S.Auguſtino dict. lib.9. de Geneſi ad litteram. cap.6. tamen qui vnà viuerent in Paradiſo, videntur non fore pauciores, quàm qui incolent Empyreum. Quia in ſtatu Innocentiæ ſuperuiuerent homines ad tria, vel quatuorum annorum millia; quæ eſt perſuaſio Benedicti Pereyræ lib.3. in Geneſ. de Paradiſo quæſt. 3. num. 33. lib. etiam 5. De ſecunda excellentia ſtatus innocentiæ quæſt. 5. numero 79. At homines coæui tribus, vel quatuor annorum millibus, æquarent, vel ſuperarent numerum ſaluandorum. Si enim nunc eodem tempore quinque millia millionum hominum parùm plus, minùſve putantur viuere ſuper terram, vt colligi poſſe ex Geographicis tabulis, & ex hiſtoriis, obſeruat Hieronymus Columbus lib. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia cap.49. quotnam, rogo, millia millionum conuiuerent tribus, vel quatuor annorum millibus, quando multiplicatio hominum maior foret, quàm nunc. Plura quippe nunc impedimenta obſunt, vt ſterilitas, abortus, &c. Videtur numerus is non inferior illo, quem conficient homines glorificati extituri in Empyreo. Ergo incongruè tribuitur tanta amplitudo theatro glorificatorum hominum, cum tam modica fuerit ſufficiens paradiſo Adamico ad continendos tot, vel plures incolas.

96 Secunda difficultas, Damnatorum hominum numerus maior erit, quàm Beatorum, vt probauimus in Exercit. 21. ſect. 19. Et tamen capacitas Inferni in longum, latum, & altum extendetur ſolummodò per ſtadia millia ſexcenta (quæ faciunt ducenta milliaria Italica, ſiue ſexaginta & ſex leucas horarias, milliariaque duo Italica) vt colligunt Cornelius, & alij ex verbis Apocalypſis cap. 14. verſ.20. Ergo Empyreæ Ciuitatis capacitas extendetur multò minus.

97 Tertia, non poterunt omnes Beati homines ex ſuis ſtationibus videre corporaliter Chriſtum, & Virginem Matrem abſque ſpeciali miraculo; nam in tanta Ciuitatis magnitudine plures adeò diſtabunt, vt extra naturalem ipſorum viſiuam ſphæram ſit Chriſtus, & Virgo Mater.

98 Tertia hæc difficultas ſuperari poteſt primò, ſi reſpondeatur, non totam, quanta eſt Empyreæ Ciuitatis magnitudo, deſeruituram in ſtationes beatorum hominum; ſed eam ſolùm partem, ex qua nulli incolæ impoſſibile naturaliter ſit videre IESVM, & MARIAM, quoties voluerit perſpica-

ciſſimos

ciſſimos oculos in duo hæc Empytei micantiſſima Luminaria conuertere. Secundò, ſi dicatur, beatorum hominum viſiuam aciem glorificatam habituram incõparabiliter multò maiorem ſpæram naturalem, quàm habeat modò mortalis acies cuiuſuis animantis; & fortè ſphæram iſtam non excedendam ab ingenti illa magnitudine, vt aliquatenus ſuſpicandi præbebunt occaſionem ea, quæ in exercit. 28. à n. 210. ſcribemus. Tertiò, ſi aſſeratur, beatos homines, qui ex ſuis ſtationibus nequirent naturaliter ob nimiam diſtantiam videre Chriſtum, & Deiparam, fore diuinitus adiuuandos ad talem viſionem, ſemper ac vellent prodire in eam. Nam etſi veriſimilius mihi appareat, ſtationes beatorum hominum ſic in Empyreo diſponendas, vt cuncti naturaliter valeant prodire toties, quoties placuerit, in præfatam viſionem, quin neceſſe ſit accedere ad locum proximiorem, tamen non ſolùm id incertum eſt; ſed & an cunctis beatis hominibus adeſit ſemper preſto diuinus concurſus ſiue naturalis, ſiue miraculoſus ad eliciendam huiuſmodi viſionem.

99 Secundæ difficultati occurri poteſt negando, capacitatem Inferni ampliorem non fore; *nam ſtadia mille ſexcenta, per qua vſque ad frenos equorum exiuiſſe ſanguinem de lacu*, vt ſcribitur in Apocalypſi, non denotant totum Infernum (qui poſt diem Iudicij vniuerſalis dilatabitur ad ſpatia Purgatorij, & Lymbi vtriuſque, vt ait Duuallius in Tract. de quatuor Nouiſſimis q. 2. art. 4. pag. 519. q. 5. art. 2. pag. 624.) ſed partem quandam, quæ replebitur corporibus damnatorum hominum, qui viui inuenientur tempore extremi Iudicij. Sic Ribera, quem perperam citant nonnulli pro longitudine, & latitudine totius Inferni *aperientis os ſuum abſque vllo termino*, vt dicitur Iſaiæ 5. v. 14. Eidem difficultati ſatisfieri rurſus poterit admittendo, cauitatem Orci diffuſiorem non fore ſtadiis mille ſexcentis; imò & admittendo cum Leſſio lib. 13. de perfectionibus diuinis cap. 24. Drexelio in conſideratione 2. æternitatis §. 1. n. 8. & in cap. 8. de Damnatorum rogo. §. 1. Sebaſtiano Munſtero lib. 1. Coſmog. vniuer. cap. 16. Bonartio in cap. 21. Eccleſiaſtici v. 10. Liberto Firmundo lib. 5. Meteorologicorum cap. & art. 1. Trimarcho lib. 3. Meteororum diſp. 4. ſect. 3. habituram longè minus ſpatium. Etenim ex capacitate Empyreæ Ciuitatis non rectè arguitur pro maiori Tartarei carceris amplitudine. Erunt quidem damnati homines plures, quàm Beati; Aſt Dæmones tot non erunt, quot Angeli fælices, & hi in ciuitate Empyrea non penetrabuntur ſiue inter ſe, ſiue cum hominibus. Illi autem in carcere Tartareo, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, vt inquit Iob cap. 10. v. 22. aliter forſan ſe gerent ad maius ſui, & hominum ſupplicium, vel ſaltem alligabuntur determinato alicui loco valdè anguſto. Præterea damnati homines exiſtent in Inferno congeſti & compreſſi, vt lapides in aceruo, vt ſardinæ in ceſto, vt oues in caula iuxta illud Pſal. 48. v. 15. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt*, & vt zizania in faſciculis; vt colligitur ex Math. cap. 13. v. 30. Ita Pariſienſis apud Maubur num in Roſeto tit. 37. Alphabeto 73. lit. *D.* Albertus apud Carthuſianum in 4. diſt. 44. q. 10. S. Thomas in ſupplemento 3. p. q. 97. art. 4. in corpore, Iacobus de Voragine Dominica 14. poſt Trinitatem, Sermone 3. Paludanus in 4. diſt. 45. q. 3. art. 2. concl. 3. S. Bernardinus Senenſis tomo 3. ſerm. 17. ex extraordinariis, parte 1. principali pag. 519. Holkot lectione 70. in librum Sapientiæ, Viguerius in Inſtitutionibus cap. 16. §. 4. v. 34. Sotus in 4. diſt. 45. q. 1. art. 2. conclus. 2. iterùm diſ. 50. q. vnica art. 4. conclus. 5. Ribera, Leſſius, Drexelius, Bonartiùſque ſuprà, Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 25. §. 3. in Gloſ. lit. *F.* Granadus 3. p. Contro. 13. de Nouiſſimis tract. 4. diſp. 5. n. 2. Bonacina in 3. p. diſp. 3. q. 5. puncto 4. propoſ. vnica n. 19. Notatque Duuallius ſuprà, non habere Infernum formam operoſi alicuius ædificij, in quo ſint diſtincta loca, & contubernia, ſed eſſe vnam vaſtam, incultamque voraginem abſque vllo ornatu, & manſionum diſtinctione. Cum tamen è contrario in ciuitate Empyrea beati homines obtinebunt ſedes diſtinctas amplas & ſpatioſas.

100 Prima difficultas inuoluit multas alias, quarum ſolutio non poteſt non eſſe plena diuinationibus. Equidem Paradiſum fuiſſe non exiguum locum, traditur à S. Auguſtino lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 10. & ab aliis Patribus apud Maluendam cap. 62. Commentarij de paradiſo. Reliqua verò, quæ determinatè de ipſius magnitudine coniectutantur ſunt valdè lubrica, & à nobis prætermittuntur, quia accuratè iam ſunt tractata à Pereyra ſupra q. illa 3. Viega in cap. 11. Apocalypſis Commentario & ſect. 5. c. 9. Suario lib. 3. de opere ſex dierum cap. 6. à n. 19. Arriaga tomo. 2. in 1. p. diſp. 35. ſect. & ſubſect. 2. n. 12. ac 13. Martino Delrio adagio 789. veteris Teſtamenti, Duuallio in tract. de quatuor Nouiſſimis q. 6. art. 8. Maluenda in loco citato. Sed demus paradiſum multo contractiorem fuiſſe theatro Empyrei, adhuc parui momenti ſunt., quæ in contrarium expenduntur. Nam in primis, S. Bonauenturæ, Scoto, aliiſque apud Petauium tom. 3. Theolog. dogm. lib. 2. de opific. ſex dier. c. 8. n. 4. incredibile eſt, omnes homines prorogaturos vitam in hoc ſæculo ad idem vſque tempus. Deinde eam fore tam longæuam, vt attingeret tria aut quatuor annorum millia, eſt æquè incredibile; tot etiam homines in ſtatu innocentiæ deſtinandos cælo, quot nunc adſcribentur, negari poteſt non improbabiliter. Adhæc, etſi Adamus non peccaſſet, non ideo cuncti eius poſteri permanerent in ſtatu innocentiæ; plures enim fortè in adulta ætate delinquerent, & paradiſo exularent. Nec qui inſontes forent, deberent habitare in paradiſo. Hæc omnia non temerè à nobis dicta comperiet, qui prælaudatos Authores conſuluerit.

101. Reſtat, vt qui de Empyrei Ciuitate, theatro, ac ſedibus, meas & alienas coniectationes propoſui, &, quà potui, defenſaui, precer Deum ſuppliciter cum Sedulio lib. 1. Mirabilium diuinorum.

Hic propria ſedis, huius mihi menibus vrbis
Exiguam concede domum, tuus incola Sanctis
Vt merear habitare locis, albóque beati
Ordinis extremus conſcribi in ſecula Ciuis.
Grandia poſco quidem, ſed tu dare grandia noſti,
Quem magis offendit quiſquis ſperando tepeſcit.

Si noſtris ex imo pectore fuſis precibus annuas, videbimus clara luce, quæ nunc in tenebris non mediocri labore perquirimus; aut ſi ea non videamus, quia longè à re ipſa aberrantia, indefeſſos tamen noſtros, & religioſos conatus forſan

—— *Olim meminiſſe iuuabit.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

DE ALIIS CORPORIBVS, PRÆTER HVMANA, EXTITVRIS IN EMPYREO.

CONDITVM eſt à Deo Optimo & Maximo Empyreum, vt eſſet propria ſedes, & domicilium glorificatorum hominum : quapropter ſic conſtruxit illud, vt accommodum foret ſuis habitatoribus. Verùm quia non humana ſolùm corpora, ſed etiam alia, quaſi extranea, & aduentitia extitura in Empyreo aſſeri poteſt ſatis probabiliter; quænam illa ſint? perſcrutandum aſſumo in hoc libro; antequam in ſequenti agam de humanorum corporum actionibus, ad quas confert Empyreum.

EXERCITATIO VIGESIMAQVARTA.

An Euchariſtia aſſeruanda ſit in Empyreo poſt mundi conſummationem.

IAMDIV voluebam mente hanc dubitationem, cùm non ſine ingenti gaudio vidi eam excitatam ab erudítiſſimo Noſtro Euſebio Nieremberg io libr. 8. de origine ſacræ Scripturæ cap. 34. cuius mira diligentia noſtram præoccupauit operam, & ferè quicquid pro affirmatiua parte excogitari poteſt, hinc, & inde collegit.

SECTIO PRIMA.

Proponuntur dubitandi rationes.

1 PRIMA, Aſſeruabitur in Empyreo ipſiſſima Crux, in qua Chriſtus vitam obiit, vt in exercitatione ſequenti ſtabiliemus. Ergo par eſt, vt aſſeruetur Euchariſtia in æternam memoriam Dominicæ Paſſionis, & in noui Teſtamenti perenne pignus, ac teſtimonium. Confirmatur, æternabit crux, quia fuit inſtrumentum ſacrificij cruenti. Ergo æquum eſt, vt æternet Euchariſtia, vt pote ſpectans ad incruentum.

2 Secunda, Chriſtus perpetuò retinebit vulnera lateris pedum & manuum, tum vt *in perpetuum victoria ſua circumferat triumphum; tum vt ſua morte redemptis, quàm miſericorditer ſint adiuti propoſitis eiuſdem mortis indiciis inſinuet*, tum denique vt *in iudicio quàm iuſtè damnentur, ibidem oſtendat.* Quas, & alias cauſas affert S. Thomas 3. p. q. 54. art. 4. in corpore ex Beda. At iſtæ non minus congruenter ſuadent permanſuram in cœlo Euchariſtiam. Ergo &c.

3 Tertia, Manna, quod fuit Euchariſtiæ figura, vt multis proſequitur Salianus anno Mundi 1244. à num. 313. cuſtoditum eſt iuſſu Dei in arca, aut propè arcam, poſt aditam Promiſſionis terram, in qua nullus eius vſus futurus erat. Hoc autem ſignificari videbatur, Euchariſtiam cuſtodiendam in cœlo,

Digitized by Google

cœlo poſtquam eius ſumptio nulla futura ſit ingreſſis cœleſtem Promiſſionis terram.

4 Quarta, Euchariſtia eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, & immortalitatis, vt docent paſſim Patres. Ergo veriſimile eſt, & ipſam immortaliter conſeruandam. Ob id forſan Coſmas Hieroſolymitanus hymno 6. in Theogoniam vocat Euchariſtiam *Immortalem menſam*. S. Odo in hymno de Euchariſtia canit,

Hoc genus, hoc vnum placet, hoc durabit in æuum,
Hoc facile eſt, nitidum, ſimplex, Deitatéque plenum.

5 Quinta Chriſtus glorioſus ſumpſit Euchariſtiam, quando vnà cum diſcipulis apud Emmaunthium Caſtellum recubuit; *accepit panem, & benedixit, ac fregit, ac porrigebat illis*, referente Luca c. 24. v. 30. Cùm verò incredibile videatur deſtruxiſſe ſumptas ſpecies ſacramentales, fit inde, eas æternùm conſeruare. *Quod ſcio* (ſubiungit P. Euſebius) *aliquibus non ineruditis placere. Et quidam propterea è publico ſuggeſtu pronuntiauit, cum multorum plauſu, nunc in cœlo adorari, & adorandam Euchariſtiam in præcordiis corporis Chriſti, quia glorioſi, tranſparentis veluti limpidiſſimi cryſtalli.* Confirmatur ex Sancta Mectilde narrante in primo viſionum, ſeu ſpiritualis gratiæ libro cap. 60. viſos à ſe cœlicolas ſumentes Euchariſtiam. P. Euſebius, cùm has propoſuiſſet rationes, ait, *Quoad conſeruationem Euchariſtiæ in cœlo non video tot eſſe fundamenta huius pronuntiati, vt illud ſtatuere poſſim: quod licèt falſum non valeam prorſus conuincere; incertum, atque ſponte meditatum non poſſum non habere.* Sed tamen nec coniecturis allatis reſpondet, nec fundamenta, quibus pronuntiatum illud oſtendatur intutum, producit in medium. Huic ego annitar curæ, imitans eos, *qui de terra aurum legere nouerunt; vbi enim diuitem ſenſerint venam, ibi quicquid artis eſt, quicquid laboris impendunt*, vt loquitur S. Petrus Chryſologus ſerm. 91.

6 Priùs verò animaduerterim, adduci poſſe pro opinatione hac non ſpernendum exemplum ex Teſtamenti veteris arca, quæ poſt generalem reſurrectionem apparebit, vt inter alios vult Noſter Mendoza in lib. 1. Regum cap. 5. n. 1. annot. 15. circa litteram ſect. 1. & 2. Quòd ſi tunc appareat, ecquis credat, peracta iam purgatione, & innouatione mundi deſtruendam? Quod ſi non deſtruetur, vbinam conſeruabitur, niſi in Empyreo?

SECTIO II.

Proponitur negatiua pars.

7 ET primò quidem Matthæi locus c. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi*, non leuis ponderis eſt aduerſus pronuntiatum ſuperius, cùm frequenter intelligatur de præſentia ſacramentali Chriſti, ſolummodò duratura vſque ad ſecundum aduentum. Ita exponitur à SS. Gregorio Nyſſeno & Hilario apud Salmeronem tom. 11. tract. 33. pag. 345. Fulberto Carnotenſi in epiſtola ad Finardum, S. Laurentio Iuſtiniano in ſermone de Euchariſtia, S. Hippolyto in oratione de mundi conſummatione, S. Thoma in priorem ad Cor c. 11. v. 26. Innoc. III. Pontifice Maximo lib. 4. de Myſteriis Miſſæ c. 44. Clemente V. cum Concilio Viennenſi in Clementina vnica de reliquiis, & veneratione Sanctorum, Vrbano IV. in Bulla de Inſtitutione feſti Euchariſtiæ, Philippo Presbytero lib. 3. in Iob, cap. 42. Simone de Caſſia lib. 14. de geſtis Saluatoris cap. 28. S. Bernardino tom. 2. ſerm. 54. pag. 849. Petro Cluniacenſi tract. contra Petrobruſianos, Authore Anonymo antiquo lib. 2. de Vidua Sareptana homil. 3. Nicolao de Lyra, & Dionyſio Carthuſiano in præſentem locum, Marco Marulo de humilitate, & gloria Chriſti lib. 3. Ianſenio in concordia cap. 149. Henriq. lib. vlt. de fine hominis cap. 23 in Gloſſa ad §. 4. littera *A*. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 46 ſect. 2. Valentia tom. 4. diſp 1 q. 5. p. 2. §. *Reſpondet ad* 1. Barrada tom. 4. in Euangelia lib. 9. cap. 7. Et licèt adducta verba accipiantur ab aliis in alio ſenſu, nemo hactenus à me viſus repudiauit ex eo, quòd præſentia ſacramentalis vltra conſummationem ſæculi ſit proceſſura. Quin potiùs Simon de Caſſia aduertit non ſic dicta à Chriſto, *quòd peracto mundi labentis termino non ſit ipſe nobiſcum, ſed quòd beatiori modo conſummato myſterio in perfecta claritate & intuitione conſpicua in ſuprema patria erimus nos cum ipſo.* Et S. Bernardinus ait, *Tunc terminus eius erit*, quia *non ſub velamine accidentium, ſed facie ad faciem tunc contemplabimur Deum.* Petrus Cluniacenſis, *Donec ergo veniat in fine ſæculi, dedit hoc Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui fidelibus per omne tempus huius ſæculi, id eſt, vſque ad conſummationem ſæculi.* Author ille Anonymus de Vidua Sareptana multus eſt in hanc rem. Inuiſe eum, ſi lubet.

8 Deinde locus S. Pauli in priori ad Corinth. cap. 11. v. 26. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, prudentem quemque morari debet, ne præfatæ ſubſcribat opinationi, ſi Patrum menti, vt par eſt, morem gerat. Etenim S. Hieronymus obſeruat oſtendi, *Tandiu Euchariſtiæ memoria opus eſſe, donec ipſe venire dignetur.* Rurſúſque apud Algerum lib. 1. de Sacramento corporis & ſanguinis Dominici cap. 8. ait, *Quia commemoratio mortis non erit neceſſaria ad concitandum deſiderium, vel fletum, vbi non peregrè profecta, ſed præſens ſemper erit vita æterna, & gaudium; ideo Apoſtolus huic Sacramento, ne æternum videatur, finem denuntians, ait, Quotieſcumque, &c.* Theodoretus etiam notat, *poſt eius aduentum, non ampliùs fore opus ſymbolis, ſeu ſignis corporis, cum ipſum corpus apparebit; & propterea dixiſſe, donec ipſe venerit.* Addo Salmeronem admonentem in verbis illis intelligi, *Iuge ſacrificium Euchariſtiæ duraturum in finem vſque ſæculi; in quo oſtendet ſe nobis in aperto, in poteſtate, & maieſtate, vt, eo viſo, perfecto, & conſummato perfruamur gaudio.*

9 Nec valet dicere, Patres tantummodò velle, non futuram conſecrationem nouam, & ſumptionem vltra aduentum ſecundum. Nam ſi ſincerè trutinentur eorum teſtimonia, Euchariſtiæ memoriale poſt iudicium negant omninò. Præterea mors Domini annuntiaretur in Euchariſtia conſeruata, etiamſi ſumptio deeſſet, aut non intelligeretur. Quare fruſtra additum eſſet illud, *Donec veniat.* Quod à Concilio Tridentino ſeſſ. 13 cap. 2. exprimitur hiſce verbis, *Saluator noſter : : : Sacramentum hoc inſtituit : : : & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuámque annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat.* Eodem modo explicatur in Liturgia S. Iacobi, in Miſſa Muzarabica, nec non à S Chryſoſtomo, S. Thoma, & Theophylacto ibi, S. Ioanne Damaſceno lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. Nicolao Epiſcopo Methonenſi de corpore, & ſanguine Chriſti, quin vllus meminerit vlterioris durationis, ratione cuius Euchariſtia mortem Chriſti denotaret.

10 Tertiò, accedit ratio confirmata ex Patribus

Nam

Digitized by Google

Nam Euchariſtia eſt Sacramentum, ac Myſterium fidei, & ſpei. Ergo non permanebit in patria, in qua nec fides, nec ſpes manebunt, ſed ſuccedent viſio, & perfecta poſſeſſio. Hanc infert conſequentiam S.Anſelmus in Teſtimonium illud ad Corinth. ex eo, quòd Euchariſtia ſit Sacramentum ſpei, *Significat finem ſaculi* (ſic ille) *quando erit Sanctorum requies, non adhuc in Sacramento ſpei, quo in hoc tempore conſociatur Eccleſia, quandiu bibitur quod de latere Chriſti manauit; ſed iam in ipſa perfectione ſalutis aterna, cùm tradetur regnum Deo, & Patri, vt in illa perſpicua contemplatione incommutabilis veritatis nullis myſteriis corporalibus egeamus.* Referuntur eadem verba ab Algero ſuprà ex S.Auguſtino, & proinde maioris erunt authoritatis, ſi fortè non ſint Anſelmi commentaria in epiſtolas Pauli. Beda etiam apud eundem Algerum ſcribit; *In hac vita lumine ſanctarum ſcripturarum, & ſacramentorum cæleſtium refectione opus habemus: in futura autem talibus non egebimus ſubſidiis; vbi iuxta Pſalmiſtam, quicumque apparuerunt cum iuſtitia, ſatiabuntur manifeſta gloria Chriſti. Quomodo enim egebimus refectione, vbi ſempiterna erit ſatietas? vel quomodo egebimus Sacramento, quod vtique oculus corporaliter videt?* Hactenus Beda.

11 In cuius vltima periodo elucet noua confirmatio. Nam ſi Chriſtus poſt iudicium aderit viſibiliter circumſcriptiuè præſens Beatis, ſuperuacuè aderit inuiſibiliter definitiuè. Hinc meritò dixit Incognitus in Pſalm. 77. verſ. 1305. *In vita beata iſto Sacramento opus non fore, quia videbimus Chriſtum, ſicuti eſt.* S. etiam Cyprianus, aut quiſquis eſt antiquus Author ſermonis de cœna Domini, *Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris, eundem ſine Sacramento manifeſtius edemus in cœlis, non miniſterio corporali ſape repetitis actionibus ad eadem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro, erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis implens & reficiens nos ſufficientia, qua proferet ſe palam abſque vllis integumentis, omnibus conſpicabilis, ſummi praſentia Sacerdotis.* Theodoretus prætereà in illud ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in anigmate, tunc autem facie ad faciem,* inquit, *Praſentia vmbra ſunt futurorum. In ſanctiſſimo enim Baptiſmo videmus figuram Reſurrectionis; tunc autem ipſam videbimus reſurrectionem. Hic videmus ſymbola Dominici corporis; illic autem ipſum Dominum videbimus. Id enim ſignificat, facie ad faciem. Videbimus autem eius, non qua ſub aſpectum non cadit, naturam, qua a nullo cerni poteſt; ſed eam, qua de nobis ſumpta eſt.* Hæc Theodoretus, in quo ſolerter caue errorem de non videnda immediatè à Beatis diuina eſſentia; ſed tantùm Chriſti glorioſa humanitate. Meliùs S. Damaſcenus, & ſine eo erroris næuo, declarat lib. 4. & cap. 14. præcitatis vocari à S. Baſilio corpus & ſanguinem Chriſti, *exemplaria futurorum,* ſub ſpeciebus panis, & vini, *non vt non exiſtentia verè corpus, & ſanguis Chriſti; ſed quoniam nunc quidem per ipſa participamus Chriſti diuinitatē, tunc autem intellectualiter per ſolam viſionem.* Circa hæc teſtimonia S. Baſilij, & Damaſceni non pigreris legere Petrum Arcudium lib. 3. concordiæ Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis in adminiſtratione Sacramentorum cap. 34. & 35. Iulium Cæſarem Bullengerum Diatribe 3. ad cap. 33. Exer. 6. Caſaubonianæ pag. 164. ac 166. Cùm ea S. Damaſceni verba adduxiſſet Cardinalis Beſſarion in opuſculo de Sacramento Euchariſtiæ, addit, *hoc idem apertius cōfirmare videtur B. Gregorius, ideò, inquiens, hac nominari figuram, quia corpore, & ſanguine Domini nunc participamus in figura panis, & vini, tunc vero eum talem, qualis vere eſt, manifeſtiſſima viſione contemplabimur.* Non abſimiliter Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 43. *Nunc quidem apparet Chriſtus, & participatur, vt ipſe voluit velis panis; tunc autem videbitur, & participabitur ſine velis, quando videbimus ipſum, ſicut eſt, quando ad cadauera conuocabit aquilas, quando ſuccingetur, & eos faciet diſcumbere, & accedens miniſtrabit ipſis.* Liceat tranſcripſiſſe Græci ſchiſmatici, cæteroquin tamen docti, vt notat Poſſeuinus, verba. Conſonat Richardus Victorinus lib. & c. 7. in Apocalypſim, inquiens, *Chriſtum omnibus electis, non ſolùm maioribus, ſed & minoribus, & in mundo, & in cælo ſemetipſum refectionem tribuere, quam videlicet refectionem Apoſtolica authoritas in mundo ad iuſtitiam, in calo exhiberi ad gloriam pradicauit. Reficit enim Chriſtus ſuos in mundo corporis, & ſanguinis ſui participatione; reficit eos in calo perpetua diuinitatis, & humanitatis ſua contemplatione.*

12 Huc reſpexit Eccleſia tum Romana, tum Græca, dum illa in feſto Corporis Chriſti erat, *Fac nos, quaſumus, Domine, diuinitatis tua ſempiterna fruitione repleri, quam pretioſi corporis, & ſanguinis tui temporalis perceptio prafigurat:* & dum hæc in quodam Paſchali hymno, & tropario canit, *Praſta nobis, vt expreſſiùs, & clariùs, & non per typos, tui participes efficiamur in die, qua veſpere caret regni tui.* Sic vertit Cardinalis Lugus diſp. 11. de Euchariſtia n. 26. qui diſp. 8. de Sacramentis n. 2. ſtatuit, fore, vt poſt diem Iudicij conſecrari non poſſit à Sacerdotibus Euchariſtia, non ſolùm ex defectu materiæ panis, & vini; ſed etiam ex defectu poteſtatis, quam ſcilicet acceperunt ſolùm ad conſecrandum in hoc mundo ante diem Iudicij; colligitque id ex Pauli teſtimonio expenſo à nobis in num. 8. vtpote communiter intellecto de inſtitutione ſacrificij Euchariſtici facta tantùm pro tempore huius mundi duraturi vſque ad conſummationem ſæculi.

13 Quartò tandem, quia, vt tradit Algerus ſuprà, *Non ſolum comparatur Sacramentum corporis Chriſti cateris Sacramentis conſignificando; ſed & in corpore Chriſti aternaliter non permanendo. Quamuis enim panis ſubſtantia mirificè, vt dictum eſt, in corpus Chriſti conuerſa eſſe dicatur; forma tamen in Sacramento remanens, non in corpore Chriſti manere perpetualiter; ſed poſt hanc vitam omnino deſinere creditur, ſicut & catera Sacramenta.* En depromptum argumentum à paritate reliquorum Sacramentorum; à quibus non eſt, cur diſcriminetur Euchariſtia. Maximè cùm Theologi doceant vniuerſim, nulla in cœlo fore Sacramenta: quia in illo omnis veritas nudè, & perfectè manifeſtabitur. Ita Alenſis apud Henriquez infrà. Ægidius Romanus 2. part. Exameron cap. 41. Capreolus in 4. diſt. 10. quæſt. 4. art. 3. ad 1. contra 2. concluſ. S. Antoninus 3. part. Summæ Theologicæ tit. 14. cap. 11. §. 4. Nyſſe, tr. 6. Reſolutionis Theologorum part. 3. quæſt. 3. in concl. 2. ſpeciatim decernens, non futuram Euchariſtiam poſt Reſurrectionem, Sotus in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 4. Viguerius in Inſtitut. cap. 16. verſ. 9 Henriquez lib. 1. de Sacramentis cap. 6. §. 8. rurſus cap. 11. §. 8. Franciſcus Amicus diſput. 3. de Sacramentis num. 1. Ludouicus Cellotius libro 1. de Hierarchia, & Hierarchis c. 8. Petrus Ribadeneyra in feſto corporis Chriſti, Auerſa 3. p. q. 61. ſect. 2. Philippus Faber, cum Scoto in 4. diſt. 1. q. 3. diſp. 4. cap. 3. num. 13. Robertus de Licio ſerm. 63. cap. 2. Petrus Cabrera 3. part. quæſt. 61. art. 4. in commentario num. 5. inquiens, eſſe certum ex fide, in

ſtatu

Digitized by Google

ſtatu patriæ non futura aliqua Sacramēta; Greg. Sair. lib. 3. de Sacr. c. 6. q. vnica cū S. Th. in 4. diſt. 1. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 4. ad 1. Argentinenſ. q. & art. 2. concl. 3. Palud. q. 3. concl. 6. probans ex Apocalypſ. 21. v. 22. vbi dicitur de Hieruſalē cœleſti, *Et templū non vidi in ea.* Si autem tēplo opus non eſt; neq; Sacramento. & præcipuè S. Thomas 3. p. q. 61. art. 4. ad 1. vbi iſthæc habet, *Sicut Dionyſius dicit in 5. cap. Eccleſiaſtica Hierarchia ſtatus noua legis medius eſt inter ſtatum veteris legis, cuius figura implentur in noua lege, & inter ſtatum gloriæ, in qua omnis nudè, & perfectè manifeſtabitur veritas. Et ideo tunc nulla erunt Sacramenta. Nunc autem quandiu per ſpeculum, & in ænigmate cognoſcimus, vt dicitur 1. ad Corint. 13. oportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna in ſpiritualia deuenire. Quod pertinet ad rationem Sacramentorum.* Hucuſque S. Thomas, cuius inſiſtens veſtigiis Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 4. n. 32. poſt animaduerſum ex Doctrina S. Dionyſij ſtatum illum medium nouæ legis, adiicit, *Ac profectò ſatis mirari fideles nunquam poterunt Sanctæ Eccleſiæ perfectionem, eiuſque gloriæ altitudinem; cum inter eam, & cæleſtem beatitudinem vnus tantùm gradus intereſſe videatur. Hoc enim nobis cum cælitibus commune eſt, vt vtrique Chriſtum Deum, & hominem præſentem habeamus: ſed quo vno gradu ab iis diſtamus, illi præſentis beata viſione perfruuntur, nos præſentem & tamen ab oculorum ſenſu remotum ſacrorum myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem firma, & conſtanti fide veneramur.*

14 Vetuſtus Author ſub nomine Euſebij Emeſeni homilia de Transfiguratione in Sabbathum poſt Dominic. 1. Quadrages. diſtinguens ex Paulo ad Hebræos 9. tria tabernacula, non ſecus ac S. Dionyſius tres ſtatus, ſcribit; *Primum Synagoga, Secundum Eccleſia, Tertium Cælum. Primum in vmbra fuit; ſecundum in figura eſt, & veritate; tertium in veritate ſola. In primo oſtenditur vita, in ſecundo datur, in tertio poſſidetur.* De quo tertio Tabernaculo paulò poſt adiicit, *Nihil eſt ibi in figura, omnia in veritate. Vnde Apoſtolus ait, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognoſco ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.* Sed & S. Ambroſij verba lib. 1. de officiis cap. 48. vti pulcherrima, ita & germana ſunt. *Hic vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælo. Antè agnus offerebatur, offerebatur vitulus; nunc Chriſtus offertur; Sed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſſionem, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos vt peccata noſtra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quaſi Aduocatus interuenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate eſt.* Ob hæc S. Thomas 3. p. q. 63. art. 5. in 3. arg. nihil in patria agendum *in figura, ſed totum in nuda veritate,* præſupponit.

15 Hæc me cogunt, vt incunctanter pronuntiem, Euchariſtiam non æternaturam in Empyreo. Abſtineo tamen à cenſura partis affirmatiuæ, vſq; dum aliorum Theologorum ad Tribunal feratur. Nam edoctus ex Lactantio lib. & cap. 7. Diuinarum Inſtitutionum, *non teneor incredibili illorum errore, qui cùm aliquam ſententiam probauerint, cæteras damnant tanquam falſas, & inanes, armántque ſe ad præliandum, nec quid defendere debeant ſcientes, nec quid refutare, incuſántque paſſim ſine delectu omnia, quæ afferunt, quicumque diſſentiunt.* Sed obſeruandum eſt, Origenem Homilia 14. in Lucam putare, *quòd & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante; nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit.* Id verò fallaciſſimum eſt, & longè diuerſum à permanentia Sacramenti Euchariſtiæ, in ſanctiſſimis Regiæ Empyreæ penetralibus; ſuſpicatúrque P. Suarez tomo 4. in 3. p. diſp. 46. ſect. 4. n. 2. irrepſiſſe mendosè, aut ſuppoſititiè in Origenem.

SECTIO III.

Occurritur dubitandi rationibus.

16 AD primam, & ſecundam reſpondetur, inefficaces eſſe congruentias illas, quandoquidem conſeruatio Crucis, & vulnerum non ſit contra ſacras Litteras, & Patres, quinimò vtriſque ſit conformis; conſeruatio autem Euchariſtiæ videatur eſſe contra Scripturæ, & Patrum effata. Quòd ſi congruentiis ſolis res ſimiles definiendæ forent, cur non dicas, æternaturum præſepe, in quo natus Chriſtus iacuit?

17 Ad tertiam reſpondetur, Suaderi potiùs negatiuam partem ex figurata Euchariſtia in Manna. Do aurea verba P. Barradæ tomo 4. in Euangelia lib. 3. cap. 8. *Nocte deſcendebat in Caſtra Manna Hebræorum; ſic in hoc ſtatu fidei, in quo velut per caliginem noctis multis fulgentibus ſyderibus Deum videmus, in caſtra Eccleſiæ manna deſcendit Chriſtianorum. Poſtquam in terram promiſſam ingreſſus eſt populus Hebræus, manna ex cœlo minimè deſcendit; eundem in modum poſtquam in cæleſtem patriam fuerit intromiſſus populus Chriſtianus, cæleſtis Sacramenti manna minimè deſcendet. Nec manna typicum populo Hebræo dabatur Sabbatho; nec manna verum populo Chriſtiano dabitur, cum æternum Sabbathū, ideſt, æterna requies aduenerit.* Hactenus Barradas, quem ſi vltra percurras oculis in lib. 10. Itinerarij filiorum Iſrael cap. 20. n. 4. ages mihi gratias ob præmonſtratum locum. Eiuſdem ſunt ſaporis, quæ ſcribunt Hugo Victorinus in ſpeculo Eccleſiæ, cap. 7. (videndus etiam pro noſtra ſententia in ſumma ſententiarum tract. 6. cap. 2.) Diſcipulus ſerm. 2. in feſto corporis Chriſti, Card. Ioannes Vitalis in Speculo morali totius ſacræ ſcripturæ, verb. Euchariſtia, fol. 89. apud Serarium in cap. 5. Ioſue q. 36. & apud Barradam Tuitienſis Abbas, Rupertus, S. Bernardinus Senenſis, tomo 3. in Seraphico Quadrageſimali ſerm. 44. contemplatione 1. pag. 394. tomo etiam 4. ſerm. de Euchariſtiæ ſacramento art. 1. cap. 3. pag. 76. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib. 5. cap. 45. Finus Hadrianus apud Lorinum infrà. Salmeron tomo 5. tract. 50. pag. 406. Viegas in cap. 2. Apocalypſis Comment. 3. ſect. 4. n. 2. & 7. Pereyra in 6. Ioannis diſp. 15. Salianus anno Mundi 1244. n. 315. Thomas Bozins de ſignis Eccleſiæ lib. 13. cap. 7. Carthagena homilia 12. de Euchariſtia, Malonius cap. 15. de Ieſu Chriſti Crucifixi ſtigmatibus. Eſtius in cap. 5. Exodi v. 12. Marius, & Cornelius in cap. 16. Exodi v. 13. Bartholomæus Iaquinotius in Chriſtiano ad aras cap. 10. n. 2. Coſmas Magallanes in cap. 5. Ioſue ſect. 2. annotat. 24. n. 10. Lorinus in cap. 11. Numer. v. 7. Nec aſſeruatum manna in arca, aut prope arcam adumbratio fuit cuſtodiendæ in cælo Euchariſtiæ; ſiquidem illud ideò fuit aſſeruatum, quia Hebræi aliter obliuiſcerentur Cæleſtis cibi accepti in deſerto: Euchariſtiæ autem, quâ in via ſaginantur Chriſtiani, non poterunt obliuiſci in cœlo, vt ſpeciatim notat Maximilianus Sandæus in Theologia ſymbolica

Digitized by Google

lica lib.4. commentatione 3. pag. 478. etiamſi ea ibi non adſit.

18 Ad quartam reſpondetur, ſatis eſſe, ſi conſeruetur corpus Chriſti viſibile; quod inuiſibile ſub ſpeciebus Sacramentalibus eſt noſtræ reſurrectionis, & immortalitatis cauſa. Quà attinet ad Coſmam Hieroſolymitanum, ideò vocauit Euchariſtiam *immortalem menſam*, vel quia continet immortale Chriſti corpus; vel quia eſt cauſa reſurrectionis, & immortalitatis. Quà verò attinet ad S. Odonem, ideo deprædicat, Euchariſtiam duraturam in æuum, quia non ceſſabit vſque ad mundi conſummationem. Illa namque, quæ in longum tempus durabunt, etſi finem ſint habitura, permanere in æuum, & in æternum dicuntur tam apud ſacras, quàm apud prophanas litteras, vt iam attigimus in Exercit.3. ſect.1. Videantur S. Auguſtinus lib.1. quæſtionum ſuper Geneſim quæſt. 31. verſ. Petrus Cluniacenſis Abbas in tract. contra Iudeos, Poſtilla Thomæ in verſ.5. cap.13. Geneſeos.

19 Ad quintam, admiſſo Chriſtum tunc porrexiſſe Euchariſtiam, & vnà cum duobus Diſcipulis eam ſumpſiſſe; quorum primum pro virili defenditur à Maldonato, & ſecundum videtur quidem veriſimile: Reſpondetur, ſpecies Sacramentales fuiſſe vel conſumptas, vel expulſas ſubitò, vel tandiu intra ſtomachum retentas, quandiù durarent in corpore, quod ſe vegetaret, & nutriret, & poſteà deſtructas, expulſaſve, ſuccedentibus extrà ſubſtantiis ipſarum propriis. Adi Suarium tomo 2. in 3.part. diſp.43.ſect.5. Adi etiam expoſitionem SS. PP. Baſilij, & Gregorij Theologi de Sancta, & orthodoxa fide apud Henricum Caniſium tomo 5. lectionis antiquæ parte 1. pag.179. vbi ſingularia hæc adnotaui, *Cibus verò, quem ſumpſit coram diſcipulis, ſi quis quærat, quò abierit? Reſpondemus, ſicut cera appropinquans igni liqueſit, ſic cibus ille adhibitus carni incorruptibili.* Confirmatio ex S.Mechildi, ſi ad rem faceret, probaret, Beatos, poſt corporum reſurrectionem, ſumpturos ore Euchariſtiam, quod vt abſurdum, & incredibile reiicitur à S.Auguſtino in ſermone ſuper orationem Dominicam, qui eſt 9. de Diuerſis: & Eccleſia innuit oppoſitum in oratione exarata num.12. dum *perceptionem corporis, & ſanguinis* Chriſti vocat *temporalem.* Certè viſio illa, vt & non abſimiles aliæ, de quibus Cornelius in cap.8. Apocal.verſ.4. fuit imaginaria, cùm multi ex cœlicolis viſis à Sancta Mechildi careant corporibus. Adde, explicari poſſe non ſecùs, ac à Philippo Abbate cap. 22. de ſalute primi hominis, S. Laurentio Iuſtiniano ſermone de Euchariſtia, S.Bernardo ſerm.33. in Cantica, & à S.Thoma 3.p. quæſt.80. art.2. in corpore declaratur, qua ratione Angeli, & animæ beatæ in cœlo dicuntur manducare ſpiritualiter Chriſtum, *prout in ſua ſpecie conſiſtit, ſcilicet inquantum ei vniuntur fruitione Charitatis perfectæ, & viſione manifeſta.* S.Gertrudis Manſfeldenſis, vt ipſa narrat lib.4. inſinuationum diuinę pietatis cap.62.audiuit aliquando Miſſam in cœlo, *& ineffabili vnione ipſam etiam ſpiritualiter ſanctiſſimi corporis, & ſanguinis ſui perceptione ſibi counivit Chriſtus.* Sed quemadmodùm auditio Miſſæ imaginaria habenda eſt, ſic etiam communio. Clariſſima Virgo Marina de Eſcobar vidit agi in Hieruſalem Cœleſti proceſſionem corporis Chriſti inſtar eius, quæ annuè apud nos fit: Didicit tamen à Chriſto, ſuum ibi corpus ſub ſpeciebus panis non deferri. Sic tradit Venerabilis P. Ludouicus de la Puente in vita eiuſdem Marinæ nõdum edita lib.2. cap. 28. §. 3. Conſentaneè ad præfatam viſionem accipiendæ ſunt aliæ, de quibus P.Andreas Pintus Ramirez in 2.parte M.S. illius vitæ lib.1. cap. 46. Sed earum omnium probata authoritas pendet ex integerrimo examine Apoſtolicæ Sedis.

20 Exemplum à me propoſitum in n. 6. de arca veteris Teſtamenti non modicum faceſſet negotium iis, qui luſtrationem, & innouationem orbis putant, fore ante vniuerſale iudicium, & proinde hoc tranſacto nihil poſteà deſtruendum. Etenim illam manifeſtandam poſt reſurrectionem mortuorum inſinuant Dorothęus in ſynopſi, S.Epiphanius in vita Hieremiæ, Et Ioſephus filius Gorionis lib.1. c. 17. Sed & Mendoza conatur colligere id ipſum ex lib.& c.2. Machab. v.7. ac 8.& ex Apocal. c.11. v.19. Aſt præter Mendozam nemo alius, quem viderim, cogitat, apparituram, niſi Antichriſti tempore. Fateor, Dorothæum, & S.Epiph. dicere, *In die reſurrectionis, in reſurrectione arcam primò reſurrecturam, prodituràmque ex ſaxo.* Subiungunt tamen nonnulla, quibus indicant, ſumi à ſe reſurrectionis diem aliqua cum latitudine, videlicet pro tempore Antichriſti, inter cuius mortem, & reſurrectionem generalem non erit multum interualli. Nam Dorothæus ait, *Congregandos ad arcam omnes ſanctos expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occiſuros eum venientem ad hanc petram.* Et S. Epiphanius, *omnes ſanctos ad arcam confluxuros, vt illic ſuſcipiant Dominum, & vitent inimicum, qui perdere illos affectabat.* Apocalyp.locus c.11. v.19. *Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca Teſtamenti eius in templo eius,* intelligitur quidem à P.Ioan.Fernandez in theſauro diuinarum Scripturarum Verbo *Arca* n.8. de arca materiali; ſed à pleriſque de myſtica humanitatis Chriſti, vel Deiparæ Virginis, vel collectionis omnium Sanctorum. Et quamuis de materiali intelligeretur, non conuincitur ex contextu, eius apparitionem fore in extremo die Mathematicè ſumpto. Locus ex lib.& c.2.Machab.v.7. in quo dicitur, ignotum fore arcæ conditorium, *donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat,* non eſt, cur debeat accipi de perfectiſſima omnium prædeſtinatorum congregatione, quę iuxta Mathæum c.24.v.31. per Angelos fiet; ſatis eſſet, ſi acciperetur de alia minus perfecta electorum, propter quos *breuiabuntur dies illi* ſecundùm eundem Euang.c.24.v.22. Imò Melchior Canus lib.2. de locis Theologicis c.11. Ribera in cap.1. Aggæi n.15. licèt non omnino tenaciter, Gaſpar Sanch. in Machab. Torniellus, & Salianus in Annalibus veteris Teſtamenti, ille anno Mundi 3610. à n.14. hic proximè præcedente anno à n. 82. ſolidè, & doctè comprobant, intelligendum de congregatione Iudæorum, inuentionéque arcæ tempore Nehemiæ poſt reditum è Chaldæa; nec permouentur Patrum, quos adduximus, authoritate. Prodibunt breuiter in lucē erudititiſſima P.Petri Redani in libros Machab. Commentaria, vbi de tota hac re Author amicitia, & contubernio multorum annorum mihi coniunctiſſimus agit perquàm diligenter. Sed adhuc permiſſa comparatione Arcæ, ſiue ante, ſiue poſt reſurrectionem, Quid de illa fiet, ſubiicetur à Mendoza, & ego non auderem aſſeuerare, eam in Empyreo conſeruandam.

21 Nihilominus ſiquis ampliùs auderet, poſſet aſſignare diſcrimen inter ipſam, & Euchariſtiam, petitum ex rationibus, quibus huius conſeruationem repudiaui, exinde maximè, quòd præſente Chriſto circumſcriptiuè, & viſibili immediatè eius humanitate à beatorum hominum cætu, adſtituatur inutiliter pro eis in Empyreo Sacramentum

Euchariſtiæ

Digitized by Google

Euchariſtiæ. Quippe (vt aliorſum intendens S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. contra Iulianum ait) *Omnibus manifeſtum eſt, quod aſſumptum eſt ad typũ alterius, non propter ſe ipſum ſit, ſed vt inferat ipſum ſpectantibus quandam futuri præmonſtrationem. Cum autem videtur veritas, ſuperfluus eſt typus, & inutile, quod illam ante prædixit.* Cum ergo ſpecies panis, & vini occultantes nunc Chriſti corpus, & ſanguinem ſignificent per modum ſymboli, & typi idem corpus, & eundem ſanguinem conſpiciendum in ſe ipſo reuelata, ac manifeſta ſpecie à cælitibus, vanè, & incaſſùm ad Empyream Regiam ſpecies illæ perpetuò duraturæ transferentur: Vbi *ſancta hæc non percipiemus myſteria, ad perfectiorem, magiſque myſticam viuendi normam, fruitionémque admiſſi*, Vt ex Photio tranſcribit Oecumenius in 1. ad Corint. 11. verſ. 26. Ideóque Eccleſia in Miſſa Sabbati quatuor Temporum Septembris ita orat ad Deum, *Perficiant in nobis, Domine, quæſumus, tua Sacramenta, quod continent, vt quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus.* In quibus verbis, Interprete Gregorio Magno Can. 33. *ſpecies, & ſimilitudo*, De conſecratione, diſt. 2. poſtulatur, *vt corpus Chriſti, quod ſub ſpecie panis, & vini nunc geritur, manifeſta viſione, ſicut re vera eſt, quandoque capiatur.* Petrus Cellenſis lib. de panibus cap. 1. inſiſtens eidem doctrinæ inquit, *famelicis quidem extra velum eſurientibus menſam, & panes in menſa, (de qua conueſcens aſcendit in cœlum) miſericors, & miſerator Dominus reliquit, & dedit eſcam timentibus ſe. Sanguinis partem nihilominus ad bibendum in crateris ſacramentalibus, amicis, & imitatoribus ſuis repoſuit. Partem iterùm in pretium noſtræ liberationis tam Patri, quàm creditori hoſti piè, & iuſtè ſoluit. Corpori ſuo, quod eſt Eccleſia, extra velum excubias agenti, donec Lucifer oriatur, parauit menſam, ne deficiat in via; candelabrum, ne exorbites a via.* Item Cellenſis lib. 3. epiſt. 2. *Animam conſortem naturæ, & gloriæ cæleſtium ſpirituum homo Chriſtus nutriet, non ſicut nunc in vmbra Sacramenti obumbratæ veritate; ſed in declaratione veritatis, & in detectione reſerati per clauem Dauid myſterij de menſa corporis, & de vino pretioſi ſanguinis.* Sic Cellenſis. Euolue, ſi placet, S. Bonau. in c. 16. Sap. Authorem Speculi c. 27. inter opera S. Auguſtini, Ioannem Ruſbrochium in Speculo æternæ ſalutis cap. 9. Albertum Magnum cap. 4. de Sacramento altaris, qui Tractatus eſt 58. inter opuſcula S. Thomæ; ſed Petrus de Pruſia in vita Alberti Magni c. 20. Cardinalis Turrecremata ibidem citatus vero parenti Alberto reſtituunt, vt & Flaminius in eiuſdem vita. Vide etiam cæleſtis ſapientiæ prodigium Sanctiſſimam Virginem Thereſiam in via perfectionis, vbi ad c. 34. explicans illud Lucæ 11. v. 3. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ſcribit poſt præmiſſam interpretationem de Euchariſtia, *Quod dicatur Hodiè, videtur mihi idem eſſe, ac in vnum diem, id eſt quandiu mũdus durauerit, & non ampliùs.* Quæ aduerbij *Hodie* acceptio peculiariſſima eſt, & in Patribus, ac Interpretibus nuſquam mihi viſa, etſi valde commune ſit intelligere petitionem illam in ſenſu etiam litterali de ſacra Euchariſtia, illuſtrátque impenſiùs, quàm alij, quos legerim, P. Franciſcus Ribera, vir diuinis litteris exponendis eximiè induſtrius, in Commentariis ad ſex priora Mathæi capita excultiſſimis M.S.S. aſſeruatis in Bibliotheca Salmanticenſis Collegij Societatis Noſtræ; vnáque probat, admitti debere ſenſum alium litteralem, ſed minus præcipuum, de pane corporali, citatis multis Patribus ad vtriuſque ſenſus authoritatem.

EXERCITATIO VIGESIMAQVINTA.

An Chriſti Domini Crux, & alia Paſſionis inſtrumenta ſint in Empyreo conſeruanda poſt magni Iudicij diem?

EX cap. 24 Mathæi verſ. 30. conſtat, adueniente Iudice vniuerſali appariturum *ſignum filij hominis in cœlo*: illud autem ſignum fore, non quidem corpus Chriſti, vt Author Imperfecti in Math. interpretatur homilia 49. ſed triumphalem Crucem ſentiunt communiter Catholici edocti ab Eccleſia, dum in officio Exaltationis Sanctæ Crucis canit, *Hoc ſignum Crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Fatetúrque Zaga Zabo Epiſcopus Æthiops ex conſenſu Eccleſiæ Æthiopicæ, *venturum cum gloria Chriſtum ferendo ante faciem ſuam Crucem.* Sic apud Damianum Goes, lib. de Æthiopum moribus. Quare reſtant examinanda, quæ ſequuntur.

SECTIO I.

An Crux ipſa, in qua Chriſtus obiit, manifeſtanda ſit in magni Iudicij die?

1 ITa indicant plures. Sybilla in lib. 6.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit!
Nec te terra capit; ſed cœli tecta videbis,
Cum reuelata Dei facies ignita micabit.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 13. illuminatorum, *Trophæum IESV ſalutare, Crux cum IESV apparebit in cœlo: præcedet enim Regis trophæum, vt videant, quem pupugerunt, & à Cruce agnoſcant, quem contempſerunt.* Rurſus in Catecheſi 15. *Sed quod tandem aduentus illius ſignum eſt, quod non audeat virtus contraria imitari? Et tunc inquit, apparebit ſignũ filij hominis in cœlo; ſignum autem verũ, & proprium Chriſti eſt Crux. Lucidum Crucis ſignũ præcedens Regem, atque demonſtrans eum, qui priùs fuerat Crucifixus.* S. Ephræm lib. de vera pœnitentia

cap.3. *Sancta Crux rurſus in conſummatione ſaculi, cùm ſecundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus cum gloria ingenti & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cœlo; inimicos quidem terrens, ac vexans; fideles autem illuminans, atque latificans; aduentúmque cœleſtis Imperatoris annuntians.* Iterùm in cap.4. *Cùm viderimus ſignum filij hominis, pretioſam, ſcilicet, ac viuificam Crucem in calo lucentem, & omnes fines orbis terra vltrà Solis claritatem illuſtrantem. Vbi verò viderint omnes regium illud, ac tremendum ſceptrum in cœlo reuelari, iam tunc agnoſcent ſinguli, continuò ipſum quoque Regem reuelandum, qui in illo clauis affixus eſt.* Hæc ex S.Ephrem tranſcribuntur à Valentia, & Grethſero infrà. Similia alia habet in tractatu de apparitione Crucis tempore Iudicij, Interprete Gerardo Voſſio tom.1. pag.228.& 229.necnon ſermone in pretioſam,& viuificam Crucem tom.3. pag.701.

2 Pergo ad alios Patres. Sanctus Chryſoſtomus in Math. cap.13. homil.55. *Tunc* (nempe *quando in ſua maieſtate veniet Chriſtus*) *ſignum hoc ſuper radios Solis coruſcans ante Chriſtum videbis. Pracedet enim tunc profectò Crux magnam vocem aſpectu emittens, & ad vniuerſos homines pro Domino reſpondens, atque oſtendens, nihil ex parte Domini defuiſſe.* Rurſus homilia 77. in cap.24. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, hoc eſt, Crux ipſa, Crux enim Sole fulgentior videbitur; obſcuratur enim Sol, Crux apparet, quod fieri non poſſet, niſi ſolares radios ſplendore ſuperaret.* Item homiliâ de Cruce, & Latrone, *Sicut Imperatorem Regalis pompa pracedit, & militaris ordo praeundo vexilla humeris portare conſueuerunt, & his eius declaratur aduentus: ſic Domino de calo aduemiente Angelorum catus, & Archangelorum multitudo illud ſignum portant humeris excelſis, & Regalem nobis aduentum nuntiant.* Et paulò anteà dixerat, *Crucem ſolam non reliquit in terra; ſed ſecum eam leuauit ad cœlum::: Et ideò cum ipſa veniet, cum ipſa ſecundam ſuam praſentiam gloriam faciet.* Inſiſtere tanto Doctori quoad extrema hæc verba ſanctus Paulinus carmine 26. in fragmentis. Natalis 11. modulans de Chriſto aſcendente in cœlum,

Vexillúmque Crucis ſuper omnia ſydera fixit.
Corporeum ſtatuit cœleſti in ſede trophaum.

Et Hugo Victorinus lib.2. de arca materiali cap.8. loquens de Hieruſalem cœleſti, *Ibi vexillum Crucis in ſublimi luce, luce roſea micans, hoſtes terret, & amicos confortat.* Si mirum tibi videatur, quomodò ſignum Crucis leuatum iam ſit ad cœlum, ſitque fixum ſuper omnia ſydera, audi Heribertum Roſvueidum in annotatione ad Paulinum, *Sanè cum Chryſoſtomus, & Paulinus aliis locis Crucis in terra exiſtentis meminerint, omnino dicendum ex eius, Pauliníque ſententia factum dici, quod iam ab aterno deſtinatum erat; vel certè nouo miraculo replicatio Crucis admittenda eſſet.* Grethſerus loco infra citando addit, dictum eſſe *oratorio modo ob ingentem Crucis gloriam, qua toto terrarum orbe refulget*: Remigius Autiſiodorenſis allegans S.Chryſoſtomum inquit in 3. Ioëlis caput, *Angeli deferent ante eum* (Chriſtum nempe ad iudicium venientem) *ſignum Crucis.* In cap. etiam 12. Zachariæ repetit, *Cùm Chriſtus in maieſtate venerit, & ſtigmata Paſſionis in corpore ſuo oſtenderit omnibus, ipſámque Crucem manibus Angelicis deportandam ab omni mundo videri fecerit, &c.* Petrus Damiani ſermone 48. & 2. de Exaltatione ſanctæ Crucis, *In tremendi examinis die beata Crux vlnis deuehitur Angelorum, & ante omnium ponitur ora mortalium; non auro iam, vel gemmis ornata, ſed radiantior erit Sole, vel ſtellis virtute diuina.* S. Iulianus lib. 3. Prognoſtici cap.5. tranſcribit, & approbat Chryſoſtomi verba. Quæ etiam extant in S.Auguſt. ſerm. 130. de tempore. Fauent Pantaleon Presbyter, Theophanes Cerameus orationibus in Exaltationem S. Crucis, Zacharias Chryſopolitanus in vnum ex quatuor capite 145. ac 177. Philippus Solitarius lib.4. Dioptræ cap.20. S.Eliſabeth Schonaugienſis lib.2. viſionum cap.8. S.Brigitta in reuelationibus extrauagantibus cap.106.

3 Inter Authores non adeò antiquos aſſerunt expreſsè Alenſis 3.p.ſum.q.25.memb.1.art.3. Guilielmus de Rubione in 4.diſt.47.q.4.v.*quantum ad* 1. Richard.in eiuſdem 4.diſt.48. Vualdenſis tom.3.de ſacramentalibus tit.20.c.158. Viguerius c.21.Inſtit. §.2.v.6. Buſtus 1.p.Roſarij ſerm.9. Petrus de Palude Dominica 2. Aduentus, enarratione 5. Echius homiliâ 2. in Dominica 2. Aduentus, & homil.8. de S.Michaële, Martinus Garcia Epiſcopus Barcinonenſis ſer.134. Henriq.lib.vltimo de fine hominis c.24.§.6. Viegas in c.1.Apocalypſ.comment.1. ſect.17.n.5. Lorinus in 2.Petri c.2.v.10. Cornelius in Apoc.c.22.v.2.& in c.24. Math. v.30. Adamus Contzēt in poſteriorem locum q.1.§.2. Grethſerus tomo, & lib.1. de Cruce c.92. Roſuueidus ſuprà Granad. 2.p.contr.13. de Nouiſſimis tr.4. diſp.3. à n.9. Mendoza adductus n. 6. præcedentis Exercit. affirmans in ſect.1. n. 6. expreſſum id eſſe à Dorothæo, & S.Epiphanio. Fides ſit apud ipſum.

4 Probabiliter ſatis dici, fatentur Valentia tom.4. diſp.11.q.4.p.1. Suar.tom.1.in 3.p.diſp.56. ſect.2. tomo etiam 2.diſp.57.ſect.2. Bellarm.lib.2.de Sanctorum imaginibus c.28. Vaſq.lib.3.de adoratione c.4.n.62. Thyræus de glorioſa apparitione filij Dei c.6.à n.5. Barradas tom.3. in Euang. lib.9. cap.12. Tannerus 3.p.diſp.2.q.4 dub.3. n.99. Nierembergius lib.8.de origine ſacræ Scripturæ c.34. Tirinus, & Alfonſus Auendañus in c.24. Math. v.30. Duvallius in Tractatu de quatuor Nouiſſimis quæſt.& a.4.pag.603. Eſcobar volumine 5.in Euang.Temporis pag.157. Iacobus Boſſius lib.6. de Triumphante Cruce c.18. Magallanes lib. 3. in Cantica Moſis,& benedictiones Patriarcharum ſect.5.annotatione 2. n.57. & in cap.8. Ioſue ſect.1. annotatione 7. n.19. Superſedeo à reportandis rationibus pro pia hac cogitatione tot Patrum,& Authorum, tum quia apud ipſos ſunt præ oculis, tum quia ex ſectione ſequenti eluceſcent nonnullæ.

5 Grethſerus ait, S. Chryſoſtomum arbitrari in poſtremo loco ſuprà exarato, & apertiùs in oratione ad eos, qui ſcandalizantur ærumnis, geſtandam Crucem ab ipſomet Chriſto veniente ad Iudicium. Echius, & Viegas, quos ſequitur Naueus lib.4. Chronici apparitionum, & geſtorum S.Michaëlis cap. 30. & Eſcobar ſuprà, ſentiunt, portandam Crucem à S.Michaële, vt quem Eccleſia appellet *Signiferum* Chriſti, & Pantaleon *Vexilliferum*, Nierembergius in lib.de deuotione,& patrocinio S.Michaëlis c.12.13.ac 16.conſentit,& coniecturā affert, quia ſæpè apparuit S,Michaël cum ſigno Crucis.

SECTIO II.

Statuitur, ipſam Crucem, in qua Chriſtus obiit, conſeruandam in Empyreo poſt magni Iudicij diem.

6 P. Suarez in poſteriori loco præcitato, verſ. *Hac ſententia*, refert, non deeſſe, qui exiſtimēt, ipſam

Digitized by Google

ipſam Crucem, in qua mortuus eſt humani generis Vindex, conſeruandam eſſe perpetuò in cœlo, *veluti immutatam ad ſtatum incorruptibilitatis corporum glorioſorum, eo quòd ſpeciali modo fuerit noſtræ redemptionis inſtrumentum, & altare, quo Chriſtus ſeipſum in ſacrificium obtulit.* Placuerunt hæc Maluendæ in commentario de Paradiſo cap. 92. Franciſco Eſcriba tract. de Iudicio cap. 33. Serario in 2. S. Petri cap. 3. quæſtiuncula, & propoſitione 2. Nierembergio, Viegæ, Lorino, Cornelio, Roſuueido, Henriquez, & Granado ſuprà, ex quibus hic numer. 12. ait, id planè colligi ex S. Chryſoſtomo, & Sybillinis carminibus.

7 Ego inuenio Alenſem addubitantem ſuprà, *Quia nihil hîc debet temerè definiri, cùm Sancti ſupponant diuerſa. Nam ſecundùm quoſdam ſi corpora immutabuntur, vt elementa, quæ corruptibilia ſunt, & corpora cœleſtia, multò fortiùs videtur, quòd illud, quod fuit inſtrumentum noſtræ redemptionis, quod profectò fuit Crux. Vnde per hoc datur intelligi, quòd ipſa Crux in illa luce apparebit, de qua dicit Chryſoſtomus, quòd lucentior erit ſolaribus radiis, & quòd etiam in illa remanebit, ſicut alia corpora & elementa, quæ corruptibilia ſunt de ſui natura, cùm iſtud corpus fuerit noſtræ redemptionis inſtrumentum. Vnde per hoc habet quandam dignitatem, ex qua videtur habere congruentiam ad permanendum, ſicut illa. Poſſet dici tamen, quòd ſicut Chriſtus in Transfiguratione oſtendit quandam claritatem, manente adhuc corpore ſuo mortali: ita poſſet ibi oſtendere claritatem in Cruce, manente tali corpore corruptibili; & ſic poſt talem oſtenſionem non oporteret, quòd remaneret. Non tamen eſt definita ſententia à Sanctis, ideò nec hic nos definire volumus.* Hactenus Doctor Irrefragabilis.

8 Inuenio etiam Buſtum dicentem ſuprà, ſe cenſere, *ſalua meliori opinione, Crucem in perpetuum duraturam, vt in æternum appareat ſignum victoriæ Chriſti atque eius miſericordiæ, ac Iuſtitiæ.* Præterea Petrum de Palude affirmantem, manſuram in cœlo clariorem Sole, Nicolaum de Orbellis cum Richardo in 4. diſp. 48. aſſerentem idipſum. Anne innuitur à S. Hieronymo in cap. 55. Iſaiæ, dum in fine inquit, *Signum filij hominis non deficiet, nec vllo fine mutabitur; ſed de præſenti conuerſatione tranſiet in futurum.*

9 Et quidem ſi ad iudicium redintegranda eſt Crux, vt in ſectione anteriori muniui ſatis, non apparet iuſta ratio, ob quam ſit poſteà deſtruenda; præſertim cùm ea poſſit eſſe inſigne monumentum victoriæ reportatæ à Chriſto ex hoſtibus; & magna Beatis occaſio lætitiæ, cùm viderint ſuæ redemptionis inſtrumentum, & regni cœleſtis clauem. Quòd ſi Deus iam olim adeò prouidit conſeruationi Crucis, religioníque erga eam, minutiſſimas in partes diuiſam, multiplicando ipſam miraculosè, aut diuerſis, diſſitíſque locis replicando, per vniuerſum ferè orbem, vt Patres apud Gretſerum tomo, & lib. 1. de Cruce cap. 77. deprædicant, quid mirum æternitate donet? Præſumit Poëticè Iuuencus Preſbyter Salmanticenſis præfatione ad Hiſtoriam Euangelicam, fore, vt æternent ſua carmina immunia ab incendio, & conflagratione orbis, quia de Chriſti vitalibus geſtis concinnata,

Quòd ſi tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum geſtis hominum mendacia nectunt;
Nobis certa fides, æterna in ſecula laudis
Immortale decus tribuet, meritúmque rependet.
Nam mihi carmen erunt Chriſti vitalia geſta,
Diuinum in populis falſi ſine crimine donum.
Nec metus, vt mundi rapiant incendia ſecum
Hoc opus: hoc etenim forſan me ſubtrahet igni,
Tunc, cum flammiuoma deſcendet nube coruſcans
Iudex altithroni Genitoris gloria Chriſtus.

Quid ni ego piè præſumam, liberandam ab extrema combuſtione Crucem, & in æternum permanſuram? Rurſus, ſi Crucis effigiem cœlo ſemper infixam fore, vt Beatos ſuos recreet adſpectu, perſuaſit ſibi Paulus Palatius relatus à Barrada: nonne magis recreabit ipſamet Crux? Denique ſi in frontibus Beatorum impreſſum fore ſignum Crucis, non renuunt admittere Andreas Cæſarienſis, Alexander Alenſis, Martinus Garcia, Echius, Salmeron, Cornelius, & Tirinus in cap. 9. Ezechielis v. 4. vt illuſtri hoc ſtigmate notati teſtentur, poſſideri à ſe cœlum merito Crucis; non video, cur ego recuſem concedere, ipſammet Crucem perennaturam in Empyreo.

SECTIO III.

Paſſionis Dominicæ alia inſtrumenta conſeruanda in Empyreo poſt magni Iudicij diem firmo caret fundamento.

10 PEtrus Comeſtor in hiſtoria Euangelica c. 141. ait, *ante eum* (id eſt Chriſtum venientem ad iudicandum) *erunt inſtrumenta mortis ſuæ, quaſi vexilla triumphi, Crux, claui, lancea.* S. Thomas in 1. p. opuſculi 2. compendij Theologici cap. 244. ſcribit, *veniente Domino ad Iudicium, ſignum Crucis, & alia paſſionis indicia demonſtranda.* τὸ *indicia*, idem eſt, ac inſignia. Henriquez ſuprà, in Gloſſa ad §. 6. littera *F.* intelligit Angelicum Doctorem de Paſſionis indiciis, quæ ſint vulnerum loca aperta, ſeu de cicatricibus clauorum, & lanceæ in Chriſti corpore. Alij communiter intelligunt de inſtrumentis Dominicæ Paſſionis, vt de clauis, lancea, corona, flagellis, nam de prioribus indiciis habuit ſermonem cap. 241. Et in eodem ſenſu dixerat Vincentius Bellouacenſis antiquior S. Thoma in ſpeculo hiſtoriali lib. 31. cap. 98. *Erunt coram eo quaſi triumphi vexilla, ſuæ mortis inſtrumenta, videlicet Crux, & claui, & lancea.* Imò S. Hippolytus in oratione de conſummatione mundi denotat, ipſum Chriſti caput redimiendum tunc ſpinis. Sic percipiuntur à Suario tom. 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 2. v. vltimo verba iſthæc S. Hippolyti, *videbit populus Hebræorum illum* (nimirùm Chriſtum Dominum) *in figura humana, quemadmodum illis ex S. Virgine apparuit, & ſicuti crucifixerunt eum: ac oſtendet eis manuum, pedúmque clauos, latus ſuum lancea perforatum, caput coronatum ſpinis, ac pretioſam Crucem.* Verumtamen alius exponet de capite non tunc cingendo ſpinis, ſed quod in Paſſione fuit eis coronatum. Verba illa *Ac pretioſam Crucem* præbent aliqualem facultatem annumerandi Patribus recenſis in ſect. 1. S. Hippolytum. Nam licèt anteà ſcripſiſſet, *Orietur ab Oriente ad Occidentem vſque, ſignum Crucis ſuperantis ſplendorem Solis, denuntians aduentum, & apparitionem iudicis, vt reddat cuique ſecundùm opera ſua,* poteſt conciliari, quatenus primò ſit appariturа Crux aërea aliquot ante Iudicium dies, & poſteà Crux lignea reſtaurata deportetur in ſummi Imperatoris præſentia.

11 Paſſionis Chriſti Seruatoris inſtrumenta præfata deferenda in die Iudicij, tradunt præter citatos S. Bernardinus Senenſis tom. 3. ſermon. 16. ex extraordi

Digitized by Google

extraordinariis art.1.pag.513. Petrus Cluniacenſis Rithmo in laudem Saluatoris, Petrus Equilinus in catalogo Sanctorum lib.1. cap. 2. Ioannes Vitalis in ſpeculo morali totius ſacræ Scripturæ, tit.de extremo iudicio, fol. 237. Lyra in Matth. 24. v.30. VVendelinus in 4. diſt.42.q.1.art.3.dub.1. Ludolfus de Saxonia in vita Chriſti part.2.cap.43. & 86. Arboreus in Marc.13. v. 25. Diſcipulus ſerm. 3. in Dominica 2.Aduentus, Echius homil. 8. de S.Michaële, Salmeron tom.4. part.3. tract.40. pag.886. inquiens, *id credi à Sanctis Eccleſia Doctoribus*, Laurentius Cuperus de quatuor hominum Nouiſſimis concione 11. Antonius Zara in Anatomia Ingeniorum ſect.4. membr.12. pag. 582. Coſmas Magallanes lib.3.in Cantica Moſis, & benedictiones Patriarcharum ſect.5. annotatione 2. num. 57. Nierembergius cap.16.de deuotione,& patrocinio S.Michaëlis, Eſcobar volum.5.in Euangelia Temporis pag.158. Vaſconcellius lib. 2. de Angelo cuſtode cap.6.parte, ac n.4. Tannerus 3.p.diſp.2.q.4. dub.3.n.101.Tirinus in cap.24.Matth.v.30. Bonacina 3.p.diſp.3.q.5.punct.2.§.5. propoſitione vnic. n.7. qui tres Authores aiunt, non eſſe incredibile: & Suarez in fine ſectionis illius 2. fatetur,conſiderari poſſe ſine errore,vel temeritate. *Nam licet reuelatum non ſit,non eſt tamē contrarium reuelatis,neque aliquid minus decens,aut rationi contrarium continet.*

12 Non hîc ſiſtunt Viguerius, & Buſtus; ſed addunt, *ipſa inſtrumenta Paſſionis reformata portanda in Iudicio per Angelos, vel per aliquem Sanctorum de ordine Angelorum.* Indicant idipſum Petrus de Palude enarratione 5. in Dominicam 2. Aduentus, Echius homil. 2. in eandem Dominicam, Franciſcus Ximenez Patriarcha Hieroſolymitanus & Epiſcopus Elnenſis (alius à Cardinali, & Toletano Archiepiſcopo,etſi vterque Franciſcanus fuerit) in tract.5.de natura Angelica c.43.(de quo M. S.in exercit.33.n.14.) Robertus Caraçolus de Licio Epiſcopus Aquinenſis ſerm.26.c.1.fol.59.Quæ redintegratio, ſi vera eſſet, facilè mihi perſuaderem, conſeruandos in poſterum clauos, lanceam, & coronam,ita quidem,vt ad Empyreum transferantur, & ibi ſimul cum Cruce in ſumma ſint veneratione apud Cœlicolas. Sed quia talis redintegratio neque in ſacris Litteris,neque in Patribus,neque in Theologis ſufficiens habet fundamentum;

13 Ideo neutiquam affirmo, alia inſtrumenta Paſſionis extitura in Empyreo: quicquid ſit, an formata ex ſplendidiſſimo aëre deferenda ſint in Iudicio ſimul cum Cruce; quod propter S. Thomæ, & cæterorum Scriptorum, quos recenſui, authoritatem, videtur mihi ſatis probabile. Reſpexit forſan iſtum Chriſti ad Iudicium deſcendentis apparatum Hieron. Vida Epiſcopus Aluæ, cum lib.6. Chriſtiados eadem inſignia longo ordine refert in triumphali pompa aſcendentis Chriſti ad cœlum,

Omnia fert ſecum cadis monimenta nefanda,
Imprimis duplicémque trabem, infandámque columnam,
Brachia cui vinctus tulit aſpera verbera, & acres
Virgarum faſces, infectáque ſanguine lora,
Haſtámque & calamo pendentia pocula leui.
Tres deinde ingentes, & acuta cuſpide vectes
Cernere erat, quibus effoſſus palmáſque,pedeſque,
Sertáque nexilibus vepribus conſerta rigebant.
Illic & longo Romani ſigna Senatus
Haſtili ſuſpenſa, cauóque latentia cornu
Lumina, quod ſuperas abies tollebat ad auras,
Quámque manu Rex pro ſceptro geſtauit,arundo,
Omnia, quæ pueri cæleſtes ante gerebant
Singula quiſque,polique arcem per inane petebant.

Sic Vida. Sed hæc Poëticè ſunt dicta, ideſt, poteſtate quidlibet audendi;

Nec pueri credent,niſi qui nondum ære lauantur.

EXERCITATIO VIGESIMASEXTA.

An Angeli in Empyreum inferant extranea corpora aſſumpta quandoque ab ipſis?

IN propoſito titulo inuoluuntur duo: 1. An Angeli in Empyreo aſſument corpora? 2. quanam ex materia erunt illa? Nam ſi dicantur futura ex aliqua, quæ non ſit Empyrea,vt à nonnullis dicitur,ſequitur extitura ad tempus in Empyreo alia corpora præter humana.

SECTIO I.

An Angeli in Empyreo aſſument quandoque corpora?

1 EX S.Anſelm (ſeu quiſquis eſt Author elucidarij) colligitur pars affirmans, vt animaduerti in exerc.28.n.16. Eáque arriſit eruditis quibuſdam, teſte Andrea Epiſcopo Cæſarienſi cap.20.in Apocal. *Et quidem (inquit) priſcis Sanctis,tametſi Angelis non diſſimilibus,formidabiles apparebant Angeli, quemadmodùm ex Daniele Propheta, & aliis quibuſdam colligere licet: tunc autem* (videlicet poſt Iudicium) *vnà cum hominibus miniſtrabunt,ſiue corpore veſtiti, locóque circumſcripti,vt eruditis quibuſdam placet, inter ipſos compareant.* Noſter Cerda in notis ad c.61.libri Tertullianici de Reſurrectione carnis,adiungit pro eadem ſententia Lucam Tudenſem c.13.lib.1. aduerſus Albigenſes, cui adſtipulantur ipſe Cerda in notis ad c. 62. & clariùs in lib. de excellentia cœleſtium ſpirituum c.47.n.5. Salas in 1.2.tract.2.diſp.& ſect.14.n.113. & 116.Roa c.7.& 13. de ſtatu Beatorum, Cornel. in c.34.Iſaiæ v.15. in cap.14. Apocalypſis verſ.20. tacito nomine indicantur alij à P. Leſſio lib. 3. de ſummo bono c.8.n.97.quos tamen ipſe non ſequitur.Deniq;Bonac.in 3.p.diſp.3.q.5.pūct.4.§.1.propoſ.3.n.11.cōmendat vt probabilem illā ſententiam.

2 Quàm ego libenter amplector multas ob rationes. Primam; nam licèt,vt beati homines clarè, & perfectè cognoſcant Angelorum eſſentiam,opus non ſit aſſumptione corporum, nihilominus negari non poteſt magnæ fore delectationi,ſi Angelos in corporibus,quæ ſua referant,conſpiciant interdum. Secunda,Angeli acceptis corporibus, quæ humana repræſen-

Digitized by Google

repræſentent, magis ſibi conciliabunt hominum voluntates, vt qui ipſorũ ſocij, & fratres appareant. Tertia, Cedet in ſpecialem honorem humanitatis Chriſti, ſi Angeli humanam formam quaſi æmulentur. Quarta, Iſaias cap. 6. vidit Seraphim ſpecie hominum in cœlo; ſimili ſpecie Ezechiel cap. 1. vidit Cherubim, & S. Ioannes in Apocalypſi vidit frequenter Angelos ſub humana forma, ſub qua etiam viſi ſunt ſæpe ſæpiùs deferentes animas Sanctorum in cæleſtem patriam.

3 Quinta ratio eſt; quia in terreſtri paradiſo Angeli ſpeciem humanam induti conuerſati ſunt cum Adamo, & Eua, vt credit Eugubius Coſmopeiâ in cap. 2. Geneſis pag. 55. Ergo credibilius eſt, conuerſaturos in Empyreo cum hominibus beatis ſub eadem ſpecie. Sexta, Dæmones ad maiorem damnatorum pœnam aſſument in Inferno corpora deformiſſima, vt putant S. Baſilius in Pſal. 33. v. 12. S. Anſelmus in Elucidario, Iacobus de vitriaco ſermone in Dominica 4. poſt Epiphaniam Bartholomæus Sybilla in ſpeculo quæſtionum peregrinarum Decade 1. cap. 3. quæſt. 12. Viguerius in Inſtitut. c. 16. §. 4. verſ. 36. Leſſius, Salas, & Cornelius ſuprà: Ergo & aſſument in Empyreo beati Angeli ad maiorem electorum voluptatem. V. Lyduuina aſſueta aſpectui, & colloquiis Angelorum in ſpecie humana dicebat, *Nullus dolor eſt, nulla tanta animi anguſtia, & ægritudo, quæ non facillimè euaneſcat, ſi mihi vultum Angelicum liceret contemplari.* Sic ex Ioan. Brugmanno Surius die 14. Aprilis parte 1. c. 8.

4 Ratio ſeptima eſt, quia ſi in Empyreo futuræ ſint choreæ, & ſaltationes, vt adſtruam in ſect. 2. Exercit. 33. non datur intelligi, quo pacto Angeli, niſi corporibus veſtiti, comitabuntur conſentaneè beatos homines. Aſt comitaturos, docent Patres adducendi ibid. n. 17. Et de tripudiis Angelorum ad præſepe Chriſti nati, agunt vterque Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus, ille oratione 38. in Chriſti Natiuitatem, hic oratione in diem Natalem Chriſti, Chryſippus ſerm. 2. de laudibus Beatæ Mariæ. Quorſum autem tripudia ad præſepe, niſi ſub humana forma? Si verò ad præſepe, cur non ad thronum Chriſti regnantis in Empyreo. Octaua, Angeli non videntur fore impares hominibus beatis in laudando Deo, mente, & ore, ſi corpora poſſunt aſſumere, vt reuera poſſunt. Æquum enim apparet, vt omni modo ſibi poſſibili ſe ſe effundant in Numinis laudes. Nona, niſi Angeli in Empyreo induant corpora, ſenſus beatorum hominum nullum ex Angelis recipient gaudium, & nulla in re cum illis communicabunt; cùm tamen aliud videatur exigere mortificatio ſenſuum, & Angelica vita, quam in corpore mortali egerunt.

5 Refragantur Leſſius ſuprà, & Tannerus tomo 2. diſp. 1. q. 3. dub. 4. n. 40. quia in patria non eſt neceſſaria ſpecies externa aſſumpta ab Angelis, ſiquidem beati homines eorum eſſentiam clarè intuebuntur: ſpecies autem externa tunc ſolùm aſſumitur ab Angelis, quando ex tali forma volunt ſui excellentiam apprehendi vtcumque ab iis, qui ipſorum eſſentiam, vt in ſe eſt, nequeunt cognoſcere. Sed huius argumenti vires noſtris iam rationibus manent præciſæ. Dices, ſatis ad illas eſſe, ſi beatorum hominum immutetur phantaſia, ſiue à Deo, ſiue ab Angelis, ita quidem vt hos, nullo veſtitos corpore, ſub humana tamen apprehendant ſpecie. Non applaudo, tum quia ad plures ex illis ſatis non eſt: tum quia alias Angelorum apparitiones, hominibus in via factas, neque Patres Theologi reuocant in eam imaginatiuæ facultatis immutationem; tum quia, quantùm fieri poſſit, vitanda eſt deceptio, & illuſio vel in phantaſia, & ſenſibus beatorum hominum. Si autem Angeli induant corpora, humanis configurata, neque ſenſus illudentur, cùm in eis ſua percipiant obiecta, neque intellectus errabit, cùm beati homines clarè cognoſcant, qoid lateat ſub corporibus illis humana referentibus. Conſulatur in ſimili puncto P. Arriaga tomo 2. in 1. p. diſput. 19. n. 17.

SECTIO II.

Corpora in Empyreo aſſumpta ab Angelis non erunt ex materia extranea, ſed ex Empyrea.

6 Contrarium ſupponunt, aut exprimunt Authores citati in ſect. ſuperiori. Nam corpora, in quibus videndi ſint Angeli, putant fore ex materia aërea condenſata. Ita illi, quorum meminit Leſſius; ita etiam Salas n. 113. Et confirmari poteſt ex eo, quòd corpora aſſumpta ab Angelis, dum ab hominibus mortalibus viſibiles apparent, ſunt ex prædicta materia, vt cum S. Thoma 1. p. q. 51. art. 2. ad 3. docent Theologi & copioſiùs aliis P. Suarez lib. 4. de Angelis c. 34. à num. 4. qui S. Iſidorum, & Bedam aientes, eſſe ex materia cœli, interpretatur, quatenus nomine cœli aërem intellexerint. Non ſic facilè interpretari licet Authorem librorum de imagine mundi (ſiue ſit S. Anſelmus Cantuarienſis, ſiue alius) dum lib. 1. c. 24. inquit, beatos Angelos ad homines miſſos aſſumere corpora ex materia ignea, & in cap. 25. dixerat, Dæmones aſſumere ex aërea caliginoſa.

7 Fore tamen ex Empyrea ab Angelis poſt Iudicium aſſumpta corpora, cenſeo non improbabiliter. Nam cùm ea materia non ſit inſcindibilis, nec rarefactionis, & condenſationis incapax, vt in ſect. 1. Exercit. 14. obſirmaui, non video, cur huic muneri non ſit apta. Et iſto pacto euitatur, ne in cæleſtem aulam aduentitia materia ſublunaris inuehatur ſine vrgenti fundamento, quale ab authoritate ſaltem eſt in Cruce Chriſti, & ab orthodoxa fide in corporibus humanis glorificatis.

8 Oppones, ſequi exhinc primò, fore, vt Angeli non poſſent Empyreo exire cum corporibus aſſumptis ex eius materia, Secundò, fore, vt non poſſent habere inæqualitatem lucis in partibus efformatorum corporum. Reſpondeo ad primum, non eſſe inconueniens, ſi per breue tempus portio aliqua Empyrea extrahatur à ſua ſphæra. Quòd ſi nonnulli inconueniens appareat, dicam, Angelos, Empyreo abeuntes, exuturos corpora eius ex materia elaborata. Ad ſecundum, vel Deum pro Angelorum placito impediturum æqualem lucis emiſſionem in omnibus partibus, vel cum æquali lucis emiſſione Angelos effigiaturos corpora; quemadmodùm humanorum membra erunt poſt reſurrectionem æqualiter lucida, vt vero propius viſum eſt Gulielmo Pariſienſi in primæ partis de Vniuerſo parte 2. cap. 24. & Barradæ tomo 3. in Euangelia lib. 10. c. 1. Angelicóque Doctori apud ipſum.

9 Oppones deinde ex Arriaga ſuprà n. 20. materiam Empyream, cùm ſubiaceat formæ ſubſtantiali incorruptibili, non poſſe eſſe aptam ad recipienda aliqua accidentia, quibus quoad aſpectum immutetur. At obiectio hæc æquè militat contra corpora aſſumpta ab Angelis ex materia aërea poſt diem Iudicij; ſiquidem à die illo aërea forma ex

priuilegio gaudebit incorruptibilitate ſubſtantiali, qua per naturam gaudet Empyrea forma. Vnde de vtraque, ſi aſſumatur ab Angelis, dicendum eſt, neutiquam immutandam accidentibus, ex quibus immineat ſubſtantialis corruptio. Alterationem penes vniones quantitatis Empyreæ iam multoties conceſſi: & quæuis alia pro corporibus aſſumptis immutatio quoad aſpectum erit, vt ſummùm, penes colores apparentes, quos in Empyreo adſtruxi etiam non ſemel.

10. Ad confirmationem appoſitam in n. 6. patet ſolutio ex dictis. Dum enim Angeli in aſſumptis corporibus apparent viſibiles in terra, commoda ad id eſt aërea materia. Vnde explodendi ſunt, qui apud Guilielmum Vorrillong. in 2. diſt. 8. art. 2. & concluſ. 1. dixere, Angelos nunc formare ſibi corpora de cœlo Empyreo: At vt in Empyreo appareat hominibus beatis, non aërea, ſed Empyrea competens eſt. Replicabis, inconueniens non eſt, ſi poſt diem Iudicij extrahatur breui tempore à ſua ſphæra portio aliqua materiæ Empyreæ aſſumptæ ab Angelis: Ergo neque inconueniens erit, ſi portio aliqua materiæ aëreæ aſſumptæ ab eiſdem introducatur in Empyreum poſt diem Iudicij. Fateor, non ſe offerre conſiderabile inconueniens. Sed tamen cùm Angeli habeant quaſi ad manus liquidam regionem mediam Empyrei, vt ex ea efforment corpora, recurritur ſine neceſſitate ad aëream: & aliunde peregrina corpora, de quibus aut per fidem Catholicam, aut per authoritatem non conſtat, arcentur ab Empyrei ſacratiſſimis penetralibus.

11 Dices rurſus, aërem ſaltem non eſſe arcendum. Nam interiores cauitates corporum glorificatorum exiſtentium intra Empyreum manebunt plenæ aëre aduentitio, nimirùm eo, quem detulerint ex hoc mundo. Nec cùm peruenerint ad ſphæram ignis, eijcietur aër ex cauitatibus illis, & intrabit ignis, præterquàm enim quòd id non deceat, congruentius eſt, vt aëre, quàm vt igne repleantur: Neque item, cùm inceperint penetrare cœlos, expelletur aër, tum quia nullum ibi eſt corpus, quod ſuccedat, & ingrediatur loco aëris exeuntis, tum quia non eſt ibi ſpatium, quò recedat aër expulſus. Ita diſcurrit Ioannes de S. Thoma in 1. 2. d. 2. art. 9. & inde infert, vt beati homines loquantur ſenſibiliter intra Empyreum, non eſſe opus extrinſeco corpore liquido, & frangibili, ſed ſufficere aërem intrinſecum deportatum ex hoc mundo, quia ad vocem (inquit) non requiritur aër externus, ſed intra palatum formatur vox etiam impedito aëre externo per admotionem manus, vel alterius corporis, dummodò non impediantur labia, & lingua moueri. Et ſic refracto aëre, & formata voce intra os, intentionales ſoni ſpecies deferentur ad aures alterius Beati, ſicut ſpecies viſibiles deferuntur; & ſic fiet loquutio, & auditio. Sed contra in primis, quia ex aëre elementari deſtinato permanenter ad replenda interiora corporum glorificatorum, ne vacua, vel compreſſa exiſtant, & deſeruiente ad loquutionem ſenſibilem non fit conuincens argumentum ad aërem pro corporibus aliquando aſſumptis ab Angelis. Deinde quia cauitates corporum glorificatorum non erunt plenæ aëre elementari, ſed aura Empyrea iuxta noſtram ſententiam propoſitam in ſ. t. Exercit. 14. licet verò in hoc mundo corpora glorificata habebunt os, nares, pulmones, &c. plena aëre; at cùm receſſerint ex ſphæra aërea, relinquent internum illum aërem, & breuiſſimo tempore, quod conſument in itinere ad Empyreum, manebunt vacua, vel Deus partem aliquam auræ Empyreæ transferet ex ſua regione, & infundet corporibus. Nec id magis mirandum eſt, quàm quod tenetur fateri Thomaſius de perpetua eiuſdem aëreæ elementaris portionis retentione intra cauitates corporum, vt quamuis Beati in Empyreo, vel ſuprà aperiant os, & loquantur, contineatur tamen ſemper eadem portio aëris in ore, & reliquis cauitatibus, quin emittatur quidpiam aëris, aut attrahatur de nouo. Contra denique, quia loquutio vocalis non ſaluatur abſque percuſſione aëris, vel quaſi aëris reſpirati, id eſt, emiſſi ab intrinſeco, & attracti ab extrinſeco. Vnde animalia, quæ carent facultate reſpirandi, nequeunt formare vocem, & quæ prædita ſunt vi reſpirandi, impediuntur vocem edere, & loqui, ſi reſpiratio cohibeatur, aut motus labiorum, aut apertio oris. Scio, multos Theologos tam antiquos, quàm recentes explicare loquutionem Beatorum abſque aëre, quem hauriant, & quem foras mittant; ſed nemo inficiabitur, vix eam ſic intelligi, vt vt poſſibilis admittatur de abſoluta Dei poteſtate. Quapropter ſatius eſt dicere, regionem mediam Empyrei eſſe ſpirabilem, aptámque proinde inſtar noſtri aëris ad loquutionem. Non igitur tranſportabitur ad Empyreum aër elementaris.

EXERCITATIO VIGESIMASEPTIMA.

An beati homines in Empyreo inferent veſtes corporeas ex materia extranea confectas?

DVo ſunt exagitanda. Primum, An beati homines vtentur veſtibus in Empyreo? Secundum, quænam erit earum materia?

SECTIO I.

An beati homines vtentur veſtibus in Empyreo?

VESTIBVS non vſuros, colligitur ex S. Gregorio Nyſſeno oratione in funere Magni Meletij Epiſcopi Antiocheni, vbi de ipſo inquit, *Depoſuit tunicas pelliceas, neque enim talibus tunicis opus habent, qui in paradiſo degunt.* Docent conceptis verbis S. Chryſoſtomus in oratione de B. Philogonio, & in homilia 1. de Reſurrectione Chriſti, Procopius Gazæus in cap. 2. Geneſis, Author epiſtolæ de viro perfecto inter opera S. Hieronymi, & inter opera S. Auguſtini Authores librorum de rectitudine Catholicæ conuerſationis, & de vanitate ſæculi cap. 2. Franco Abbas tomo 12. de gratia Dei, Iulianus

Digitized by Google

Iulianus Pomerius Presbyter, & Abbas in Gallia, Eugenius ſecundus, ſeu potiùs Tertius Toletanus Præſul, & cum ipſis S. Iulianus eiuſdem vrbis Antiſtes lib. 3. Prognoſtici cap. 26. Seuerianus tranſcriptus in Catena S. Thomæ ad c. 28. Mathæi v. 3. S. Macharius ſenior in epiſtola ad Monachos, S. Anaſtaſius Sinaita lib. 10. Anagogicarum contemplationum in Exameron, Moſes Barcepha parte 1. de Paradiſo cap. 28. S. Anſelmus, vel qui eius nomen præ ſe fert in Elucidario. S. Thom. in opuſc. 2. part. 1. cap. 156. Rupertus lib. 2. in Geneſ. cap. 40. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus in libello de articulis fidei c. 12. Mauburnus in Roſeto tit. 38. Alphabeto 76. litt. S. Radulphus Ardens homil. 2. in die ſancto Paſchæ, Iauellus in 8. parte Chriſtianæ Philoſophiæ tr. 3. c. 2. Ioannes Raulin ſerm. 4. & in ordine ex Quadrageſimalibus. 8. Reginalderus in ſpeculo finalis retributionis parte 2. fol. 96. Robertus de Licio ſerm. 73. c. 3. Toſtatus in cap. 13. Geneſis q. 550. & Paradoxo 5. à cap. 25. Carthuſianus opuſculo de mutua cognitione iuſtorum art. 12. Catechiſmus Romanus part. 1. c. 13. n. 12. Pereyra lib. 4. in Geneſim n. 260. Ioſephus Acoſta lib. 4. de Temporibus nouiſſimis cap. 24. Ioannes Phelippæus in cap. 2. Oſeæ v. 3. pag. 350. Iacobus Pintus de Chriſto Crucifixo, lib. 9. tit. 2. loco 4. n. 129. Hieronymus Columbus lib. 8. de Angelica, & humana Hierarchia cap. 20. num. 8. Salas in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. n. 119. Roa de ſtatu Beatorum cap. 8. Franciſcus Felix cap. 7. de Beatitudine, difficultate, ac n. 2. Thyræus de glorioſa Chriſti Filij Dei apparitione cap. 1. num. 126. Lorinus in Acta cap. 1. verſ. 9.

2 Confirmatur exemplo Chriſti reſurgentis, nudus enim fuit, & apparuit, vt conatur perſuadere Toſtatus paradoxo 5. cap. 34. Rationabilius namque erit, eximiam pulchritudinem corporis Dominici aſpicientium oculis cernendam dari, quàm veſtibus opertam fore. Et ita videtur ſentire S. Gregorius Nyſſenus, S. Ambroſius, & S. Epiphanius. Siquidem primus in oratione 2. de Reſurrectione Chriſti ait, *Quod nudus IESVS abſque linteaminibus reſurrexit, ſignificat, eum nequaquam poſthac : : : indumentorum geſtaminis, atque operimenti egentem in carne cognitum iri.* Secundus lib. 10. in Lucam cap. 23. *Vicit ille, qui tegumenta depoſuit, & talis aſcendit, quales nos, authore Deo, natura formauit: talis in paradiſo homo primus habitauerat, talis in paradiſum homo ſecundus intrauit.* Tertius in Ancoratu, *Dicant mihi ſtolidi illi, qui veſaniam Origenis in hac parte ſecuti ſunt, cùm ſurrexit Chriſtus ex mortuis, & reliquit lintea in monumento, velut ſcriptum eſt, nudúſne apparebat Diſcipulis, qui ſurrexit ex mortuis cum anima, & corpore? Quando verò oſtendebat Thomæ oſſa ſua, & carnes, manus, ac latus, nimirum non erat nudus? Quis igitur veſtes ipſe texuit?*

3 Confirmatur etiam exemplo primorum parentum Adami, & Euæ, qui fuerunt nudi intra paradiſum, antequam peccarent. Vnde perpulchrè modulatus eſt S. Alcimus lib. 2. de peccato Originali,

Intereà nondum tranſgreſſi iuſſa parentes
Corpora nuda vident, nec mutua cernere membra
Diſpudet: ipſa rudis fœdum nihil ſentit honeſtas.
Non natura hominis, vitium, ſed cauſa pudori eſt.
Nam quæcumque bonus formauit membra Creator
Cur pudibunda forēt? neq; enim ſummi ante relicta
Iuſſa Dei, quidquam conſpectu turpe, ſed ipſa
Tunc mens intactos ſeruabat candida viſus.
Quin & talis erat naturæ gloria prima,
Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sydereas habitare domos, qualémque redemptis
Spondet reddendam mortis poſt tempora Chriſtus.

Par itaque eſt, vt beati homines ſint intra Empyreum in eadem forma, in qua fuerunt primi Parentes. Prçtereà ſi hi, & ipſorum poſteri perſeueraſſent in ſtatu innocentiæ, nudi incederent, vt ſtatuunt Doctores, & inter eos maximè P. Suarez lib. 5. de opere ſex dierum cap. 5. num. 1. & Arriaga tomo 2. in 1. part. diſp. 43. ſect. 1. quin & de hominibus aurei ſæculi confingit Plato in Politico, *nudos, & ſine ſtrato ſub dio perſeueraſſe.*

4 Accedit Ratio, quia in Empyreo, neque propter aëris iniurias, neque propter verecundiam ex nuditate erunt neceſſariæ veſtes. Hinc dixit Elucidarij Author *Beati nudi erunt; ſed omni decore fulgebunt, & non plus de illis membris, quàm nunc de gratiſſis oculis erubeſcent.* Et quidem docente S. Maximo Taurinenſi in homilia de S. Michaele, *Nuditatem inhoneſtam non natura inſtituit, ſed delicti reatus inuenit.* Tunc autem delicti reatus nihil operabitur, *Nuditas per ſe conſiderata, turpis nullo modo eſt*, vt benè Procopius in cap. 3. Geneſis v. 7. & S. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei capite 17. ſermonem habens de Adamo, & Eua ante peccatum ait, *Turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam ſuâ inobedientiâ caro quodammodò teſtimonium perhibebat.* Similiter in cœlo nulla erit carnis rebellio, aut praua libido. Quòd ſi Beatorum corpora erunt tranſparentia, ita vt interiorum partium harmonia admiranda pateat oculis, vt quid induent veſtes?

5 Sed tamen Paſchaſius Rathbertus libro 8. in cap. 17. Mathæi refert, *quoſdam velle adſtruere in reſurrectione Iudicij æterni nos non nuda corpora, quamuis incorruptibilia futura ſint, habituros; ſed linteamentis veſtium circumtecta ſpiritualiter atque incorruptibiliter contextis.* S. Iulianus Toletanus Præſul cum Iuliano Presbytero Gallicano, & cum Præceptore ſuo Eugenio Antiſtite Toletano eius nominis Tertio, meminit aliorū idem opinantium. Amalarius Fortunatus libro 4. de officiis Eccleſiaſticis cap. 41. poſt multa tentata in vtramque partem, concludit, *Salua fide, quamuis neſciam, vtrum ita veſtiti venturi ſint homines, vt Chriſtus apparuit poſt Reſurrectionem, & Angeli viſi ſunt, an ita nudi, vt primi homines fuerunt? Credo tamen, nullam deformitatem fieri in ſpiritualibus corporibus, quæ poſſit offendere, vel nauſeam facere ſpiritualibus oculis.* Ioannes Belethus cap. 159. explicationis diuinorum officiorum eandem proponit diſquiſitionem, relinquitque indeciſam. *Solet autem hìc quæri* (ita ille) *vtrum poſt diem Iudicij homines ſint futuri nudi, an verò veſtiti? Et videtur quidem; quod veſtiti, quoniam Angeli ſemper veſtiti ſolent apparere, & Chriſtus etiam poſt Reſurrectionem cum veſte viſus eſt, ac in Transfiguratione quoque fuit veſtitus. Vnde illud, Apparebant veſtimenta eius alba, ſicut nix. Contra verò videtur, quòd erunt nudi, idque ex authoritate, quod in ea tunc ſumus futuri forma, in qua fuit Adam ante peccatum, atque etiam in meliori. Atqui tunc nudus fuit; ergo & nos ſimiliter erimus. Verùm nihil nos dicendo præſumamus de veſte, vel de qualitate, niſi vnum hoc, videlicet iſthìc neque deformitatem fore, neque infirmitatem.* Non abſimiliter ſe gerit Speculator Guilielmus Durantes in Rationali diuinorum officiorum lib. 7. cap. 35. num. 42. inquiens, Chriſtum veſtitum aſcendiſſe in cœlum. Sanctus Auguſtinus in epiſt. 146. ad Conſentium non renuit admittere

Digitized by Google

admittere deportatas ab illo veſtes in Empyreum, & eas nunc conſeruari incorruptas. P.Henriq. lib. vltimo de fine hominis c.25.§.4.conſiderat, Chriſtum indutum veſte prolaturum ſententiam in die Iudicij è corporali throno. P.Gordon.in Act.c.9.v. 9.ſcribit, *Sanè Beatis in cœlo, vbi tot ſunt corporis dotes ſupernaturales, non erunt neceſſaria veſtes ex Clemente Alexandrino lib.2. Pædag. c.10. de vſu verò, an ſit futurus, certum non eſt.* P.Barradas tom.3. in Euangelia lib.10.c.3.credit, Beatos habituros veſtes.

6 Et nos eas quandoque induturos exiſtimamus, non quidem euitandæ verecundiæ ex nuditate, neque arcendi frigoris, ſed ornatus gratiâ. Nec diſſentiet, qui, quales futuræ ſint, cognouerit ex ſectione ſequenti. De Elyſiorum incolis tradit Lucianus lib.2.verarum hiſtoriarum, *vti purpureis veſtibus tenuiſſimis aranearum telis.* Et in eiſdem pratis deſcribit Virgilius lib.6.Æneidos longa cum veſte Threicium ſacerdotem. Antiſtes Abulenſis Toſtatus in 4. Regum c.2.q.24. Henochum, ac Eliam in paradiſo terreſtri veſtitos inducit.

7 Exemplum primum Chriſti reſurgentis eſt potiùs pro nobis. Nam S.Iuſtinus, aut quiſquis eſt illarum quæſtionum Author, ſupponit in q. 116. Chriſtum reſurgentem veſtibus fuiſſe vſum; additque vel confeciſſe eas, vel ſumpſiſſe aliunde. S.Cyrillus Alexandrinus lib.12. in Ioannem c.54. ac 59. ſupponit id ipſum, cum dicat, *denudaſſe latus, vt illud corpus, quod crucifixum fuit, ſurrexiſſe demonſtraret.* S.Anſelmus in Elucidario ait, aſſumpſiſſe ex aëre veſtes, quæ tamen euanuerint eo aſcendente. S. Bonauentura in Meditationibus vitæ Chriſti c.87.affirmat, apparuiſſe Virgini Matri in veſtibus albiſſimis. Iacobus de Vitriaco ſermone in feria 3. poſt Paſcha indecentiæ habet, ſi nudus apparuiſſet. Conſentiunt Pomerius, Amalarius, Belethus, & Durantes ſuprà, necnon Natalis adnotatione in imaginem de Reſurrectione Chriſti lit. *B.* Gordon. in c.1. Actorum v.9. Beata Eliſabeth Schonaugienſis lib.2.viſionum c.12. Barradas tom.4. in Euangelia lib.8 c.14. ſiue ex aëre, ſiue ex candidiſſimo ſerico Chriſtus fecerit veſtes: & veriſimile putatur ab Eugubino infrà, Quòd Chriſtus aſcendens in cœlum *habuerit roſeam, purpuream, nectareámque veſtem*; à Federico Nauſea in Catechiſmo c.36. quòd purpuratus, ſeu rubro veſtimento indutus ſcanderit. Medina cum Franciſco Victoria in 3.part. q.54. art.4. dub.3. *Vtrum Chriſtus, cum ſurrexit, habuerit veſtes?* reſpondet affirmatiuè, vt & Suarez in commentario ad art.1. eiuſdem quæſt. Ioannéſque Lorinus in Act. cap.1. v.9.

8 Ad ſecundum Exemplum Reſpondet Eugubinus, *Adamum, & Euam ſi ſtrenuè* ſe habuiſſent, ſi vocem Dei ſui exaudiſſent, ex templo delapſa de cœlo veſte, imò nubis amictu Angelorum manibus formato, fore veſtiendos. Ita in Coſmopeiâ ad cap.3. Geneſis. Et fuere, qui cogitarunt, non defuiſſe primis parentibus in ſtatu ipſo Innocentiæ veſtes ex lumine. Sic Stephanus Gobarus Tritheiſta apud Photium codice 232.ſuæ Bibliothecæ, Rabbi Simeon Benjochai apud Ioannem Phelippeum in cap.2. Oſeæ pag.423. & Iſidorus clarius in cap.2. Geneſis ſcribit, *Erat eis* (Adamo & Euæ) *pro veſtimento diuina quadam gloria, cuiuſmodi & in reſurrectione futura eſt.* S.Maximus Taurinenſis in homilia de S.Michaële videtur verbo ſpecie fauere, dum inquit, *Adam cuſtodiens honeſtatis Angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis veſtibus, ſed immortalitatis erat ſplendore veſtitus.* Sed S.Maximus intelligendus eſt de ornamentis originalis iuſtitiæ, videlicet de immortalitate, & impaſſibilitate ex Dei prouidentia. Relictis ſuperioribus cogitationibus, vt quæ improbabiles ſint, Reſpondeo, primos parentes tam breui tempore non curaſſe de ornatu veſtium, ſi autem diu perſeueraſſent in ſtatu innocentiæ, forſan aliquando illum ſibi comparaturos. Nam licet Doctores communiter ſtatuant, homines in eo ſtatu non fore indigos veſtimentorum; non eſt, cur ex abundanti, & gratiâ ornatus quandoque ea non aſſumerent: ſic etſi domibus non indigerent, quandoquidem nulla eſſet aëris inclementia, probabile cenſetur ab Arriaga ſuprà n.12. fore, vt ſibi fabricarent.

9 Rationis adductæ in num.4. ſolutio claret ex dictis. Patres, & Anthores relati in num.1. pro nuditate corporum glorificatorum, id præcipuè intendunt, vt indigentiam veſtium excludant; veſtium prætereà ex materia mixtorum, quæ nobis modò ſunt in vſu. S.Gregorius Nyſſenus S.Ambroſius, & S.Epiphanius citati in num.2. pro nuditate corporis Domini reſurgentis non adeò aduerſantur. Nam primus (cuius veſtigia preſſit S.Anaſtaſius Synaita, lib.5. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, ſeu oratione 5. de Chriſti Reſurrectione) ſolummodò negat neceſſitatem veſtimentorum. Secundus (cum quo concordat S.Athanaſius in ſermone de Cruce, & Paſſione) agit de ingreſſu locali in paradiſum promiſſum Latroni; qui ingreſſus, cùm fuerit penes ſolam animam, abs re intenta eſt; & multò magis ſi per paradiſum intelligatur non aliquis materialis locus, ſed viſio beata communicata tunc Latroni, & ab inſtanti primo ſuæ vitæ habita à Chriſto. Vel quod planius eſt; Secundus tractat de Chriſto vt in cruce, vbi omnino, aut maiori ex parte nudus fuit. Tertius, non recuſat admittere in Chriſto indumenta; ſubiungit namque: *At dices mihi, omnino indumenta ſpiritualia ipſum feciſſe. Et ſi talia indumenta potuit ſibi facere, pelliceas illas tunicas facere non potuit Adam, ac Eua propria voluntate?* In quibus verbis obſeruandum eſt, vocare indumenta *ſpiritualia* ea, quæ aërea ſint, & ſubtilia. Et in eodem ſenſu dixit Paſchaſ. ſuprà, *illa, quæ in futuro erunt tegumenta corporis, ſi fortè erunt, non alia, quàm ſpiritualia, & aërea erunt.* Etenim vt notat in libello de Dæmonibus Pſellus, *in vſu eſt corpora tenuia, & quæ aſpectũ, tactúmque effugiũt, incorporea* (id eſt ſpiritualia) *frequenter nominare.* Angelic. Doct. in 1.diſt. 10.q.1.art.4. S.Cyrill. Alexandrin.lib.12. in Ioann. c.59. obſeruant id ipſum, vocatúrq; Aër à Thoma in c.16. Apocalypſ. v.17. *ſpirituale quodammodo corpus.*

SECTIO II.

An beatorum hominum veſtes in Empyreo erunt ex materia extranea.

10 S.Auguſtinus rogatus à Conſentio, *Vtrum nunc corpus Domini oſſa, & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta?* Reſpondet, *Quid ſi adderes, vtrùm etiam veſtimenta? Nonne augeretur quæſtio? Quâ cauſâ? Niſi quia ea, quæ in vſu huius vitæ noſtræ corruptibilia nouimus, ſine corruptione cogitare vix poſſumus, cùm diuinorum miraculorum quædam documenta iam data ſint, ex quibus liceat coniectare maiora. Nam ſi veſtis Iſraëlitarum per tot annos in eremo ſine tritura eſſe potuit, ſi morticina pellis calceamentorum tandiu ſine labe durauit; poteſt vbique Deus quorumlibet corporum, per quantum voluerit tempus, incorruptam protendere qualitatem.* Hucvſque

Digitized by Google

vſque S. Doctor in epiſt. 146. ſed non omnino aſſertiuè. Et meritò, nam præter humana corpora & Crucem, omnia alia mixta, par eſt, ab Empyreo remouere. Quòd ſi Chriſtus modò haberet veſtes ſimiles noſtris, incorruptibilitate tamen donatas, retineret etiam eas poſt diem Iudicij. Aſt ſine fundamento diceretur id, & contra Theologorum mentem. Cenſent namque crebrò cuncta mixta, exceptis corporibus humanis, & cruce, non permanſura poſt diem Iudicij, ſed reſoluenda in elementa.

11 Qui apud Paſchaſium præallegatum volebant, Beatorum corpora veſtibus ornanda, aſſerebant, eas fore aëreas. Et Iulianus Presbiter apud S. Iulianum Antiſtitem ſuprà, cùm dixiſſet, *Incorruptibilia credi debere veſtimenta, ſi quæ erunt in Reſurrectione*, adiicit, *ſi concedatur, reſurgentes veſtimentis vſuros, non talia illis erunt, qualia fuiſſe leguntur Iſraelitica veſtimenta; quia quamuis in quadraginta annos diuina voluntate ſeruata ſint, tamen ſolita vetuſtate conſumpta ſunt. Nec qualia fuerunt, in quibus Moyſes, & Elias in monte cum Domino, vel ſancti Angeli viſi ſunt, quæ & ipſa in nihilum, pro tempore ſumpta, ſoluta ſunt: ſed fortè talia erunt, quibus Dominus reſurgens veſtitus apparuit, ſi tamen & illa non fuerunt ad tempus propter vſus humanos aſſumpta, ſed propria: quoniam ſi ibi erunt quæcumque, vel qualiacumque fuerint ſpiritualium corporum ſpiritualia erunt; ac ſic etſi nudi non erũt, tamen ſpiritales carnalibus non egebunt.* Sic Presbiter Iulianus, qui nomine ſpiritualium veſtimentorum, aërea forſan ſignificare intendit. Ego tamen conſequenter ad dicta in ſect. 2. Exercit. proximæ, requirere teneor veſtes ex alia materia.

12 P. Barradas tom. 3. in Euangelia lib. 10. cap. 3. credit, Beatos ornandos veſtibus, *non quidem ex ſerico, aut auro, ſed ex luce, iuxta illud, quod de Deo legimus Pſal. 103. Amictus lumine ſicut veſtimento. Itaque erunt Beatorum corpora amicta lumine ſicut veſtimento. In modũ veſtimenti lux coloris varij effingetur, corporáq; mirum inmodũ exornabit. Hi viridis, alij aurei, alij albi, alij cærulei coloris indumentis.* Tantùm Barrad. cuius verba mutuabuntur ſplendorem ex his S. Chryſologi ſer. 82. in illud Marci 16. v. 5. *Viderunt Iuuenem ſedentem à dextris coopertum ſtola candida. Stola iſta* (inquit Antiſtes Rauennas) *non ex mortali vellere, ſed ex virtute vitali, ſplendens cæleſti lumine, non colore terreno, & clara Creatoris munere, non arte fullonis, dicente Propheta, Amictus lumine ſicut veſtimento: & de iuſtis, Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol. Terreni terrenis velati ſunt veſtimentis; & ideò ſicut nouitate ſplendent, ita vetuſtate ſordeſcunt; cæleſtes verò amictu cæleſtis luminis ambiuntur, & à terreno ſquallore ſuſpenſi, nec fœdantur vetuſtate vnquam, nec vllis ſordibus obſcurantur; ſed veſtes, quas ſemel dederit Reſurrectio, perpetuo lumine veſtiuntur.* Hæc S. Chryſologus. Quibus ſimilia alia ex Seueriano reperies in catena S. Thomæ ad eum Marci locum. Extant & alia non minus apta in S. Cæſario Arelatenſi homil. 1. in S. Maximo Taurinenſi, homilia de S. Michaële; in S. Euſtathio Antiocheno diſſertatione de engaſtrimytho contra Origenem pag. 356. editionis Allatij.

13 Placent mihi exarata ex Barrada. Verum quia vt lux varij coloris apparentis effingatur, non ſufficiunt corpora humana, ideo deſeruiet etiam materia liquida Empyreæ regionis mediæ; & ſicut Angeli ex ipſa efformabunt ſibi corpora, vt dixi in præcedenti Exercitat. ſect. 2. ita beati homines veſtimenta. Et licet vt lux varij coloris apparentis effingeretur, ſufficerent humana corpora dote claritatis perfuſa, tamen veſtes ex materia Empyrea contextæ, meliùs referrent eas, quas modò geſtamus. Neque id magis mirum eſt, quàm quod ſcribit Sotus in 4. diſt. 49. art. 2. in fine de aureolis in corporibus Beatorum. Quódque à nobis illuſtratum eſt n. 76. Exercit. 19. Et quidem inſignia illa, qualia ſint difficulter explicabitur, niſi ex materia Empyrea cogitentur efformanda. Forſitan P. Arriaga, qui tom. 1. in 1. p. diſp. 55. n. 16. putat, non fore in cœlo palmas materiales, aut mitras, vel diademata, conſentiret Tannero, & aliis ea admittentibus, ſi materiam ex qua ſint conſtruenda, declaraſſent. Hieronymus Columbus ſuprà citatus ait, ex fulgore gloriæ, qua iuſti fulgebunt ſicut Sol, cr[illegible]bile eſſe eorum corpora, quamuis tranſparentia, in membris illis, quibus in terris verebantur, operienda in cœlis denſiore quodam lumine, vmbræ pictorum ſimili. Mihi tamen credibilius eſt, non opus fore ſpeciali operculo quoad illas partes ob dicta numer. 3. & 4. vnde nec neceſſe eſt, quod comminiſcuntur alij refutari ab ipſomet Columbo, ea nimirum membra cælari capillis decentiſſimo modo, ac diſpoſitione ex capite per humeros defluentibus.

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS.

DE EXTERNIS ACTIONIBVS, ET INTERNIS MATERIALIBVS INCOLARVM EMPYREI.

DE Externis, inquam, ad quas immediatè conducit Empyreum, quà eſt locus corporeus, non ſic, ſed mediatè ad internas materiales, ideóque de illis potiori iure, & priùs eſt agendum. Quia verò externæ aliæ ſunt vitales, vt operationes externorum quinque ſenſuum, aliæ non vitales, vt locutio vocalis, & localis motus, præcedet ſermo de vitalibus, vt potè nobilioribus, vſurpans iam in limine S. Auguſtini verba in lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. *Nunc iam quid acturi ſunt in corporibus immortalibus, atque ſpiritualibus Sancti, non adhuc eorum carne carnaliter, ſed ſpiritualiter viuente, quantùm Dominus dignatus fuerit adiuuare, videamus. Et illa quidem actio, vel potiùs quies, atque otium, quale futurum ſit, ſi verum velim dicere, neſcio. Non enim hoc vnquam per ſenſus corporis vidi. Si autem mente, id eſt, intelligentia, vidiſſe me dicam, quantum eſt, aut quid eſt noſtra intelligentia ad illam excellentiam?* Tam difficilis, & ſublimis viſa eſt Auguſtino res hæc, vt de ea conſuluerit S. Paulinum. Conſtat id ex epiſtola 44. & ad Auguſtinum 4. in qua ipſe Paulinus imparem etiam ſe cenſet ad tam ardua Sacramenta explicanda, & optat edoceri à conſulente. Ego potiori iure mihi diffidens vix aliquid ſcribam, quod non didicerim ab Eccleſiæ Patribus, & Theologis.

EXERCITATIO VIGESIMAOCTAVA.

De viſu corporeo glorificatorum hominum.

DEVENIO itaque ad functiones externas vitales beatorum hominum, penes quinque externos ſenſus: ſed quandoquidem viſus ſit excellentior, & vt talis agnoſcatur ab Ariſtotele lib. cap. textúque 1. Metaphyſicæ, S. Auguſt. lib. 1. de moribus Eccleſiæ, c. 20. ac epiſt. 3. S. Chryſoſtomo hom. 55. in Ioannem; tracto de eo ante alios, & poſteà de cæteris ordine dignitatis.

SECTIO

SECTIO I.

An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum per viſionem corpoream à glorificato viſu, ſi hic ſit futurus idem omnino, ac modo?

1 APPOSVI in Sectionis titulo, *per viſionem corpoream*; nam an per ſpiritualem? diſquiram in ſect. 2. Appoſui deinde *à glorificato viſu ſi hic &c.* Nam ſi futurus ſit aliquantulùm diuerſus diſquiram in ſect. 3. an tunc ab eo videri poſſet? Difficultati, vt propoſita eſt, Reſpondeo non ſolum negatiuè, ſed & aſſero, eſſe prorſus impoſſibile, videri Deum per viſionem corpoream ab oculo glorificato, qui futurus ſit idem omnino, ac modò in vita mortali. Aſſertioni huic fauent iam cuncti Thologi, quorum, vt & ſacrarum Litterarum, Patrúmque Eccleſiæ circa illam authoritas expendetur latè in ſect. 3. De reddenda ratione à priori ſoliciti ſunt omnes: ideóque varias adinuenerunt; quas ego non ſine obſeruantia prætermittens, aleæ, & examini ſequentem ſubiicio.

2 Corporea facultas viſiua de facto exiſtens, nequit ex natura rei percipere Deum vitaliter per viſionem corpoream: itavt impotentia hæc fundetur in improportione ipſius, ſub ratione etiam facultatis vitalis. Ergo nec diuinitus eleuari poterit ad percipiendum Deum vitaliter per viſionem corpoream. Antecedens quoad primam partem vel exinde conſtat, quòd corporea facultas viſiua de facto exiſtens naturalis eſt in entitate, ideóque non magis ipſa, quàm intellectus naturalis Humanus aut Angelicus, imò multò minus valebit virtute ſua natiua aſſurgere in Dei viſionem, quæ ipſi ſupernaturalis deberet eſſe. Conſtat rurſus, quia nunquam experti ſumus viſionem Dei elicitam à noſtris oculis. Si verò naturaliter fieri poſſet, contigiſſet aliquando, quandoquidem non deſit applicatio Dei ad noſtros oculos; defectus verò alterius requiſiti excogitaretur ſine fundamento; & quamuis ex accidenti aliquo talis defectus daretur, non tamen per ſe naturaliter, imò aliquando naturaliter deberet non dari, vt euenit in aliis potentiis naturalibus, tam phyſicis, quàm intentionalibus, præſertim neceſſariis. Idem Antecedens quoad ſecundam partem probatur primò, quia præfata facultas ſub ratione vitalis adſtricta eſt ex natura ſua ſpecifica, vt docet experientia, ad videndum lucem, & colorem. Deus autem neque eſt lux, neque color. Secundò, quia naturaliter, quà eſt facultas vitalis, nequit abſtractiuè, vt etiam docet experientia, percipere vitaliter Deum. Ergo multò minus poterit intuitiuè. Tertiò, quia cùm dicta facultas, & lapis v.g. ſint naturaliter impotentes percipere vitaliter Deum, opus eſt, vt illius impotentia ſpecialis fundetur in ratione principij vitalis, vti huius impotentia fundatur in defectu talis principij. Et hæc pro Antecedentis probatione.

3 Munio conſequentiam: Impotentia in ratione facultatis & principij vitalis, nequit vinci niſi per iuuamen, & eleuationem alterius vitaliter cooperantis; ſed Deus non poteſt facultati viſiuæ corporeæ præbere iuuamen, & eleuationem, tanquam vitaliter cooperans ad viſionem corpoream ſui. Ergo facultatem illam eleuare diuinitus nequibit, vt per hanc viſionem percipiat vitaliter ſeipſum. Conſequentia caret næuo. Minor non deſiderat probationem, cùm pereat, non poſſe Deum vitaliter cooperari vlli principio viuenti creato. Suadeo Maiorem: iuuamen, & eleuatio præſtita in alio genere, quàm in eo, in quo datur impotentia ad aliquem effectum, caſſa eſt, & ſuperuacanea. Si enim haberes impotentiam ad leuandum pondus aliquod magnum, nullatenus iuuareris ab alio homine præbente tibi pecunias, aut clamoribus feriente tuas aures; quare vt iuuareris ab eo, deberet vnà tecum leuare pondus. Exhibeo aliud Exemplum: Aër eſt impotens naturaliter ad efficiendam lucem: fingo, eſſe etiam naturaliter impotentem ad eam recipiendam. Rogo, an ex eo, quòd eleuaretur, iuuaretúrque ad effectionem lucis, eleuaretur, iuuaretúrque ad receptionem? Sed quia admiſſis duobus exemplis allatis, negari adhuc poteſt, ſuperuacaneam ſemper eſſe eleuationem præſtitam in alio genere, quàm in eo, in quo datur impotentia ad aliquem effectum; ideò ſuadeo iterùm Maiorem à paritate; Impotentia in ratione principij efficientis præciſè non poteſt ſuperari niſi per iuuamen alterius coefficientis. Ergo ſimiliter impotentia in ratione principij efficientis vitaliter non valet ſuperari niſi per iuuamen alterius coefficientis vitaliter.

4 Dices primò; Deus ſupplet in genere cauſæ efficientis impotentiam, quam habet anima in genere cauſæ materialis ad recipiendam vnionem hypoſtaticam, aut gratiam habitualem ſanctificantem. Ergo impotentia in vno genere poteſt vinci per iuuamen præſtitum in alio. Ergo impotentia corporei oculi in ratione principij vitalis ad percipiendum vitaliter Deum poterit ab hoc vinci per iuuamẽ collatum in genere principij præciſè coefficientis. Reſpondeo primò; animam, qua ratione eſt ſubiectum receptiuum vnionis hypoſtaticæ, aut gratiæ habitualis, non eleuari à Deo operante in genere cauſæ efficientis. Etenim anima habet potentiam receptiuam, quaſi neutram reſpectu vnionis, & gratiæ, denique cuiuſlibet ſupernaturalis; & hac de cauſa, vt recipiat iſthæc, non iuuatur per aliquid ſupernaturale, in quo iſthæc ſimul recipiantur. Hinc cùm anima recipit vnionem, aut gratiam, intercedit miraculum, & ſupernaturalitas ex eo præciſè, quòd producantur in ipſa à Deo entitates, quæ ſint ſupra vires actiuas totius naturæ: idque ſufficit, vt ſint quoad ſubſtantiam ſupernaturales, quin requiratur, eas eſſe ſupra totius naturæ paſſiuas vires, quâ paſſiuæ ſunt præciſè. Vrgebis, plus eſt, animam recipere vnionem hypoſtaticam, quàm aërem recipere lucem: Ergo quia receptio vnionis eſt ſupra vires paſſiuas animæ. Annuo Antecedenti, quia vnionis receptio in anima eſt ſupra vires actiuas totius naturæ; ſecus receptio lucis in aëre. Vnde conſtat deduci malè conſequentiam. Quòd ſi inſtes, Ergo anima ex ſolis naturalibus eſt potentia receptiua vnionis. Nego, ſi per ſola naturalia denotes connaturalem exigentiam animæ ad recipiendam vnionem, ſecluſâ omni eleuatione actiua. Concedo verò ſi denotes, quòd anima ex ſe, ſuppoſitâ eleuatione actiuâ non exactâ ab ipſa, ſit potentia receptiua adæquata vnionis. Nec ideò erit potentia naturalis receptiua; hæc enim ſignificat potentiam exigentem formæ, quam recipit, aut potentiam neutram formæ recipiendæ, cuius productio non ſuperet actiuas totius naturæ vires. Si prætereà inſtes, lumen gloriæ eleuat animam

humanam, vt videat Deum, ſic enim traditur à Concilio Viennenſi relato in Clementina *Ad noſtrum* de Hereticis. Aſt videre, dicit non tantùm efficientiam viſionis, ſed etiam receptionem. Ergo anima humana eleuatur non tantùm vt efficiens; ſed etiam vt recipiens viſionem. Quapropter dabitur eleuatio potentiæ receptiuæ vt talis reſpectu donorum ſupernaturalium. Occurro inquiens cum Petro Vuadingo diſput. 7. de Incarnatione dub. 5. numer. 50. lumen gloriæ eleuare intellectum, vt Deum videat, qua parte videre dicit efficientiam; non verò quà dicit ſuſtentationem viſionis, & in priori ſenſu intelligendum Concilium Viennenſe. Doctrina indicata in hac reſponſione, inſignes ſortitur patronos requirendos apud Ripaldam tom. 1. de ente ſupernaturali diſp. 5. & 8. ſed non patiar abire innominatum Ægidium Conink, vnum ex præſtantioribus Noſtræ Societatis Theologis.

5 Reſpondeo ſecundò; Impotentiam in genere cauſæ materialis poſſe vinci per iuuamen præbitum in genere cauſæ efficientis, quia influxus effectiuus eſt ſuperior materiali. Cæterùm impotentiam in genere cauſæ vitalis non poſſe vinci per iuuamen exhibitum præcisè in genere cauſæ efficientis, quia hic influxus eſt ex ſuo conceptu inferior, & ignobilior vitali. Quare ſicut influxus effectiuus non poteſt ſuppleri per materialem, quia eſt ſuo ex conceptu inferior, quàm ille; ita ſuppleri non valebit influxus vitalis per effectiuum præcisè. Cùm ergo impotentia intrinſeca animæ ad recipiendam vnionem, aut gratiam iuuari poſſit per influxum effectiuum ſuperiorem, non verò impotentia intrinſeca facultatis viſiuæ ad percipiendum vitaliter Deum, mirum non erit, ſi illa diuinitùs recipiat vnionem, aut gratiam, & hæc nullatenus poſſit percipere vitaliter Deum.

6 Cui proxima attiſerit Reſponſio, efformet ſic argumentum pro repugnantia videndi Deum oculis corporeis de facto exiſtentibus. Si hi eleuarentur ad videndum Deum, deberent eleuari non aliter, quàm per iuuamen præſtitum à Deo in genere principij præcisè coefficientis; ſiquidem impoſſibile eſt, præſtari ipſis à Deo iuuamen in genere principij coefficientis vitaliter. Sed iuuamen in genere principij præcisè coefficientis eſt iuuamen in genere principij ex conceptu ſuo ignobiliùs influentis, quàm principium vitale influat. Ergo eſt fruſtraneum, & inutile, vt per illud eleuentur oculi corporei nunc exiſtentes ad perceptionem vitalem Dei, ad quam ſunt naturaliter impotentes in ratione principij vitalis. Non abſimili argumento mouentur Petrus Hurtadus diſp. 12. Phyſicorum ſect. 5. & ſubtiles alij Recentiores, vt aſſerant, entitates per ſe creabiles nec diuinitus generari poſſe, quia defectus actionis creatiuæ terminatæ ad animam rationalem verbi gratia, ſuppleri nequit per actionem generatiuam, cùm hæc ignobilior ſit, quàm illa, ſiue illa conſiſtat in volitione diuina, ſiue in modo aliquo ſuperaddito: & nobilior actio inſupplebilis eſt per ignobiliorem, niſi nobilior exigatur ab effectu ex ſolo connaturalitatis titulo. Addunt id propter viſionem beatam, quæ etſi naturaliter exigat concurſum obiectiuum immediatum diuinæ eſſentiæ, poteſt tamen fieri diuinitus per actionem ortam ab ſpecie impreſſa creata, ac proinde ignobiliorem actione orta ab eſſentia diuina, vt obiecto motiuo. Sed quia rogati, cur actio creatiua non exigatur ab anima rationali ex ſolo connaturalitatis titulo; videntur petere principium, dum Reſpondent, deficere generatiuæ actioni virtutem ad producendam animā: ideo & argumentum ipſorum, & germanum noſtrum perſeuerare indemne, admiſſa poſſibilitate ſpeciei impreſſæ in Dei viſionem, putarem exinde, quòd actio ſpeciei impreſſæ, etſi ignobilior actione eſſentiæ diuinæ vt obiecti motiui, contineretur tamen ſub eodem genere, vtraque enim eſſet generatiua: & tunc actio vna ſuppleri poteſt per aliam ignobiliorem, quando genus vnius diuerſum non eſt à genere alterius, vti diuerſum eſt genus actionis creatiuæ à genere actionis generatiuæ, & genus actionis vitalis à genere actionis efficientis præcisè. Quam ob cauſam in locum actionis creatiuæ ſubſtitui non poterit generatiua; neque in locum vitalis actio præcisè efficiens: quemadmodum neque in locum huius actio ſolius cauſæ materialis ſubrogari valet; etſi actio cauſæ materialis foret ſupernaturalis, & efficientis cauſæ actio, pro qua ſubrogaretur, naturalis eſſet, & ex hoc capite excederetur in perfectione naturalis à ſupernaturali. Et hinc eneruatur ratio, quà Franciſcus Alfonſus diſp. 15. Phyſicorum num. 30. conatur infirmare argumentum Hurtadi; ſatis enim non eſſet, quòd actio generatiua animæ ſuperaret in perfectione creatiuam naturalem ob genus ſupernaturalitatis; cùm ſemper actionis, vt generatiuæ conceptus, & genus eſſet diuerſum, & ignobilius.

7 Reſpondeo tertiò; impotentiam naturalem animæ ad vnionem hypoſtaticam, vel gratiam habitualem poſſe vinci per eleuationem diuinam. quia vt illa recipiat vnionem, vel gratiam, non eſt opus prodire in aliquem influxum phyſicum diuerſum formaliter ab extrinſeco Dei: E contra verò impotentiam oculi corporei ad percipiendum Deum non poſſe vinci per eleuationem diuinam; nam cùm opus eſſet, vt aſſurgeret ille in influxum vitalem ſuperiorem ſuis viribus naturalibus in ratione principij vitalis, inefficax eſſet, & inualida eleuatio in genere cauſæ extrinſecus influentis. Tum quia talis eleuatio neque haberet, neque augeret virtutem influxiuam vitaliter, vt potè quæ extrinſeca eſſet. Tum quia formaliter non communicaret perceptioni vitalitatis formalitatem; hac autem non communicata, ſi anteà non poterat oculus aſſurgere in perceptionem Dei, neque poſt eleuationem poſſet. Non diſplicebit (ni fallor) iſta ſolutio iis, quibus non eſt acceptus cauſæ materialis ſuſtentatiuæ influxus phyſicus, de quo in Exerc. 6. ſect. 5. Eo tamen conceſſo, inſiſtere ex parte licet Reſponſioni datæ. Etenim influxus vitalis vt condiſtinctus ſiue realiter, ſiue formaliter ab influxu phyſico cauſæ materialis ſuſtentatiuæ, debet oriri à principio, quod ex ſe, & ab intrinſeco ſe moueat in ipſum; influxus autem cauſæ materialis, non ſic ab ea oriri debet; ſed ſatis eſt, ſi fiat ex ea, ſiue ex ſe, & ab intrinſeco mouente ſe, ſiue ex alio, & ab extrinſeco motâ in illum. Hinc poteſt facere eleuatio animæ, vt hæc ex qua nequibat naturaliter oriri influxus in vnionem, vel gratiam, moueatur iam ſufficienter in talem influxum; cùm tamen præſtare non poſſet eleuatio oculi corporei, vt influxus in perceptionem Dei ſic oriretur ab oculo, vt hic moueret ſe ex ſe, & ab intrinſeco, & proinde ſufficienter in influxum, qui naturaliter ex eo oriri nequibat ante eleuationem, non ſolùm titulo ſupernaturalitatis, quæ reperiretur in perceptione Dei, ſed etiam titulo vitalitatis.

8 Dices ſecundò; Etſi aqua v.g. ſit impotens naturaliter ad producendam gratiam habitualem,

nihilomi

nihilominùs eleuari poteſt diuinitùs ad eius productionem. Ergo pariter naturalis impotentia facultatis viſiuæ non obſtabit, ne diuinitùs eleuari queat. Nonnulli, etſi admittant potentiam obedientialem actiuam non vitalem, negant tamen Antecedens, quia ſolùm agnoſcunt potentiam obedientialem actiuam, non vitalem ad producendum effectus naturales altiori, vel diuerſo modo, quam quo poſſunt naturaliter. Vnde aſſerunt, aquam non poſſe eleuari ad efficiendam gratiam habitualem, quia hanc cauſare nequit naturaliter vllo modo. Et ſimiliter affirmant, oculum noſtrum corporeum non poſſe euehi ad videndum Deum, eſto poſſit noſter intellectus; nam oculus non poteſt naturaliter vllo modo attingere Deum intentionaliter; poteſt verò intellectus; ideóque hic, & non ille eleuabilis eſt ad perceptionem Dei intuitiuam altiorem abſtractiua, cuius naturaliter eſt capax intellectus, non verò oculus. Non placent, nam ſi intellectus eleuatur ad Dei efficiendam viſionem, quam nullo modo poteſt producere naturaliter, & ignis eleuari valet ad caloris creationem ſuperantem natiuas ipſius vires; quid cauſæ eſt, ne ignis, aut aqua queat euehi ad generandam gratiam habitualem? Satiùs itaque eſt, admiſſo Antecedenti, negare conſequentiam. Ratio diſcriminis, quia aquæ præberi poteſt iuuamen & eleuatio in genere cauſæ efficientis, in quo ipſa eſt impotens naturaliter: aſt facultati viſiuæ non poteſt præberi in genere cauſæ efficientis vitaliter, in quo eſt & conceditur naturaliter improportionata. Sic fermè tu ipſe Reſpondere debes, ſi rogeris, cur aqua eleuari nequeat ad videndum Deum, queat verò ad producendam gratiam? Teneris, ſin minùs, in medium afferre diſcrimen aliquod.

9 Dices tertiò; Intellectus creatus naturalis eſt improportionatus ex natura rei in ratione principij vitalis videre Deum intuitiuè, eleuatur tamen de facto per lumen gloriæ intrinſecum, poteſtque eleuari de potentia abſoluta Dei per auxilium extrinſecum ſupernaturale, quin tamen intrinſecum lumen gloriæ, aut Deus per auxilium extrinſecum debeant operari vitaliter. Ergo pariter, *&c.* Reſpondeo, intellectum creatum naturalem ſub ratione quidem principij efficientis eſſe naturaliter impotentem videre Deum; non verò ſub ratione principij vitalis. Cuius triplex eſt indicium. Primũ, quòd poteſt naturaliter, licèt imperfectè, & abſtractiuè percipere vitaliter Deum. Secundum; quòd ſi extrinſecùs infuſam à Deo reciperet, aut ſuſtentaret purè viſionem beatam, viueretque intentionaliter per eam, vt nonnulli cenſent cum Arriaga, ſæpè tam in Philoſophicis, quàm in Theologicis, tunc quidem, quia intellectus effectiuè in viſionem non influeret, non alia ad viſionem daretur eleuatio ſupernaturalis, quàm quæ datur in anima ad recipiendam gratiam habitualem iuxta varios modos ſuprà propoſitos; nullus autem ex illis modis ſpectaret ad eleuationem in ratione principij vitalis. Sed quia hoc indicium eſt valdè litigioſum, appono tertium acceptum exinde, quòd viſio Dei, & quiuis actus intellectualis ſupernaturalis exigit produci ab intellectu creato, quà hic eſt principium vitale, & non præcisè quà eſt efficiens; quin intellectus, quà eſt efficiens, exigat è conuerſo producere viſionem, quemuíſve alium actum intellectualem ſupernaturalem. Quapropter intellectus non eleuatur à lumine gloriæ, vel ab auxilio extrinſeco ad viſionem, quà ratione eſt principium vitale, ſeu titulo principij vitalis; ſed qua ratione eſt principium efficiens, ſeu titulo principij efficientis: & proinde lumen gloriæ, aut auxilium extrinſecum non debent operari vitaliter ſimul cum intellectu, quem eleuant, ac iuuant. Replicabis: principium vitale vt vitale, eſt principium efficiens. Ergo ſi intellectus formaliter eleuatur, qua ratione eſt principium efficiens, eleuabitur etiam qua ratione eſt vitale. Fateor, principium creatum vitale, vt vitale eſſe, formaliter efficiens; ſed non è regione. Vnde optimè intelligitur eleuatio ſub ratione formali principij efficientis, quin opus ſit intelligere eleuationem ſub ratione formali principij vitalis: quemadmodùm poteſt intelligi animal, quin concipiatur homo, licet non è conuerſo; quia ſcilicet principium efficiens, & vitale, animal, & homo, non conuertuntur mutuò.

10 Dices quartò; Ex ingenioſo Neotherico, qui cum in publicis diſputationibus audiſſet ex meo ore rationem hactenùs propoſitam, & vendicatam ab obiectionibus, poſteà in ſcriptis ſic inſurrexit, tum quia expenſa ratio non affert aliud, quàm Deum non eſſe obiectum connaturale facultatis viſiuæ corporeæ; tum quia ſi, vt tentatum eſt in numero quarto intellectus recipit vi ſua quaſi neutra viſionem Dei, dummodò ſupernaturaliter efficienter concurrat Deus, cur etiam non dicetur facultas viſiua corporea receptiua vi ſua, quaſi neutra viſionem Dei, dummodò ſupernaturaliter efficienter concurrat Deus? Ad primum reſpondeo, rationem expenſam ſupponere vnum, & afferre aliud. Supponit quidem facultatem viſiuam corpoream de facto exiſtentem eſſe ex natura rei inhabilem in ratione principij vitalis ad percipiendum vitaliter Deum; quia hic non eſt obiectum connaturale ipſius. Affert aliud, ſcilicet cauſam à priori, ob quam nequeat diuinitùs vinci præfata inhabilitas, quin recidat in principium, quod vertitur in quæſtionem; vti recidunt, qui contenti ſunt, ſi ſolummodò dicant, ideo facultatem viſiuam non poſſe eleuari ad videndum Deum, quia nulla potentia vitalis trahi valet extra ſuum obiectum connaturale, quale non eſt Deus reſpectu viſiuæ corporeæ. Si quidem rogati, cur nulla potentia vitalis trahi valeat ſupernaturaliter extra ſuum obiectum connaturale, cùm tamen concedant, potentiam purè efficientem trahi valere extra ſuum terminum naturalem? non afferunt cauſam à priori. Aſt ego illam affero. Ad ſecundum conſtabit ex ſect. 2. num. 29. Interim tamen non ſilebo, ex propria ſententia nunquam à me conceſſum, per viſionem beatam productam efficienter à ſolo Deo, & receptam in potentia ſuſtẽratiua quaſi neutra intellectus creati reddendum hunc intelligentem, aut videntem.

11 Dices quintò ex alio Moderno arguente ſic contra me, quamuis oculus non viueret naturaliter per aliquam Dei perceptionem, poſſet eſſe determinatus ab intrinſeco ad producendam materialem, ſupernaturalémque Dei intuitionem, & ad eam recipiendã, caſu quo talis intuitio efficienda eſſet ſupernaturaliter: idque ſufficit vt videret per illam, vti ſufficit in intellectu noſtro ſimilis determinatio ab intrinſeco reſpectu ſpiritualis intuitionis terminatæ ad Deum, vt viuat per ipſam quando ſupernaturaliter producitur. Reſpondeo, impoſſibilem eſſe Dei viſionem materialem, ſuper-

naturalémque, ad quam detur præfata determinatio in oculo noſtro tanquam in ſubiecto capaci videndi Deum, non ſecùs ac eſt impoſſibilis perceptio, ad quam lapis habeat talem determinationem: ſicut enim Deus nequit eleuare lapidem, vt viuat per aliquam perceptionem, ita nequit eleuare noſtrum oculum, vt viuat per viſionem materialem, ac ſupernaturalem terminatam ad ipſummet Deum, tam enim repugnat, potentiam vitalem euehi ad viſionem obiecti, reſpectu cuius eſt ſuopte genio improportionata in ratione potentiæ vitalis, quàm repugnat, potentiam non vitalem euehi ad viuendum perceptione aliqua: Diſparitas inter oculum noſtrum, & intellectum, liquet ſatis ex ſuperioribus.

12 Dices ſextò; in patria intuebimur oculis corporeis de facto exiſtētibus claritatem, & lucem corporum glorificatorum, licet improportionati ſint in ratione principij vitalis ad eius perceptionem, vt colligitur tum ex eo, quòd non habeamus nunc experientiam perceptionis exercitæ circa talem lucem, tum ex eo, quòd naturalis perceptio ſiue abſtractiua, ſiue intuitiua illius lucis nequeat dari in oculis corporeis de facto exiſtentibus; nam abſtractiua aliena prorſus eſt à ſenſibus noſtris externis reſpectu cuiuſuis obiecti; intuitiua autem reſpectu obiecti ſupernaturalis, quale eſt illa lux, ſi non poteſt dari in intellectu creato naturali, multo minùs in oculis corporeis naturalibus nunc exiſtentibus. Reſpondeo, glorificatorum corporum lucem, quæ ipſorum ſit dos, naturalem eſſe in entitate, & corporeos noſtros oculos tam in ratione principij vitalis, quàm efficientis proportionatos eſſe ad intuitiuam eius perceptionem, quæ in via ſæpe habita eſt ab oculis mortalibus, vt probaui in exercitat. 10. ſect. 5. ideò autem nunc non experimur, quia ea lux non applicatur oculis noſtris. Sed de hoc latè in exercit. 32. ſect. 4. vbi eius lucis ſupernaturalitatem impugnabo; quia alioqui ſequeretur fore, vt nec diuinitus videri poſſet ab oculis glorificatis: & in num. 45. adducam rationes à poſteriori pro ineleuabilitate facultatis viſiuæ corporeæ nunc exiſtentis ad percipiendum vitaliter Deum. P. Arriaga diſputat. 5. Animaſtica num. 16. vltrò admittebat, ſi in Empyreo eſſet aliqua lux ſupernaturalis, eam nec diuinitùs videndam ab oculis corporeis, ſed ab intellectu. Perſuaſerim mihi, hunc Authorem tunc non toleraturum, vt alia lux naturalis in Empyreo non poneretur; nam ſi ſecus eſſet, carerent beati homines mutuis conſpectibus, haberéntque ſe vti cæci in præſentia meridianæ lucis, dicerentque cum Tobia cap. 5. v. 12. *Quale gaudium nobis erit, qui in tenebris ſedemus, & lucem cœli non videmus?* aut ſi aliqua lux ab eis videretur, diſtaret longiſſimè ſub Empyreo; non aliter, ac nocte obſcura cernitur à nobis ignis remotiſſimo in monte emicans. Itaque vel non admittatur, lucem in Empyreo coruſcantem eſſe ſupernaturalem; vel ſi ſupernaturalem eſſe concedatur, non negetur videndam ſaltem diuinitùs à glorificatis oculis. Et ſic poſteà non negauit præfatus Author tom. 2. in 1. p. diſp. 56. ſect. 2. ſubſect. 6.

13 Dices ſeptimò; intellectus ſiue humanus, ſiue Angelicus eleuari poteſt diuinitus ad cognitionem euidentem tam abſtractiuam, quàm intuitiuam vnionis hypoſtaticæ; cùm tamen reſpectu huius æquè ſit improportionatus in ratione principij vitalis, ac reſpectu Dei, & lucis ſupernaturalis eſt improportionatus noſter oculus corporeus; ſiquidem vnio hypoſtatica nullatenùs cognoſci valet naturaliter ab intellectu ſiue humano, ſiue Angelico. Reſpondeo, vnionem hypoſtaticam naturaliter cognoſci poſſe probabiliter, & coniecturaliter ſiue ab homine, ſiue ab Angelo; ſicque cognitam fuiſſe à Dæmonibus, tradunt Eccleſiæ Patres apud Ripaldam tom. 1. de ente ſupernaturali diſputat. 11. ſect. 6. Hinc à fortiori colligitur, dona alia ſupernaturalia, non adeò excellentia, neutiquam ſuperare notitiam probabilem, & coniecturalem luminis naturalis Angelici. Idémque putandum eſt de humano; maximè cùm ad eam notitiam ſatis ſit, quòd in poſſibilitate vnionis hypoſtaticæ, vel viſionis beatæ v. gr. non appareat vlla terminorum contradictio. Si ergo vnio hypoſtatica naturaliter cognoſci poteſt probabiliter à nobis, & ab Angelis, ſequitur, neque noſtrum, neque Angelicum intellectum in ratione principij vitalis eſſe improportionatum reſpectu illius.

14 Dices octauò; Trinitatis Myſterium nulla ratione à nobis, vel ab Angelis cognoſci poteſt naturaliter; cùm tamen poſſit diuinitus non tantùm vtcumque cognoſci, ſed etiam videri intuitiuè. Reſpondeo, nos poſſe naturaliter aſſentiri Myſterio Trinitatis per fidem quandam humanam, qui ſit actus imperfectus, incertus ac formidoloſus, vt declarat Suarez lib. 1. de Trinitate cap. 12. num. 7. idque ſufficit, ne quando eleuatur humanus intellectus ad cognitionem perfectam, certam, & ſecuram, ſiue obſcuram, ſiue claram Myſterij Triados, dicatur euehi ad obiectum nulla ratione cognoſcibile naturaliter. Poſſet etiam quis Reſpondere, dum ſupernaturaliter cognoſcitur Deus vt trinus, cognitionis obiectum idem realiter eſſe, ac eſt Deus vt vnus: quare cùm Deus vt vnus ſit cognoſcibilis naturaliter à nobis, iam ſupernaturalis perceptio Dei vt trini, non terminatur ad obiectum, quod realiter in ſe nulla ratione ſit perceptibile à nobis naturaliter. Sed quid cenſendum ſit de hac Reſponſione colligetur facilè ex num. 104.

15 Dices nonò; Lux, & color exiſtentes indiuiſibiliter, vel in vno puncto ſpatij, vel in pluribus partibus eiuſdem ſpatij diuiſibilis nequeunt naturaliter videri ab oculis noſtris corporeis; tum quia in hos nequeunt naturaliter tranſmittere ſpecies impreſſas ob defectum extenſionis localis requiſitæ connaturaliter per modum conditionis, vt materiale quodlibet agens operetur tranſeunter; ſine ſpeciebus autem impreſſis non valent naturaliter noſtri oculi prodire in viſionem. Tum quia lux, & color prædicto modo exiſtentes, vel viderentur ſine modo, vel cum modo exiſtendi indiuiſibiliter? Si cum modo; Ergo non naturaliter; quandoquidem modus ille eſſet ſupernaturalis entitatiuè, & omnino diuerſus à modo exiſtendi quantitatiuè, & extenſè, pertinentéque vt ſenſibili communi connaturali ad oculos corporeos. Si abſque modo; Ergo nec tunc naturaliter viderentur; quia videre lucem, & colorem ſine præſentia aliqua ad ſpatium locale excedit vires naturales noſtrorum oculorum, quorum perceptio, vtpote intuitiua, debet ſaltem ex natura rei terminari ad obiectum vt exiſtens à parte rei: & quia lux, ac color non poſſunt naturaliter producere ſpecies impreſſas ſeorſim à præſentia ad ſpatium locale. Et licet poſſent naturaliter, ſeu

Digitized by Google

ſeu abſque nouo miraculo ex ſuppoſitione prioris conſiſtentis in modo exiſtendi indiuiſibiliter; tamen ſpecies productæ ſeorſim ab iſto modo haberent ex alio capite ſupernaturalitatem, nimirùm ex defectu extenſionis localis in luce, & colore, à quibus producerentur. Tunc ſic: ſed his non obſtantibus, non repugnat eleuari diuinitus noſtros oculos, vt videant lucem, & colorem exiſtentes indiuiſibiliter, vel in vno puncto ſpatij, vel in pluribus partibus eiuſdem ſpatij diuiſibilis. Ergo neque repugnabit eleuari diuinitus, vt videant Deum, & lucem ſupernaturalem. Minor conceditur ab omnibus illis, qui exiſtimant, Chriſti Domini corpus exiſtens ſub ſpeciebus Sacramentalibus totum in toto ipſarum ſpatio, & totum in ſingulis ſpatij partibus videri poſſe diuinitus per oculos noſtros eleuatos. Ita Dominicus Soto in 4. diſt. 10. q. 1. art. 7. Victoria in Summa v. *Euchariſtia* n. 61. Granad. in controu. de Euchariſtia, tract. 6. diſp. 3. ſect. 2. n. 14. cum Vaſquio, Valentia, Henriquez, aliiſque antiquioribus, & nuper Cardinalis Lugus diſp. 9. de Euchariſtia ſect. 2. n. 20. Franciſcus Alfonſus diſp. 9. de Anima ſect. 6. n. 62. Luiſius Turrianus in ſelectis part. 1. diſp. 15. dub. 2. & 3. Yſambertus 3. p. ad q. 76. diſp. 4. art. 2. Franciſcus Amicus tomo de Sacramentis diſp. 21. ſect. 1. Ouiedus controu. 13. de Anima punct. 1. §. 3. Conink 3. p. quæſt. 76. art. 7. à num. 108.

16 Tamen non deſunt multi, qui oppoſitum exiſtiment. Sic Suarez tom. 3. in 3. in 3. p. diſp. 53. ſect. 4. in concluſione 2. cum Capreolo, Paludano, Hiſpalenſi, Durando, Richardo, Ægidius Romanus propoſitione 15. & 16. de corpore Chriſti, Leſſius 3. p. q. 76. art. 7. Rubius lib. 2. de Anima cap. 6. q. 12. à num. 156. vt omittam alios. Et ſanè quòd modus præſentiæ definitiuæ, quem habet Chriſti corpus in Euchariſtia, conueniat cum ſenſibili communi extenſionis localis, pertinente connaturaliter ad oculos noſtros corporeos, in ratione præſentiæ ad ſpatium, ſatis non eſt, vt inferatur à Lugo, & Alfonſo, modum illum contineri intra latitudinem obiecti viſibilis inſtar ſenſibilis communis. Etenim modus præſentiæ definitiuæ Angelicæ, etſi in ratione præſentiæ conueniat cum extenſione locali, non ideo continetur intra latitudinem obiecti ab oculis corporeis perceptibilis inſtar ſenſibilis communis. Neque valebit diſcrimen deſumptum ex ſpiritualitate præſentiæ definitiuæ Angelicæ; nam & ego dicam, ſupernaturalitatem præſentiæ Euchariſtiæ facere, vt, etſi materialis ſit, non contineatur intra eam latitudinem. Neque item valebit pro viſione plurium partium lucis replicatarum in eadem parte, vel puncto ſpatij paritas deſumpta ex vnico lucis indiuiſibili, quod ſi conſeruaretur à Deo ſine aliis, poſſet diuinitùs videri ab oculis noſtris: nam tale indiuiſibile haberet præſentiam materialem, & naturalem, extenſam per ſe in actu primo, ſicque viſibilem, eſto ob ſeparationem ab aliis lucis indiuiſibilibus, præſentiiſque ipſorum, vel nequiret naturaliter emittere ſpeciem impreſſam ſui, vel emitteret tam remiſſam, vt non ſufficeret mouere oculos ad viſionem. Quare ſupplente Deo aut actiuitatem aliorum indiuiſibilium in ſpeciem, aut huius actiuitatem in viſionem, poſſent oculi prodire in viſionem non naturaliter, ſed ex eleuatione, eo quòd viſio eſſet ſupernaturalis quoad modum. Et fortè poſſibilis eſt oculus adeò acutus, vt, ſi indiuiſibile lucis ſeparatum ab aliis indiuiſibilibus emitteret naturaliter ſpeciem ſui, moueretur ſufficienter per talem ſpeciem ad viſionem; túncque hæc, neque quoad modum eſſet ſupernaturalis, neque ille vlla indigeret eleuatione. Ex quibus patet diſparitas ad viſionem plurium partium lucis replicatarum in eadem parte, vel puncto ſpatij. P. Ludouicus de Ribas tom. 1. ſummæ Theologicæ tract. 3. diſp. & cap. 1. num. 5. cùm cenſeat indiuiſibile lucis nec diuinitùs percipi poſſe oculo corporeo; quia tale indiuiſibile, ſeparatum ab aliis, non eſt lux, neutiquam de diſparitate curaret. Mihi tamen videtur, negari non poſſe eſſe lucem; licet redactam ad indiuiſibile. Quid enim eſt niſi lux ſit? Loquor in ſententia Zenonis de compoſitione continui; nam in Ariſtotelica aut non dantur indiuiſibilia, aut inſeparabilia ſunt à partibus, quarum continuationi, vel terminationi deſeruire tantùm poſſunt, & adhuc vt coniuncta ipſis non ſunt per ſe, atque immediatè perceptibilia ſenſibus. Sed de indiuiſibili redibit ſermo in *n. 97.*

17 Vt obiectioni breuiter, & abſolutè Reſpondeam, noto, aliud eſſe loqui de viſione, quæ tantùm percipiat lucem (intellige idem de colore) aliud de viſione, quæ etiam percipiat modum indiuiſibiliter, exiſtendi. Secunda hæc viſio prorsùs repugnat oculis noſtris corporeis, quia ſunt improportionati, in ratione principij vitalis, quoad modum illum percipiendum; vti ſunt ſimiliter improportionati quoad percipiendum modum indiuiſibiliter exiſtendi, quem habet Angelus. Prima autem viſio non repugnat de potentia abſoluta, quia etſi oculi noſtri non poſſint naturaliter percipere lucem, quæ exiſtat indiuiſibiliter, id tamen non prouenit ex improportione in ratione principij vitalis; ſed ex defectu alicuius conditionis connaturaliter requiſitæ, qualis eſt localis extenſio, vt lux emittat ſpecies impreſſas, ſine quibus oculi nequeunt naturaliter videre. Vnde ſi eius conditionis defectus ſuppleatur diuinitùs productis ſpeciebus vel à ſolo Deo, vel à luce ex eleuatione diuina, aut ſi ſuppleatur ſine ſpeciebus gerente Deo effectiuas ipſarum vices, poterunt iam videre; vti oculi Chriſti Domini ſine extenſione locali in Euchariſtia poterunt videre aëream lucem circumfuſam, ſi defectus extenſionis localis ſuppleatur in eis diuinitùs; neque apparet, cur, ſi ſuppleri poſſet hic defectus, non poſſit ſuppleri ille alius. Quòd ſi dicas extenſionem localem adintegrare obiectum viſionis cuiuſuis corporeæ, vti lux adintegrat obiectum viſionis percipientis colorem: & tam repugnare oculis viſionem lucis ſine extenſione exiſtentis, quam repugnat viſio coloris non illuminati. Contrà, quia apud plures extenſio non percipitur oculis tanquam obiectum vel inadæquatum; & licet percipiatur, non tamen tanquam ratio formalis percipiendi lucem; quin potiùs hæc eſt Ratio formalis percipiendi illum. Ex quo deducit Alfonſus ſect. 5, num. 39. & 50. Lucem, quæ ſit localiter inextenſa, poſſe diuinitùs percipi, non ſic extenſionem ſine luce. Et cùm iſte Author diſput. 10. ſect. 1. num. 38. & 43. ac 45. defendat, lucem illuminantem colorem non eſſe rationem formalem percipiendi colorem, ſed conditionem connaturalem, vt color producat adæquatè ſpeciem ſui, debebit conſequenter opinari poſſe diuinitus percipi colorem ſine luce, & ita tradit expreſsè Conink vbi ſuprà num. 11.

18 Reſtat dubium, quandoquidem viſa luce non videretur modus indiuiſibiliter exiſtendi, an videretur lux inſtar extenſæ, vel abſtrahendo ab omni præſentia ad locum? Poſſe videri inſtar extenſæ, certum mihi eſt, quia defectus extenſionis

Digitized by Google

ſionis ſuppleri poteſt diuinitus in ordine ad viſionem, non ſecùs ac defectus ipſiuſmet lucis. Poſſe videri abſtrahendo ab omni præſentia ad locum, admittent facilè, qui iudicant, præſentiam non magis percipi per oculos, quàm ſubiectum lucis. Verumtamen etſi communiter perciperetur immediatè, probabile mihi eſt cum Alfonſo diſp. illa 9. ſect. 5. à n. 40. poſſe diuinitus non percipi per viſionem, quæ non eſſet abſtractiua rigorosè; ſed intuitiua, eo quòd tenderet in obiectum exiſtens, & vt exiſtens; cui viſioni non eſſent oculi improportionati in ratione principij vitalis; ſed ex defectu cuiuſdam conditionis, ſupplebilis à Deo per potentiam abſolutam.

19 Dices decimò; Non implicat contradictionem corporea viſio, quæ ſe videat, aut quæ viſionem aliam, quin ſit lux, nec color. Ergo nec implicabit quæ attingat obiectum ſpirituale, eo quòd iſtud haud quaquam ſit lux, vel color. Reſpondeo, ſi viſiones de facto exiſtentes neque ſe, neque alias vident, quia non ſunt lux neque color, ad quæ ſolùm obiecta ſit proportionatus noſter viſus in ratione potentiæ vitalis, repugnare etiam alias noſtro viſui intuitiones, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales, quæ ſe conſpiciant, aut alias. An autem nunc exercitæ viſiones reflectant ſupra ſe, vel ſupra alias, alterius loci diſputatio eſt. Qui cenſent reflexiuas eſſe non ideo ad alias entitates, quæ neque lux, neque color ſint permittent tranſitum ex natura rei, aut etiam de potentia abſoluta vllis viſionibus; aliæ namque entitates non ſunt ratio formalis, ſub qua potentiæ viſiuæ, neque eius obiectum conſtituunt viſibile.

20 Dices vndecimò; Facultas noſtra viſiua naturaliter attingit vel explicitè, vel implicitè dependentiam, quam à Deo habet albedo, quandoquidem ea dependentia ſit indiſtincta ab entitate albedinis cognita per viſum. Si attingit explicitè eam dependentiam. Ergo & Deum; nequit enim percipi dependentia vt talis ab alio, quin illud aliud percipiatur. Si attingit implicitè. Ergo ſaltem diuinitus eleuari poteſt ad videndum Deum, non ſecùs ac intellectus noſter, quia naturaliter attingit implicitè Deum, poteſt diuinitus eleuari ad ipſum videndum. Neothericus quidam hoc argumento conuictus diſtinguit virtualiter intrinſecè in albedine formalitates dependentis à Deo, & diſgregatiuæ viſus; aitque, viſionem ſic attingere poſteriorem formalitatem, vt nec implicitè priorem: ſed vnam ab alia obiectiuè præcindat. Enim verò cum vis diſgregatiua viſus ſit quid creatum, proindéque habitudo ad Deum, & attingatur à viſu, incumbit Neotherico ipſi onus labefactandi argumenti. Ex quo vt ſummum fieret, attingi poſſe Deum abſtractiuè per viſum; nam viſio habitudinis, vt talis, contenta eſt perceptione abſtractiua extremi terminantis habitudinem, quando adhuc viſio eſt explicita. Quod ſi ſit implicita, ex partéque obiecti tantùm, & non ex parte modi, vt in caſu argumenti euenit, nulla fit illatio ad extremi cognitionem etiam abſtractiuam, & in alio ſiue ex natura rei, ſiue de potentia abſoluta. Et Deus quidē naturaliter attingitur explicitè per cognitionem abſtractiuam noſtri intellectus. Vnde nihil mirum, ſi hic ad intuitiuam queat diuinitus euehi. Quo ſit ſatis obiectioni. Patitúrque inſtantiam in ſenſus externi, aut interni actu, qui reflexè percipitur ab alio actu ſenſus ſaltem interni: quin ex eo, quòd ſenſus internus per actum reflexum attingat obiectiuè directi actus dependentiam à ſubſtantia viuente, hanc etiam percipiat naturaliter, aut percipere poſſit diuinitus: & quin directi actus dependentia à ſubſtantia viuenti ſit formalitas aliqua virtualiter intrinſecè diſtincta ab alia formalitate, quam ſenſus attingit ex parte modi in eodemmet actu.

21 Dices duodecimò; Potentia vitalis purè phyſica vt nutritiua, & loco motiua, poteſt eleuari diuinitus ad producendum vitaliter ſupernaturale aliquid, non contentum intra virtutem natiuam ipſius. Ergo & potentia vitalis intentionalis poterit eleuari diuinitus ad percipienda obiecta non contenta intra Sphæram ſibi connaturalem. Non ergo repugnabit, facultatem viſiuam materialem eleuari diuinitus ad videndum Deum. P. Ripalda in M. SS. de viſione concedit antecedens, ſi actiones productiuæ vnionis, & vbicationis diſtinguantur ab ipſa vnione & vbicatione: negat verò, ſi non diſtinguantur. Nam ſi primum; Vnio, & vbicatio productæ per actiones ſupernaturales, erunt termini naturales, & qui proinde continebuntur intra virtutem natiuam potentiæ nutritiuæ, & locomotiuæ. Si Secundum; non continebuntur, & proinde non poterunt præfatæ potentiæ ad eos eleuari. Non acquieſco; quia actiones ortæ à potentia nutritiua, & locomotiua, ſunt ex ipſo multò magis vitales, quam vnio, & vbicatio productæ per eas. Ergo ſi concedit, illas potentias poſſe diuinitus eleuari ad actiones vitales ſupernaturales non contentas intra virtutem natiuam illarum, poterunt multò potiùs eleuari ad vnionem, & vbicationem ſupernaturales. Præterea quantumuis vnio, & vbicatio eſſent ſupernaturales, terminus vnitus, & ſpatium, cui reſpondeat vbicatio, ſunt naturalia, & quæ valent vniri, & occupari per vnionem, & vbicationem naturales. Ergo id ſatis eſt, ne illæ potentiæ dicantur tranſilire virtutem ſuam natiuam; quemadmodùm ſatis eſt, ne dicantur tranſilire, dum per actiones ſupernaturales producerent vnionem, & vbicationem naturales. Ob hæc Reſpondeo concedendo Antecedens, & negando conſequentias inde illatas, quia impotentia facultatum nutritiuæ, & locomotiuæ ad producendam vnionem ad formam naturalem, & vbicationem ad ſpatium naturale per actiones ſupernaturales, ſiue diſtinctas, ſiue indiſtinctas, eſt tantummodò in ratione principij efficientis. Aſt impotentia facultatis viſiuæ materialis ad percipiendum Deum non contentum intra eius ſphæram obiectiuam connaturalem eſt in ratione principij vitalis. Permiſi, potentiam locomotiuam eſſe ſtrictè vitalem phyſicè.

22 Tandem dices decimotertiò; Carentiæ, quæ ſunt quid negatiuè incorporeum, attinguntur ſenſu noſtro interno, & externo, vt liquet ex lucis carentia, incutiente nobis in loco tenebroſo horrorem, ac timorem; & milui vmbra pullos terret gallinaceos. Si ergo naturaliter ſenſibus noſtris percipi poteſt id, quod eſt negatiuè incorporeum, poterit ſaltem diuinitus percipi id, quod eſt poſitiuè incorporeum, vt Deus, & Angelus. Certè ex Antecedenti deducere æque liceret tibi id, quod eſt poſitiuè incorporeum, non prætervolare naturaliter noſtros ſenſus. Et cùm carentiæ non ſint magis quid negatiuè incorporeum, quàm quid negatiuè corporeum, tam enim ſunt entitatis ſpiritualis, quàm materialis expertes, infers ineptè ex illarum perceptione ſenſitiua, poſſibilem ſupernaturaliter perceptionem ſenſitiuam, quæ potiùs terminetur ad obiectum incorporeum

poſitiuè

Digitized by Google

poſitiuè, quàm ad poſitiuè corporeum. Quoad Antecedens lis eſt inter Arriagam diſp. 5. Animaſtica ſect. 5. & Ouiedum controu. 4. de Anima puncto 5. ille namque ſenſui interno attribuit negationum perceptionem; hic, vt & Alfonſus diſp. 11. Animaſtica ſect. 3. n. 62. prorſus denegant. Non vacat decidere litem; nec id negotij neceſſarium nunc eſt; quia etſi Antecedens non deuiaret à veritate, conſtat ex prædictis, quam ineptè inde arguatur.

SECTIO II.

An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum à glorificato viſu per ſpiritualem perceptionem?

23 NOſter Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 5. ſect. 1. num. 5. cenſet, non eſſe prorſùs improbabilem talem perceptionem Dei ab oculo corporeo; addit verò, non futuram re ipſa, quia eſt maximè contra naturam, & dignitatem viſionis ſpiritualis poni in oculo corporeo.

24 Cæterùm, ſi per viſionem ſpiritualem poſſet glorificatus viſus attingere vitaliter Deum, crederem, tali viſione donandũ quandoque. Nam diuina largitas ſe ſe in Beatos homines munificentiſſimè effundet; & commune eſt Patribus, ac Theologis credere, plura miracula patranda à Deo pro remuneratione incolarum Empyrei. Nulla autem maior, excellentiórque eſſet erga glorificata corpora, quàm ſi facultas viſiua donaretur viſione Dei. Et ſaltem Chriſti Domini, ac Deiparæ Virginis oculis non denegaretur; quemadmodùm, ſi viſio corporis Chriſti, vt in Euchariſtia, ſit poſſibilis oculis corporeis de potentia abſoluta, Chriſtum vt ibi exiſtentem videre ſe ipſum, non quia præcisè habet oculos glorificatos; ſed ex ſpeciali priuilegio affirmat Yſambertus 3. p. ad quæſt. 76. diſp. 4. art. 2. cum S. Thoma in ea quæſt. art. 7. ad 3. & de Virgine in corpore mortali conſpexiſſe corpus Chriſti vt in Euchariſtia, tradunt Alenſis 4. part. Theologicæ ſummæ quæſt. 10. membro 7. art. 3. §. 8. Amadeus Franciſcanus apud Luiſium Turrianum relatum in n. 15.

25 Attamen illam Dei viſionem noſtrum excludit argumentũ propoſitum in ſectione ſuperiori. Nam cùm ad illam ſit impotens facultas viſiua ſub ratione vitalis principij, fit, nec diuinitùs poſſe vinci præfatam impotentiam. Quemadmodùm, quia intellectus ſub ratione principij vitalis eſt impotens ex ſe amare (permitto diſtingui à voluntate) & percipere per viſionem materialem ſiue ſpiritum, ſiue corpus, repugnat eleuari ad amandum, & ab percipiendum per amorem ſpiritualem, & viſionem materialem. Quam etiam ob cauſam implicat in terminis, auditum euehi ad audiendum ſonum per auditionem ſpiritualem. Vt enim repugnat potentiis vitalibus extrahi ad obiecta, quæ naturaliter attingere aliquatenùs non valent; ita repugnat, extrahi ad attingendos modos, quos nequeunt naturaliter habere ex ſe ratione vitalium.

26 Dixi *in ratione vitalium.* Nam ſunt nonnulli modi attingendi, ad quos etſi naturaliter non valeant aſſurgere potentiæ aliquæ vitales, poſſunt tamen diuinitùs; quia nimirùm impotentia naturalis proueniat non ex ratione vitalium, ſed efficientium, aut ex defectu alicuius puræ conditionis pertinentis ad genus cauſæ efficientis, & ſupplebilis à Deo per potentiã abſolutã. Sic Intellectus noſter, & voluntas, reliqua que potẽtiæ vitales eleuari potſunt diuinitùs in modos attingẽdi ſupernaturaliter ſua obiecta, quia impotentia naturalis ſic attingendi prouenit tantùm ex ratione efficientium. Sic etiam oculi noſtri poſſunt diuinitùs euehi ad viſionem lucis ſine huius ſpecie impreſſa, aut ad viſionem, quæ attingat quidem lucem exiſtentem, & vt exiſtentem, non tamen repræſentaã præſentiã ad locum, vt tentabam in num. 18. Quia ſcilicet naturalis impotentia ſic attingendi fundatur ſolummodò in defectu alicuius puræ conditionis ſpectantis ad genus cauſæ efficientis, & ſupplebilis à Deo per potentiam abſolutam. E contra verò voluntas eleuari nequit ad amandum diuinitùs; quin præcedat cognitio, eo quòd impotentia naturalis amandi ſine præuia cognitione competit voluntati ex ratione talis principij vitalis non valentis tendere per amorem in obiectum, niſi moueatur, & applicetur intentionaliter præuia cognitione, ſiue hæc influat efficienter, ſiue non influat in amorem: vnde hæc non ſe habet reſpectu voluntatis vt amantis tanquam pura omninò conditio, ſiue efficiens, ſiue pertinens ad genus cauſæ efficientis: de quo alibi. Similiter externi ſenſus de facto exiſtentes ineleuabiles ſunt eſſentialiter ad modos percipiendi conditionatè obiectiuè, & ad modos percipiendi vnum obiectum tanquam materiale propter aliud tanquam formale; nec non ad modos percipiendi ſua obiecta abſtrahendo ab exiſtentia; quia impotentia naturalis ad omnes eos modos congenita eſt ipſis ex ratione talium principiorum vitalium. Hinc obiter infertur contra Arriagam diſput. 8. Animaſtica ſect. & ſubſect. 2. tomo etiam 1. in 1. 2. diſp. 7. ſect. 5. potentiam carentiam naturaliter libertate, non poſſe diuinitùs euehi ad actus, qui cum modo libertatis ferantur in obiecta. Et huic illationi adſtipulatur P. Suarez allegatus ab Arriaga in poſteriori loco.

27 Neque gratis aſſertum à nobis eſt, facultatem viſiuam materialem eſſe impotentem naturaliter in ratione principij vitalis, ad modum percipiendi ſpiritualiter Deum, ſi enim ad hunc percipiendum materialiter eſt impotens naturaliter in ratione vitalis principij Intellectus noſter, etſi Deus contineatur intra obiectiuam ſphæram connaturalem ipſius, multò potiùs erit ſic impotens præfata facultas ad percipiendum ſpiritualiter Deum, cùm aliunde Deus non contineatur intra eius ſphæram obiectiuam connaturalem. Et hæc ſola Ratio ſufficeret, vt firmiter affirmaremus, percipi nullatenùs poſſe Deum ab oculo noſtro corporeo per viſionem ſpiritualem; vti ab eodem per viſionem ſpiritualem percipi nequit ſonus, aut ſapor.

28 P. Salas placitum non aliter audiendum eſt, ac ſi vellet, lapidem percepturum lucem per viſionem materialem, ſiue infuſam extrinſecùs à Deo, ſiue factam à lapide, & ex lapide per potentiam obedientialem effectiuam, & paſſiuam. Etenim licet oculus corporeus ſit vitalis, non verò lapis: Aſt vitalitas illius ſe gereret merè materialiter reſpectu viſionis ſpiritualis, vt optimè animaduerſum video à P. Præpoſito in 1. p. q. 12. art. 3. n. 34. & à P. Recupito lib. 6. de Deo vno, q. 11. n. 5. circa finem. Sicut enim vitalitas phyſica potentiæ nutritiuæ v. g. haberet ſe merè materialiter reſpectu perceptionis, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis inditæ extrinſecùs à Deo, vel cauſatæ etiam efficienter ab ipſa potentia ex eleuatione: ita pariter &c. Adde,

t 4 effectum

Digitized by Google

effectum formalem viuentis creati in actu ſecundo conſtitui, vt ego cenſeo, ex actione phyſica immanente, ortaque ab intrinſeco principij potentis ex ſe attingere obiectum aliquatenùs intentionaliter; (loquor de viuenti creato; intentionali) ita vt modus attingendi ſit natiuus reſpectu ſaltem alicuius obiecti. Appoſui *ita* &c. quia etſi oculus corporeus poſſit attingere aliquatenùs lucem, nequit tamen ipſam intelligere, eo quòd modus attingendi ſpiritualiter intellectiuè non eſt natiuus oculo corporeo reſpectu alicuius obiecti: vti natiuus eſt noſtro intellectui modus attingendi ſpiritualiter intuitiuè plura obiecta, ideòque eleuari poteſt ad modum ſic attingendi Deum, quem aliunde valet ex ſe intentionaliter attingere aliquatenùs, nempè ſpiritualiter abſtractiuè.

29 Ex dictis colligitur, Deum duplici ex cauſa non poſſe percipi per viſionem ſpiritualem à facultate viſiua materiali. Prima: Quia modus percipiendi ſpiritualiter eſt diuerſus à Natiuis illius circa ſua obiecta. Secunda: Quia ex ſe non ſufficit ad percipiendum Deum vel imperfectè. Quod ſi attentè penſitetur vtraque, perſpicietur fundari in naturali impotentia ſub ratione principij vt vitalis formaliter, tam circa modum, quàm circa obiectum. Colligitur deinde, eam facultatem non denominandam, aut reddendam videntem, ſiue diuinum Numen, ſiue quoduis aliud obiectum, etſi vi ſua naturali, aut potius neutra, reciperet viſionem ſpiritualem ſiue diuini Numinis, ſiue cuiuſuis alterius obiecti cauſatam efficienter ſupernaturaliter à Deo.

SECTIO III.

An Deus in ſe ipſo erit obiectum glorificati viſus, ſi hic futurus ſit diuerſus à mortali?

30 HVcuſque ſermonem habui de repugnantia viſionis Dei in ſe ab oculo glorificato, qui idem ſit omnino, ac modò; examinaturus deuenio, an implicet contradictionem alius diuerſus, qui videat Deum? P. Suarez lib. 2. de Attributis Dei cap. & n. 6. pronuntiat, quæſtionem hanc eſſe inutilem, & præter humanam cognitionem. Sed ſub tanti viri venia, quæſtionem hanc non magis inutilem iudico, quàm excitatam à Theologis de potentiis materialibus nunc exiſtentibus, & de ſpiritualibus poſſibilibus, an ſcilicet repugnet intellectus creatus potens ex ſe videre intuitiuè Deum? Et certè dubitatio S. Auguſtini in lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. circa oculos de facto exiſtentes, tam immortales, quàm mortales; difficultáſque reddendæ rationis à priori, ob quam repugnet ipſis eleuatio ad viſionem Dei, præbent ſatis opportunam occaſionem indagandi, an poſſibiles ſint alij oculi, & potentiæ materiales, quibus ea eleuatio non repugnet? Idemquémet Auguſtinus excitat Theologos ad præſentem diſquiſitionem, quando vbi ſuprà viſionem Dei ab oculo glorificato promouet ex communi ratione ſenſus corporei, inquiens, *Sicut ergo conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritualis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? ſpiritus enim eſt Deus.*

31 Præterea non defuere Patres Eccleſiæ, vt noſcere eſt Suario lib. 1. de Angelis c. 5. qui cenſuerint, Angelos eſſe corporeos omnino; nec tamen eis denegabant vim naturalem cognoſcendi abſtractiuè Deum; & ex eleuatione intuitiuè. Ergo non eſt adeò notum, repugnare conceptui corporei vim cognoſcitiuã obiecti ſpiritualis increati. Multiſcius Suarius n. 8. impugnat ſubſtantiam Angelicam omnino corpoream ex eo, quòd minus eſſet capax viſionis terminatæ ad Deum, quàm oculus noſter corporalis. Aliis Authoribus illicò non ſe obtulit hæc impugnatio. Neque item defuerunt alij Patres, & Theologi videndi apud eundem Doctorem in c. 6. qui dixerint; Angelos eſſe compoſitos ex corpore, & ſpiritu: & hoc quidem inſeparabili naturaliter ab illo, cùm non facerent Angelos ſuapte natura corruptibiles, quales ſunt homines. Si autem entitas annexa inſeparabiliter corpori poſſet iuxta ipſos cognoſcere Deum, conſequenter recuſarent concedere facultati alicui ſenſitiuæ eandem potentiam. Fateor, formam, quam vocant ſpiritualem, fore materialem, eo ipſo, quòd eſſet inſeparabiliter annexa corpori ratione ſui. Sed modò non curo de conſequentiâ illorum. Et poſſent cogitare, talem formam eſſe inſeparabilem non ratione ſui, ſed vnionis ex ſe incorruptibilis, vt in ſimili puncto cogitat Arriaga diſp. 2. Animaſtica n. 127. Non ideò tamen omnis diſcurrendi pro facultate ſenſitiua perceptiua Dei occluderetur rima. Nam ſi per illos Patres, & Theologos vnio perpetua Angelicæ formæ ad corpus, non impediret perceptionem Dei; Dubitari non ineptè valet, an impediret in alia forma vnio perpetua, & exacta? Cùm non appareat adeò clarè, cur deberet eſſe ſpeciale obſtaculum vnio perpetua, & exacta. Creſceretque exinde dubitatio, quòd animæ rationali non eſt impedimentum ad percipiendum ſpiritualia pro primo inſtanti ſuæ creationis vnio temporalis ad materiam exacta connaturaliter pro eo inſtanti. Ergo neque viuenti alicui formæ poſſibili erit obex vnio connaturaliter petita pro omnibus inſtantibus. Quia quod non eſt impedimentum pro vno inſtanti, non videtur poſſe eſſe pro aliis, vt ſi calor intenſus non pugnet ſemel cum frigore remiſſo, nunquam pugnabit. Ad hæc; ſi vnio ſupernaturalis perpetua formæ Angelicæ ad corpus ſtaret ſecundùm Patres illos, & Theologos, cum vi percipiendi Deum, ambigi non immeritò poteſt, an cum ſimili vi ſtaret vnio naturalis perpetua exacta ab alia forma poſſibili. Quid enim referret vnionem eſſe naturalem? Forma verò, quæ talem exigeret vnionem, eſſet eo ipſo materialis ob dependentiam connaturalem in fieri, & conſeruari à corpore. Non itaque præter humanam cognitionem eſt diſcuſſio circa formæ huius poſſibilitatem, ſiquidem tantum habeat fundamenti in Patribus, & Theologis nonnullis.

32 Vlteriùs S. Auguſtinus, qui in præcitato loco dubitauit, vt minus, an oculus corporeus de facto exiſtens poſſet poſt glorificationem videre Deum, dubitaret à fortiori de oculo alio diuerſo. Scio Ægidium Luſitanum tomo 1. de beatitudine lib. 4. q. 5. art. 2. §. 4. n. 48. Contendere dubietatem Auguſtini fuiſſe ſub conditione, quod glorificatus oculus deſineret eſſe corporeus, & fieret ſpiritualis. Sed quicquid ſit, an S. Auguſtinus alicubi non repudiarit omninò præfatam conuerſionem, præcipuè epiſt. 111. ad Fortunatianum, eius tamen nullatenùs meminit in ſuperiori loco. Ex iſta etiam epiſtola colligit Vaſquez in 1. p. diſp. 40. cap. 1. ancipitem manſiſſe Auguſtinum; nam circa principium ait, *Paratus ſum, ſi quid de hac re melius nouit iſte frater, vel ab ipſo, vel ab alio, à quo didicit, diſcere.* Et in fine concludit, *Si autem iſte frater, quod de ſpiritali corpore adhuc requiro, iam ſibi*

firmat

Digitized by Google

firmat eſſe certiſſimum, niſi placidus audiero docentem, ita vt ille quoque placidus me audiat inquirentem, habebit vnde iure ſuccenſeat. vult iterùm Ægidius, dubietatem Auguſtini in his verbis fuiſſe circa modum ſpiritualitatis, in qua ſunt reſurrectura corpora. Sanè Epiſcopus, de quo cum Fortunatiano ſermo erat, non videtur exiſtimaſſe cernendum Deum ab oculo glorificato conuerſo in ſpiritualem ſed manente adhuc corporeo. Vnde Auguſtinus paratus diſcere, & inquirere ab ipſo, loquitur in eodem ſenſu, in quo Epiſcopus ille. Et tam abſurda eſt conuerſio ſubſtantialis corporum in ſpiritum, quando reſurgamus, vt ægrè mihi perſuadeam, Auguſtinum de ea dubitaſſe; auſimque dicere, magis proſpecturum Ægidium Sanctiſſimi Doctoris authoritati, ſi dubietatem de conuerſione præ alia de corporea viſione ad Deum terminata excluderet ab illo.

33 Sæpe mecum cogitabam, S. Auguſtinum addubitaſſe de prædicta viſione ſub conditione, quòd oculi corporei glorificati diuerſi eſſent ab exiſtentibus. Nam in lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 29. quæſtionem, quam tractamus, auſpicatur his verbis. *Sed vtrùm videbunt, & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt? Inde quæſtio eſt. Si enim tantum poterunt in corpore ſpirituali eo modo vtique etiam ipſi oculi ſpirituales, quantum poſſunt iſti, quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit, longè itaque alterius erunt potentia, ſi per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, ſed vbique tota eſt.* Et paulò poſt, *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non vt acriùs videant, quàm quidam perhibentur videre ſerpentes, vel aquilæ. Quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud poſſunt videre, quàm corpora; ſed vt videant & incorporalia.* Rurſus in epiſtola 111. interſerit multa tranſcriptis germana, quæ meliùs intelliguntur de oculis diuerſis corporeis, quàm de diuerſis ſpiritualibus, licet pro his aliquale præbeat fundamentum, dum prope finem Epiſtolæ inquit: *De ſpiritali autem corpore, quod in reſurrectione habebimus, quantam capiat in melius commutationem; Vtrùm in ſimplicitatem ſpiritus cedat, vt totus homo iam ſpiritus ſit; an quod magis puto, ſed nondum pleno iudicio confirmo, ita futurum ſit ſpiritale corpus, vt propter ineffabilem quandam facilitatem, ſpiritale dicatur; ſeruet tamen ſubſtantiam corporalem, quæ per ſe ipſam viuere, ac ſentire non poſſit; ſed per illum, qui ea vtitur, ſpiritum.* Poſſumus tamen priora verba interpretari, quatenùs dubitarit S. Auguſtinus an potentiæ corporis, entitatiuè materiales, fierent æquiualenter ſpirituales penes vim percipiendi obiecta ſpiritualia, & ratione earum fieret ipſum corpus æquiualenter ſpirituale. Sed ne ſuperiori cogitationi omninò fidamus, id in cauſa eſt, quòd poſt exarata verba ex cap. 29. ſubiungat immediatè S. Doctor, *& fortaſsè iſta virtus magna cernendi data fuerit ad horam etiam in iſto mortali corpore oculis Sancti viri Iob, quando ait ad Deum, In obauditu auris obaudiebam te priùs, nunc autem oculus meus videt te.* Virtus autem cernendi, quam ſuſpicatur datam ad horam oculis Iobi in corpore mortali, non videtur fuiſſe apud ſubdubitantem Auguſtinum facultas alia viſiua diuerſa ab ea quam anteà habebat, & poſteà habuit Iobus.

34 Quòd verò facultas viſiua, & aliæ vitales materiales non futuræ ſint eædem numero in corpore rediuiuo, quę modo in mortali defenſant Durandus in 4. diſt. 43. q. 3. Sotus ibidem diſt. 44. q. vnica art. 1. ad 2. Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 14. ſect. 13. n. 89. Granadus 2. p. controu. 13. de Nouiſſimis tract. & diſp. 3. n. 14. putantes fauere ſibi S. Thomam in 4. diſt. 44. q. & art. 1. quæſtiuncula 2. ad 3. lib. 4. contra Gentes cap. 81. ad 2. obiectionem, nec non opuſculo 2. cap. 154. Hoc ſemel conceſſo, oſtēdetur difficulter, cur facultas viſiua glorificati corporis debeat eſſe eiuſdem ſpeciei. Et licet deberet eſſe eiuſdem ſpeciei, poſſet eſſe diſſimilis, & perfectior, quàm quæ exiſtit in vita mortali, ſi intra eandem ſpeciem ſtet diſſimilitudo, & maior perfectio vnius indiuidui præ alio: etſi enim facultas viſiua, intra cuius obiectiuam ſphæram contineretur Deus, participaret ex hoc capite diſſimilitudinem, & maiorem perfectionem comparatiuè ad facultatem nunc exiſtentem, tamen quia conuenirent in habendo pro obiecto lucem, & colorem, pertinerent ex hinc ad eandem ſpeciem philoſophicam, ratione communis obiecti, quod reſpectu vnius eſſet adæquatum, & reſpectu alterius inadæquatum: Sic qui cum Noſtro Franciſco Gonzalez Sanctacruzano 3. p. Logicæ diſp. 9. q. 2. ſect. 5. & 6. ex diuerſis obiectis materialibus diuerſificant actus intellectus, & voluntatis, conciliant nihilominus in viſionibus beatis vnitatē ſpecificam Theologicam cum tendentia ad diuerſa obiecta materialia. Cur ergo aliqua vnitas ſpecifica philoſophica non poterit ſimiliter conciliari cum reſpectu facultatis viſiuæ ad diuerſum obiectum formale inadæquatū?

35 Mihi quidem Iobi verba cap. 19. v. 27. *Et oculi mei conſpecturi ſunt*, perſuadent, eoſdem numericè oculos reſtituendos in reſurrectione: Nam, vt inquit S. Hieronymus in epiſtola ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani, *Si non eoſdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos, vbi erit ergo Iob?* Vnde S. Bernardus ſerm. 8. in Pſal. 90. *Ipſis iam tunc conſiderabis oculis, quos modò quidem nec leuare audes ad cœlum; ipſis planè, qui toties interim fluunt lachrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim nouos tibi inſtaurandos putes, ſed tuos vtique reſtaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, & ſi minutiſſima, eminentiſſima tamen, excellentiſſimáque humani corporis portione?* Sic Mellitiſſimus Bernardus. Si tamen probabile iudicetur, eoſdem numericè non reparandos, vtiliter & aptè diſquiritur, an poſſint eam habere conditionem, vt vltra obiectum, ad quod exiſtentes nunc ſe extendunt, ſortiantur Deum pro obiecto? ſiue eſſent, ſiue non eſſent diuerſi in ſpecie.

36 Ex his omnibus ſatis ſupérque patet, excitatam difficultatem non eſſe inutilem, & præter humanam cognitionem. Sed & adiiciam adhuc alia, in quibus antiqui occaſionem præbuerunt, vt difficultas hæc diſcuteretur. S. Ambroſius in Pſal. 118. ſerm. 8. explicans v. 58. ſcribit de Moyſe, *Putauit Deo etiam hoc eſſe poſſibile, vt corporeus oculus faceret id, quod eſt incorporeum comprehendi. Non reprehenſibilis hic error, ſed grata etiam cupiditas, atque inexplebilis, quòd Dominum ſuum velut manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat.* Ex quibus verbis affunditur lux aliis in ſerm. 17. ad v. 135. vbi de Dauide poſtulante à Deo, *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*, ait; *Quod negatum Moyſi fuerat, non quærebat, vt corporaliter Dei vultum in corpore videret. Si tamen & Moyſes tam ſapiens, & eruditus hoc potuerit ſimpliciter magis, quàm in Myſterio poſtulare; humanum tamen eſt deſideria ſupra nos extendere.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem cap. 36. Leontius, Theophylactus, & cum ipſis Maldonatus ſic interpretantur illud Philippi apud Ioannem cap.

Digitized by Google

cap.14.v.8. *Oſtende nobis Patrem*, quatenùs Philippus putauerit, Patrem videri poſſe oculis corporeis. Etſi autem in Moyſe *Deuotio ſancta menſuram ſupergreſſa fuerit*, vt inquit Ambroſius, & vt Cyrillus, in Philippo *ſtudioſitas quidem fuerit, ſed non tantum acumen, vt commodè atque aptè, quæ ſit viſio Dei, poſſet intelligere*; tamen non immeritò à Theologis examinabitur an poſſibilis re ipſa ſit viſio, quam expetiuit Moyſes, & poſſibilem exiſtimauit Philippus?

37 Inſuper non oſtenditur, repugnare potentiam materialem perceptiuam obiecti ſpiritualis creati, vt euincitur ſatis acutè ab Arriaga diſp.5. Animaſtica ſect.2. & aliqui indicant, obiecta ſpiritualia creata corporeis oculis fuiſſe de facto ſubiecta. S. Athanaſius, aut quiſquis eſt Author quæſtionum ad Antiochum in reſponſione q.28. ait, *Sola verò ſancta Dei Mater nudam ſubſtantiam ſicut reuera eſt Gabriel, ipſa vidit*. Vbi de viſione corporea, qua Deipara Virgo Gabrielem Angelum conſpexerit, videbitur alicui loquutus. Sed Suarez tomo 2. in 3. p. diſp.9. ſect. 2. v. *Secundò probabiliter*, aliique interpretantur de viſione ſpirituali clara, & intuitiua; adducitque Ioãnes Reuchlin in notatione ad illam quæſtionem ex Panegyrico primo S. Chryſoſtomi de Angelis eadem verba. Et quidem Author ille in q. proximè ſequenti ait, Angelos ſecundùm eſſentiam non apparere hominibus in terra, *Nec enim poteſt corruptibilis oculus videre eſſentiam incorruptibilem*. Hugo de S. Charo in Math. 17. v. 3. vult, Eliæ nondum beatam animam viſam in ſe ipſa à nondum glorificatis oculis Apoſtolorum, qui Chriſti Domini Transfigurationi teſtes adfuerunt. En Hugonis verba, *Elias non in ſuo corpore, non in aliqua materia aliunde aſſumpta apparuit; ſed quadam ineffabili virtute Soli Deo cognita, inuiſibilis ſpiritus per ſe viſibilis factus eſt*. Marcus Marulus lib. 6. de religioſè viuendi inſtitutione per exempla cap. 15. agens de obiectis glorificatorum oculorum ſic fatur, *Quid prætereà de ſocietate Angelorum dicam; vnum quandoque ſub hominis figura conſpexiſſe, magni miraculi loco habetur. Sed quid miraculi erit, eos in propria imagine videre? Nam & hoc beatis oculis datum erit, vt cernere Angelicos ſpiritus poſſint*. Fortè cenſuit (ſed malè) Angelos eſſe præditos aliquali corpore. Nam paulò poſt addit, Deum, quia ſpiritus eſt, corporeis oculis in cœlo non cernendum. S. Anſelmus in Elucidario, poſtquam dixiſſet, glorificatos homines viſuros corporeis oculis Chriſtum, ſubiungit, *Omnes Angelos, & Sanctos interiùs, & exteriùs conſpicient*. Crediderim tamen, intelligendum Anſelmum de Angelis in aſſumptis corporibus; nam niſi induant corpora, non efflabunt odorem, quem *de Angelis, & omnibus Sanctis percipiendum* ait ipſe ibidem. Ita interpretatur Anſelmũ noſter Salas tomo 1. in 1.2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. n. 113. ac 116. Si ergo non oſtenditur, repugnare corporeum oculum, cuius obiectum ſit Angelus, aut anima rationalis, imò ab aliquibus inſinuatur, talem eſſe, qui de facto exiſtit, cur non indagabimus ſatis aptè, an poſſibilis ſit corporeus oculus, cuius obiectum ſit Deus, ſpiritus increatus? Si quidem Deus conuenit vniuocè cum Angelo, aut anima rationali in ratione ſpiritualis: quare in eis reperiret oculus eandem rationem formalem, ſub qua, licet in Deo identificatam cum rationibus differentialibus increati, infiniti, æterni, &c. quod non obſtaret, ne extenderetur ad illum, vti non obſtant differentiales rationes præfatæ, ne intellectus creatus, cuius ratio formalis, ſub qua eſt verum, habeat illum pro obiecto, non minus, quàm Angelum, aut animam rationalem, in quibus differentialis ratio veri creata eſt, finita, ac temporalis à parte antè. Video ex potentia materiali perceptiua obiecti ſpiritualis creati non ſequi per locum ab intrinſeco debere eſſe perceptiuam increati, vt benè adnotauit idem Arriaga in n. 28. Dici namque poteſt, imperfectionem materialitatis obeſſe perceptioni obiecti ſummè immaterialis, qualis eſt Deus, non verò aliorum obiectorum, creatorum, quæ ſummè immaterialia non ſunt. Attamen ſicut ex vi, quam percipiendi obiecti ſpiritualis creati habet noſter Intellectus, deduceretur probabiliter vis percipiendi increatum, etiam ſi experientia deeſſet; Ita admittatur, non repugnare potentiam materialem; quæ feratur ad obiectum ſpirituale creatum, inferretur non incongruè, ferendam etiam in increatum, niſi manifeſta repugnantiæ appareat ratio.

38 Non abſimile aliud Argumentum efformari ſic poteſt. Non repugnat viſus perceptiuus ſubſtantiæ materialis. Et ſaltem contra eum non militant multæ rationes, quæ contra ſenſum perceptiuum obiecti ſpiritualis ſiue creati, ſiue increati, congeruntur ab Authoribus. Ergo ſi non implicat contradictionem viſus, cuius obiectum non ſit ſolummodò lucidum coloratum, ſed etiam materia in ſe v.g. non implicabit alius, cuius obiectum ſit Angelus, aut Deus. Et ſicut Antecedens verti poteſt non inutiliter in quæſtioné, ſic etiã & conſequens.

39 Annecto rationes alias dubitandi, Prima ſit: Non repugnat ſubſtantia immaterialis, quæ non ſit cognoſcitiua; vt contendit latè Ouiedus controu. 5. de Anima puncto 6. cum OKamo, Gabriele, Baſſolio, & Arriaga. Rurſùs non repugnat viuens compoſitum ex materia, & Anima ſpirituali nulliùs rei perceptiuum ſpiritualiter; vt conatur Arriaga diſp. 2. de Anima ſect. 3. n. 123. Ergo è contra dubitari poteſt, an repugnet potentia materialis viuens quæ ſit perceptiua rei ſpiritualis. Non enim videtur eſſe magis ex materialitatis imperfectione, impotentia percipiendi obiecta ſpiritualia, quàm ex perfectione immaterialitatis potentia percipiendi illa. Inquies, repugnare viuens illud conſtans animo ſpirituali, quia deberet eſſe ſenſitiuũ, vel vegetatiuum, atque ideò, cùm animus non poſſet ſenſationem, vel nutritionem exercere ſine materia, dependeret ab hac in fieri, & conſeruari, & conſequenter non eſſet ſpiritualis. Reſpondetur, fore, vt poſſet ſeparatus à materia mouere ſe localiter, & alias operationes non vitales exercere: quare non eſſet fruſtrà in ſtatu ſeparationis. Quicquid de hoc ſit, reparatur aliter appoſita ratio. Non inuoluit contradictionem intellectus perceptiuus ſpiritualiter rerum tantùm materialium. Si namque poſſibilis eſt penes Arriagam diſput. 6. de Anima ſection. 1. num. 5. & Ouiedum controu. 5. de Anima puncto 2. num. 6. Intellectus cognoſcitiuus quatuor tantùm obiectorum, exempli cauſa, cur non & alius, cuius ſphæra obiectiua non complectatur niſi obiecta materialia? Ergo ſimiliter dubitari poteſt, an inuoluat contradictionem potentia vitalis materialis, quæ ſolùm attingere valeat obiecta ſpiritualia. Sanè tanti refert receſſus ab obiecto connaturali, quod modo habet intellectus, quam exceſſus ab eo, quod modò habent potentiæ materiales.

40 Secunda ſit: Obiectum incapax compoſitionis ſubſtantialis ex materia, & forma, qualis eſt Deus, & Angelus, poteſt percipi ab anima rationali, quæ eſt capax compoſitionis ſubſtantialis cum materia

Digitized by Google

materia. Ergo vocare licebit in dubium an obiectum immateriale percipi queat à facultate, ſeu anima materiali, cuius ſphæra obiectiua ſit latior, quàm eſt ſphæra facultatum, ſeu animarum materialium de facto exiſtentium?

41 Confirmatur primò: Animus rationalis indiuiſibilis attingitur phyſicè per vnionem diuiſibilem. Cur ergo non poterit attingi intentionaliter per actum materialem diuiſibilem, ſi res materialis debeat eſſe diuiſibilis; aut ſi non debet, per indiuiſibilem? In quo minor eſt difficultas. Confirmatur ſecundò; ſpecies impreſſa intelligibilis ſpiritualis producitur efficienter à phantaſmate materiali eleuato naturaliter per intellectum agentem, concurrentémque effectiuè inadæquatè, vt cum S. Thoma tenent plerique Theologi, & Animaſtici: Cur igitur inuoluet contradictionem facultas vitalis materialis, quæ illam ſpeciem, aut aliud obiectum ſpirituale attingat intentionaliter, ſi de facto illa ſpecies attingitur phyſicè efficienter à phantaſmate corporeo? Vbi obiter notandum eſt contra Ouiedum controu. 1. de Anima puncto 5. §. 1. num. 7. actionem ortam ab intellectu agente, & à phantaſmate materialem eſſe, ob dependentiam eſſentialem phyſicam à re corporea. Et licèt ipſe deducat id tanquam abſurdum ex noſtra, & multorum ſententia, quæ conceptum rei materialis conſtituit in phyſica dependentia à quantitate, quoad fieri, & conſeruari, tamen nullum abſurdi veſtigium mihi apparet, vt neque ipſi Ouiedo in eo, quòd præfata actio ſit impenetrabilis cum alia quacumque actione eiuſdem ſpeciei diuiſa omninò à ſe; in quo differt ab aliis actionibus ſpiritualibus, quæ neque intrinſecè, neque extrinſecè ratione ſcilicet principij actiui à quo dependeant eſſentialiter, ſunt impenetrabiles, ſicuti impenetrabilis eſt illa actio extrinſecè ob dependentiam eſſentialem à phantaſmate, principio ſui actiuo. Quare ſine abſurdo conceditur à nobis materialem eſſe. Species autem intelligibilis impreſſa, quam cum intellectu producit, ſpiritualis erit, quia in ſui conſeruatione non dependet naturaliter à phantaſmate; imò & quantùm ex ſe eſt, poſſet naturaliter non dependere in primo fieri.

42 Confirmatur tertiò: Diuini Verbi ſubſiſtentia ſpiritualis, & infinita attingitur phyſicè per vnionem materialem & infinitam cum corpore Chriſti Domini: Ergo eadem poterit attingi intentionaliter per actum materialem, & finitum, ortum à potentia materiali diuerſa ab exiſtentibus.

43 Vnde mirandum non eſt, P. Gregorium de Valentia in 1. p. diſp. 1. quæſt. 12. puncto 8. v. *ſed quæres*, ſcripſiſſe, *Non ſatis conſtare videtur, implicare contradictionem, vt potentia aliqua ſenſitiua ſic à Deo condatur, vt vel natura ſua, vel ſaltem dono aliquo gratuito ſuperaddito valeat non ſolùm, obiecta ſenſibilia corporalia, ſed etiam aliquod obiectum ſpirituale, atque adeò Deum ipſum percipere.* Sic Valentia, quem *Doctorem Doctorum* ex Encomio Pontificis Maximi Clementis VIII. apud Adamum Contzen lib. 5. Polyticorum cap. 1. nuncupare, & venerari poſſumus. P. Arriaga diſput. 5. de Anima ſect. 2. num. 29. & tomo 1. in 1. p. diſp. 6. ſect. 1. num. 6. addubitantem Valentiam ſequitur, cum aliqua tamen formidine; Ouiedus, & Alfonſus in Animaſticis, ille controu. 4. puncto 6. hic diſp. 9. ſect. 8. putant, conuictum non iri, qui ſequeretur. Aliqui Moderni, ingenij vena prædiuites, aſſenſum cohibent propter communem aliorum ſcandalum, venerationémque Scriptorum, qui illam potentiam acerbè ferunt, arbitrantúrque contrariam Sanctis Patribus & Scholaſticis. Ita ferè P. Ioannes Martinez de Ripalda in M. S. tract. de viſione Dei. Taceo alios minus notos, magnæ tamen apud me æſtimationis.

44 Sed non ſilebo Ioſephum Auguſtinum, qui 1. p. quæſt. 12. art. 3. num. 11. nonnihil conniuet in eius potentiæ non repugnantia: neque item Hieremiam Drexelium, qui lib. 2. de cœlo cap. 15. in 3. p. Æternitatis non ſolùm propendet in Valentiæ dubitationem, ſed & tentat, non adeo manifeſtè repugnare, quòd ab eleuatis glorificatis oculis de facto exiſtentibus videatur Deus; additque, non deeſſe recentiores Theologos, qui id pro viribus propugnent. Prudenter autem in fine §. 4. animaduertit, animi ſui non fuiſſe ibi iudicem agere, aut quicquam in hac re definire; ſed Auguſtini, & aliorum cum illo ſentientium mentem aperire. Prudenter, inquam; non vt Vorſtius Caluiniſta, de quo Noſter Becanus in 1. p. tract. 1. cap. 9. quæſt. 6. num. 1. ait, *plus audere, quàm Auguſtinum; non enim dubitat, ſed affirmat, Deum clarè, & intuitiuè videri poſſe oculo corporeo à Beatis.*

45 Iauellus in 8. p. Chriſtianæ Philoſophiæ tr. 8. cap. 3. verſ. *de tertiò clarum eſt*, adducens S. Auguſtinum lib. 22. de ciuitate Dei cap. 29. non renuit concedere, Beatorum oculos viſuros incorporalia, Claudius de Sainctes repetitione 4. de Euchariſtia fol. 154. inquit, *Oculus corporeus, multò verò magis mẽs, noua, ac creatâ acie, & luce perficitur, vt quod eſt Diuinum, & Deum ipſum in eo relucentem intueri poſſit.* Beata Hildegardis in ſolutione ad quæſt. 3. inſinuat, videndum Deum in Patria corporeis. Imò in via eiſdem viſum à B. Angela de Fulginio indicatur his verbis, cap. 20. vitæ, *Et tunc reſpexi, vt viderem eum oculis corporis, & mentis, & vidi; Et ſi quæras, quid vidi? Vidi veracem rem plenam maieſtate, immenſam, quam neſcio dicere; ſed videbatur, quòd eſſet bonum.* Sic ibi. Sed Hildegardis, & Angelæ ſenſus alius forſan eſt, quàm qui in verborum cortice. Otho Friſingenſis in Chronico lib. 8. cap. 36. valdè facilis eſt, vt affirmet viſionem Dei à glorificatis oculis. Ætate Noſtri Ioannis Maldonati fuerunt viri eruditiſſimi duo, qui exiſtimauerunt, Apoſtolos in Transfiguratione Chriſti corporeis vidiſſe oculis diuinitatem. Sic refert in commentariis ad c. 17. Mathæi v. 2.

46 Iam verò ſi rationum momẽtis res dirimenda tantũ eſſet, excogitatæ hactenùs ab Scriptoribus, & Neothericis in M. SS. pro repugnantia materialis potentiæ, quæ obiecta ſpiritualia creata, Deúmque ipſum valeat percipere, non probant peremptoriè intentum, vt in Sectionibus ſequentibus conſtabit.

SECTIO IV.

Occurritur ſex Obiectionibus à ratione contra viſionem Dei ab oculo glorificato, qui ſit diuerſus à mortali.

47 Prima Obiectio: Si non repugnet viſus corporeus, qui diuinitùs eleuatus poſſit videre Deum, non erit, cur corporeus viſus defacto exiſtens, & alij ſimiles eleuari nequeant ad videndũ

Deum

Deum. Reſpondetur, diſparem eſſe rationem, quia viſus exiſtens, & alij ſimiles ſupponuntur habere ex natura rei improportionem in conceptu principij vitalis; & id non ſupponitur gratis: ex hac autem ſuppoſitione infertur, eleuari non poſſe diuinitùs ad videndum Deum. Aſt viſus in ſpecie diuerſus, qui tentatur eleuari valere diuinitùs ad videndum Deum, non haberet ex natura rei improportionem in conceptu principij vitalis, vt perciperet vitaliter Deum. Neque eſt, cur viſum vtcumque diuerſum in ſpecie, aut diſſimilem ab exiſtenti dicatur eſſe impoſſibilem.

48 Secunda: Repugnat corporeo cuiuis oculo perceptio abſtractiua cuiuſuis obiecti. Ergo, & perceptio abſtractiua Dei. Tunc ſic: Ergo & repugnat intuitiua ſupernaturalis. Patet conſequentia; quia nulla potentia vitalis eleuari poteſt diuinitùs ad intuitiuam perceptionem ſupernaturalem obiecti, quod nequeat ab ipſa vel naturaliter percipi abſtractiuè, ac imperfectè. Reſponderet Arriaga, vt colligitur ex tomo 1. in 1. p. diſp. 4. num. 7. ac 25. diſput. 5. num. 6. non repugnare, oculum corporeum eleuabilem ad viſionem intuitiuam Dei, quem naturaliter nec quidem abſtractiuè percipere poſſet. Si opponas primò, fore, vt talis oculus extraheretur à ſuo obiecto. Concedit, tomo 2. diſp. 56. n. 36. fore, vt extraheretur à ſuo obiecto naturali, non verò ſupernaturali; ſicuti aqua, dum eleuatur in baptiſmo ad producendam gratiam, quam nullo modo poteſt naturaliter producere, extrahitur à ſuo termino naturali, non autem à ſupernaturali. Et ſicut dum cognoſcimus, aut amamus cognitione, aut amore ſupernaturali obiectum ſupernaturale, quod in communi ſententia inattingibile eſt per actus naturales, extrahimur ab obiecto naturali noſtri intellectus, aut voluntatis, non verò à ſupernaturali. Si opponas ſecundò: fore, vt auditus addictus naturaliter ſono poſſet diuinitùs eleuari ad percipiendum ſaporem. Ait auditum ex natura ſua determinata, & ſpecifica habere repugnantiam, vt eleuetur ad percipiendum ſaporem; & huius repugnantiæ petendam non eſſe aliam rationem. His omnibus non acquieſco, tum quia ſi nulla reddita ratione ait Arriaga, auditum ex natura ſua determinata, & ſpecifica, habere talem repugnantiam, Aduerſariis etiam nulla reddita ratione fas erit dicere, potentiam quamcumque materialem habere repugnantiam, vt percipiat obiectum ſpirituale. Tum quia vt aliqua potentia vitalis eleuabilis ſit ad percipiendum intuitiuè obiectum, quod ex natura rei nequit ſic percipere, debet habere proportionem cum tali obiecto in ratione principij vitalis hæc autem proportio non poteſt aliunde meliùs colligi, quàm ex eo, quòd valeat naturaliter percipere abſtractiuè, & imperfectè tale obiectum. Vnde peritiſſimus is vir diſput. 5. Phyſicorum ſect. 1. num 15. ac 16 concedit, ideo intellectum creatum euehi poſſe ad videndum Deum, quia hunc abſtractiuè attingere ſufficiens eſt naturaliter. Omitto alia contra Arriagam. De primo gratiæ exemplo iam in præcedentibus diximus quantum ſatis eſt: De ſecundo autem obiecti ſupernaturalis negamus cum Ripalda diſput. 45. eſſe omnino inattingibile per actus naturales.

49 Planiùs Reſpondetur Obiectioni, diffitendo, repugnare oculum corporeum diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus, & ſimilibus, qui poſſit percipere abſtractiuè, ſeu præcindendo ab obiecti præſentia. Talis oculus naturalis in entitate poterit naturaliter percipere Deum abſtractiuè, ac imperfectè, vt latiùs declarabitur in num. 102. Ex eleuatione verò ſupernaturali, intuitiuè, ac perfectè. Inquies cum Arriaga ſuprà, non repugnare potentiam naturaliter perceptiuam abſtractiuè alicuius obiecti; quod tamen ex eleuatione ſupernaturali nequeat ab ipſa percipi intuitiuè. Augetur difficultas exemplo noſtri Intellectus ineleuabilis ad comprehenſionem Dei, quem humanitùs abſtractiuè, & diuinitùs intuitiuè cognoſcere valet. Igitur vt ex his modis attingẽdi Deum non infertur poſſibilitas illius alterius, ſic nec ex modo percipiendi abſtractiuè aliquod obiectum competente naturaliter cuipiam potentiæ deducitur poſſibilitas percipiendi, modo intuitiuo per eleuationem diuinam. Præterea multi cenſent, cognoſci non poſſe omnes creaturas poſſibiles cognitione creata, quæ clara ſit, licet earum omnium cognitio confuſa dari queat etiam naturaliter, qualis eſt, quæ terminatur ad creabile ens in communi. Repugnat item in opinione plurium cognitio creata, quæ ſe clarè repræſentet, quamuis vel ex natura rei poſſit cognitio creata repræſentare ſe obſcurè, & confusè, vt quando concipitur ens, aut cognitio in communi. Fateor, non repugnare potentiam contentam in Antecedenti; nam ex vi percipiendi naturaliter abſtractiuè aliquod obiectum, non ſequitur euidenter vis percipiendi intuitiuè, ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter: alioqui ex vi, qua noſter Intellectus gaudet cognoſcendi abſtractiuè Deum, probaretur poſitiuè euidenter poſſibilitas videndi Deum. Cæterùm ſicut probabiliter naturali ratione, & diſcurſu infertur poſſibilem eſſe noſtro intellectui viſionem ſupernaturalem Dei, ex eo, quòd ille hunc naturaliter poſſit cognoſcere abſtractiuè; ita probabiliter deducitur, oculo corporeo fore poſſibilem viſionem ſupernaturalem Dei, ſi naturaliter poſſet percipere Deum abſtractiuè; interim dum non affertur aduerſus viſionem Dei in oculo corporeo contradictionis aperta implicantia; qualis affertur contra comprehenſionem, non autem contra viſionem ipſius in noſtro intellectu. Et hinc decreſcit difficultas deſumpta ex comprehenſionis exemplo. Reliqua, quæ adduntur, minoris ſunt momenti; non enim inuoluit contradictionem cognitio creata clara omnium creaturarum poſſibilium, neque cognitio creata, quæ ſe clarè repræſentet. Si tamen cui manifeſtè conſtet de vna, & altera contradictione, dicat id ipſum, quod nos de comprehenſione.

50 Tertia. Repugnant auditus, olfactus, tactus, & guſtus, qui poſſint audire, olfacere, tangere, & guſtare Deum. Ergo ſimiliter repugnat oculus corporeus, qui poſſit videre Deum; cùm Deus tam non ſit lucidum coloratum, quàm non eſt ſonus, odor, qualitas tangibilis, & ſapor. Hoc argumento vtitur S. Auguſtinus in 6. epiſt. ad Italicam, inquiens, *Cur ſolis oculis corporeis Chriſti hoc donum attributum eſſe contendunt; num etiam cæteris ſenſibus? Sonus ergo erit Deus, vt poſſit etiam eius auribus percipi? Et halitus erit, vt ſentiri poſſit eius olfactu. Et liquor aliquis erit, vt poſſit & bibi? Et moles erit, vt poſſit & tangi? Non, inquiunt. Quid ergo? An illud poteſt Deus, & hoc non poteſt? Si non poſſe, dixerint, cur derogant omnipotentiæ Dei? Si poſſe, & nolle, reſponderint, cur ſolis oculis fauent inuident autem cæteris ſenſibus Chriſti?* S. Cyprianus de Idolorum vanitate non aliter Deum corporeo oculo inuiſibilem, quàm intangibilem, & interno ſenſu æſtimatiuo prædicat inæſtimabilem, *Mundi vnus eſt Rector, qui vniuerſa, quæcumque ſunt, verbo iubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic enim videri*

Digitized by Google

videri non poteſt, viſu clarior eſt. Nec comprehendi, tactu purior eſt. Nec aſtimari, ſenſu maior eſt. Et ideò ſic Deum dignè tum aſtimamus, dum inaſtimabilem dicimus. Ita ille. S. etiam Ambroſius lib. & cap. 1. in Lucam. *Nec corporalibus oculis Deus quaritur, nec circumſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec ſentitur inceſſu.* S. Athanaſius in reſponſione ad Liberium Papam, *Vnus Deus immortalis, inuiſibilis, intactilis, eo quòd Deus ſit ſpiritus.* Rursùs in oratione contra Gentes, ex eo quòd Deus inuiſibilis, & intactilis ſupponatur, & ſit, infert, non eſſe corpus. S. Dionyſius Areopagita cap. 4. Myſticæ Theologiæ dicit, *Deum neque videri, neque tactum ſenſilem habere, neque ſentire, neque ſub ſenſum cadere.* Tatianus Aſſyrius oratione contra Græcos, S. Damaſcenus lib. 1. de fide orthodoxa, c. 2. tam vocant Deum *inuiſibilem*, per oculum corporeum, quàm *intactilem.* Origenes lib. 7. contra Celſum non minùs acidè fert, nec minus mendacij incuſat, quòd effutierit, Chriſticolas ſperare, *ſe Deum viſuros oculis corporeis*, quàm quòd per impoſturam diuulgarit, eoſdem ſperare *auribus vocem Dei audituros, & manibus ſenſibilibus eum contrectaturos.* Prudentius in Apotheoſi agens contra Patripaſſianos canit,

Paſſibiliſne Deus, cuius ſpecies, & imago
Nulli viſa vnquam? Nec enim comprehendier illa
Maieſtas facilis, ſenſuve, oculiſve, manive,
Iohannis magni celebris ſententia praſto eſt,
Haud vnquam teſtata Deum potuiſſe videri.

Ad hæc: S. Gregorius Nyſſenus ait in oratione Catechetica magna, cap. 6. *Duplex eſt in iis, que ſunt, conſideratio, in id, quod percipitur intelligentia, & id, quod eſt ſenſile, diuiſa contemplatione. Neque prater hac quicquam relinqui poteſt in rerum natura, quod feratur extra hanc diuiſionem. Magno autem interuallo ſunt hac inter ſe diſtincta, vt neque cognita ſit ſenſilis inter ea, que cadunt ſub intelligentiam, nec que intelligentia percipiuntur, inter ſenſilia; ſed vtraque formam, & characterem accipiunt à contrariis. Nam que intelligentia quidem percipitur natura, eſt res quedam incorporea, & intactilis, & informis; ſenſilis autem ex ipſo nomine eſt intra mentis comprehenſionem, que fuit per ſenſilia.* Huc vſque S. Gregorius, qui non obſcurè docet, naturam quamcumque incorpoream eſſe imperceptibilem viſu corporeo æquè, ac tactu, quouiſve alio ſenſu. Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 3. inquit, *corpus, & videri, & tangi habet, ::: ſpiritus neque videtur, neque tenetur.* Arnobius lib. 7. aduerſus Gentes pronuntiat, id, *quod non habet robur, & ſubſtantiam corporalem, contrectari non poſſe à ſubſtantia corporali.* Alter Arnobius Iunior in conflictu Catholici cum Serapione de Deo trino, & vno, habet pro comperto, *corpus eſſe quicquid tangit, & tangitur.* Lucretius Poëta Gentilis dixit lib. 1. de rerum natura,

Tangere enim, & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Accinit Seneca in epiſtola 106. S. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. vltimo inquit, *Quod tangitur, corpus eſt, quod palpatur, corpus eſt.*

51 Reſpondetur, non repugnare, quòd Deus (& à fortiori ſpiritus creatus) percipiatur potentiis in Antecedenti recenſis. Sed quia, *diuerſo modo monetur animus audiorum, & quòd meliore intellectu alius ſine offenſione ſuſcipit, alium offendit*, vt inſtruimur à Facundo Hermianenſi lib. 10. pro defenſione trium capitulorum Concilij Chalcedonenſis cap. 3. *& pulchrum eſt, ſi fieri poteſt, cauere omnia*, vt notat S. Ambroſius in epiſtola 47. ad Irenæum, & vt S. Auguſtinus Lib. 12. de Ciuitate Dei. cap. 23. Et ſi *liberis verbis loquantur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem piarum aurium pertimeſcant, nobis tamen ad certam regulam loqui neceſſe eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, que his ſignificantur, impiam gignat opinionem*, idcirco interponenda eſt cautela, ne perceptio ab eis potentiis facta dicatur auditio, olfactio, & guſtatio, nam his nominibus ſignificatur perceptio ſoni, qualitatis tangibilis, & ſaporis. Nomine autem *Viſionis* ſignificatur indifferenter perceptio intuitiua rei tam ſpiritualis, quàm corporeæ, iuxta ſanctum Auguſtinum epiſt. 112. cap. 2 lib. 2. qq. in 72. Licet à perceptione lucidi colorati reperta in oculo corporeo, quæ dicitur viſio, tranſlatum ſit nomen ad tendentiam immediatam non ſolùm aliorum ſenſuum (obſeruante eodem S. Auguſtino vbi ſuprà, & ſerm. 33. de verbis Domini, lib. 10. confeſſionum cap. 35. Tract. 121. in Ioan. lib. 5. locutionis de Deuteronomio confirmantéque appoſitiſſimis exemplis Nouarino in Adagiis Sanctorum Patrum num. 336.) ſed etiam potentiæ intellectiuæ in ſuum obiectum, vt præſens pro aliqua differentia temporis. Nam in re, vt obſeruat Arriaga tom. 1. in 1. part. diſput 7. num. 10. viſio intellectus non magis conuenit cum viſione corporali, quàm cum auditione. Hinc Ruffinus inuectiuà in S. Hieronymum lib. 1. refert ex Origene lib. & cap. 1. Periarchon, *videre, & videri, corporum eſt: noſcere, & noſci, intellectualis natura eſt.* Et ne ad voces meras difficultas redigatur, dici poteſt, Deum non poſſe percipi per auditum (idem de reliquis ſenſibus) eo modo, quo percipitur ſonus, ſecùs alio modo eatenùs diſtincto à modo, quem ſeruat intellectus, quatenùs ferretur in Deum per actum dependẽtem ab organis ſenſitiuis. Sic Angelus percipit etiam ſonum exiſtentem, quia tamen per actum non dependentem ab organis ſenſitiuis, ideò percipit diuerſo modo ab eo, quem ſeruat perceptio facta ab humano auditu. Idipſum extende, ſed proportione debita, ad viſionem Dei ab oculo corporeo. Et licet de hoc frequentiùs controuertatur, tamen re verâ ſunt in eadem cauſa alij ſenſus. Nam ſi oculus diuagari valet extra lucem, & colorem, cur non & auditus v.g. extra ſonum? Rursùs, ſi Deus cùm non ſit lux, neque color, percipi poteſt ab oculo, cur ex eo, quòd non ſit ſonus, percipi nequibit ab auditu? Addidi id contra nonnullos, qui neſcio quid ſpeciale imaginantur in oculo poſſibili, vt præ reliquis ſenſibus poſſibilibus eleuabilem eſſe ad viſionem Dei contendant. De Eccleſiæ Patribus in ſect. 8.

52 Quarta: *Omne, quod oculis corporeis conſpici poteſt, in loco aliquo ſit, neceſſe eſt, nec vbique ſit totum, ſed minore ſui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem.* Ita S. Auguſt in pręcitata ad Italicam epiſtola. Ex quibus verbis, & ratione in eis contenta, quòd nimirùm oculi corporei obiectum debeat eſſe alicubi determinatè præſens extensè, & circumſcriptiuè, infertur repugnantia viſionis Dei à quouis oculo corporeo. Confirmatur ex S. Fulgentio in reſponſione ad q. 3. Ferrandi Diaconi, vbi ait, *Hoc habent oculi corporis, vt non ſolùm corpora videant, ſed nec videre poſſint, niſi inter ipſos, & ea, que vident ſpatij cuiuſquam media interualla fuerint.* Cùm ergo repugnet, vt addit ipſe Fulgentius, *ſpatij interuallum inter oculos corporeos, & Deum*, repugnabit etiam hunc ab illis cerni. Reſpondetur, per oculos etiam exiſtentes videri poſſe diuinitùs obiectum præſens inextensè, & definitiuè, necnon indiſtans, vti fatentur, quotquot dicunt, corpus Chriſti, vt exiſtens ſub ſpeciebus Sacramentalibus percipi diuinitùs poſſe corporeis noſtris ſenſibus, & ipſiuſmet Chriſti

oculos poſſe videre ſeſe vt in Sacramẽto; de quo in ſect. 1. & 2. Vnde multò minùs repugnabit reſpectu aliorum ſenſuum diuerſæ conditionis, de quibus non ſunt loquuti S. Auguſtinus, & Fulgentius.

53 Quinta: ſi materialis potentia hominis non ſit inepta eleuari ad videndum Deum, neque erit inepta materialis potentia alicuius bruti; quod proinde eſſet capax beatitudinis ſupernaturalis conſiſtentis in viſione materiali intuitiua Dei, necnon integritatis eiuſdem per amorem ſenſitiuum bonitatis diuinæ, & fruitionem tantæ viſionis; ſiquidem ea viſione, & amore apprehenderet, & aſſequeretur ſummum bonum, & huius aſſequutione bearetur; quod eſt contra S. Auguſtinum dicentem in lib. 83. qq. 5. *Animal, quod caret ratione, caret ſcientia: Nullum autem animal, quod caret ſcientia, beatum eſſe poteſt. Non igitur cadit in animalia rationis expertia, vt beata ſint.*

54 Noſter Recupitus lib. 6. de Deo q. 10. cap. 2. n. 5. refert ex ſententia Dyonis Chryſoſtomi in oratione 12. Olympica, ſeu de Dei cognitione euehi poſſe bruta ad videndum Deum. Sed de Dione Gentili oratore, & Philoſopho nihil curandum eſſet, quin potiùs omninò reiici deberet, ſi aut Deum corporeum fingeret, aut brutis nunc exiſtentibus, aliiſque ſimilibus viſionem Dei attribueret. Verba tamen eius non de viſione per ſenſus externos, ſed de quadam alia cognitione ſunt. Ait namque, *quin etiam Dei notitia quodammodò & vſque ad beſtias peruenit, voce, & ratione carentes, vt illa cognoſcant, honorentque Deum, & promptiſſimè iuxta illius viuant leges. Prætereà non inconuenienter ipſe quoque eam habere dicuntur plantæ, quibus nulla vllius rei ineſt cognitio, ſed ſunt inanimæ, & mutæ, & ſimplici quadam natura gubernantur, quòd demùm & illæ ſponte fructum adferre velint cuique conuenientem.* Hactenùs Dio, quem explicare benignè, non foret arduum. Indebito iſto officio relicto, ſi natura v. gr. Equina, vt docet ex communi Patrum, & Theologorum opinione Suarez tom. 1. in 3. p. diſp. 14. ſect. 2. poteſt vniri hypoſtaticè Verbo diuino; auditúrque id à Viris doctis ſine ſcandalo, caueat, ne indoctus habeatur, qui ſcandalizetur audiens reſponderi obiectioni, poſſibilem eſſe oculum Equinum diuerſæ ſpeciei, qui eleuari valeat ad viſionem Dei intuitiuam: hæc enim multò inferior eſt, quàm Vnio hypoſtatica cum Verbo diuino. Quapropter inter Viros doctos videtur poſſe concedi id, quod vt abſurdum proponitur, etſi apud rudes, & ſimplices aliquale pareret ſcandalum; hi tamen etiam *offenderentur, ſi audirent aliquem dicentem, poſſibile eſſe, quòd iſtæ propoſitiones ſint veræ, Deus eſt aſinus, Deus eſt Lignum.* Sic Ioannes Picus Mirandulanus in q. 4. Apologetica. Similiter Henricus de Grandauo, quodlib. 13. quæſt. 5. in reſponſione ad 3.

55 Neque momenti erit, ſi obiicias, illud animal fore perfectius homine, & Angelo, quia his in præcipua, & vltima operatione, quæ cæterarum eſt finis, æquale eſſet, excederet autem in ſingulari quadam excellentia incapacitatis ad inordinatas appetitiones: cùm enim non poſſet verſari erga Deum, niſi ſupernaturaliter, ſequeretur, quòd non poſſet peccare, ſiquidem ex ſupernaturali dono Dei nequit peccatum prouenire. Non, inquam, momenti erit, ſi animal illud eſſet liberum (de quo poſteà) tunc enim eſſet capax inordinatæ appetitionis, & non eleuaretur ad viſionem Dei, niſi præcedentibus meritis. Si verò non eſſet liberum, excederet quidem hominem, & Angelum in incapacitate deuiandi à Deo per peccatum; in aliis tamen excederetur ab anima rationali, & Angelo, vt in libertate, & tendentia in Deum per actus ſpirituales, in independentia quoad conſeruati à materia, & quantitate, & in multis aliis, quæ facilè colligentur ex dicendis. S. Auguſtinus adhærens Ariſtoteli lib. 1. Ethicorum cap. 9. ſermonem habet de Beatitudine intellectuali, ſeu propria rationalis creaturæ, quæ eſt Beatitudo ſimpliciter.

56 Sexta: Admiſſa poſſibili facultate materiali, quæ abſtractiuè attingat ex ſe Deum, facilis erit tranſitus ad aliam, quæ intuitiuè attingat ex ſe. Reſpondetur, ſi impoſſibilis ſit facultas ſpiritualis creata, quæ ex natura ſua videre queat Deum intuitiuè, vt tenent frequenter Theologi; erit multò potiùs impoſſibilis facultas materialis. At ſi illa non repugnet, vt feliciter tentarũt Noſtræ Societatis duo eximij Theologi, alter P. Petrus Pimentel tam religione, prudentia, & litteris, quàm ſanguine planè regali Benauentanorum Comitum, ſed in Chriſti obſequium ſacrato clarior, in M.S.S. de viſione Dei prælectis Salmanticæ; alter P. Ioannes Martinez de Ripalda diſp. 23. & 132. ſect. 40. de ente ſupernaturali, non apparet ſpecialis implicantia in hac. Nam licet in perfectione cernendi ex natura ſua Deum intuitiuè ſuperaret potentias creatas ſpirituales intellectiuas modò exiſtentes, eſſet tamen ignobilior in aliis prædicatis, & ex genere ſuo eſſet inferioris ordinis, quàm potentiæ creatæ ſpirituales intellectiuæ, ſi producibiles ſint aliæ, quæ ex natura ſua intuitiuè etiam queant Deum videre. Agnoſco, ſequi, fore ſupernaturalem entitatiuè; proindéque & ſubſtantiam, cui eſſet identificata, aut deberetur vt proprietas diſtincta. Verùm conceſſa poſſibili ſubſtantia ſpirituali ſupernaturali, non videtur relucere peculiaris repugnantia in ſubſtantia corporea ſupernaturali, vt iam tetigi in exercit. 6. ſect. 2.

SECTIO V.

Diluuntur ſex aliæ obiectiones.

57 Septima: ſi materialis potentia non ſit incapax percipere obiectum ſpirituale, deerit fundamentum ad ſpiritualitatem rationalis animæ adſtruendam. Etenim ſpiritualitas animæ rationalis probatur communiter ex actibus ſpiritualibus, quos elicit; actuum autem ſpiritualitas ex obiectis ſpiritualibus, in quæ tendunt. Si ergo obiecta ſpiritualia poſſunt terminare materiales actus, claudicat probatio illa, de qua S. Auguſtinus in lib. de quantitate animæ cap. 13. & 14. inquiens, Anima rationalis *corpus non eſt, neque enim aliter incorporea cernere valeret.* Reſpondetur, ſpiritualitatem rationalis animæ ſolidiori alia baſi firmari, nimirùm independentiâ quoad conſeruari à materia & quantitate. Prætérquam quòd reſpectu animæ rationalis nunc exiſtentis non claudicat probatio illa, cum de facto nullum obiectum ſpirituale terminet actum intentionalem ortum à potentia materiali. Et ſic vſus eſt S. Auguſtinus probatione illa.

58 Octaua ſimilis præcedenti: ſi eſſet poſſibilis ſenſus perceptiuus obiecti ſpiritualis, confunderetur cum intellectu: nam hic eò ſolùm à ſenſu diſtinguitur, quòd percipiat ſpiritualia, ſenſus verò corporalia. Nec proderit dicere, diſtingui poſſe in eo, quòd intellectus perceptione ſpirituali, & ſenſus materiali percipiant eadem prorſus obiecta ſpiritualia, & materialia. Etenim vnicum argumentum colligendæ immaterialitatis in intellectu eſt immaterialitas

Digitized by Google

materialitas obiecti; quo ſublato, nullum extat, vt intellectum noſtrum non cenſeamus materialem, ſicut cenſemus materialem eum ſenſum poſſibilem. Reſpondetur, differentiam intellectus à ſenſu rectè dèſumi ex immaterialitate illius, ac materialitate huius; & immaterialitatem illius, ac materialitatem huius argui rectè aliunde, quàm ex obiectis, ſcilicet immaterialitatem ex independentia intrinſeca penes conſeruationem à materia, & quantitate; materialitatẽ autem ex oppoſita dependentia. Si replices, ille ſenſus eſſet perfectior noſtro intellectu, qui, dum eſt in corpore, vix format conceptum abſtractiuum de omni obiecto ſpirituali, & ſiue intra, ſiue extra corpus, nequit naturaliter attingere intuitiuè omne obiectum ſpirituale. Reſpondetur primò: Senſus ille, ſi naturalis eſſet in entitate, vti eſt noſter Intellectus, non poſſet naturaliter attingere intuitiuè omne obiectum ſpirituale; non enim ſic poſſet attingere Deum. Si dicas, ſaltem poſſet naturaliter, & ex eleuatione attingere intuitiuè omne obiectum, quod poteſt noſter intellectus. Hoc tamen gratis admiſſo, adhuc non ſequitur, fore perfectiorem, imò neque tam perfectum, quàm eſt noſter Intellectus; tum quia ab iſto ſuperaretur in independentia quoad conſeruati à materia, & quãtitate; necnon in attingendo omne obiectum ſpiritualiter, ſeu per cognitiones ſpirituales: tum quia etiam, quando intellectus attingeret abſtractiuè aliquod obiectum ſpirituale, & ille ſenſus intuitiuè, ſuperaretur abſolutè & ſimpliciter ab Intellectu, vti ab eodem ſuperatur potentia materialis olfactiua, dum ipſe attingit abſtractiuè odorem, & olfactiua intuitiuè. Et hæc ſit ſecunda ad replicam Reſponſio. Scripſi, *Hoc gratis admiſſo*, nam ſenſus perceptiuus obiecti ſpiritualis poſſet eſſe limitatus ad quatuor tantùm obiecta v.g. & talem ſenſum ſuperaret ſine dubio noſter Intellectus, cuius vis perceptiua ſe extendit ad obiecta omnia ſpiritualia. Poſſet prætereà eſſe limitatus ad aliquod obiectum ex materialibus, vt ad lucidum coloratum, & ob hanc limitationem excederetur etiam à noſtro Intellectu perceptiuo ſpiritualiter obiecti omnis materialis.

59 Nona germana duabus proximis: Si facultas materialis poſſet ad obiecta incorporea aſſurgere; poſſet proinde diſcurrere: quare eſſet rationalis, & intellectiua. Reſpondetur primò; Ex vi percipiendi corporea ſiue abſtractiuè, ſiue intuitiuè, non benè deducitur vis diſcurſiua, vt cõſtat in Deo, & in Angelis. Quòd ſi ſenſus internus percipiũt corporea, quin ex vno ad aliud diſcurrant, cur potentia aliqua materialis non poſſet per ſimplicem ſiue apprehenſionem, ſiue intuitum percipere incorporea, quin ex vno ad aliud diſcurreret? Secundò; Non apparet repugnantia in eo, quòd potentia aliqua materialis ſit diſcurſiua inter obiecta vel materialia, vel ſpiritualia. Ita Arriaga diſp. 5. Animaſtica n. 18. ac 19. & tom. 1. in 1. p. diſp. 6. n. 4. ac 5. Diceretur autem *rationalis, & intellectiua* ſi hiſce nominibus ſignificetur ſolummodò facultas capax diſcurrendi: & tunc ratio facultatis capacis diſcurrendi abſtraheret à facultate materiali, & ſpirituali. Si verò præfatis nominibus ſignificetur facultas tum ſpiritualis, tum capax diſcurrendi, non diceretur *rationalis, & intellectiua* illa potentia materialis, quæ à rationali anima differret maximè in eo, quòd in conſeruari dependeret à materia, & quantitate.

60 Vrgebis primò: Ergo potentia materialis diſcurſiua eſſet etiam libera, quia appetitus ſequutus facultatem diſcurſiuam debet eſſe liber; cùm per diſcurſum expendantur, & conferantur obiecta, vt per appetitum eligatur vnum præ alio. Contra primò: Quia ex vi diſcurſiua non ſequitur libera facultas; tum quia ex vi intellectiua non ſequitur volitiua in eorum ſententia, qui putant, non repugnare intellectiuum, quod non ſit volitiuum. Quare multò minus ex virtute percipiendi per diſcurſum ſequetur virtus volendi liberè. Tum quia facultas diſcurrendi eſt virtus inferendi vnum ex alio; cum hac autem virtute rectè ſtat, vt facultas appetitiua ſit determinata, & neceſſitata ad appetendum id, quod vel prius vel efficacius, vel ſuæ naturæ conformius propoſitum fuerit. Vbi autem ſimul, & æqualiter duo ſibi conuenientia proponantur, non à ſe, ſed à cauſa prima determinetur. Hinc ſtulti, & infantes ſæpe faciunt ſuos diſcurſus in rebus phyſicis, cùm tamen non habeant libertatem. Contrà ſecundò: Quia non elucet repugnantia in facultate materiali libera quoad appetendum. An autem ipſi competeret nomen voluntatis? Diſcurrendum eſt vt ſuprà de nomine *Intellectus*. Vrgebis Secundò: Ergo talis facultas materialis libera eſſet capax meriti, & demeriti, amicitiæ, & inimicitiæ apud Deum, & poſſet vt coronam adipiſci viſionem intuitiuam Dei materialem. Non tenuit Arriaga concedere illationem, qui non niſi admirationibus impugnabitur.

61 Decima: Quilibet Senſus debet attingere obiectum ſub ratione ſenſibilis, vti Intellectus ſub ratione intelligibilis. *Sed quod ſenſibile omne magnitudine praditum ſit, nec id ſentiri contingat, quod eſt indiuiſibile, manifeſtum euadit*, vt inquit Ariſtoteles cap. vltimo de ſenſu, & ſenſibili: Conſentit S. Auguſtinus in lib. de quantitate animæ cap. 4. & in lib. 2. de libero arbitrio c. 8. nam in priori loco ait, *altitudinem, ſi demas à corporibus, quantùm mea opinio eſt, nec ſentiri poſſunt nec omnino corpora eſſe rectè exiſtimari*. In poſteriori etiam inquit, *Vnum verò quiſquis veriſſimè cogitat, profectò inuenit corporis ſenſibus non poſſe ſentiri. Quicquid enim tali ſenſu attingitur, iam non vnum, ſed multa eſſe conuincitur; corpus enim eſt, & ideò habet innumerabiles partes.* Ergo manifeſtum eſt, non poſſe per ſenſum percipi obiectum ſpirituale. Adde, cùm ſenſibilitas ſit ratio contractior intelligibilitate, debere eam competere ſolis entibus corporeis, & iſtorum ſolùm eſſe proprietatem, atque affectionem; nam ſi in corporeis etiam competat, tam erit ſenſibile omne ens, quàm eſt intelligibile, & tam latè patebit ſenſus, quam Intellectus. Reſpondetur, falſam eſſe Maiorem de ſenſibus poſſibilibus aptis percipere ſpiritualia ſub ratione ſpiritualium. Sed illico inferes; ſi Deus attingitur à potentia viſiua ſub ratione ſpiritualis, ergo refundet in actum, per quem attingitur, denominationem ſpiritualis. Verùm eodem modo poſſes inferre; ſi Lux attingitur ab Intellectu ſub ratione materialis; ergo in actum refundet denominationem materialis. Vnde ſicut, niſi potentia ſit materialis, non dicitur actus materialis, etſi attingat obiectum materiale: ita niſi potentia ſit ſpiritualis, ſeu independens à materia, & quantitate, non dicetur actus ſpiritualis, etſi feratur in obiectum ſpirituale.

62 Ne tamen ex voce ſit deluſio; aduertendum eſt primò; Senſibile ſumi de facto pro re corporea, & materiali, quia ſumitur pro re perceptibili per ſenſus actu exiſtentes, alióſque ſimiles, qui nonniſi ad obiecta corporea, & materialia poſſunt tendere. Quare S. Auguſtinus lib. de quantitate animæ cap. 14. ſcripſit, *ſenſibus, niſi corporea ſentiri datum non eſt*, lib. de Magiſtro c. 12. *Omnia, quæ*

percipimus, aut ſenſu corporis, aut mente percipimus; illa ſenſibilia, hac intelligibilia nominamus. S.Damaſcenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 18. lib.3. cap. 16. *Senſus virtus eſt animæ materialium rerum apprehenſiua.* Venerabilis Beda, lib. de Elementis Philoſophiæ; *Sunt, & eſſe non videntur incorporalia; ſenſus enim extra ſubiectam materiam nihil poteſt; ſunt, & eſſe videntur corporalia, ſeu diuinum, ſeu caducum habeant corpus, corpora namque ſubiacent ſenſui.* Titus Boſtrenſis lib.2. contra Manicheos, *Omne, quod ſub aſpectum cadit, cum ſit corpus, naturâ oppoſitum eſt inaſpectabili, & incorporeo.* Petrus Gregorius libr.1. ſyntagmatum Iuris cap.1. num. 3. probat ex §.1. Inſtitut. de rebus corporalibus, & incorporalibus, leg. item 1. §. 1. ff. de diuiſ. rerum, corporales res eſſe, quæ sui natura tangi, viderive poſſunt; Incorporales, minimè. Solétque idem ipſum confirmari ex leg. 50. ff. de petit. hæred. atque ex l.1. & 2. de vſufructu, titulo generali. In hac acceptione negatur ſenſus poſſibiles debere attingere obiectum ſub ratione ſenſibilis, id eſt, corporei, & materialis. Nam ſi velis vocare ſenſibile obiectum ſpirituale denominatione ſumpta præcisè à ſenſu, cuius obiectum ſit, dicetur, ſenſum poſſe attingere obiectum ſpirituale ſub ratione ſenſibilis, id eſt, ſub ratione etiam terminatiua ſenſus.

63 Aduertendum eſt ſecundò: nuncupari communiter ſenſum, potētiam perceptiuam dependentem quoad conſeruationem à materia, & quantitate, quin habeatur reſpectus ad obiectum. Aſt ſi velis habere, liberum tibi erit vocare Intellectum eam potentiam, quæ cùm dependens ſit quoad conſeruationem à materia, & quantitate, feratur in obiectum ſpirituale. Et licebit vocare eam ſenſitiuam ex parte ſubiecti; Intellectiuam verò ex parte obiecti ſpiritualis. Hinc pro pleniori obiectionis ſatisfactione dici poteſt, obiectum ſenſibile per ſenſus nunc exiſtentes, ſimiléſque alios eſſe corporeum; quia eiuſmodi ſenſus ſolis corporeis obiectis adſtricti ſunt; & Ariſtot. ac S.Aug. loquutos de ſenſibili ſenſuum eorū, vt & Philoſophos, & Theologos, dum aiunt ſenſibilitatem eſſe contractiorem intelligibilitate; quia non alterius, quàm exiſtentis, & affinis poſſibilis ſenſibilitatis meminerunt.

64 Vndecima: Cognitio materialis debet diuiſibiliter percipere obiectum. Sed obiectum ſpirituale non poteſt ſic percipi. Ergo nec terminare cognitionem materialem. Reſpondetur primò: Cognitionem materialem poſſe eſſe integraliter indiuiſibilem, dummodò in conſeruati dependeat à materia & quantitate: neq; id magis difficile eſt quàm quòd perfectorum animalium irrationalium materiales animæ ſic ſint indiuiſibiles in ſententia Thomiſtarum, & P.Suarij lib.1. de Anima cap.13. ampliata à Ioanne Buſtamante lib.6 de animantibus memoratis in Scriptura ſacra c 5.n.18. ad imperfecta, inſectáque animalcula; quod etiam ſenſerunt antiquiores alij apud Rubium tract.3. de Anima q.2. Quare cognitio materialis eodem modo indiuiſibilis poterit attingere indiuiſibiliter obiectum ſpirituale, quod ſit etiam integraliter indiuiſibile. Nam ſi ſit integraliter diuiſibile, ſiue ſit accidens, ſiue ſubſtantia, vt plures cenſent non repugnare, eo quòd non videatur eſſe magis de conceptu ſpiritualis entis indiuiſibilitas integralis, quàm de conceptu materialis entis oppoſita diuiſibilitas, corruit protſus obiectio; & hæc eſt ſecunda ad ipſam Reſponſio. Tertia: obiectum integraliter indiuiſibile poſſe attingi per cognitionem integraliter diuiſibilem. Vti obiectum intenſiuè indiuiſibile poteſt attingi per cognitionem intenſiuè diuiſibilem; & vti animus rationalis integraliter indiuiſibilis poteſt affici per vbicationem, & vnionem integraliter diuiſibiles. Et Ratio eſt, quia obiecto integraliter indiuiſibili repugnat quidem attingi ſecundùm aliquid, & non ſecundùm totum; non verò repugnat attingi per plures partes integrales, & extenſiuas cognitionis, ſi quælibet pars attingat totum illud, ſicut quælibet pars vbicationis, & vnionis animæ rationalis afficit totam ipſam; & ſicut in multorum opinione quælibet pars ſpeciei impreſſæ viſiuæ repræſentat omnes, & ſingulas partes albedinis extenſæ vt octo. Denique obiectio extricanda eſt & ab illis, qui affirmant, Chriſti Domini corpus, prout eſt in Euchariſtia ſine extenſione partium ad ſpecierum ſpatium, attingi poſſe diuinitus per ſenſus corporeos.

65 In qua Opinione valdè probabili eneruantur argumenta alia, quæ contra oculum corporeum perceptiuum obiecti ſpiritualis efformari valent; vt quòd obiectum viſus debeat eſſe extenſum; cùm experiamur, eò minus videri obiecta, quò minorem habent extenſionem; quòd viſio nequeat fieri niſi ab obiecto ad oculum trāſmittatur ſpecies per modum pyramidis, cuius cuſpis ſit in oculo, & baſis in obiecto. Hæc enim & ſimilia alia argumenta, neq; illius opinionis Authores morantur, neque contra oculum diuerſæ conditionis ingerunt conſiderabilem difficultatem: tum quia non repugnat oculus, qui æquè bene percipiat obiectum paruæ ac magnæ extenſionis, remotum æquè benè, ac propinquum, tum quia neque repugnat oculus, qui non indigeat ſpeciebus impreſſis tranſmiſſis ab obiecto. Et licet indigeret, transfunderentur ſpecies ab obiecto conuenientes ad oculi materialem naturam, erúntque proinde materiales, ſicut è contra in ſententia Scotica impreſſæ ſpecies, quas Intellectus Angelicus accipit ab obiectis materialibus ſingularibus, ſunt ſpirituales ratione proportionis cum intellectu Angelico ſpirituali.

66 Hinc ſi non implicet contradictionem ſpecies impreſſa ſpiritualis, per quam immediatè repræſentetur virtualiter Intellectui creato eſſentia diuina, non videtur repugnatura alia materialis, per quam ſic repræſentetur oculo corporeo poſſibili, quem à ratione exploramus. Imò quia oculus nunc exiſtens indiget ſpecie impreſſa obiecti, etiamſi hoc ſit præſens, & proportionatum, poſſet dici illum alium poſſibilem magis connaturaliter proditurum in viſionem, ſi ornaretur ſpecie impreſſa, non obſtante intima Dei præſentia, & proportione ipſius oculi facta vel per ſupernaturale lumen intrinſecum materiale, vel per ſupernaturale auxilium extrinſecum.

67 Duodecima: Cùm modus eſſendi obiecti excedit modum eſſendi potentiæ cognoſcentis, excedit etiam modum cognoſcendi ipſius; ſed modus eſſendi obiecti ſpiritualis excedit modum eſſendi potentiæ materialis. Ergo excedit etiam eius modū cognoſcendi. Conſequentia eſt quadrata. Minor patet, quia eſſendi modus, quem habet obiectum ſpirituale, eſt independens à materia, & quantitate, à quibus dependens eſt modus eſſendi, quem habent potentia materialis, ac proinde ille modus excedit hunc. Maior etiam videtur patere à poſteriori, tum ex potentiis materialibus nunc exiſtentibus, quæ percipiunt ſolummodò materialia obiecta ſectantia modum eſſendi ipſarum: tum ex anima rationali, quæ vnita corpori percipit ſpiritualia

obiecta

Digitized by Google

obiecta modo materiali, ſeu dependenti à corporeis phantaſmatibus, & ſeparata à corpore percipit modo ſpirituali eadem obiecta. Reſpondetur, Maiorem eſſe falſam primò in modo cognoſcendi abſtractiuè, quia anima rationalis vnita corpori, & dependens in cognoſcendo à phantaſmatibus corporeis percipit abſtractiuè Angelum omnis vnionis, & dependentiæ ſimilis expertem; ipſáque anima, & Angelus diſtant à Deo infinitè in modo eſſendi, cùm tamen naturaliter cognoſcant abſtractiuè Deum: Secundò, in modo cognoſcendi intuitiuè, quia eadem anima ſeparata à corpore cognoſcit intuitiuè Angelum intrinſecè completum, & corporeæ compoſitionis immunem, licet anima ſit intrinſecè incompleta, & deſtinata ad compoſitionem cum corpore; ipſa etiam anima, & Angelus, ſi illuſtrentur lumine gloriæ, proportionantur ad intuendum Deum, à quo in modo eſſendi ſuperantur infinitè.

68 Ratio à priori eſt; Quia potentia cognoſcens non debet continere ſimpliciter obiectũ, non enim huic tribuit ſuam perfectionem: quare ſolùm debet continere ſecundùm quid, & intentionaliter, quatenùs contineat cognitionem & imaginem intentionalem referentem ipſius: & cùm cognitio obiecti poſſit eſſe in modo eſſendi longè inferior obiecto, poterit etiam facultas cognoſcens eſſe longè inferior eodem obiecto in modo eſſendi. Sermo eſt de cognitione, quæ ad gradum comprehenſiuè non perueniat; nam ſi ad talem gradum perueniat, debet oriri vel à cognoſcente tam perfecto, quàm eſt obiectum, vel debet eſſe tantæ perfectionis, quantæ eſſet, quæ oriretur aut ab ipſo obiecto, aut à cognoſcẽte alio tam perfecto, quàm obiectum, & aliunde opus eſt penetret omnia, quæ formaliter, & eminẽter continẽtur in obiecto. Vnde obiectionis Maior, etſi vera ſit reſpectu cognoſcentis comprehenſiuè, ſecùs reſpectu cognoſcentis abſtractiuè, aut intuitiuè non omninò adæquatè. Ex quo obiter euellitur ſcrupulus aliquorum, qui ne poſſibilem cõprehenſionem Dei ab oculo corporeo admittant, negãt & poſſibilẽ viſionem: quaſi omnis viſio obiecti eſſet eo ipſo comprehenſio: quod tamen nemo non cernit, eſſe à veritate alienum, tam in viſione ſpirituali, quàm in materiali, cùm Deus poſſit terminare viſionem noſtri Intellectus eleuati, non verò comprehenſionem, & cùm color viſus à noſtris oculis non ſolùm non comprehẽdatur, ſed ſæpè ita imperfectè, & indiſtinctè percipiatur, vt non valeat videns diſcernere, an color viſus ſit albedo, vel nigredo.

69 Redeo ad principalem obiectionem, notans, modum cognoſcẽdi ſequi in aliquibus modum eſſendi potentiæ; nam ſi modus eſſendi eſt creatus, aut habet compoſitionem, debet itidem modus cognoſcendi eſſe creatus, aut habere compoſitionem. Attamen in omnibus non ſequitur, etſi enim modus eſſendi ſit ſubſtantialis, non ideò modus cognoſcendi debet eſſe ſubſtantialis; neque ſi modus eſſendi careat intentione, ideò hac carere debet modus cognoſcendi; & modus eſſendi animæ rationalis eſt ſpiritualis; aſt non omnis modus cognoſcendi, quo gaudet vnita corpori, eſt ſpiritualis: prætereà eadem anima exiſtens intra corpus eueht poteſt diuinitùs ad modum cognoſcendi independenterà corpore, vt ad viſionem Dei intuitiuam. Et quoad præſens attinet modus cognoſcendi in potentia materiali terminatus ad obiecta ſpiritualia, ſequeretur modum eſſendi ipſius; nam ſicut ea eſt materialis, ita ſimiliter modus cognoſcendi ab ea ſeruatus eſſet materialis. Quòd autem obiectum cognitum debeat ſequi modum eſſendi potentiæ, falſum eſt, vt conſtat ex dictis. Et hinc patet adduci abs re probationes Maioris.

70 Sed adhuc premes primò: Etſi obiectum, & potentia cognoſcens non debeant conuenire in modo eſſendi, ſaltem in eo non debent opponi, vti opponuntur obiectum ſpirituale, & potentia cognoſcens materialis. Contra; quia ſupernaturale obiectum, non minùs opponitur potentiæ cognoſcenti naturali, quàm ſpirituale obiectum potentiæ cognoſcenti materiali: Et nihilominùs obiectum ſupernaturale poteſt naturaliter cognoſci abſtractiuè probabiliter; & ſupernaturaliter intuitiuè à potentia naturali in entitate. Ergo & ſpirituale à potentia materiali in entitate. Idem argumentum confici poteſt in Angelo habente aut diſtinctum Intellectum, aut indiſtinctam ſubſiſtẽtiam à ſua ſubſtantia; neque enim ideò cognoſci nequiret ab alio Angelo, à cuius ſubſtantia indiſtinctus ſit Intellectus, & diſtincta ſubſiſtẽtia. Rursùs ſi res ſpiritualis oppoſita materiali in modo eſſendi, conuenire poteſt in vnionem phyſicam cum ea, vt anima rationalis cum corpore, & Verbi diuini ſubſiſtentia cum materia, cur cõuenire non poterit in vnionem intentionalem cum facultate aliqua cognoſcitiua materiali? Addo, Intellectum cognoſcere carentiam ſui, Chimæram, & vniuerſalia, cum quibus omnibus habet ille oppoſitionem in modo eſſendi.

71 Premes ſecundò: Principium cognoſcens debet eſſe in ſuperiori, vel vt minùs in æquali ordine cum obiecto cognito; potentia autem materialis eſt in inferiori ordine ad obiectum ſpirituale. Contrà: Quia eſſe in inferiori ordine phyſico non obeſt, vt monſtrant Exempla allata, & confirmatur exemplo potentiæ amantis, cui non officit eſſe in inferiori ordine ad obiectum amatum, vt planum eſt in voluntate humana amante naturaliter Deum, vt Authorem naturæ; neque eſt potior ratio de potentia cognoſcente, quàm de amante.

72 Premes tertiò: Potentia non abſtrahens in ſuo eſſe à materia, non poteſt in operando abſtrahere ab eadem. Ergo nec cognoſcere obiectum ab illa abſtrahens. Contra: Quia quæ conueniunt operationi potentiæ intentionalis, non debent conuenire eius obiecto, ſiquidem cognitio creata, & finita, ſpiritualis, & accidentalis attingat obiectum increatum, & infinitum, necnon obiectum, quod ſit materiale, & ſubſtantiale. Quòd ſi cognitio creata, & accidentalis poteſt habere proportionem in eſſe intentionali cum obiecto increato, & ſubſtantiali, deſideratur ſemper ratio, ob quam nequeat habere eam proportionem cognitio materialis cum obiecto ſpirituali.

73 Premes quartò: Cognitio ſemper debet eſſe ſubtilior, immaterialior, & abſtractior à materia, quàm obiectum. Et hac de cauſa ad percipiendum obiectum ſenſibile ſunt neceſſariæ ſpecies impreſſæ ſenſitiuæ, quæ tanquam immaterialiores obiecto concurrant cum ſenſibus ad efficiendam ſenſationem immaterialiorem. Hac etiam de cauſa, vt intellectus cognoſcat obiectum ſiue ſenſibile, ſiue ſpirituale, indiget, dum eſt intra corpus, ſpeciebus impreſſis ſpiritualibus, quin ſufficiant vel ſpecies impreſſæ, vel perceptiones ſenſitiuæ præuiæ. Contrà: Ex cognitione ſiue abſtractiua, ſiue intuitiua Angelica, vel Animaſtica terminata ad Deum; à quo ſummè, & infinitè exceditur in ſubtilitate, immaterialitate, & abſtractione à materia. Contra etiã: ex cognitione, qua vnus Angelus inferior cognoſcit quidditatiuè alium ſuperiorem; neque enim

Digitized by Google

ea cognitio tantæ eſt immaterialitatis, quantæ Angelus cognitus, cùm ea independens non ſit ab omni ſubiecto, vti eſt independens Angelus cognitus. Vnde quemadmodùm Angelus eſt magis immaterialis, quàm anima rationalis, & Deus eſt magis immaterialis, quàm Angelus, quia anima rationalis dependet à corpore tanquàm à recipiente, & informato, non ſic Angelus; & hic ob dependentiam à cauſa efficienti accedit aliquantulùm ad conditiones, & proprietates materiæ; non ſic Deus. Ita ſimiliter ea cognitio dependens, vt à ſubiecto ſuſtentante ab Angelo cognoſcente ſuperabitur in immaterialitate ab Angelo cognito experte ſimilis dependentiæ. Adeſt & aliud indicium minoris immaterialitatis in ea cognitione deſumptum exinde, quòd minoris ſit immaterialitatis, quàm Angelus cognoſcens. Ergo & quàm Angelus cognitus, quippe iſte ſupponatur excedere illum eſſentialiter in perfectione.

74 Neceſſitas ſpecierum impreſſarum in ſenſibus neutiquam fundatur in maiori immaterialitate ſenſationum præ ipſis obiectis materialibus; nam neque ſpecies, neque ſenſationes ſunt immaterialiores obiectis, & licet eſſent, prouenit ex aliis capitibus indigentia ſpecierum in ſenſibus. Quòd verò ſpecies, quibus noſter Intellectus vtitur immediatè intra corpus, ſint ſpirituales, nihil iuuat aduerſarios. Si enim obiectum ſit ſpirituale, erit & de facto ſpirituale quicquid repræſentet illud intentionaliter, vel formaliter, vel virtualiter. Si ſit materiale, adhuc ſpecies deſeruientes Intellectui noſtro debent eſſe ſpirituales, tum quia actus, ad quos deſeruiunt, ſunt ſpirituales: opus ergo eſt, vt ſpecies ſint etiam ſpirituales. Tum quia vt Intellectus percipiat tale obiectum, indiget compleri in ratione principij intellectiui ſpiritualis per aliquid ſuperadditum. Ergo per aliquid, quod ſit ſpirituale. Ob hanc rationem probatur, Intellectum, ſi ſit diſtinctus ab anima rationali, debere eſſe ſpiritualem; vt & debere eſſe ſpiritualem, ac ſupernaturalem actum cognoſcitiuum complentem, & dirigentem voluntatem in ratione principij volitiui ſpiritualis, ac ſupernaturalis; & è contra materialem neceſſariò eſſe actum perceptiuum, quo dirigitur appetitus materialis ad proſequutionem ſui obiecti. Tum denique; quia, niſi Intellectus noſter vtatur ſpeciebus impreſſis ſpiritualibus, nihil præuium poteſt aſſignari, quod ex primario ſuo conceptu inſeruiat Intellectui, vt virtus, & inſtrumentum obiecti, quandoquidem ſpecies impreſſæ, & perceptiones ſenſitiuæ præuiæ ex primario ſuo conceptu ordinentur ſolummodò ad repreſentandum ſiue virtualiter, ſiue formaliter obiectum ſenſibus.

75 Premes quintò: ex quodam Neotherico, qui concedens, modum eſſendi obiecti poſſe ſuperare modum eſſendi potentiæ, contendit tamen, modum cognoſcendi debere imitari eſſentialiter eſſendi modum competentem potentiæ, & debere ſequi eius perfectionem, aut imperfectionem: proindéque modum cognoſcendi abſtrahentem in ſuo obiecto à materia non poſſe conuenire potentiæ non abſtrahenti in ſuo eſſe ab illa. Sed is Neothericus, dum imitationem intentionalem in modo cognoſcendi reſpectu modi eſſendi potentiæ reuocat ad abſtractionem potentiæ à materia, ſi obiectum ſit ſpirituale, & ad contractionem per materiam, ſi obiectum ſit materiale, regreditur ad æqualitatem in modis eſſendi obiecti, & potentiæ, cuius æqualitatis curam non eſſe habendam iam anteà conceſſerat ipſe, & nos ſufficienter oſtendimus. Debet quidem modus cognoſcendi imitari intentionaliter modum eſſendi potentiæ: aſt non omninò, ſed quadantenus vt explicatum eſt ſuprà. Nec in Moderni longo diſcurſu inuenio rationem ſiue antiquam, ſiue nouam, qua probetur, modum cognoſcendi abſtrahentem in ſuo obiecto à materia non poſſe non in ſe, & in ſua potentia abſtrahere ab eadem materia.

76 Premes ſextò: Viſio orta à potentia corporea non poteſt non repræſentare obiectum modo corporeo. Ergo neque poteſt non repræſentare obiectum corporeum. Probatur conſequentia: Quia non requiritur minor proportio inter actum, & obiectum, quàm inter actum, & potentiam. Negatur conſequentia, cuius probationis inefficacia comperta eſt ex prædictis. Sufficiat inſtantia actus creati, & finiti, qualis debet eſſe, qui oriatur à potentia creata, & finita, poteſt tamen terminari ad obiectum increatum, & infinitum.

77 Premes ſeptimò: Inuoluit contradictionem potentia materialis perceptiua obiecti materialis per actum ſpiritualem. Ergo & perceptiua obiecti ſpiritualis per actum materialem. Reſpondetur, inſtando ſic argumentum, Inuoluit contradictionem potentia ſpiritualis perceptiua obiecti, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis per actum materialem. Ergo & perceptiua obiecti ſiue materialis, ſiue ſpiritualis per actum ſpiritualem. Si poſterioris huius enthimematis neges Antecedens, mihi etiam licebit negare Antecedens prioris. Sed vtriuſque concedendum eſt; etſi P. Ripalda in tract. M.S. de Angelis cruciatum Dęmonum ab igne eatenùs explicuerit, quatenùs Dæmones vniti phyſico vinculo cum igne torqueantur per materialem, & veram ſenſionem ipſius ignis. Ripaldam tamen ſic diſcurrentem reieci alibi; quia Dæmones ſunt naturaliter impotentes ſub ratione principij vitalis attingere ignem per materialem ſenſationem. Ergo repugnat eleuari diuinitùs ad hanc: vt enim repugnat vitalibus potentiis extrahi ad obiecta, quæ naturaliter attingere aliquatenùs non valent; ita & extrahi ad attingẽdi modos, quos nequeunt naturaliter habere penes aliquod obiectum. Dæmones autem neque ignem, neque quoduis aliud obiectum poſſunt naturaliter attingere per ſenſationem materialem. De hac ratione latè in ſect. 2. quæ non ſolùm efficax eſt pro potentiis materialibus de facto exiſtentibus, ſed etiam pro qualibet alia poſſibili. Ne dicatur, poſſe diuinitùs eleuari ad percipiendum obiectum ſiue materiale, ſiue ſpirituale per actum ſpiritualem. Non enim excogitabis, poſſibilem eſſe potentiam materialem, quæ naturaliter percipiat per actum ſpiritualem, cùm compertum ſit, actum qui naturalis ſit potentiæ materiali, fore eo ipſo materialem, vtpotè ab ea naturaliter dependens in fieri, & conſeruari. Et quamuis excogitaretur actus indifferens ex ſe; vt fieret effectiuè, vel à potentia ſpirituali, vel à potentia materiali, quemadmodùm apud plures cognitio eadem indifferens ex ſe eſt, vt fiat, vel ab Angelo, vel ab anima rationali; nihilominùs potentia materialis per talem actum adhuc in ipſa receptum non redderetur percipiens obiectum; cùm enim actus eo pacto indifferens eſſet ſpiritualis, ſequeretur, potentiam materialem extrahi ad attingendi modum, quem ipſa ex ſe in ratione principij vitalis nequiret naturaliter habere reſpectu vllius obiecti. Præthereà quis inficietur, actum ſpiritualem eſſe improportionatum phyſicè, & intentionaliter cum potentia

materiali?

Digitized by Google

materiali? Ergo non poteſt hæc reddi percipiens per illum; vti Intellectus creatus nequit reddi per intellectionem increatam ob ſimilem improportionem.

78 Conſtat ex his omnibus, nullam eſſe conſequentiam vtriuſque enthymematis; nam materialitas, vel ſpiritualitas actus eſt conformis, & proportionata modo tendendi, & entitati potentiæ vel materialis, vel ſpiritualis, & aliunde neque potentia, neque actus æmulari debent vel materialitatem, vel ſpiritualitatem obiecti. De materialitate obiecti eſt certum; cùm Deus, Angelus, & homo percipiant obiecta materialia intellectu, & cognitione ſpiritualibus. De ſpiritualitate obiecti non videtur probari manifeſtè oppoſitum; vt colligitur ex tentatis ſolutionibus ad obiectiones. Et hæc ſatis pro Duodecima. Legantur Ripalda diſp. 23. de ente ſupernaturali ſect. 6. n. 27. Arriaga tomo 1. in 1. p. diſp. 5. ſect. 2. ac 3. Bartholomæus Amicus tract. 14. Phyſicorum quæſt. 6. dub. 3. vbi à pag. 871. vſque ad 880. intentiùs, quàm alij, perpendit, qua ratione modus operandi ſequatur modum eſſendi.

SECTIO VI.

Eneruantur aliæ ſex Obiectiones.

79 Decimatertia: Implicat contradictionem, quòd potentia ſenſitiua intelligat. At ſi poſſet videre Deum, poſſet vtique intelligere. Ergo non poteſt videre Deum. Probatur Maior; Quia intelligere eſt dare obiecto vniuerſaliter ſpiritualitatem quandam intentionalem, cuius communicandæ incapax eſt potentia ſenſitiua, vtpote materialis; nemo enim dat, quod non habet. Minor etiam probatur; Quia videre Deum eſt intelligere, ſiquidem videns Deum queat cognoſcere omnia aliquatenùs in Deo; ſic autem poſſe cognoſcere, nihil aliud profectò eſt, quàm poſſe intelligere.

80 Decimaquarta: Potentia ſenſitiua determinat ſibi obiectum, ſicut nutritiua alimentum. Ex quo implicat contradictionem, nutritiuum eſſe aliud quàm alimentum conuertibile in ſubſtantiam aliti. Quare ſicut impoſſibile eſt, aliquem nutriri ſubſtantiâ diuinâ; ita pariter impoſſibile erit, oculum videre Deum; viſibile namque eſt quod eſt lucidum, ſeu coloratum.

81 Decimaquinta: Si poſſet oculus videre Deum, poſſet non minùs lapis, aut corpus mortuum. Si verò poſſet corpus mortuum, debuiſſet talis viſio dari corpori Chriſti in triduo mortis; nam propter vnionem Hypoſtaticam debebatur ipſi omne bonum poſſibile. Aliunde autem repugnat illi ea viſio; alioqui Chriſtus non fuiſſet mortuus, & diuinitas deſeruiſſet loco animæ; quod vtrumque eſt hæreticum. Prior ſequela conuincitur exinde, quòd ex natura rei tam non poteſt oculus videre Deum, quàm non poteſt lapis, aut cadauer; & ex potentia Dei abſoluta, ſi poteſt oculus, quid ni lapis, aut cadauer?

Decimaſexta: Senſus particulares ſunt deſtinati ad ſeruiendum ſenſui communi; Senſus communis phantaſiæ; Phantaſia Intellectui, eo quidem ordine, vt ſemper poſterior cognitio ſit melior, & cognoſcens obiecta in actibus potentiæ inferioris, meliùs, quàm ipſa, quia magis reducit ad vnitatem plura: Vnde ſi oculus videret Deum, ſenſus communis meliùs videret in oculo; phantaſia meliùs in ſenſu communi, Intellectus meliùs in phantaſia. At id implicat contradictionem, quia repugnat videre Deum in aliquo creato motiuo; hoc namque eſſet cognoſcere Deum, non prout in ſe ſed ænigmaticè. Et prætereà ſequeretur, oculos videre Deum, prout in ſe, & intellectum ænigmaticè. Quod ſanè abſurdiſſimum eſt.

83 Decimaſeptima: Oculus capax intuendi Deum vel eſſet eiuſdem ſpeciei cum noſtro, vel diuerſæ? Non prius; quia ſortietur ſpecificatiuum idem, nẽpe corporeum, coloratum; ideóque non poterit eleuari ad Dei viſionem tranſgrediendo terminos ſui ſpecificatiui. Non poſterius, quia iam non erit ampliùs oculus, neque aſſignabitur ratio, cur potiùs ſit oculus, quàm auditus, aut olfactus. Si Reſpondeatur, non repugnare potentiam corpoream, quæ Deum in ſeipſo attingat intentionaliter, ſiue vocãda ſit oculus, ſiue non; id namque eſt purum nomẽ. Reficiuntur ſic argumenti vires; cùm quælibet potentia debeat eſſe determinatæ talis ſpeciei, opus eſt, vt præfixum habeat ſuum determinatum ſpecificatiuum. Vel ergo ſpecificatiuum illius potentiæ eſſet vnà obiectum corporeum, & incorporeum, vel eſſet ſolùm incorporeum, vel ſolùm corporeum? Dabit manus, & ſe victum fatebitur, qui conceſſerit vltimum. Nam potentia, cuius vnicum ſpecificatiuum ſit obiectum corporeum, nequit tranſilire ſuos limites, & accedere ad extraneos obiecti incorporei. Qui ſecundum dixerit, reiicietur, quia potentia corporea debet gaudere obiecto proportionato, & eiuſdem ordinis, adeòque corporeo, neque poteſt ſpecificari à ſolo obiecto alterius ordinis, ſeu à ſolo obiecto incorporeo; vti potentia intellectiua creata nequit ſpecificari à ſolo obiecto increato. Reſtat tantũmodò primum; ſed in quod fieri ſic poteſt impreſſio. Quãdo plura diſparata cõueniunt ad ſpecificandũ, debent conuenire ſub aliqua ratione communi. Sed corporeum, & incorporeum, quæ ſunt diſparata, nequeunt conuenire ſub aliqua ratione communi ad ſpecificandam illam potentiam. Ergo ſpecificatiuum illius potentiæ nequit vnà eſſe corporeum, & incorporeum. Conſequentia nullo laborat defectu. Minor roboratur, quia ens diuiſum primò in incorporeum, & corporeum habet ſuas paſſiones communes tranſcendentes, videlicet veritatem, bonitatem, vnitatem, &c. Sub nulla autem harum rationum communium poſſunt conuenire corporeum, & incorporeum reſpectu præfatæ facultatis ſpecificandæ. Veritas namque ſpecificat intellectum, & bonitas voluntatem; vnitas autem, & aſſignabiles aliæ paſſiones entis, ſunt merè negatiuæ, proindéque non aptæ ad ſpecificandam potentiam paſſiuam, qualis eſſet illa corporea. Inſuper ſi corporeum, & incorporeum vt conuenientia ſub aliqua ex dictis rationibus poſſent ſpecificare eam potentiam, ſequeretur, omne ens eſſe viſibile ab ea; & ſic ſonus, aut ſapor eſſet viſibilis; quod certè ex ipſis terminis eſt manifeſtè falſum. Maior oſtenditur æquè perſpicuè, tumquia ſi potentiam ſpecificarent plura vt plura, & non vt conuenientia ſub aliqua ratione communi, potentia non foret vna, ſed multiplex; tumquia quælibet potentia debet eſſe determinatæ ſpeciei. Ergo opus eſt, vt à determinato ſpecificatiuo ſumat determinatam ſuam ſpeciem.

84 Decimaoctaua: Obiectum ſpirituale non poteſt habere ſpecialem modum immutandi potentiam corpoream: Ergo obiectum ſpirituale nequit vlla ratione ſpecificare potentiam corpoream. Antecedens probatur. Nam in primis obiectum

ſpirituale nequit immutare per modum intelligibilis, aut appetibilis corpoream potentiam, ſed intellectum, aut voluntatem, quæ ſunt facultates ſpirituales. Deinde nequit immutare per modum tangibilis, olfactibilis, viſibilis, &c. Siquidem quilibet ex his modis inuoluat corporeitatem in obiecto. Vlteriùs non eſt aſſignabilis alius immutandi corpoream potentiam modus, qui communis ſit obiectis ſpirituali, & corporeo. Conſequentia rectè deducitur, quia obiectum ſpecificans aliquam potentiam, debet habere ſpecialem modum immutandi illam; vt patebit diſcurrenti per omnia, & ſingula obiecta, à quibus potentiæ accipiunt ſpecificationem; alio modo immutatur viſus à lucido colorato, quàm à ſono auditus: & ſic de reliquis.

85 Ad decimam tertiam obiectionem reſponderi poteſt, videntem Deum percipere omnia alia eminenter in Deo, quatenus Deus continet eminenter omnia alia: ſic autem percipere, non eſſe formaliter intelligere, niſi perceptio ſit ſpiritualis, ortáque à potentia independenti à materia, & quantitate quo ad ſui conſeruationem. Vnde in forma negari poteſt Minor, & eius probationi ſatisfieri. Maior eſt abſolutè vera; ſed tamen ratio, qua firmatur, non eſt admodum vrgens. Nam cum ego intelligo obiectum corporeum, nullam tribuo ipſi veram ſpiritualitatem, neque item Deo, cùm ipſum intelligo. Quòd ſi intelligens tribuat obiecto ſpiritualitatem metaphoricam, cur potentia ſenſitiua eleuata ad intelligendum nequibit communicare talem ſpiritualitatem? Si enim quod eſt re ipſa minus ſpirituale, poteſt communicare ſpiritualitatem metaphoricam illi obiecto, quod eſt re ipſa magis ſpirituale, vt intellectus humanus Angelo, & Deo, quoties vtrumque intelligit, cur, quod verè non eſt ſpirituale, vt potentia ſenſitiua, non valeret communicare ſpiritualitatem metaphoricam?

86 Ad decimam quartam dici poteſt, facultatem materialem viſiuam determinare ſibi obiecta viſibilia; vnúmque ex illis eſſe Deum, & non tantùm lucidum, aut coloratum; eſſe, inquam, Deum, quia repugnantia in huius viſibilitate per potentiam materialem non demonſtratur, vti patenter oſtenditur in eo, quòd Deus ſit obiectum alicuius potentiæ nutritiuæ, conuertatúrque in ſubſtantiam aliti. Neque ex notiſſima hac repugnantia poſteriori perducimur ad cognitionem prioris illius argumento vllo vel apparenti.

87 Ad decimamquintam poteſt reſponderi negando ſequelam, cuius probatio eſt inefficax; alioqui ſimiliter argumentari liceret, *tam non poteſt ex natura rei intellectus creatus videre Deum, quàm non poteſt lapis, aut cadauer*; *& ex potentia Dei abſoluta, ſi poteſt intellectus creatus, quid ni lapis, aut cadauer?* Quare diſcrimen, quod aſſignare debemus omnes Catholici inter intellectum creatum, & lapidem, aut cadauer, vt intellectus creatus queat diuinitus euehi ad videndum Deum, non ſic lapis, aut cadauer, accommodari poteſt inter oculum corporeum diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus, & lapidem, aut cadauer. Nam ſicut intellectus tam Angelicus, quàm humanus valet ex natura rei percipere aliquatenus Deum, ita oculus ille valeret; cùm tamen lapis, aut cadauer impotens ſit ex natura rei vllam circa Deum perceptionem elicere. Et idcircò diuinitus etiam repugnabit eleuari ad intuitiuam, quin inde inferatur eadem repugnantia in oculo illo corporeo, quicquid ſit, an aliunde deduci poſſit, & quin in Angelico, atque humano intellectu, inde aut aliunde deducatur, aut inferri queat. Diſſimulo, non omne id, quod diuinitus eſt poſſibile corpori exanimi, debuiſſe dari corpori Chriſti in triduo mortis; eſt namque diuinitus poſſibile exiſtere circumſcriptiuè in duplici loco adæquato, vel ſaltem in vno circumſcriptiuè, & in alio definitiuè; nihilominus corpus Chriſti emortuum non ſic de facto exſtitit.

88 Ad decimamſextam dici poteſt, gradationem inibi contentam valere vt ſummùm quoad potentias modò exiſtentes, ſimiléſque alias, non autem quoad poſſibiles diuerſæ conditionis, neque quoad cuncta earum obiecta. Addi poteſt, etſi intellectus cognoſceret Deum præcedente cognitione, aut perceptione eiuſdem Dei in ſenſu particulari, in communi, & in phantaſia, non ideo quamcumque intellectus notitiam de Deo debere eſſe ænigmaticam, & terminatam ad creatum motiuum; ſiquidem plura intelligamus obiecta immediatè, & prout in ſe ſunt, tametſi præcedant perceptiones ſenſus vtriuſque, atque phantaſiæ.

89 Ad decimamſeptimam poteſt reſponderi, oculum corporeum capacem intuendi Deum fore diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus, ſimilibúſque aliis; eaque de cauſa vocari oculum potiùs, quàm auditum, quia non ſonum, ſed lucem, & colorem, inſupérque Deum reſpiciet vt obiectum. Si verò lux, color, ſonus, & Deus habeantur pro obiecto ab aliqua potentia corporea, vocabitur hæc oculus, & auditus. Si autem in ſolum Deum, vt in obiectum feratur, appellabitur quo quiſque voluerit nomine. Maioris momenti eſt quod adiicitur pro redintegrando argumenti robore. Sed dici poteſt, facultatis corporeæ capacis intuendi Deum, à quo ſolo, vel ſimul etiam ab obiectis ſpiritualibus creatis ſpecificetur, nullam eſſe repugnantiam. Etſi enim quæuis potentia debeat ſpecificari ab obiecto proportionato, ſatis tamen eſt proportio geometrica quæ ſicut poteſt dari inter potentiam creatam, & obiectum increatum, ita inter potentiam corpoream, & obiectum ſpirituale, ſiue creatum, ſiue increatum. Repetatur oculis n. 68. Inquies, obiectum ſaltè aliquod ſpecificatiuũ potentiæ corporeæ debet eſſe corporeum, non ſecùs ac potentiæ creatæ obiectum aliquod ſpecificatiuũ debet eſſe creatum. Ergo implicabit contradictionem potentia corporea, cuius vnicum ſpecificatiuum ſit obiectum ſpirituale. Sed contra; quia cùm eſſe corporeum potentiæ poſſit aliunde adæquatè deſumi, quàm ex obiecto; non apparet, cur repugnet potentia corporea, cuius nullum ſpecificatiuum ſit obiectum corporeum; quemadmodùm è conuerſo non repugnant, quinimò de facto exiſtunt plures actus ſpirituales non ſpecificari ab aliis obiectis, quàm à materialibus. Nec elucet aperta contradictionis implicantia in intellectu creato, qui naturaliter ſolum Deum cognoſcere poſſit abſtractiuè, id eſt, præſcindendo à præſentia, & diuinitus ſolùm eundem intuitiuè. Præterea reſponderi poteſt, eſſe poſſibilem facultatem corpoream, quæ ſpecificetur ſimul ab obiectis corporeo, & incorporeo, ſiue vt pluribus, & diuerſis, ſiue vt conuenientibus ſub aliqua ratione communi. Facultas ſpecificata primo modo multiplex erit virtualiter, non realiter: erit etiam ſpeciei determinatæ atomæ, non ſubalternæ. Sic dicere ſolent de actibus, qui ſentiunt, eos ſpecificari poſſe à pluribus partialibus obiectis formalibus intrinſecis, & qui non tantùm à formalibus ſed etiam à materialibus ſpeciem nunc ſumere docent.

Digitized by Google

cenr. Nec eſt, cur potentiæ alicui id ipſum congruere nequeat. Facultas ſpecificata ſecundo modo reſpiciet ens vt commune corporeo, atque incorporeo, quin attingat formaliter, & ex parte modi rationem veri, aut boni. Sed licet concederetur attingere ſic rationem veri, non ideò inſignienda eſſet nomenclatura intellectus; hic namque non eſt facultas, quæ vtcumque fertur in rationem veri, ſed quæ ita fertur, vt in ſui conſeruatione non dependeat à materia, & quantitate: quo pacto dependeret illa alia potentia; & vlteriùs in omni ſua operatione haberet naturalem vt minùs dependentiam ab eis. Poſtremò non deberet omne ens eſſe perceptibile à tali potentia; ſed ens vt commune huic, & illi corporeo, atque incorporeo penes rationem aliquam in nonnullis, non in cunctis entibus corporeis, & incorporeis repertam. Permiſſo tamen, omne ens debere eſſe perceptibile; non ideò omne eſſe viſibile, eo modo quo viſibilis eſt lux, & color ab oculo corporeo nunc exiſtente; quare ſonus, aut ſapor non foret viſibilis à potentia illa poſſibili; quemadmodùm nec viſibilis eſt ab intellectu ſiue Dei, ſiue Angeli, ſiue Hominis, à quibus percipi valet immediatè, & in ſe; quia viſibile eo modo acceptum non aliud eſt, quàm lucidum, & coloratum, in ordinéque ad potentiam ſenſitiuam externam, quæ dicitur oculus corporeus. Inſpiciatur n. 51.

90 Ad decimamoctauam, dici poteſt, facultatem corpoream immutandam ab obiecto ſpirituali, ſed modo quodam innominato; non enim immutabitur vt ab obiecto ſenſibili, ſi ſenſibile ſumatur pro re corporea; nec vt intelligibili, aut vero, ſit intelligibile, & verum ſumantur pro obiecto perceptibili per facultatem cognoſcitiuam ſpiritualem. Prouenier immutatio facultatis corporeæ vel immediatè ab ipſo obiecto ſpirituali producente perceptionem, vel mediatè ratione ſpeciei gerentis vices ipſius obiecti. Nec maior eſt difficultas in immutatione potentiæ corporeæ ab obiecto ſpirituali, quàm in immutatione potentiæ ſpiritualis Angelicæ ab obiecto corporeo. Hanc autem poſteriorem immutationem concedit Schola Scotica, cui ferè adſtipulatur Noſter Ludouicus Molina 1. p. q. 55. art. 2. diſp. 2.

SECTIO VII.

Aliæ ſex obiectiones infirmantur.

91 Decimanona; Perceptio rei ſpiritualis eſt formaliſſimè, & eſſentialiter intellectio, non ſecùs ac perceptio externa lucidi colorati eſt formaliſſimè & eſſentialiter viſio. Aſt conſtat, viſum materialem tam eſſe inaſſumptibilem ad intellectionem, quàm ineleuabilis ad diſcurſum eſt bellua. Ergo & conſtat repugnare materiali viſui perceptionem rei ſpiritualis. Confirmatur; materialis oculi actus non poteſt alius eſſe, quàm viſio, ſicut potentiæ intellectiuæ nequit alius actus eſſe, quàm intellectio. Atqui repugnat viſio, quæ non terminetur ad lucem, aut colorem illuminatum, ea namque eſt natura viſionis, & huius nomine ſemper vſi ſunt Philoſophi ad ſignificandam perceptionem lucis, aut coloris illuminati. Quòd ſi ad alterius obiecti notitiam transfertur nomen, & natura viſionis, nihil de rerum nominibus, ac naturis certum relinquitur, liberúmque erit dicere poſſibilem eſſe leonem, qui non ſit inhibilis, & equum, qui non ſit rugibilis: Ergo repugnat oculus materialis, cuius actus non feratur ad lucem, aut colorem illuminatum, ſed ad obiectum ſpirituale. Reſpondetur, eam ſolam perceptionem rei ſiue ſpiritualis, ſiue materialis eſſe formaliſſimè; atque eſſentialiter intellectionem, quæ reſpondet intellectui, id eſt, potentiæ perceptiuæ ſpirituali. Et quocumque nomine indigitetur perceptio rei ſpiritualis, punctum, in quo cauſa vertitur, illud eſt; num potentia perceptiua corporea queat ſublimis abire in perceptionem obiecti incorporei? Eius potentiæ actum terminatum ad obiectum ſpirituale voca viſionem, vel quo alio nomine libuerit, & relege n. 51. Sanè cum in præſentiarum agamus de potentia corporea poſſibili, & diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus, nihil mirum ſi actus illius terminatus ad obiectum ſpirituale innominatus ſit, aut impoſterum nouo nomine à quopiam inſigniatur. Sic caloris productio, quæ oriretur vel à ſolo Deo, vel à frigore, aut intellectu eleuato, non ideò deberet negari, quia dubitari poſſet de nomine, & contendi non appellandam calefactionem, eo quod hac voce communiter ſignificetur actio orta à calore. Et hinc patet ad confirmationem, quæ purè vocalis eſt.

92 Sed reclamabis inſiſtens nomini, & addens aliquid de re; quicumque actus potentiæ intellectiuæ debet comprehendi nomine intellectionis, tenderéque in obiectum ſub ratione veri, ita quidem vt repugnet actus potentiæ intellectiuæ non terminatus ad obiectum ſub præfata ratione. Ergo ſimiliter quiuis actus oculi corporei claudi debet nomine viſionis, & ad obiectum ferri ſub ratione ſenſibili lucis, aut coloris illuminati. Si verò detur actus, qui alio modo feratur, vti ferretur qui perceptio eſſet obiecti ſpiritualis, non erit actus, & viſio reſpondens oculo corporeo; ſed intellectio ſub ratione veri tendens; quæ cùm foret ſpiritualis, non poſſet naturaliter fieri ab oculo corporeo. Et licèt poſſet diuinitus fieri, & in eo recipi, non ideò ipſum denominaret percipientem obiectum ſpirituale, quia incapax eſt talis denominationis, vtpote quæ ſub ratione veri nequeat in obiectum tendere. Reſpondetur, actum oculi corporei tendentem in obiectum ſpirituale ſub alia ratione, quàm ſenſibili lucis, aut coloris illuminati, non fore intellectionem, quia non eſſet actus potentiæ cognoſcitiuæ ſpiritualis. Et ob eandem cauſam oculus corporeus non tranſiret ad intellectum, quamuis ratio, ſub qua tenderet, indiſtincta eſſet à ratione veri; non enim ſufficit ad intellectum, quòd poſſit ferri in rationem iſtam; ſed vlterius requiritur, quòd in ſe ſit potentia ſpiritualis, vt dictum eſt ſæpè.

93 Vigeſima, vt entitas aliqua contineatur intra ſphæram obiectiuam alicuius potentiæ, neceſſe eſt, inter vtramque adeſſe proportionem aliquam ſaltem obedientialem. Sed nulla adeſt proportio inter viſum corporeum, & Deum. Si enim nulla datur inter viſum corporeum, & ſonum, multò minus dabitur inter eundem viſum, & Deum quippe hic magis diſtet à viſu, quàm ſonus. Ergo ſi ob defectum proportionis ſonus exiſtit extra ſphæram obiectiuam oculi corporei cuiuſuis, exiſtet etiam à fortiori Deus. Confirmatur; potentiæ pro maiori vel minori perfectione ſua porriguntur ad nobiliorem, vel coarctantur ad ignobiliorem ſphæram obiectorum: ergo quicumque oculus corporeus ignobiliorem habebit ſphæram, quàm intellectus ipſo perfectior; proindéque Deus, qui eſt obiectum nobiliſſimum intellectus,

Digitized by Google

intellectus, non pertinebit ad ſphæram vllius oculi corporei. Reſpondetur, negando Minorem, cuius probatio inſtatur in Deo diſtante magis in ratione entis à noſtro intellectu, quàm Angelus à noſtro oculo corporeo, & tamen noſter intellectus habet cum Deo in ratione obiecti proportionem, qua cum Angelo caret noſter oculus corporeus. Ergo ſimiliter poſſet aliquis oculus corporeus eſſe proportionatus Deo in ratione obiecti, quamuis ſono improportionatus foret. Vt taceam, poſſe oculum corporeum intra ſphæram ſuam obiectiuam cohibere etiam ſonum, ideſt, poſſe aliquam facultatam materialem externam, aut internam verſari non tantùm circa lucem, & colorem, ſed etiam circa obiecta, in quibus occupantur ſenſus omnes noſtri externi, inſuperque extendi ad obiecta ſpiritualia: quidquid ſit de vocabulo oculi corporei. Ad confirmationem dico, poſſe facultatem minus perfectam porrigi ad obiectorum ſphæram eandem ad quam perfectior facultas, vt certum eſt in intellectu noſtro, qui imperfectior eſt Angelico non excedente ipſum quoad ſphæram obiectiuam, licet in actibus, quibus attingantur obiecta, debeat dari inæqualitas. Et daretur quidem inter actus noſtri intellectus, & oculi illius corporei percipientis Deum.

94 Vigeſima prima, Potentia extenſa, partibúſque integrantibus conſtans nequit percipere rem inextenſam, & carentem partibus, repugnantémque ipſis eſſentialiter. Sed potentia materialis debet eſſe extenſa, & obiectum ſpirituale debet eſſe inextenſum: Ergo hoc ab illa nequit percipi. Probatur Maior, quia experimur rem, quò minorem habet extenſionem, eò minorem habere proportionem cum potentia extenſa, cóque minus ab hac percipi: Ergo ſi res eſt inextenſa, opponatúrque eſſentialiter compoſitioni partium integrantium, non poterit etiam diuinitus percipi à potentia extenſa. Hæc obiectio propoſita ferè fuit in n. 64. & ex ibi dictis cum P. Herice 1. p. tract. 4. diſp. 43. cap. 2. n. 26. & 27. parata iam eſt reſponſio. Nam ſi, vt multi tenent, non repugnet indiuiſibilitas integralis rei materiali, poterit facultas materialis gaudens tali indiuiſibilitate, percipere obiectum ſpirituale, quod ſit integraliter indiuiſibile. Rurſus ſi, vt eſt plurium ſententia, rei ſpirituali non repugnet diuiſibilitas integralis, poterit à facultate materiali extenſa percipi obiectum ſpirituale, quod ſit integraliter diuiſibile. Vnde obiectionis Minor in ambiguo eſt. Maioris etiam probatio inſtatur ſic: Quò obiectum eſt perfectiùs, eo minus perfectè poteſt à nobis cognoſci: Ergo ſi obiectum fuerit ſummè perfectum, repugnanſque eſſentialiter imperfectioni, non poterit humanitus, nec diuinitùs à nobis cognoſci. Quam conſequentiam nullatenus concedes. Igitur nec nos cogemur concedere, quam ipſe deducis. Et mirum nobis eſt, ex præſentium experientia ſenſuum minus benè percipientium obiecta minus extenſa, inferri à te implicantiam contradictionis in potentia extenſa obiecti inextenſi perceptiua diſſimili quoad conditionem, & ſpeciem à ſenſibus præſentibus; ſiquidem horum experientia conducit quidem ad rimandam naturam aliorum ſenſuum poſſibilium pertinentium ad eandem ſpeciem; ſed pro ſenſibus diuerſæ ſpeciei minimè conducit; tantùm abeſt, vt oſtendat implicantiam contradictionis. Ad hæc: Indiuiſibile lucis ſeparatum à partibus, & plures partes lucis exiſtentes indiuiſibiliter queunt diuinitus ſaltem percipi à noſtris oculis extenſis, vt nobiſcum fateris: Ergo non repugnabit potentia extenſa, quæ obiectum ſpirituale, non obſtante huius inextenſione, queat attingere.

95 Dices, indiuiſibile lucis, & plures partes lucis indiuiſibiliter exiſtentes habere de ſe capacitatem, vt attingantur à noſtris oculis, & de ſe non opponi compoſitioni cum partibus, neque extenſioni: quod ſecùs eſt in obiecto ſpirituali. Sed contra, quia dum actu attingeretur à noſtro viſu indiuiſibile ſeparatum, per accidens eſſet reſpectu perceptionis ad ipſum terminatæ, quòd de ſe haberet capacitatem, vt coniunctum partibus videretur à nobis per alias perceptiones; per accidens etiam eſſet, quòd de ſe non excluderet coniunctionem cum partibus. Idémque cogitandum eſt de harum extenſione poſſibili, quando exiſtentes indiuiſibiliter viderentur à nobis. Ergo vel indiuiſibile ſeparatum, & partes indiuiſibiliter exiſtentes non poterunt à nobis etiam diuinitus percipi ob defectum coniunctionis actualis cum partibus, & ob defectum actualis extenſionis; vel obiectum ſpirituale poterit attingi ab aliqua potentia extenſa, quin obſtet incapacitas extenſionis in tali obiecto, ſi aliunde non demonſtretur, potentiam extenſam non poſſe attingere obiectum ſpirituale.

96 Vigeſima ſecunda, Notitia corporea, qualis eſſet ea, qua potentia materialis potiretur, non poteſt attingere obiectum ſpirituale. Nam cum notitia debeat pari à potentia, & obiecto, nequit notitia corporea exigere ortum ab obiecto ſpirituali; non enim eſt intelligibilis effectus corporeus, qui ex natura, & eſſentia ſua petat procedere ab agente ſpirituali, vt ſpirituali. Reſpondetur, dependentiam phyſicã, vel connaturalé, vel eſſentialem ab entitate ſpirituali, ſi cõiuncta ſit cum dependentia phyſica à quantitate, non ſufficere ad excludendam corporeitatem. Actus materiales hominis dependent phyſicè immediatè ab anima humana, quæ in ſe ſpiritualis eſt; & licèt ad eos cócurrat vt vegetatiua, aut ſenſitiua, tamen ex parte rei formalitates hæ non ſunt corporeæ in anima humana. Deinde materia prima eſt maximè corporea. Et nihilominus dependet phyſicè à Deo vt ſui cauſa efficiente, qui ſummè ſpiritualis eſt. Abundant alia exempla cunctis familiaria. Nec apparet, neque affertur ab Authore obiectionis ratio ſpecialis, ob quam notitia corporea non poſſit habere, exigeréque ortum ab obiecto ſpirituali, ſi ſimul à quantitate dependeat phyſicè in fieri, & conſeruari.

97 Nuper incidi in M. SS. ingenioſi Iunioris, qui in Metaphyſica diſcutiens conceptus, atque eſſentias rerum ſpiritualis, & corporeæ, explicat, eam eſſe rem ſpiritualem, quæ inſenſibilis eſt, eamque corpoream, quæ ſenſibilis immediatè, vel mediatè ratione accidentium ipſi conuenientium neceſſariò. Sed in primis circulum agit; nam in libris de Anima, ideo negat, potentiam materialem eleuari poſſe ad percipiendum obiectum ſpirituale, quia eſt ſpiritualis. In Metaphyſica autem, ideo dicit, eſſe ſpirituale, quia eſt imperceptibile, & inattingibile materialiter, atque ſenſibiliter per facultatem corpoream. Deinde quamuis repugnaret potentia ſenſitiua, ſaluaretur conceptus rei ſpiritualis, & conceptus corporeæ: Ergo rem eſſe ſpiritualem, non conſiſtit in imperceptibilitate à potentia ſenſitiua, neque conſiſtit rem eſſe corpoream in oppoſita perceptibilitate. Antecedens probatur, quia repugnante animali; non eſt, cur repugnaret ab intrinſeco Angelus, & materia prima v. gr. In Angelo autem, & materia prima non repugnan

Digitized by Google

repugnantibus ſaluarentur vnus, & alter conceptus. Tertiò, non inuoluit contradictionem lux corporea ſupernaturalis entitatiuè, quin potiùs multi putant, talem eſſe glorificatorum corporum lucem. At niſi poſſibile ſit animal corporeum ſupernaturale (quod tamen communi iudicio chimæricum reputatur) lux illa erit prorſus inſenſibilis, vt contendam in ſect. 4. exercit. 32. Igitur quòd entitas aliqua ſit corporea, non debet reuocari ad ſenſibilitatem. Quartò, multi Patres Eccleſiæ cenſuerunt, Angelos eſſe præditos corpore, eos tamen inuiſibiles eſſe, ſeu imperceptibiles ſenſibus non negarunt; quia nimirùm iudicabant compoſitos corpore immuni à qualitatibus ſenſibilibus, vel quòd ob tenuitatem, & ſubtilitatem effugeret noſtros ſenſus, non ſecùs ac aër noſtrum viſum: ergo conceptus rei corporeæ non conſiſtit in ſenſibilitate adeò manifeſtè, quàm opus eſſet. Et cedo rationem, cur repugnet corpus ſuapte natura qualitatis omnis ſenſibilis expers? De qualitate ſenſibili per tactum, poſſet eſſe maius fundamentum, ne corpus ea careret. Plures tamen exiſtimant, corpus cœleſte eſſe prorſus intangibile. Quintò, animus rationalis eſt ſenſibilis mediatè; ratione corporis, quod informat; & tamen exiſtit in gradu ſubſtantiæ ſpiritualis: ſimiliter Angelus eſt eo modo ſenſibilis ratione corporis aſſumpti, cui aſſiſtat, & nihilominus ſpiritualis eſt. Nec videtur eſſe diſcrimen inter præfatam ſenſibilitatem Angeli, animíque rationalis, & ſenſibilitatẽ etiam mediatam materiæ primæ ratione quantitatis, aliorúmque accidentiũ ſenſibilium. Nam quòd Angelus, & animus rationalis queant naturaliter exiſtere abſque corpore, non ſic materia prima abſque quantitate, accidentibúſque aliis ſenſibilibus, impertinens quid apparet ad diuerſificandam vnam ſenſibilitatem in altera; dum actu Angelus, animúſque rationalis manent ſub aſſumpto, aut informato corpore, & dum materia prima ſub quantitate. Idem argumentum fieri poteſt in anima irrationali, quæ corporea eſt, licèt præ rationali ſpirituali immediatam ſenſibilitatem non habeat, & quo ad mediatam æqualis videatur conditio vtriuſque. Sextò, etſi omnis res ſpiritualis deberet eſſe inſenſibilis, & omnis corporea ſenſibilis; tamen inſenſibilitas in re ſpirituali, & ſenſibilitas in re corporea non forent aſſignandæ tanquam eſſentiæ Metaphyſicæ ipſarum, ſed tanquam proprietates, non ſecùs ac vnitas, veritas, & bonitas, quæ cuiuis enti reali non poſſunt non conuenire, agnoſcuntur affectiones, & attributa entis realis, non autem eſſentia metaphyſica. Vrgeo, veritas, ſeu intelligibilitas, non eſt eſſentia, ſed paſſio entis, vt communis ſpirituali, ac corporeo: ergo ſimiliter inſenſibilitas minimè erit eſſentia, ſed vt ſummùm paſſio entis ſpiritualis; idémque putà de ſenſibilitate reſpectu entis corporei. Reliquum itaque eſt, vt afferatur accuratior, atque exactior definitio vnius, & alterius entis. Septimò, ſi corporea res ea ſit, quæ ſenſu percipi poteſt, cùm aliunde ſenſus is ſit, qui eſt facultas vitalis corporea, & percipere poteſt rem corpoream, ſolámque illam; redit rurſus in gyrum Modernus, & totum hoc negotium relinquitur tam obſcurum, & intricatum, quàm anteà. Octauò, ſiquidem ſub lite ſit, an res ſpiritualis percipi queat per ſenſum aliquem ſaltem poſſibilem diuerſæ conditionis ab eis, quos experimur, & Recentior non afferat rationem vrgentem pro repugnantia præfati ſenſus, incongruè definitur res ſpiritualis per litigioſum prædicatum, & falſitatis non conuictum.

98 Vidit id acutus alius Neothericus (ex quo qui impugnatus eſt, profecit) atque, ſatis ſibi eſſe, ſi ſpiritum, & corpus declararit in ordine ad ſenſus nunc exiſtentes, ſimiléſque alios poſſibiles. Permiſerim ſatis eſſe, ſi tantùm vellet corporis, & ſpiritus proprietatem aliquam nobis declarare in ordine ad memoratos ſenſus. At ipſe plus intendit, nam ſolicitus de definitione eſſentiali corporis, & ſpiritus, inuentiſque ab aliis non acquieſcens, complacet ſibi in ea, quam reiecimus. Si verò concedatur, non repugnare ſenſum perceptiuum rei ſpiritualis, manifeſtum cuiuis eſt, non benè definiri ſpiritum, quatenus ſit inſenſibilis, ſeu inattingibilis à ſenſu; vti non benè definiretur, quatenus indiuiſibilis ſit integraliter, ſi admitteretur non inuolui contradictionem in ſpiritu conſtante partibus integralibus.

99 Argumenta vtriuſque Moderni in fauorem ſuæ definitionis deſumuntur principaliter ex authoritatibus ſacrarum Litterarum, & Patrum Eccleſiæ, quibus addi poteſt Chalcidius dicens in commentario ad Timæum Platonis pag. (mihi) 193. *Quod nec viſu, nec cæteris percipitur ſenſibus, hoc corpus eſſe minimè poteſt.* Sed ad eas authoritates reſponſio tentabitur ſectione ſequenti. Conceptum rei ſpiritualis, ac definitionem eſſentialem, cuius de cauſa huc deuentum eſt, aſſerui perſæpè, conſiſtere in independentia phyſica à quantitate molis quoad fieri, & conſeruari, reique corporeæ definitionem, atque conceptum in oppoſita dependentia; de quo puncto actum eſt à nobis copioſè in libris Animaſticis, & Metaphyſicis; ſparſimque in hoc opere diximus non pauca, prout ſe dedit occaſio. Et nunc duobus illis Neothericis obiicientibus, non repugnat ſubſtantia, quæ naturaliter ſit ſubiectum accidentiũ ſenſibilium, vt lucis, coloris, caloris, non verò quantitatis; ea autem ſubſtantia eſſet corpus. Ergo cõceptus rei corporeæ non eſt adſtrictus depẽdentiæ phyſicæ à quantitate molis. Reſpondemus, chimæricam eſſe eam ſubſtantiam; nam accidentia memorata debent eſſe proprietates, & affectiones alicuius ſubſtantiæ extenſibilis localiter, vel impenetrabilis ſuapte natura. At ſubſtantia huius conditionis non poteſt non habere quantitatem vel ſibi annexam, vel ſecum identificatam. Ergo, &c.

100 Eſt & quidam alius Neothericus ſubtilis, qui pro certo habens potentiam materialem nequire naturaliter percipere perfecto modo, & ſimpliciter quidditatiuè ſpirituale obiectum; tum quia hoc ratione ſuæ ſubtilitatis, & nobilitatis ſuperat (vt ex terminis ipſis notum videtur) cognoſcitiuam vim naturalem potentiæ tam craſſæ, & vilis, quàm eſt materialis, præſertim ſi perfecto, & quidditatiuo modo cognoſcendum ſit; tum quia quandoquidem obiectum materiale ſit magis proportionatum facultati corporeæ, quàm obiectum ſpirituale, debet ea minùs perfectè in iſtud, quàm in illud ferri ſuâpte naturâ; tum demùm quia nec intellectiua noſtra facultas ſpiritualis, dum eſt corpori immerſa corruptibili, percipit naturæ viribus ſpiritualia perfecto, quidditatiuóque modo: ergo multò minus percipiet potentia entitatiuè materialis. Id, inquam, pro certo habens, ſic venuſtè argumentatur, vt oſtendat repugnantiam facultatis corporeæ cognoſcitiuæ obiecti ſpiritualis. Etenim materialis potentia habet ex ſua ratione tendere ad obiectum ſolummodò perfectè, atque quidditatiuè ſimpliciter: ergo implicat contradictionem materialis potentia perceptiua obiecti ſpiritualis ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter; naturaliter quidem, quia alioqui ſequeretur contrarium eius,

Digitized by Google

eius, quod pro certo præſuppoſitum eſt; ſupernaturaliter etiam quia facultas vitalis intentionalis, quæ ſuo genio, & naturalibus viribus non aſſurgit ad aliqualem perceptionem obiecti; nequit diuinitus eleuari ad eiuſdem perfectam, & quidditatiuam cognitionem. Antecedens primum probatur exinde, quòd perceptio orta à potentia materiali non poteſt nõ eſſe perfecta,& quidditatiua ſimpliciter, proindéque immediata, & intuitiua, nam abſtractiua,& mediata in alio, vel ex alio, ſolius eſt potentiæ rationalis propria, & intellectum ſpiritualem manifeſtiſſimè denotat.

101 Argumentum hoc, ſpecioſè quidem à ſuo Authore propoſitum, nullam, cui in ſuperioribus non ſit ſatisfactum,difficultatem continet.Oportet tamen aliqua in eo examinare impenſiùs, vt ſuperiora auctiorem lucem accipiant. Præmittit Author tanquam omninò certum non poſſe conuenire naturaliter facultati materiali modum perfectum, & ſimpliciter quidditatiuum cognoſcendi obiectum ſpirituale. Forſan tamen id ab aliquo obſtinatè negabitur, ſi ſermo ſit de facultate corporea poſſibili in alia rerum ſerie, & quæ comparetur ad obiectum ſpirituale creatum valde imperfectum ex ſua ſpecie,vt ad vbicationem modúmue quempiam ſpiritualem; imo & valdè perfectum, vt eſt Angelus, & animus rationalis. Legatur Arriaga diſput.5.de Anima,ſect.2.quo lecto, arduum nimis non erit effingere triplicem funiculum Recentioris.Idem Arriaga, vt memini num 48. totus eſt, vt probet,facultatem vitalem, quæ naturaliter nequit imperfectè attingere obiectum, non idcirco eſſe ineleuabilem diuinitus ad perfectam eius notitiam.Si id Arriaga ſuadeat alicui, inſuper hic habebit Moderni diſcurſum.

102 Facilior reſponſio eſſet, potentiam materialem poſſe eſſe, vt ex natura rei,imperfecto, & non quidditatiuo ſimpliciter modo, feratur in ſuum obiectũ, quod ſpirituale ſit. Sed qualis erit imperfectus ille, & non quidditatiuus ſimpliciter modus? Dici poteſt, fore abſtractiuum. Et quidem quoad ſenſus etiam actu exiſtentes notat Arriaga diſp.5.de Anima ſect.3. num.32. poſſe ab aliquo aſſeri, conuenire naturaliter ipſis tendentiam in obiectum,vt præſens, *diuinitus autem aliter*, ideſt, abſtrahendo à præſentia, *quia non oſtenditur repugnantia*. Quòd ſi id in ſenſibus actu exiſtentibus probabile ſit, cur in aliis poſſibilibus diuerſæ ſpeciei repugnabit modus percipiendi abſtractiuè, competens eis ex natura rei reſpectu alicuius obiecti? Franciſcus Alfonſus diſp.9. de Anima ſect.5. num.39. affirmat, poſſe ſupernaturaliter per externos ſenſus nunc exiſtentes præſcindendo ab ſpatio, ſeu præſentia obiecti attingi iſtud.Licèt verò talem perceptionem velit tum in ſect.6. eius diſputationis,num.60.tum in ſect.1.diſputationis 16. num.7. intuitiuam fore, quia verſaretur circa obiectum exiſtens; alij dicent, fore abſtractiuam, eo quòd intuitiua debeat tendere ad obiectum non tantùm vt exiſtens,ſed etiam vt præſens ſpatio, & durans tempore, vel æternitate:quæ quæſtio redigeretur ad punctum meri nominis. Nec ſolus Alfonſus in ea eſt exiſtimatione de cognitione ſenſitiua præſcindente à præſentia obiecti; nam multi alij in tract.de Euchariſtia docent, corpus Chriſti indiuiſibiliter exiſtens ſub ſpeciebus Sacramentalibus videri poſſe diuinitus oculis noſtris corporeis, quin videatur præſentia definitiua, vt iam indicaui in S.1. Ipſe Alfonſus diſput. illa 9. ſect.5. num 45.& 45. & 46. poſſibilem diuinitus reputat in noſtris ſenſibus externis abſtractionem negatiuam, qua in albedine v.g. non longè diſtanti percipiatur expreſsè, atque ex parte modi ratio coloris, quin ſic percipiatur ratio albedinis identificata cum ea altera ratione: & in num.49. addit, ſenſum noſtrum internum poſſe ſupernaturaliter abſtrahere poſitiuè priorem rationem à poſteriori, ideſt, poſſe cognoſcere priorem rationem vt à poſteriori diſtinctam,quatenus attingat abſtractiones negatiuas factas per ſenſum externum. Iam igitur difficulter aſſignabitur repugnantia facultatis materialis, quæ tantùm ſuâpte naturâ queat ferri ad obiectum ſpirituale vel præſcindendo à præſentia ipſius in ſpatio,vel abſtrahendo vnum prædicatum ab alio, ſcilicet rationem ſubſtantiæ à ratione talis ſubſtantiæ ſpiritualis; quæ materialis facultas ſit diuinitus eleuabilis ad cognitionem, vi cuius attingatur præſentia in ſpatio, vel ratio ſubſtantiæ talis ſpiritualis,& hæc cognitio erit perfecta,quidditatiuáque ſimpliciter,atque intuitiua, ſecus illa alia.Non tamen illa alia erit diſcurſiua,aut mediata in alio,vel ex alio,ſicut nec eſt diuerſiua, neque mediata ea cognitio, qua Deus cognoſcit poſſibilia in ſe ipſis, etſi intuitiua minimè ſit. Cauendæ hîc ſunt contentiones de nominibus cognitionis *perfectæ,quidditatiuæ ſimpliciter, immediatæ,intuitiuæ.* Sufficit,ſi facultas materialis poſſit ex natura rei tendere ad obiectum incorporeum ignobili aliqua cognitione, & ex eleuatione ſupernaturali valeat tendere cognitione nobiliori.

103 Inſurges primò, facultas materialis non continet intra latitudinem ſui obiecti carentiam aliquam. At ſi poſſet naturaliter percipere obiectum ſpirituale præſcindendo à præſentia in ſpatio, contineret vtique carentiam præſentiæ. Reſpondebitur, Arriagam diſput.& ſect.5. Animaſtica vel in noſtro ſenſu interno admittere etiamnum perceptiones carentiarum.Præterquam quòd præciſio ab obiecti præſentia non eſt perceptio, quæ feratur in huius carentiam, ſed quæ attingat expreſsè exiſtentiam, quin eo pacto attingat præſentiam.Similiter cogitandum eſt de abſtractione vnius prædicati ab alio identificato. Inſurges ſecundò, cognitio terminata ad exiſtentiam Angeli,aut alterius entis ſpiritualis,ortáque à facultate materiali non poteſt non terminari naturaliter ad præſentiam, & quæ terminetur ad vnum prædicatum,debet naturaliter terminari ad aliud identificatum abſque diuerſitate in modo terminationis, ſi obiectum exiſtat in approximatione proportionata, & moueat vel per ſe immediatè,vel mediatè per ſpeciẽ impreſſam,emiſſã à ſe.Dicetur;poſſe prouenire ex conditione naturali facultatis materialis,vt,etſi obiectum ſpirituale ſit in tali approximatione, inqua facultas eadem, aut corporea alia percipiat expreſsè præſentiam alterius obiecti materialis, prædicatáve identificata; non tamen id ſufficiat naturaliter in obiecto ſpirituali reſpectu potentiæ corporeæ.

104 Inſurges tertiò,ſi facultas materialis nequit ex natura rei attingere præſentiam obiecti ſpiritualis, aut aliquod prædicatum identificatum cum ipſo, non poterit diuinitus euehi ad cognoſcendum præſentiam, aut prædicatum illud identificatum. Reſpondebitur, præſentiam, prædicatúmve identificatum, licet naturaliter non attingatur expreſsè, atque ex parte modi à facultate præfata, attingi nihilominus implicitè, & ex parte obiecti; ideóque poſſe fieri diuinitus, & ex eleuatione ſupernaturali perceptionem,quæ feratur expreſsè, & ex parte modi ad præſentiam, vel ad prædicatum identifi-

identifi

Digitized by Google

identificatum. Inſurges quartò, vt facultas aliqua poſſit eleuari diuinitus ad percipiendum aliquid expreſsè, & ex parte modi, non ſufficit, quòd ex natura rei queat attingere illud implicitè, & ex parte obiecti, vt nos ipſi tradidimus in n. 21. nec videtur repugnare intellectus petens ſuâpte naturâ ferri implicitè, & ex parte obiecti in rationes particulares veri, aut boni, quatenus feratur expreſsè, & ex parte modi in rationem communem veri, aut boni, quin euehi queat ad actum tendentem explicitè, atque ex parte modi in ſingulare, verum, ac bonum. Similiter non videtur repugnare oculus corporeus, qui naturaliter valeat percipere colorem in communi, quin poſſit etiam diuinitus albedinem, aut nigredinem percipere explicitè, & ex parte modi in particulari; conceſſúmque à nobis eſt in n. 49. non inferri euidenter ex cognitione obiecti imperfecta, quæ naturaliter competat alicui potentiæ, eleuabilitatem ad aliam perfectam. Ergo proxima reſponſio inſufficiens eſt. Dicetur, ſufficientem eſſe, dum non adducitur aperta contradictionis implicantia in eo, quòd facultas aliqua materialis feratur explicitè, & ex parte modi in præſentiam obiecti ſpiritualis, aut in prædicatum identificatum, licet fatendum ſit exploratam nondum eſſe implicantiam in alia, quæ potens ex natura rei percipere implicitè, & obiectiuè præſentiam, aut prædicatum obiecti ſpiritualis, nequeat tamen eleuari ad cognitionem expreſſam, & ex parte modi.

SECTIO VIII.

Sacræ Scripturæ, Patrum Eccleſiæ, & Theologorum authoritas expenditur, & dirimitur quæſtio.

105 QVod maximè retardare poteſt ab aſſerendo poſſibili corporeo oculo, cuius Deus in ſe ipſo ſit obiectum, reuocatur proculdubio in authoritatem ſacræ Scripturæ, Patrum Eccleſiæ, & Theologorum. Et in primis ſacræ Litteræ Deum clamant *Inuiſibilem.* 1. ad Timot. 1. v. 17. *Inuiſibilis* dicitur Deus: ad Romanos 1. v. 20. ea etiam, quæ de Deo poſſunt naturaliter ex effectibus cognoſci, appellantur *Inuiſibilia.* Rurſus 1. ad Timot. 6. v. 16. commendatur Deus, *vt qui lucem inhabitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* Et vt alia teſtimonia omittam, *Verbum* diuinum vocatur *Imago Dei inuiſibilis,* in cap. 1. ad Coloſ. v. 15. in cap. 11. ad Hebræos v. 27. laudatur Moyſes, quòd Deum *Inuiſibilem tanquam videns ſuſtinuit.* Quæ omnia intelligenda ſunt vt minùs de inuiſibilitate Dei ab oculo corporeo. Sicque intelliguntur ab Eccleſiæ Patribus apud Salam tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 1. Confirmatur; nam Lucæ 24. v. 38. ac 39. vt Chriſtus rediuiuus probaret ſui corporis veritatem, præbuit ſe videndum, & palpandum: Ergo quia ſpiritus nec videri, nec palpari poſſe putabatur à Chriſto, dum dixit, *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Rurſus confirmatur, quia in ſacris Litteris incorporales res vocantur inuiſibiles, corporales autem viſibiles; quibus nominibus ſignificatur illas neque in viſum, neque in alium ſenſum cadere poſſe, ſecùs has, vt notat S. Auguſtinus lib. 11. de ciuitate Dei cap. 3. lib. 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 20. lib. 83. quæſtionum in 29. & 30 aliíque Patres, & Interpretes in illud epiſtolæ ad Coloſ. cap. 1. v. 16. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra viſibilia, & inuiſibilia.* Igitur cùm Deus ſit incorporalis, & ſummè, cadere haud quaquam poterit in viſum, aliúmve ſenſum.

106 Conſonant Eccleſiæ Patres, dum contra hæreticos adſcribentes Deo corpus, eo quòd Deus viſibilis eſſet corporeis oculis, ſenſibúſque aliis perceptibilis, conſtanter negant tum corpus, tum viſibilitatem ab oculis corporeis, & ab aliis ſenſibus perceptibilitatem. Conſonant etiam, dum contra Arianos nonnullos pronuntiant, Æterni Filij perſonam & conſubſtantialem eſſe Patri, & æquè inuiſibilem corporeis oculis. Recenſentur multi Patres à Sala ſuprà, diſp. 5. ſect. 1. Valentia in 1. p. q. 12. punct. 8. Ego addam ſolummodò Concilium 3. Toletanum in confeſſione fidei, vbi anathemare feritur, *Quicumque filium Dei ſecundùm diuinitatem ſuam viſibilem, aut paſſibilem auſus fuerit profiteri.* Anno Chriſti 1337. excitata eſt magna controuerſia inter Græcos circa lucem Chriſti in Tranſfiguratione viſam ab Apoſtolis, & cùm Monachi montis Atho, ac Gregorius Palamas aſſererent, eam lucem fuiſſe increatam; ſed nihilominus conſpectam corporeis oculis ab Apoſtolis, imò & à ſe cerni, quoties in oratione incaleſcerent, impugnati ſunt à Barlaamo exinde, quòd lux viſa non potuerit eſſe increata: quicquid enim corporeis oculis poteſt conſpici, creatum, & materiale eſſe, neceſſe prorſus ſit. Quamuis verò Romana Eccleſia de ea controuerſia Concilium non habuerit, & Barlaamus non ſemel Conſtantinopoli damnatus ſit, Catholicam tamen, & quam Eccleſia Romana approbaret ſententiam, defenſaſſe indicatur. de quo Bzouius, atque Spondanus in Annal. Eccleſiaſt. cum Pontano noſtro, & Petauius tom. 1. Theologicorum dogmatum l. 1. cap. 12. ac 13.

107 S. Auguſt. qui lib. 22. de ciuit. Dei cap. 29. loquutus fuit inquirendo, ac dubitando, quoad viſionem Dei ab oculo corporeo, & qui lib. 2. Retractationum c. 41. ait, illam quæſtionem difficillimam explicatam à ſe in eo lib. 22. ſatis, quantùm arbitratur, tamen c. 29. præcitato concludit eſſe ad intelligendum faciliùs, ſi oculis glorificatis videatur per accidens Deus; quatenus hic ex viſis corporibus deprehendatur, & cognoſcatur quaſi ex certis indiciis. Quo in ſenſu ſcripſit etiam S. Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. ad Autolycum, *Vt anima in humano corpore non videtur inuiſibilis exiſtens, verùm ex motu corporis cognoſcitur, ſic nec Deus humanis, & corporeis oculis videri poteſt. Cæterùm ex prouidentia, qua ſingula ordinat, ſuiſque operibus adſpicitur, & deprehenditur.* Et ne de Auguſtini propenſiori mente erga impoſſibilitatem viſionis perplexi maneremus, expreſſit eam ſatis luculenter in epiſt. 6. & 111. ac 112. licèt dictatæ ſint 111. & 112. ante libros de ciuitate, vt conſtat ex c. illo 41. lib. 2. Retractationum. Docet itaque in epiſtolis, Deum eſſe inuiſibilem a oculis corporeis, ſiue in hac vita, ſiue in futura, confirmat ex Patribus Athanaſ. Greg. Nazianz. Ambroſ. & Hieron. adiungítque rationem in epiſtola 111. *Ne ſcilicet Deus ipſe corporeus eſſe credatur, & in loci ſpatio, interualloque viſibilis: nihil enim videre aliter iſtius corporis oculus poteſt.* Vnde Euodius epiſt. 209. & S. Fulgentius in reſponſione ad q. 3. Ferrandi profitentur, ſentire ſe idipſum cum Auguſtino; qui & in aliis locis citatis à Sala, & à Valentia reperit ſcripta in epiſtolis.

108 S. Athan. in orat. contr. Gentes exprobrat ipſis, quòd Deum viſibilé excogitarint, *Obſcura* (inquit) *cordis ratiocinatione, vel potiùs irrationali vecordia*

Digitized by Google

vſi , rem viſibilem Deum eſſe finxerunt. S. Cyrillus Alexandrinus lib.4.in Ioannem cap.8.inquit, Chriſtum in verbis , *Non quia Patrem vidit quiſquam niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem* ; hortari Iudæos, *ne adeò rudes ſint, vt oculis poſſe vnquam cerni naturam Deitatis arbitrentur* lib.9. cap.37. expendens illa eiuſdem Chriſti, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, ait, *Non eſt opus longa vti oratione ad monſtrandum, non intelligi viſionem hic eam, qua oculis cernimus, nemo enim non furioſus naturam Dei oculis ſubiiciet, quam vix in ſpeculo videmus, & in ænigmate* S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 9. Illuminatorum, *Carneis Deum videre oculis nemo ſanè poterit ; quod enim corporis expers eſt corporeis oculis comprehendi non poteſt.* Similia habet Olympiodorus in cap.1. Iob , vocans Deum *Inadſpectabilem*, quia quantitatis , & molis eſt expers. Simeon Iunior in cap.1. Morali inquit , *Deus corporeis oculis adſpicientibus nuſquam eſt , effugit enim omnem ſenſum cernendi.* Procopius Gazæus in cap.18. Geneſis, *Impoſſibile eſt humanis oculis videre & contueri Deum, vt reuera eſt : Viſus quidem noſter clarus eſt, nec fallit, ſed puram illam eſſentiam diuinam perſpicere nequit.*

109 S. Baſilius ſermone in verba Moyſis, *Attende tibi ipſi*, ſic fatur. *Inuiſibilem eſſe Deum crede, tui ipſius animam cognoſcẽs, quando & ipſa corporeis oculis deprehendi non poteſt. Non enim aut colore obducitur, aut figura circunſcribitur , aut charactere aliquo corporeo comprehenditur, ſed tantùm ex actibus, & geſtis cognoſcitur. Ne ergo in Deo per oculos notitiam quæras, ſed tantùm mente. Per fidem deguſtatur, non videtur intellectu*, (nempe in hac vita) *non ſenſu deprehenditur.* S. Ambroſius lib.6. Examerон cap.7. *Quid eſt Deus ? Caro, an Spiritus ? Non caro vtique, ſed ſpiritus , cuius ſimilis caro eſſe non poteſt, quia ipſe incorporeus, & inuiſibilis : caro autem comprehenditur* Rurſus in cap.1. Epiſt. ad Coloſ.v.15. *Inuiſibilis Dei imago viſibilis eſſe non poteſt, alioquin nec imago. Quod enim inuiſibile eſt, pingi non poteſt, nec enim viſibilis poteſt inuiſibilem videre. Aut enim corpus eſt , quod videtur, aut figura , aut aliqua informata ſubſtantia, quam fert acies oculorũ, totum tamen corpus eſt. Deus autem , qui ab his omnibus alienus eſt , quomodo poteſt imaginem habere viſibilem? Sed ideò ſic dicitur, vt talis filius intelligatur , qualis eſt pater* &c. Hinc Concilium Tridentinum ſeſſ.25. decreto 2. admonet, *quod ſi aliquando hiſtorias , & narrationes ſacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit , doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari , quaſi corporeis oculis conſpici , vel coloribus , ac figuris exprimi poſſit.*

110 S. Hieronymus in 6. Iſaiæ, ſcribit: *Non ſolùm Patris diuinitatem, ſed nec Filij quidẽ, & Spiritus ſancti, quia vna in Trinitate natura eſt, poſſe oculos carnis aſpicere , ſed oculos mentis*, Iterùm in cap.64. *Deus nequaquam ſermonibus explicatur, nec oculis contemplabilis eſt; ſed ab his videtur, de quibus ſcriptum eſt, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Minutius Felix in Octauio, *Deus nec videri poteſt, viſu clarior eſt, nec comprehendi poteſt, nec æſtimari, ſenſibus maior eſt*, &c. Philippus Presbiter lib.3. in Iob. cap.42. *Audire Deum, aut videre, non iſtorum oculorum, aut aurium eſt.* Claudianus Mamercus lib.1. de ſtatu animæ cap.14. *valdè ſtupereſce dicit, quomodò quiſpiam Chriſtianus cuilibet pulchro, cuilibet ſublimi corpori contemplabilem Deum faciat.* Didymus Alexandrinus in 1. Ioannis cap.4. verſ.12. *cùm inuiſibilis ſit Deus , nullus enim viſibiliter vidit vnquam, quando non poteſt videre affectus corporalis incorporalia.* Et paulò poſt, *Nulla alia ſubſtantia ſenſibiliter videtur , niſi corpus.* Veteres alios Patres dedi in num.50. Longúmque eſſet cunctos, qui paſſim occurrunt, cumulare. Liceat adiungere Patrum choro Mercurium Ethnicum qui ſerm.78. Stobæi dixit, *Oculis corpora vſurpari queunt , & viſibilia per linguam enuntiari. Quod autem incorporeum, inconſpicuum. & ſine omni figura eſt, neque materia conſtat, à ſenſibus noſtris percipi non poteſt.* Complurium Conciliorum teſtimonia dat plena manu Raynaudus in Theologia naturali diſt.5. quæſt. 2. art.1. numer. 169. & Petauius tomo 1. Theologicorum Dogmatum lib.7. cap.2. numer.5. inſignia alia Hebræorum.

111 Inter Theologos poſt Alenſem 1.p. Summæ quæſt.2. membro 1. art.1. S. Thomam 1.p. quæſt. 12. art.3. & in additionibus ad 3.p. quæſt.92. art.2. lib.3. contra Gentes cap.54. Scotum in 4. diſt.49. quæſt.8. fixum, & conſtans eſt , Deum videri non poſſe vel ab oculis glorificatis, vt non ſolùm à nullo aſſertum fuerit abſolutè, ſed plures velint , non ſine hæreſi, alij non ſine errore, alij non ſine temeritate aſſerendum. Nam cùm Deus in ſacris Litteris prædicetur *Inuiſibilis*, non minus quàm immortalis , & in eis ſit ſermo de inuiſibilitate ab oculo corporeo, fit , vt quemadmodùm Deus nullatenus ſubeſſe valet morti, ſic nec viſionem corporei oculi terminare iuxta ſacras Litteras : quibus accedit Tridentina Synodus ſeſſ.25. decreto 2. tradens , licèt obiter , Diuinitatem non poſſe conſpici corporeis oculis. Ita primi , ex quibus ſunt Valentia , & Arrubal. Secundi verò, ex quibus ſunt Suarez, Vazquez, Peſantius, & Trigoſus , cùm Deus definiatur incorporeus in ſacris Litteris, aiunt, non poſſe ſine errore affirmari Deum eſſe viſibilem ob oculis corporeis, qui nihil niſi corporeum videre poſſunt etiam diuinitus. Tertij, attento conſenſu antiquorum Patrum, & Theologorum tam veterum, quàm recentium interpretantium Scripturam de inuiſibilitate ab oculo corporeo , & huic, re diligenter diſcuſſa, negantium poſſibilem eleuationem ad viſionem Dei, inferunt temerarium fore, qui aliter opinaretur. Ita perdocti Recentiores cum Ripalda.

112 Inter eoſdem Thelogos poſt Valentiam, qui primus excitauit quæſtionem de oculis aliis poſſibilibus diuerſæ conditionis; pauci ſunt, quibus Valentiæ dubitatio arriſerit ; imò communiter repudiatur à Suario lib.2. De attributis Dei cap. & num.6. Sala in 1.2. tomo 1. tract.4. diſput.5. ſect.1. num.5. Albertino tomo & principio Philoſophico 1. Herice in 1.p. tract.4. diſput.43. cap.3. num.38. Tannero tomo 1. diſput. 2. quæſt.6. num.9. Prægoſito in 1. quæſt.12. art.3. num.25. Faſſolo ibidem in Comment. num.3. Franciſco de Lugo diſput.21. de Deo vno cap.1. Ludouico de Ribas tomo 1. Summæ Theologicæ tract.3. diſput.& cap.1. numer.6. Martinono diſput.7. de Deo ſect.2. num.16. Recupito lib.6. de Deo quæſt.12. Gaſpare Hurtado in Tract. de Attribut. Dei diſput.10. difficult.11. Petro Hurtado diſput.17. de Anima ſect.1. §.5. Balthaſare Tellez p.1. Philoſophiæ diſput.4. ſect.3. n.7. Thoma Comptono in vniuerſa Philoſophia, diſput.15. de Anima, ſect.2. num.12. Ægidio Luſitano tom. 1. de Beatitudine lib.4 q.5. art.3. §.2. n.18. Machino in 1. p.q.12. art.3. diſp.14. ſect.1. Auerſa ſect.1. ad eandem quæſt. Felice in Tract. de viſione c.2. diffic.1. n.7. Smiſingo tomo 1. tract. 2. diſp.6. q. 2. n. 18. Thoma Pio in 1.p.q.12. art.3. dubio vnico, Ioanne

Durelleo

Digitized by Google

Durelleo in Dialecticothea lib. & cap. 2. Vuigers in 1.p.q.12.art.3.n.19.

113 Sed tamen pro Valentia ad authoritates Scripturæ,Conciliorum,Patrum,ac Theologorum antiquorum reſponderi poſſet primò, intelligendas de inuiſibilitate,& imperceptibilitate Dei ab oculis corporeis naturalibus, ſenſibusque aliis penes viſionem,& perceptionem intuitiuam naturalem. Secundò,intelligendas de inuiſibilitate, & imperceptibilitate Dei ab oculis corporeis nunc exiſtentibus,aliiſque ſimilibus, & à cæteris ſenſibus nunc exiſtentibus, poſſibilibúſque aliis ſimilis conditionis alligatis ſuâpte naturâ ad lucem, & colorem, ſenſibiliaque reliqua materialia. Poſterior hæc reſponſio probanda potiùs eſſet,quàm prior; nam iuxta priorem nihil ſpeciale negaretur oculis corporeis, & cæteris ſenſibus præ intellectu creato entitatiuè naturali, reſpectu cuius eſt etiam Deus omninò inuiſibilis per viſionem naturalem. Scriptura autem, Concilia,Patres, & Theologi antiqui videntur intendiſſe negare aliquid ſpeciale: quod iuxta poſteriorem reſponſionem optimè ſtat, ſiquidem intellectus creatus naturalis nunc exiſtens, aliique ſimiles eleuari diuinitus queunt ad viſionem Dei, ad quam ſic eleuari nequeunt oculi corporei de facto exiſtentes, alijque ſimiles, neque itē cæteri ſenſus ſiue exiſtentes, ſiue poſſibiles eiuſdem conditionis ad perceptionem intuitiuam Dei. Iſta interpretandi ratio ſatis eſt inter Theologos vſitata, eo quòd Patres rarò loquantur de poſſibilibus. Sic in pari cauſa, dum Scriptura vocat Deum inuiſibilem ab intellectu creato non eleuato per gratiam ſupernaturalem, & indebitam,& dum Patres docent, nullam naturam creatam poſſe eſſe per ſe beatam,& impeccabilem,ſi rationalis ſit, accipiuntur non improbabiliter à grauibus Theologis de intellectu tantùm, & natura nunc exiſtentibus,aliiſque ſimilibus,ideòque tentant,non repugnare intellectum creatum,cui connaturalis ſit, imò debita viſio Dei, & naturam creatam rationalem impeccabilem ab intrinſeco. Et licèt Patres ex incorporeitate Dei deducant ſæpe inuiſibilitatem, ac imperceptibilitatem ipſius ab oculis, & ſenſibus corporeis,quin aliam ſubiungāt rationem, deductio in ſubiecta materia, nullo laborabat vitio: Oculi enim,& ſenſus de facto exiſtentes, alijque ſimiles ſupponebantur incapaces, vt reipſa ſunt, videndi, & percipiendi niſi obiecta corporea. Adhæc; Theologi,qui poſt Valentiam ſcripſerunt, etſi à ratione ipſum impugnent, abſtinent à cenſura.

114 Nihilominus ego non ſubſcribo poſſibilitati corporei ſenſus, qui valeat naturaliter percipere Deum abſtractiuè, vel imperfectè, & diuinitus intuitiuè, vel perfectè. Nam licèt hactenus aſſequutus non ſim rationem, quæ contradictionis oſtendat perſpicuam implicantiam; quod etiam de ſe aſſeuerat expertiſſimus Theologus P. Franciſcus Lugus ſuprà,n.18. Coercet me authoritas Patrum, qui ſincerè expenſi videntur ſtare contra præfatam poſſibilitatem; detinet me etiam iudicium commune Theologorum, qui aut tacitè,aut expreſſè refragantur eidem poſſibilitati; in cuius fauorem meditata argumenta in ſect. 3. diſſoluentur facilè ab adinueniente nouam repugnantiæ rationem, aut traditas ab Authoribus antiquis,& recentibus, collectáſque ſedulò à nobis in quatuor ſectionibus præcedentibus, cauſa non cadere ſibi adhuc perſuadente.

115 Hinc abſolutè affirmo, Deum in cœlo non conſpiciendum ab oculis glorificatis, ſiue futuri ſint ijdem numero, ſiue diuerſi ab habitis in vita mortali.Ita præter relatos S.Antonin. 3.p.Summæ, tit.30.cap.4.ante §.1.Paludanus in 4.diſt. 49. q. 1. Sorus q. art. & concluſ. 2. Ambroſius Spiera in Quadrageſimali de floribus Sapientiæ,ſerm.32. p. & concluſ. 3. Harphius lib. 1. Theologiæ Myſticæ p. 2. cap. 57. Coquæus in lib. 22. S. Auguſtini de Ciuitate cap. 29. Salmeron tomo 2. in Euangelia tract.31.pag. 299. tomo 6.tract. 33. pag. 275. vocans *Sciolos eos,qui quibuſdam paralogiſmis decepti exiſtimarunt aliter.* Catharinus opuſculo de bonorum præmio pronuntians,*eſſe valdè ineptum putare. poſſe Deum,ideſt; ipſam diuinam eſſentiam corporeis oculis cerni.* Hieronymus Columbus in Hierarchia Angelica,& Humana lib.8.cap.23.n. 4. Medina in 1.2.q.& art. 3. alijque frequenter.

116 Locus Iobi cap. 19. à v. 25. aientis, *Scio enim,quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum,quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt,& non alius.* Explicantur à S. Thoma, quatenus Iob non oculo carnis, ſed in hac exiſtens poſt reſurrectionem viſurus ſit Deum oculo mentis:explicatur ab aliis, quatenus Iob corporeis oculis in carne rediuiua viſurus ſit Deum incarnatum, ſeu Chriſtum Saluatorem ſuum. Conſulantur eximij Interpretes Iobi Pineda, & Sanchez. Alia Scripturæ loca, quæ pro viſione Dei ab oculis in ſtatu mortalitatis ſolent opponi, reperiet lector propoſita, & declarata à prælaudato Franciſco de Lugo n.2.& 3.n. 16. & 17. Adnotatum velim hic, Epiſcopum quendam nuncupatum *Seruum Dei* ſcripſiſſe, teſtibus Gennadio, & Honorio in libris de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *aduerſus eos,qui dicunt Chriſtum in hac vita degentem non vidiſſe carneis oculis Patrem,ſed poſt reſurrectionem::: In qua ſcriptura oſtendit::: Dominum IESVM::: ſemper carnis ſuæ oculis & Patrem vidiſſe, & Spiritum Sanctum.* Sed addit Noſter Poſſeuinus,& benè, *ſi per oculos carneos ille intellexit humanum intellectum, rectè dicebat,ſed cautiùs loquendum erat.* Luitprandus in Chronico anno Chriſti 902. meminit Serui Dei,& libri ab ipſo compoſiti: Sed aliter ac Gennadius, atque Honorius. Ait namque Luitprandus:,*Bonito de viuis ſublato, ſufficitur in ſede Toletana Patriarchali Archidiaconus eius,Seruus Dei nominatus, opere,& nomine,qui librum ſcripſit, quòd Filius Dei Chriſtus videat in cælo faciem Patris, Sedit annos ſeptem.* Sic Luitprandus,qui Seruo Dei Antiſtiti Toletano volumen alterius Epiſcopi nominis eiuſdem attribuit per errorem, cum Toletanum Antiſtitem referat ad annum 902. & Gennadius,qui viuebat circa annum 490. mentionem fecerit Serui Dei,& operis illius. Claruit Seruus Dei,de quo Gennadius, anno 480. vt notat Trithemius.& hæc in tranſcurſu.

117 Proſequor iter.In admittenda potentia vitali materiali,quæ obiecta ſpiritualia creata naturalia poſſet etiam intuitiuè attingere ex ſe, & ex eleuatione ſupernaturali;ſi naturalis eſſet in entitate,forſan aliquis nullum agnoſcet periculum, cùm ſit res purè Philoſophica: verùm & in hoc circumſpectè procedendum eſt. Nam Paulus ad Colos. 1. v.16. Angelos appellat *Inuiſibiles*; & in Symbolo Nycæno dicitur Deus *creator viſibilium omnium, & inuiſibilium*; Eſt prætereà apud Eccleſiæ Patres familiare *inuiſibilium* nomine ſignificare Angelos, & animas rationales;Sophronius in actione XI. Synodi VI. generalis,vocat expreſsè Angelos *Inuiſibiles*,

Digitized by Google

approbatúrque profeſſio Sophronij in Actione 13. S.Chryſoſtomus homilia 22.in cap.6. Geneſis probat, Patriarchas antiquos, quibus Angeli viſibiliter apparebant, non vidiſſe Angelorum ſubſtantiam, vtpote incorpoream, *quo pacto enim* (ait ille) *videri poſſet incorporalis ſubſtantia?* Idem S.Doctor inquit homilia 25. in Ioannem, *quod ſenſui obiectum eſt, corpus eſt*. In Pſalmum etiam 148. *Diuerſæ ſunt creaturæ, & inter ſe ſubſtantiis differunt, hæc quidem quæ videtur; illa verò, quæ ſub aſpectum non cadit; hæc quidem plena eſt corporibus, illa verò eſt incorporea.* S.Damaſcenus lib. 2. de fide orthodoxa capite 12. aſſerit, animam rationalem *corporeis oculis ſecundùm propriam ſui naturam eſſe inuiſibilem.* S. Gregorius Nyſſenus oratione de mortuis, *expertem materiæ eſſe, cerni non poſſe, mente ſola percipi, caretéque corpore.* S. Baſilius in lib. de vera Virginitate inquit, beatos ſpiritus tam Angelicos, quàm Animaſticos *non eſſe ſpectabiles corporeis oculis.* Incertus, ſed antiquiſſimus Author Breuiarij fidei aduerſus Arianos ſic arguit, *Cùm nec anima humana poſſit eſſe viſibilis, quantò magis Deus in ſua ſubſtantia? Sed ideò carnem aſſumpſit, quæ poterat videri, quia Deitas corporeis oculis non poterat intueri.* Sunt, qui timent, ne ex conceſſa poſſibili viſione materiali obiecti ſpiritualis creati, facilis ſit tranſitus ad viſionem increati. Ita P.Ouiedus citatus in num.32. ſed, vt dixi in num.56. ex vna non ſequitur ineluctabiliter alia.

SECTIO IX.

Præſtantiſſimum obiectum viſionis corporeæ erit Chriſtus. Vbi de pulchritudine corporis Chriſti.

118 HVc vſque legi nullum, qui in beatis hominibus exercitium facultatis viſiuæ fuerit inficiatus omninò. Admittitur expreſsè à S.Auguſtino lib.22. de Ciuitate Dei cap.29. & à Patribus aliis proceſſu Exercitationis referendis. Religioſus quidam memoratus à Cæſario Heiſterbacenſi, & de errore reprehenſus à Duuallio in Tractatu Nouiſſimorum quæſt. 3. art.1. pag.543. nimiùm detulit Beatorum viſui, dum eorum corpora vndequaque, ante, & retrò, ſuprà, & infrà oculata fore, putauit. Sed, miſsâ hac ineptiâ, & ante quàm ad primarium obiectum, ac ſecundaria alia viſus glorificati deueniam, oportet eius potentiæ vſum generatim ſtabilire rationibus, quæ etiam deſeruient ad externarum aliarum potentiarum actus comprobandos. Prima itaque ratio ſit, Exercitium viſus glorificati eſt eius vltima perfectio, ad quam ſuapte natura ordinatur: Ergo viſui glorificato denegandum non eſt. Secunda, viſus, glorificatus integer erit, & perfectus: Ergo habebit in Empyreo ſuas functiones, & oblectamenta; nam nec deerunt obiecta, circa quæ conuenienter, & delectabiliter verſari poſſit. Vnde infert optimè S.Auguſtinus in fine epiſt.112. *Si erunt ibi corpora, erunt, quæ videre poſſunt oculi corporales*; nec ex parte medij vllum impedimentum oberit. Et ſanè cùm Empyrei regio interior, in qua credo exituros Beatos, ſit lucida, & tranſparens ſecundùm omnes ſui partes, nihil obſtabit, ne videant obiecta debitè approximata, ſeu quæ continentur intra ſphæram; ex qua emiſſæ ab ipſis ſpecies impreſſæ traduci queāt naturaliter ad oculos. Quapropter in his fiet viſio; quin opus ſit multiplicare miracula. Quòd ſi beatus homo aſcendat ſupra conuexam Empyrei ſuperficiem, valebit miraculosè elicere viſionem, vel non emendicatis ſpeciebus ab obiectis, vel iſtis operantibus eas in diſtans, quin in medio; vel diffuſis ſpeciebus per vacuum, ita vt per creationem à Deo ſolo ſine ſubiecto conſeruentur, ſi creaturæ adhuc vt inſtrumento repugnet aſſumi ad productionem, aut conſeruationem alicuius accidentis non educti ex præſuppoſito ſubiecto. P.Salas tom.1.in 1.2.tract.2. diſp.& ſect.14.n.110.ait, nihil cogere ad affirmandum mutuum conſpectum glorificatorum hominum, ſi exituri eſſent ſupra Empyrei conuexam ſuperficiem. Sed me cogit ea ratio; quòd alioqui curia Cœleſtis eſſet quaſi cæcorum Reſpublica. Quid enim intereſſet habere illæſam facultatem viſiuam, ſi eam nunquam exercerent in beatis ſedibus? Vnde vel immortales homines includantur intra Empyreum, vel recurratur ad miraculum pro viſione mutua.

119 Tertia ratio, homo glorificabitur non tantùm penes animam, ſed etiam penes corpus, & ſenſus; corporis autem, & ſenſuum glorificatio eò præcipuè dirigi videtur, vt ex decenti, honeſtóque ſenſuum exercitio ſequantur puriſſimæ, caſtiſſimæque oblectationes. Quarta, par eſt, vt ſenſus, qui in hac vita ſocietatem cum animo in paſſionibus, & tribulationibus ſubeunt, & qui inſtrumentum ſunt virtutis, ac meriti, conſortes ſint animi, quoad gloriam, & oblectationes in altera vita, prēmióque ſuo, & remuneratione non fraudentur. Ad id autem opus eſt, ne ſenſus maneant omninò otioſi, ſed vt potiùs prodeant in operationes iucundiſſimas, ac decentiſſimas, rependente Deo tum moleſtas, & acerbas, quas homines pro ipſius obſequio in hac vita ſuſtinuerunt, tum ſuaues, & voluptuoſas, à quibus abſtinuere.

120 Quinta; Damnatorum hominum ſenſus multis affligentur modis,

Nec mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum,
Ferrea vox, ———
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſim.

Ergo cùm Deus non ſit ſeuerior in puniēdo, quàm in præmiando benignus, recreabit è contra beatorū hominum ſenſus magnis voluptatibus. Sexta proponitur à S.Thoma in 4.diſt.44 q.2.art 1.quęſtiuncula 3. his verbis. *Dicendum, quòd aliquem ſenſum eſſe in corporibus Beatorum omnes ponunt, alias corporalis vita Sanctorum poſt reſurrectionem aſſimilaretur magis ſomno, quàm vigiliæ, quod non competit illi perfectioni, eo quòd in ſomno corpus ſenſibile non eſt in vltimo actu vitæ, propter quod ſomnus dicitur vita dimidium in 1.Ethicorum.* Hactenus Angelicus Doctor. Conſulantur Toſtatus ad c.17.Math.q.114.& 116. Leſ.l.3.de ſummo bono c.8. Tanner.tom.2. diſp.1. q.3.dub.4.n.31.vbi rationes alias congerunt.

121 His præſuppoſitis, nobiliſſimum obiectum glorificati viſus, erit Chriſti Domini ſacra humanitas, ſecundùm illud Iſa.33.v.17. *Regem in decore ſuo videbunt oculi eius*; Et illud Apoc.1. v.17. *Videbit eum omnis oculus.* Nec non illud Iobi 19. v.26.ac 27. *In carne mea videbo Deum .... quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Quo teſtimonio vtitur S.Antoninus 3.p.ſum.tit.30.c.4.§.3.& hinc dixit Auguſt. in Manuali c. 26. Deum factum eſſe hominem, vt vterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, oculis cordis in eius diuinitate, & oculis corporis in eius humanitate. Conſonat Idiota in Pſ.15.v.20. *Felicitas noſtra*, inquiēs, *cōpletur in viſione, & fruitione humanitatis.* S.Anſel.in Elucidario, *O qualem voluptatem viſus ipſi habebunt! qui ita clauſis, ſicut apertis oculis videbūt, quibus ſingula mēbra, vt oculus*

Solis

Solis erunt, qui Regem gloriæ in decore ſuo cernent. Ruſus in lib. de excellentia B.V. Mariæ cap. 9. *Cum eam inæſtimabili dignitatis honore etiam in huius mundi ſqualoribus degens per pia Matris Dei merita humana natura ſit exaltata, qualis quali gloria decorabitur, cùm hunc ipſum fratrem ſuum eius omnipotenti Patri coæqualem in ſua maieſtate regnantem aſpexerit, eiúſque regni cohæres exiſtens perpetua, & incommutabili glorificatione vultum ipſius præſens conſtituerit. Aduertas, inquam, aduertas quæ gloria, vel quod gaudium vel quæ iubilatio erit omnibus illis, qui in regnum beatitudinis aſſumpti Deum, Dominúmque rerum omnium in ſuæ carnis ſubſtantia ſibi ſimilem viderint.* S. Laurent. Iuſtinianus lib. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23. *Delectabitur oculus in amabili Redemptoris aſpectu, cùm videbit Regem in decore ſuo gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis ſuæ.* Legantur Author libri de ſpiritu, & anima ſub nomine S. Auguſtini, cap. 4. S. Iulianus Toletanus lib. 3. Prognoſtici cap. 60. Gerardus Zutphanienſis lib. de reformatione virium animæ cap. 24. lib. de ſpiritualibus aſcenſionibus cap. etiam 24. S. Mecthildes lib. 4. ſpiritualis gratiæ cap. 18. S. Antonius de Padua in ſerm. 1. de vno Martyre, Petrus de Alliaco in ſpeculo conſiderationis cap. 5. num. 6.

122 Sed non patiar inexarata abire Guilielmi Autiſiodorenſis Theologi antiqui, & grauis in Summa, cap. de Reſurrectione quæſt. 1. verba hæc: *Anima non indigebit ſenſu in patria ad cognitionem intelligibilium; ſed propter aliud, ſcilicet ad videndum humanitatem Chriſti; terra enim illa melle, & lacte fluens, lacte humanitatis, & melle diuinitatis. Et habebunt oculi corporales gloriam ſuam in viſione humanitatis Chriſti, ſicut oculi ſpirituales in viſione diuinitatis. Vita æterna, prout competit homini, non erit ſufficienter in anima, imò pars erit in corpore, ibi enim videbimus, amabimus, & laudabimus etiam vocaliter, vt dicit Caſſiodorus in Apocalyp. ::: Et in Euangelio dicitur, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ::: & quem miſiſti IESVM Chriſtum. Et ita viſio Chriſti, ſecundùm quòd homo, eſt pars vitæ æternæ, prout competit homini.* Annecto Autiſiodorenſis & Pariſienſis poſteà Epiſcopi verbis breuiora alia, ſed non minus ſignificantia S. Thereſ. c. 28. ſuæ vitæ *Tantùm dixerim, quamuis in cœlo nihil aliud eſſet, præter pulchritudinem corporum glorificatorum ad recreandum viſum, ingentiſſimam hanc eſſe gloriam, maximè videre humanitatem IESV Chriſti Domini noſtri in cœlo, vbi tanti boni datur plena fruitio.*

123 Mirum iam non ſit, Apoſtolorum Principem prorupiſſe in illa verba, *Bonum eſt nos hìc eſſe*, cùm prægustaſſet particulam vitæ æternæ videndo Seruatoris corpus claritatis dote perfuſum in Thaborino colle. De Petro ait V. Beda, homilia de Transfiguratione, *Glorificatam Chriſti humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio, vt nullatenus ab eius intuitu velit ſecerni.* Quapropter veriſſimè infert Remigius in Catena S. Thomæ ad cap. 17. Matthæi. *Si tunc Petrus ſic accenſus eſt, quanta erit ſuauitas, & dulcedo videre Regem in decore ſuo, & intereſſe choris Angelorum, & omnium Sanctorum?* Feliciſſimum certè erit, & beatiſſimum, videre Chriſtum in patria, vt etiam infert Thomas Cantipratenſis lib. 2. boni vniuerſalis cap. 54. Huc non ineptè transfero quæ de Chriſto viſo in præſepio tradit apud S. Cyprianum Author ſermonis de Natiuitate Chriſti, *Ornamenta*, inquit, *quæ deerant, etiamſi adeſſent, non haberent oculos inſpectores, quia præſentia paruuli ſic eorum qui aderant Ioſeph, & ſi quis fortè alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminauerat animos, ſic corda illexerat, vt in ſummo bono omnium bonorum vnita collectio videretur, nec opus eſſet euagari, & mendicari per partes, quod ſimul in ſe vno fidelibus omnipotens infantia præſentabat.* Vel ſola Chriſti humanitas viſa in Empyreo ſatis, ſupérque eſſet ad occupandos Beatorum oculos totam per æternitatem, ſiquidem ea in ſtabulo tantam vim habuit. Pulchrè ad rem Petrus Abbas Cellenſis lib. de panibus cap. 2. *In contemplatione IESV eſt refectio delicatiſſima, ebrietas vltima, quies abundantiſſima, deambulatio ſpatioſiſſima, ſanitas inconcuſſa, fortitudo robuſta, omnium bonorum poſſeſſio, ſecura vita beata.* Et vt addit Author ſermonis de Aſcenſione inter opera S. Cypriani, *Omne deſiderium* Beatorum *Chriſtus præſens implebit.* atque vt B. Maria Oegniacenſis, *à lumine corporis glorificati Chriſti capient Sancti in animabus fructum, & exultationem.* Sic refert Iacobus de Vitriaco lib. 2. vitæ cap. 11.

124 Quòd ſi iuxta S. Brigittam lib. 4. Reuelationum cap. 70. *Chriſtus tam pulcher facie erat, vt nullus videbat eum facie, qui non conſolabatur in aſpectu eius, etiamſi præcordialiter dolorem haberet. Iuſti verò ſpirituali conſolatione conſolabantur. Sed mali à triſtitia ſæculi tanto tempore, quo eum videbant, releuabantur. Vnde & dolentes dicere conſueuerant, Eamus, & filium MARIÆ videamus, vt ſaltem tanto tempore releuemur.* Rurſus, ſi, vt ait S. Bernardus in ſermon. 1. de omnibus Sanctis, ij, qui Chriſtum ſequebantur, *adhærebant ei affatu pariter, & aſpectu illius delectati:* Et vt S. Hieronymus in cap. 9. Matthæi verſ. 9. *Fulgor ipſe, & Maieſtas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie* (Saluatoris relucebat) *ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Qui adhærebunt Chriſto Beati, eius iam immortalis, & ſpecioſioris, ac ſydereum quid ſcintillantis aſpectu deliniri, & rapti? *Si enim in magnete lapide, & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, vt annulos, & ſtipulam, & feſtucas ſibi copulent, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahet cœlicolas?* Nonnihil immutaui in S. Hieronymi verbis. Appono alia S. Chryſoſtomi homilia 28. in Matth. *Erant ei* (Chriſto ſcilicet) *affixi non pauci amantes, admirantéſque ipſum, videréque ipſum ſemper cupientes. Et certè quis ab authore talium ſignorum non inuitus recederet? Aut quis vel faciem ſolam aſpicere, éſque ipſum, ex quo diuina præceptorum inſtituta profluebant, ingenti deſiderio non arderet? Nam vt in faciendis ſignis erat mirabilis, ſic viſu gratioſiſſimus traditur fuiſſe. Idque ipſe Propheta ſignificans multò ante clamauerat, ſpecioſus pulchritudine ſuper filios hominum.* Hæc de Chriſto in corpore mortali Chryſoſtomus, qui homilia 4. & 13. in Marcum putat habuiſſe *aliquid in vultu diuinum, quod videntes homines ſequebantur.* Non abſimiliter S. Hieronymus in epiſtola ad Principiam, *Niſi habuiſſet & in vultu quiddam ſydereum, nunquam eum ſtatim ſequuti fuiſſent Apoſtoli; nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* Eiuſdem cenſuræ eſt Remigius in Catena S. Thomæ ad cap. 8. Matthæi v. 18.

125 Et ipſe S. Thomas in Pſalm. 44. verſ. 3. inquit, *Illam pulchritudinem corporalem habuit ſummè, quæ pertinebat ad ſtatum, & reuerentiam, & gratioſitatem in aſpectu, ita quòd quoddam diuinum radiabat in vultu eius, quod omnes eum reuerebantur, vt Auguſtinus dicit.* Chaldæus Paraphraſtes, vbi

Digitized by Google

vbi nos legimus in præcitato Pſalmo, *Specioſus formâ præ filiis hominum*, Sic vertit apud Auguſtinum Steuchum, *Pulchritudo tua, Rex Meſſia, maior, & excellentior eſt filiorum hominis, præſtantior eſt tua forma omni humana forma.* Hadrianus Papa in ſcripto ad Carolum Magnum de Imaginibus appellat *Specioſam formam Domini, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti ſecundùm carnem.* Sedulius lib. 1. Mirabilium diuinorum canit,

——*formâ ſpecioſus amœnâ*
Præ natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labiis diffuſa eſt gratia pulchris.

Apud S.Nazianzenum, Deipara in Tragædia Chriſti patientis vocat ſemel, & iterùm formam ipſius ratam, & ibidem ait,

—— *lumen ô lepidiſſimum!*
O expetita, & ſingularis candidi
Oris venuſtas, nulla quæ generis prior
Humani ——————

Idem S.Nazianzenus oratione 2. de Paſcha tradens reſtitutam Chriſto in reſurrectione pulchritudinem, innuit habuiſſe eam priùs. Origenes lib. 1. ac 6. contra Celſum affirmat, corporis pulchritudine præſtitiſſe; in qua Ioſepho Patriarchæ comparatur à S.Iſidoro cap. 3. & 31. in Geneſ. Publius Lentulus ſcribens ad Senatum Romanum refert de Chriſto vt oculatus teſtis (ſi huic epiſtolæ ab Eutropio, & S. Antonino tranſcriptæ, & alteri ſimili Pilati apud Egeſippum fides ſit adhibenda.) *Vultum habens venerabilem, quem intuentes poſſint diligere, & formidare.* Et poſteà in fine, *Specioſus inter filios hominum IESVS Chriſtus MARIÆ filius.* S.Athanaſius lib. de Incarnatione Chriſti contra Apollinarem ait, *Neque enim pulchritudinem, vel gloriam corporis Dei fas eſt exprimi humano intellectu.* S.Anſelmus indignari ſolebat prauis pictoribus, cùm Chriſtum Dominum informi figura pingi videret. Sic in lib. cur Deus homo, cap. 2. teſtatum reliquit. Salonius Viennenſis Galliarum Epiſcopus explanatione Myſtica in Prouerbia c.17. verſ.14. inquit, *In facie Saluatoris lucebat ſapientia diuinitatis, quam ipſe in carne apparens virtutum, & doctrina teſtimonio demonſtrabat, & confirmabat.* S.Anaſtaſius Sinaita lib.4. de Paſſione, & impaſſibilitate Chriſti tradit, *Excellentem quandam virtutem emicuiſſe in facie Chriſti.* Lucas Tudenſis lib. 2. aduerſus Albigenſes cap. 20. *Pulchritudine corporis indicibili floruit Deus, & homo filius eius, & inter cæteros quodam decoris præfulgebat inſigni.* Conſonant Philo Carpathius in Cantica cap.7. verſ.6. Honorius Auguſtodunenſis cap. 1. v.16. S. Damaſcenus lib.4. de fide cap.17. narrat, *proditum eſſe, cum Abagarus Edeſſæ Rex eo nomine pictorem miſiſſet, vt Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob ſplendorem vultu manantem conſequi potuiſſet, Dominum ipſum diuina ſua, ac viuifica faciei pallium admouiſſe, &c.* Fortè tantus hîc ſplendor non fuit permanens, ſed tranſiens, vt cum Marci 9. v. 15. *Populus videns IESVM ſtupefactus eſt, & expauerunt, & accurrentes ſalutabant eum.* Stuporis enim cauſa, quam Euangeliſta ſilentio obnoluit, credi poteſt cum Franciſco Luca, Cornelio, & Tirino ſplendor aliquis viſus in facie Chriſti ex transfiguratione adhuc durans; licet moderatiorem alium continuò enituiſſe in Chriſti oculis, haud ſecus (ſi fas eſt æquare iacentia ſummis) ac in Auguſti, aliorúmque Heroum, de quibus Cerda ad 1.Æneidos v.595. credibile quàm valde ſit.

126 Petrus de Natalibus lib.3. Catalogi c.228. loquens de bono Latrone tradit, occurriſſe puero IESV, MARIÆ, & IOSEPHO pergentibus Ægyptum, *vt eis ſubſtantiam auferret, viſa verò Virginis manſuetudine, & pueri ſpecioſitate admiratur, ſubſtitit, & quaſi diuinitus inſpiratus hoc verbum protulit: Non eſſe poſſibile puerum a b homine genitum tanta pulchritudine eſſe decoratum; & ſi poſſibile eſſet, vt Deus haberet filium, elegantiſſimum illum infantem diceret ex aliquo Numine generatum. Igitur, & propter pueri ſpeciem, & matris aſpectum placabilem non ſolum ab eorum depredatione abſtinuit, ſed etiam eos in illa nocte in domum propriam introduxit, & neceſſaria miniſtrauit.* Addit Author lib. de vita Eremitica ad ſororem cap.48. inter opera S. Auguſtini, & inter S. Anſelmi, Author Meditationis ad ſororem de beneficiis diuinis part. 1. *Incaleſcens amore amplexatus eſt eum. Et, ô, inquit, Beatiſſime paruulorum, ſi aliquando ſe tempus obtulerit mihi miſerendi, tunc momento mei, & huius temporis noli obliuiſci.* Luitprandus in Aduerſariis num. 137. ſcribit, *Sanctus Latro, (ſicut legi in libris Gothicis Bibliotheca Fuldenſis, in collectaneis S. Melantij, & in lib. de paſſione S. Serrani Archiepiſcopi Toletani, & in lib. S. Ioannis Damaſceni) dictus eſt Dimas, Ægyptius, Gentilis, qui Dominæ noſtræ cum Ioſeph ingredienti Ægyptum ſpoliaturus eos occurrit, ſed viſa Virginis modeſtia, & pueri mira pulchritudine, mutato animo, illis inſeruiens viam oſtendit.* Opinare, vt libuerit de hac hiſtoria; quam tamen non improbant alij apud Salmeronem tom 10. in Euangelia, Tractatu quadrageſimo, pag. 420. Mendozam tomo 2. in lib. 1. Regum cap. 4. annotat. 12. ſect. 2. num. 13. Antonium de Quintana Dueñas in lib. de Sanctiſſimo nomine MARIÆ pag. 278. Pozam in elucidario Deiparæ lib. 1. tractat. 13. cap. 2. & latiùs apud Raynaudum in opere erudito de bono Latrone cap. 1. & 6. Amadeus Franciſcanus raptu 5. ſuæ Apocalypſis aliam valde diuerſam narrat. Quicquid de vtraque ſit, Aelredus Abbas homiliâ de IESV puero duodenni *cogitandum proponit quanta fuit eorum felicitas, quibus datum eſt, tot diebus,* (quot conſumpti ſunt in itinere à Nazareth vſque ad Hieroſolymam) *videre faciem IESV, & mellifluos illius audire ſermones, conſiderare in homine & puero ſigna quædam cœleſtis radiare virtutis, & inter confabulationes mutuas myſterium ſapientiæ ſalutaris inſerere. Stupent ſenes, iuuenes admirantur, & ſuæ tunc ætatis pueri motuum grauitate, & ſermonum illius pondere deterrentur. Credo enim in illo ſpecioſiſſimo vultu totam gratiæ cœleſtis elegantiam refulſiſſe vt omnium in ſe conuerteret aſpectum.*

127 Sed quando huc feci non ingratam lectori, vt ſpero, digreſſionem, libet ipſum admonere de ſingulari quadam Eugubini interpretatione ad illa Geneſis verba c.1. v. 26. *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Interpretatur itaque in hunc modum in Coſmopœia, *Acceſſit ergo filius, ac Verbum Dei ad creationem humanam in forma, imagine, habitúque humano, gerens ſpecioſiſſimam, diuiniſſimámque formam, & iucundiſſimam omnium humanarum formarum pulchritudinem ſuperantem. Quam videntem, & intuentem generis noſtris Principem, cenſendum eſt amore inſaniiſſe, Creatorémque omnibus fœminis ſpecioſiorem penè deperiiſſe. Hanc ſpeciem, diuinámque pulchritudinem clementiſſimus, formoſiſſimúſque aſſumens, quam erat poſt multa tempora vſque ad carnem, & oſſa aſſumpturus, creabat hominem largiens ei ſpeciem hanc tantam ipſe primus Archetypus ſpecioſiſſimus, ipſe ſpecioſiſſimæ prolis creator. Quantâ qualémve credas fuiſſe primi hominis illius venuſtate, quantum in ore decus, quas gratias inſediſſe?*

Hactenus

Digitized by Google

Hactenus Eugubinus, cuius interpretationem ſequutus eſt Hieron. ab Oleaſtro ibi, laudatque Iacobus Boducius lib.1.de Eccleſia ante legem c.3.ac in c.10.Iobi.v.8.Et de pulchritudine Adami videantur S.Nyſſenus in oratione Catechetica magna c.6. Philippus Solitarius lib.2 Dioptræ c.6.inſigniáque duo teſtimonia, alterum Chryſoſtomi, alterum Ambroſij adnotata à ſapientiſſimo P. Ioanne Antonio Valazquez in Pſal.100.ſeu de optimo Principe lib.2.adnotatione 13.quibus adiungatur aliud Philonis in lib.de Mundi opificio, vbi ſic ait, *Ille primus homo terrigena princeps totius noſtri generis; vtraque parte praſtantiſſimus, & anima, & corpore factus mihi videtur, longéque poſteros ſuo antecellere vtraque praſtantia.* Obſeruetúrque cum Euſebio Gallicano Feria 4.in cap.Ieiunij, *Si informitas Deo placuiſſet tam pulchra facie hominem non formaſſet.*

128 Adamus tamen non æquauit, nedum antecelluit IESVM, vt opinatur Arriaga tomo 2. in 1.p.diſput.34. ſect.4. indicátque Caietanus in Pſal.44.verſ.3. quia alioqui Adamus in Empyreo pulchrior apparebit,quàm Chriſtus; qui tamen par eſt, vt ſecundùm Paulum ad Coloſ.1. verſ.18. *in omnibus primatum teneat.* Adami autem pulchritudo non minuetur poſt reſurrectionem, neque poſt hanc aucta eſt Chriſti pulchritudo ſiue quoad integritatem, & debitam membrorum proportionem, ſiue quoad conuenientem colorem natiuum (quicquid aliter exiſtimet Barradas tomo 4. in Euangelia lib.8.cap.11.) *Nemo enim putet.* vt aduertit Seuerianus adductus à S.Thoma tum in Catena ad cap.16.Marci verſ.12. tum 3.p.quæſt.54. art.1.ad 3. *Chriſtum ſua reſurrectione ſui vultus effigiem commutaſſe;ſed mutatur effigies, dum efficitur ex mortali immortalis, vt hoc ſit acquiſiuiſſe vultus gloriam, non vultus ſubſtantiam perdidiſſe.* Moneor item,ne aſſentiar,quia Arriagæ opinatio non videtur conformis Patribus ſuprà citatis, neque antiquis aliis recenſis à Poza lib.3.tract.11.cap.8.Luiſio Turriano p.1.ſelect.diſput.34.dub.vnico, Sandæo in Theologia iuridica commentatione 48. Soto maiore in Cantica cap.1. verſ.16. Martinono tomo 4.diſput.13. ſect.1.vbi ſapienter animaduertit, pulchritudinem Chriſti non fuiſſe mollem, & fœmineam, conſiſtentem in venuſtate, & ſpecie blandiſſima,ſed virilem, & plenam dignitatis, ac Maieſtatis. Legimus id ipſum in S. Brigitta lib.1. Reuelationum cap.51. Ruperto lib.1. Comment. ad libros Regum cap. 26. quod vltra antiquas alias Chriſti imagines teſtatur noua illa apud P. Paulum Sherlogum tomo 3. ad Cantica, Antonium de Eſcobar volumine 1. in Euangelia temporis, multóque magis eius prototypon extans in Collegio Valliſoletano Societatis Ieſu, ſub S.Ambroſio Tutelari ex dono V.Virginis Marinæ de Eſcobar, cui IESVS præbuit ſe adſpectandum quo vultu, & habitu inter homines verſabatur.Sed eius viſionis fides qualis debeat eſſe, quouſque ſummi Pontificis ſuprema accedat cenſura, norunt iam cuncti. Et hæc ſatis de pulchritudine Chriſti in vita mortali.

129 Ecquid verò dicemus de eiuſdem pulchritudine in immortali corpore, claritatis gloria ſupra Beatos omnes alios refulgente? Docemur à S.Petro in epiſtola cap.1.v.12. ex interpretatione Gloſſæ ordinariæ,& S.Thomæ Angelos deſiderare intuitum Chriſti intellectualem.Quid ni & homines felices deſiderabunt intuitum non ſolùm intellectualem,ſed etiam corporalem? O quantùm gaudebunt, cùm toties perſpicient Regem ſuum quoties voluerint? Quid ſi ipſos alloquatur is,cuius in labiis diffuſa eſt gratia, & cuius verba æternam inſpirant vitam?vt piè contemplantur Ioannes Nider c.10. ſuper decimum præceptum Decalogi. Chatarinus in opuſculo de Bonorum præmio, & Dominicus Sotus in 4. diſt.49. quæſt. 4. art.5. Intenti proculdubiò omnes ſimul ora tenebunt. Nam vel in ſtatu vitæ mortalis *erant verba illius mirabiliter gratia plena, cunctiſque ad audiendum ſuauia.* Sic Euſebius Gallicanus homiliâ in Dominica 4. poſt Epiphaniam, & ſimiliter Abulenſis in Matthæum cap.8.quæſt.2.cap.10.q.14. Et S.Thereſia cap.37. ſuæ vitæ aiebat, nihili ſe pendere omnes alias voluptates præ ea, qua deliniebatur vel vno ex verbo audito à Chriſti ſuauiſſimo, diuinóque ore. Qui iſta attentus meditetur, comperiet pronuntiatum ſine exageratione à S.Auguſtino in Manuali c.15. *Si quotidie oporteret nos tormenta perferre,ſi ipſum gehennam longo tempore tolerare,vt Chriſtum in gloria poſſemus videre ::. nonne dignum eſſet pati omne, quod triſte eſt,vt tanti boni, tantaeque gloria participes haberemur?* S. Chryſoſtomus paræneſi 1. ad Theodorum lapſum loquitur eodem ferè modo; ponderátque ibidem, *pulchritudinem,formoſitatem, gloriam, maieſtatem, magnificentiam Chriſti regnantis in cœlo excedere ſermonem omnẽ & mentem.* S. etiã Laurentius Iuſtinianus in ſerm. de Aſcenſione piiſſimè cogitat,Angelos *delectabiliter intueri*, in Empyrea aula,*humanitatis Chriſti elegantiam, praclaram formam,radiantem faciem;imperiale decus,& honorabilem ſtatum.* Quippè, vt ait S.Auguſtinus adductus à Sandæo ſuprà,*pulcherimus eſt, ac videtur etiam IESVS Chriſtus diligentibus illum, ac ſummam oris dignitatem,& maieſtatem ſpectantibus.*

SECTIO X.

An cuncti beati homines conſpicient ſemper humanitatem Chriſti

130 SOtus vbi ſuprà reſpondet, *ſiue hoc fiat ex natura oculi,& luminis, ſiue ſupernaturali virtute piè tamen credendum eſſe, omnes ſemper viſuros Chriſti humanitatem.* In eadem ſunt exiſtimatione Richardus in 4. diſt.49.art.4. quæſt.7. ad 4. Baſſolis quæſt.2. art.3. Maior quæſt.14.in 5. concluſione Reginaldetus in ſpeculo finalis retributionis p.2.in 4.gloria corporis,fol.114. Nider c.6. ſuper decimum præceptum Decalogi,Medina in 1.2.quæſt.& art.3.in ſolutione ad 3. arg.de viſu Peſantius in 1.2. quæſt.4. a. 6. d.6. Suarez tomo 2. in 3.p. diſput.47. ſect.6.v. *occurrit autem*,in fine. Gregorius Ruiz in 4.controu.131. titulo *ad argumenta reſpondetur*,ad 3.Roa cap.7. de ſtatu Beatorum in cœlo, Drexelius p.3. Æternitatis lib.2.c. & §.1.Bonacina in 3.p.diſp.3.quæſt.5. puncto 4.§.1. propoſit.3. Ioannes Gerſon ſerm. in ſolemnitate omnium ſanctorum parte 2. fol. 248. Tannerus tom.2.diſp.1.q.3.dub.4.n.24.Arriaga tom.2.in 1. p.diſp.37.ſect.1.à n.3. Ex his Authoribus aliqui tantùm aſſerunt,nullam diſtantiam impedire viſionem in cœlo;quòd ſi reſpectu alicuius obiecti,maximè reſpectu humanitatis Chriſtianæ, nemo non concedet.

131 Confirmatur primò ex Baſſoli, Nyſſe, & Henriquez citandis n.26. Exercit.32. qui aiunt, poſſe in oculo glorificato cõſeruari ſpecies viſibiles diſtante valdè obiecto, imò & non exiſtente: Ergo

Digitized by Google

etſi diſcedat Chriſtus pauliſper à ſuo throno, Beatis immotis, aut etſi diſcedant hi à ſuis manſionibus, immoto illo, poterunt conſeruari ſpecies, eritque æquum conſeruari, ne vel breui tempore intermittatur viſio obiecti adeò conducentis ad beatitudinem accidentalem. Secundò ex Nicolao de Lyra in cap. 7. Actor. v. 56. affirmante, *eſſe in poteſtate Chriſti, quòd corpus ſuum ſic videatur à longè, ſicut de propinquo. Et fortè idem eſt de alio corpore glorioſo, quia totaliter eſt animæ ſubiectum. Propter quod videtur, quòd ad nutum eius poſſit immutare viſum indiffere ter à longè & propè.* Suarez ſuprà v. *ſed quomodò* nullatenus dubitat de corpore ſaltem Chriſti, quin quatenus eſt obiectum viſibile, habeat efficaciam immutandi potentiam viſiuam ad quamcumque diſtantiam: Ergo ſi eam habet, credibile eſt, reducendam in actu reſpectu viſus glorificati. Arriaga cum Pariſienſi, & Tannero ſimilem efficaciam concedit, cuius corpori glorioſo ad producendas ſui ſpecies in quacumque diſtantia, & tam claras, ac ſi eſſet propinquum: neque propterea ſequetur deceptio aliqua in viſu; nam licèt hic videat æquè clarè, & diſtinctè corpus glorioſum valdè remotum, ac ſi eſſet proximum, tamen viſio repræſentabit ipſam diſtantiam.

132 Tertiò ex Amadeo Franciſcano, qui raptu 8. ſuæ Apocalypſis ſpeciatim notat, Chriſtum & Sanctiſſimam Matrem *ſemper ſe mutuò cōſpicere, ſicque incedere per Empyreum cœlum, vt nunquam vultum ſuum à vultu Matris Dominus auertat.* Quartò ex Gerſone, Tannero, Bonacina, & Arriaga ſuprà, putantibus non improbabiliter, humanitatem Chriſti replicandam circumſcriptiuè variis in locis Empyrei, vt ab omnibus Beatis ſimul, & eodem tempore videatur. *Sicut enim de fide eſt,* ait Bonacina, *eandem Chriſti humanitatem infinitis ferè locis præſentem ſacramentaliter conſtitui, vt homines in hac vita mortali degentes reficiat, recreet, & paſcat: ita à veritate alienum non videtur, præſentiam Chriſti circumſcriptiuam multiplicari ad ſanctos omnes ſuo conſpectu iugiter recreandos.* Hæc vero ſimiliter mouere quem poſſunt vt adſtruat Beatos, ſi velint, intuituros ſemper corporeis oculis Chriſtum Dominum. Sed tamen Salas tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. num. 112. dubitat, an cùm ſe conuertent ad videndos alios, videant quoque Chriſtum: Arriaga etiam dubitat, quando Chriſtus, aut Beati moueant ſe huc, & illuc intra Empyreum. S. Thomas & Scotus adducti n. 59. Exercit. 23. innuunt, inconueniens non eſſe, ſi Beati diſcedentes à ſuis ſedibus intermittant viſionem materialem Verbi incarnati.

133 Ego pro comperto habens, fore frequenter eo in ſitu, ex quo videre queant: & rurſus impoſſibile non eſſe, quòd ſemper intueantur, quantumuis deſerant ſuas ſedes ad tempus, relinquo indeciſū, quid actu fiet, non enim facilè admittenda ſunt miracula, niſi in ſacris Litteris, aut Patribus aliquod eluceſcat fundamentum. Quod quidem non apparet in præſenti. Nam teſtimonia propoſita in num. 121. non deprædicant viſionem humanitatis Chriſtianæ in cœlo vt nunquam interrumpendam. S. Damaſcenus, qui Patribus ibi recenſis addi poteſt, dum lib. 4. de fide cap. vlt. inquit, *Qui bona egerunt, fulgebunt ſicut Sol cum Angelis in vitam æternam cum Domino noſtro IESV Chriſto, videntes ipſum ſemper, & viſi, & inacceſſibili, quæ ab ipſo eſt, lætitia perfruentes,* vel loquitur de viſione continua Chriſti, quà Deus, & non quà homo, vel loquitur de viſione continua moraliter Chriſti, quà homo. Antiquus Author ſermonis de cæna Domini inter opera S. Cypriani in verbis exaratis in num. 11. Exercit. 24. dum ait, *Summi Sacerdotis,* nempe Chriſti, *præſentiam prolaturam ſe palàm conſpicabilem,* intelligendus venit non ſecùs ac S. Damaſcenus; niſi magis placeat interpretari, quatenus præſentia Chriſti quà homo, ſit quidem ex ſe omnibus Beatis hominibus conſpicabilis, non tamen ſemper actu conſpecta, vel ob diſtantiam, vel ob receſſum ſiue Chriſti, ſiue Beatorum à Theatro Empyrei.

SECTIO XI.

An Beatis, ſi prædicti ſupponantur ſpeciebus impreſſis, quibus ſemper intueri valeant Chriſti humanitatem, liberum adhuc ſit continuare, vel non continuare eius viſionem?

134 PRo neceſſitate continuandæ viſionis militant hæ rationes. Prima, quia viſio obiecti adeò delectabilis eſt magna perfectio, inſigniterque conducens ad beatitudinem accidentalem, vt conſtat ſatis ex præcedentibus: Ergo, ſi Beati inſtructi ſint ſpeciebus ad eam efficiendam, & continuandam, non poterunt ſuſpendere influxum, & conatum in ipſam. Confirmatur; humanitatis Chriſtianæ vt exiſtentis viſio intellectualis, ſiue in Verbo, ſiue extra Verbum, non poterit ſuſpendi à Beatis, eo quòd inter obiecta ſecundaria ſpectantia ad beatitudinem accidentalem intellectus, eſt obiectum maximè appetibile, vt videatur: Ergo ſimiliter ſuſpendi nequibit materialis viſio eiuſdem humanitatis.

135 Secunda, quia non continuandi viſionē hanc nullatenus finis apparet; & aliunde neque continuatio pariet faſtidium, neque interruptio nouam voluptatem. Etſi enim, vt ſcribit S. Baſilius ſerm. 1. de Ieiunio, *Nihil tam deſiderabile, quàm voluptas interpoſita, ac minimè continuata. Nam ea, quorum rarus vſus, longè meliùs, dulciùſque ſapiunt.* Iuuenalis ſatyra 11.

——*Voluptates commendat rarior vſus.*

Et Theodorus Gazæus lib. de Menſibus cap. 16. *Eorum, quæ interuallo fiunt, ſi iucunda quidem ſunt, iucundior eſt ſenſus, ſin autem moleſta, tolerabilior:* id verum ſolummodò eſt in hac vita, in qua, vt benè Arriaga, ſæpe obiecta etiam bona faſtidium generant, vel quia homo defatigatur eis perfruendo, vel quia aliarum rerum appetitus vrget, vel quia minora apparent ea bona, quàm initio. Hinc illud S. Thomæ in 1. Petri cap. 1. v. 4. *Quantumcumque homo ſit feſſus, tandiu poſſet in pulchro lecto iacere, quòd faſtidiret.* Hinc etiam illud S. Cypriani in carmine ad Apoſtatam Senatorem,

Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris,
Si multum ſedeas, labor eſt; Maro namque Poëta
Propœna poſuit, Sedet, æternùmque ſedebit
Infelix Theſeus ——

Et vt diſſimulem alia ex l. 2. Machabæorum cap. 15. v. 40. Ariſtotele lib. 7. Ethicorum c. 14. Maximo Tyrio diſſert. 35. n. 199. diſſert. 35. n. 204. Caſſiodoro lib. 7. variar. epiſt. 36. Sancto Nyſſeno oratione 4. de beatitudinibus. Hinc tandem illud Sancti Bernardi in ſerm. de primordiis, mediis, & nouiſſimis noſtris, *Sic ſe habent vniuerſa ſub Sole,* vt

Digitized by Google

vt nihil ſit in eis verè iucundum , ſed ab vno ſemper tranſire velit homo ad aliud, ſolaque viciſſitudine releuetur vtcumque,ac ſi proſiliat ab aqua in ignem, & inde rurſus in aquam reſiliat , vt pote qui neutrum ferre poſſit.Omnis ſiquidem laboris remedium alterius laboris initium eſt. In altera autem vita ceſſant hæc omnia , alioqui in ipſa viſione , qua Deus in ſe conſpicitur, admittenda eſſet interruptio , vt vel vitaretur faſtidium, vel augeretur voluptas. *Certè cum vicinum habeant permiſſa faſtidium , nunquam* Deus *videntis explet oculos:magis , magiſque viſus expetitur,& nouum dictu, præſens deſideratur.* Quæ verba dedit nobis Encomiaſtes Imperatoriæ Maieſtatis humanæ ſed cum fænore; eiſque illuſtratur locus ille Petri priori epiſt.cap.1.v.12. *Inquem deſiderant Angeli proſpicere;Deum* quippe *Angeli* , Sic S.Gregorius lib.18. Moralium cap. 39. *Et vident, & videre deſiderant,& ſitiunt intueri, & intuentur, Si enim ſic videre deſiderant , vt effectu ſui deſiderij minimè perfruantur , deſiderium ſine fructu anxietatem habet , & anxietas pœnam. Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè ſunt,quia nunquam ſimul pœna,& beatitudo conueniunt. Rurſum cùm eos dicimus Dei viſione ſatiari , quia & Pſalmiſta ait, Satiabor, dum manifeſtabitur gloria tua. Conſiderandum nobis eſt , quoniam ſatietatem ſolet faſtidium ſubſequi,vt ergo rectè ſibi vtraque conueniant , dicat Veritas,quia ſemper vident ; dicat Prædicator egregius , quia ſemper videre deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas , deſiderantes ſatiantur ; ne autem ſit in ſatietate faſtidium , ſatiati deſiderant. Et deſiderant igitur ſine labore , quia deſiderium ſatietas comitatur,& ſatiantur ſine faſtidio,quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. Sic quoque & nos erimus quando ad ipſum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impreſſa ſitis ſimul,atque ſatietas. Sed longè abeſt ab iſta ſiti neceſſitas , longè à ſatietate faſtidium , quia & ſitientes ſatiabimur, & ſatiati ſitiemus.*

136 Tertiò; Beatus non poterit ſe præſentem occultare,ne ſui glorioſa claritas, ſeu lux videatur ab alio Beato,quia talis occultationis nulla vtilitas, nullus decens finis apparet ,vt ponderant Toſtatus ad cap. 17. Mathæi quæſt. 129. Sotus in 4. diſt. 49.quæſt. 4. art. 8. concluſione 2. Salmeton tomo 11. in Euangelia tract. 6. pag. 50. & Arriaga diſp. 56. n. 42. Ergo neque pro ſuo libito valebit deſiſtere à viſione alterius Beati , & maximè Chriſti Domini , cuius vt obiecti ſpeciebus inſtructa ſit facultas viſiua, ita clauſis , ſicut apertis oculis expedita, quemadmodum docet S. Anſelmus allatus in numer. 37. Hugoque Victorinus apud Salam tomo 1.in 1.2.tract.2.diſp. 14. ſect. 16.num. 130. Et licèt clauſis oculis non eſſet expedita ad recipiendas ſpecies , his tamen ſemel acceptis, & conſeruatis, nihil impedimenti eſſet , niſi ſola Beati voluntas ; vt iſta verò impediat viſionem, ægrè aſſignabitur honeſtus aliquis finis,ex quo moueri poſſit.

137 Quarta;Species impreſſæ externis ſenſibus determinant ipſos naturaliter quoad exercitium percipiendi obiecta,quorum ſunt ſpecies , vt experimur in vita mortali ; neque eſt cur aliud opinemur de eiſdem ſenſibus in vita immortali. Ergo ſi Beatus habeat in viſu ſpeciem humanitatis Dominicæ,determinabitur naturaliter ad huius intuitionem. Quinta ; Si Beatus intermittat viſionem humanitatis Chriſtianæ , non poterit poſtea redire ad eam viſionem ; nam cùm poſteà non accipiat de nouo ſpeciem,deerit excitatiuum , ex vi cuius reuocetur ad viſionem interruptam.

138 Pro libertate non continuandi viſionem, faciunt ſequentes rationes : Prima;quia in tali libertate maior perfectio eluceſcit ; dominium enim erga aliquam operationem arguit maiorem perfectionem ex ſe , quàm neceſſitas erga illam, niſi neceſſitas compenſationem accipiat ex aliis capitibus , quæ hic non ſe oſtendunt. Vnde cauſæ primæ tribuitur modus operandi ad extra cum dominio immediato in entitates creatas , quas ſe ſola,aut ſimul cum cauſis ſecundis producit. Tribuitur prætereà per me Angelo vt obiecto in cognitionem , qua ab alio Angelo intimè præſente cognoſci poteſt; Angelus quippe Gabriel v. g. habet in ſua poteſtate libera concurrere obiectiuè cum Raphaele intimè præſente ad cognitionem ſui: Et ſaltem perfectior apprehenderetur Angelus ille, qui præfatam poteſtatem haberet. Certè de facto quilibet Angelus gaudet dominio concurrendi obiectiuè cum alio intimè præſente ad cognitionem ſuorum actuum liberorum , etiamſi horum ſpeciebus ornatus ſit alius Angelus. Hominibus etiam glorificatis conceditur in communi ſententia apud Ægidium Luſitanum tomo 3. lib. 5 quæſt. 4. art. 7. §. 5. numer. 27. vt, dum ſunt præſentes aliis non glorificatis , queant ſe pro ſuo placito occultare , quam facultatem reſpectu aliorum etiam glorificatorum meditatur ſpecialiter in Chriſto Toſtatus quæſt. 328. ad cap. 25. Mathæi , imò Ægidius ſuprà n. 26. generatim in quolibet Beato. Et ea occultatio prouenieт exinde,quòd Deus ad arbitrium Beati deneget concurſum luci ad emiſſionem ſpecierum ; vel quòd ad idem arbitrium impediat Deus in ipſo Beato redundantiam lucis ex animæ gloria , cui aliàs connaturaliter debetur , & tribuitur moraliter tanquam cauſæ , cùm tamen à ſolo Deo vt cauſa phyſica producatur, & prior occultationis modus conformior eſt S.Auguſtino dicenti l. 22. de Ciuitate Dei c.19. *Claritas in Chriſti corpore, cùm reſurrexit, abſcondita fuiſſe potiùs , quàm defuiſſe credenda eſt. Non enim eam ferret humanus , atque infirmus aſpectus , quando ille à ſuis ita deberet attendi vt poſſet agnoſci.* Multorum tandem opinio eſt , Deum concurrere in viſionem beatam liberè , non ſolùm per modum cauſæ primæ,& vniuerſalis, ſed etiam per modum obiecti , & cauſæ particularis motiuæ. Imò ſunt , qui velint , admiſſa adhuc in intellectu Beati ſpecie impreſſa immediatè repræſentatiua virtualiter diuinæ eſſentiæ , pertinere ad huius perfectionem , vt nequeat illi præſtari concurſus Dei vt cauſæ primæ in viſionem, niſi volente Deo liberè tam vt cauſa prima , quàm vt obiecto terminatiuo ; ſicuti ſpecies impreſſæ Angelis ab initio creationis non vendicant ex natura rei concurſum Dei vt cauſæ primæ in cognitionem actuum liberorum , niſi volente Domino actuum.

139 Secunda; quia ſi Beatus habeat permanenter in viſu ſpecies humanitatis Chriſtianæ , habebit etiam & reliquorum hominum glorificatorum,vel ſaltem ſupponitur habiturus. Aſt viſus non poteſt ſine nouo,& ingenti miraculo prodire ſimul, & ſemel in viſiones tot obiectorum:Ergo cùm pro eius miraculi perſuaſione deſit vrgens fundamentũ , dicendũ eſt,viſum Beati non effecturũ ſemper, & neceſſariò illas omnes viſiones. Tertia, quia in aliis Beatorũ ſenſibus erit viciſſitudo actuum, vt tradam in ſect. 2. Exercit. 32. Cur ergo negabitur in viſu? Propendet Arriag. ſup.n.5.in poſteriorẽ hanc partẽ.

140 Sed adductæ pro ea rationes non ſunt magni momenti.

momenti. Ad primam reſponderi poteſt, fore quidem maiorem perfectionem in Beato, ſi ſpecies impreſſæ oculis dependerent in operando ab ipſius libito, & dominio; tamen non dari fundamentum ad maiorem illam perfectionem. Nam ſi ſpecies ſint ſimiles iis, quas noſtri oculi mortales mutuantur ab obiectis, non dependebunt naturaliter in operando ab arbitrio Beati; quare non niſi miraculosè impedientur, ne determinent quoad exercitium, eo quòd Deus velit pro voluntate Beati conferre, vel negare ſuum concurſum. Caremus autem fundamento ſolido, vt perſuadeamus nobis hoc miraculum: & non minus vt putemus fore diſſimiles, & ex ſe non determinantes quoad exercitium.

141 Ad ſecundam reſponderi poteſt, ſi Beatus habeat permanentes ſpecies humanitatis Chriſtianæ, vt quandocumque velit, & in quacumque diſtantia ipſam intueatur, non ſequi habiturum etiam ſpecies reliquorum hominum glorificatorum; ſiquidem maior delectabilitas in viſione humanitatis ſatis eſt pro diſcrimine; & ſatis etiam eſt, vt etſi Beatus ſupponatur habere ſpecies reliquorum hominum glorificatorum, & Deus paratus negare concurſum ad illorum viſiones iuxta placitum Beati, ſic tamen non ſit paratus negare concurſum ad viſionem humanitatis. Præterea nobis conſtare nequit, an actiuitas viſus glorificati non ſit tanta futura, vt non valeat abſque nouo miraculo intueri ſimul, & ſemel ciues omnes cæleſtes. Et priori miraculo de permanentibus omnium ſpeciebus conceſſo, admittetur non ineptè poſterius de eleuatione ſupernaturali ad viſiones ſimultaneas omnium; etiamſi ad eas non valeret actiuitas connaturalis, qua gaudeat viſus glorificatus: aliter enim ſatius eſſet non concedere ſpecies omnium permanentes ſed dicere accipi à Beato, prout ſe obtulerit occaſio volendi videre alium Beatum. Ad tertiam reſponderi poteſt, eandem eſſe difficultatem in cæteris ſenſibus externis, ſi ſuorum omnium obiectorum ſpeciebus permanenter afficiantur: quod quia ſecùs eſt, ideò in cæteris ſenſibus reperitur viciſſitudo, & interruptio actuum.

142 Verùm, neque rationes pro priori parte propoſitæ conuincunt omninò intentum. Non prima, quia etſi humanitatis Dominicæ viſio ſit magna perfectio, & inſigniter conducens ad beatitudinem accidentalem, ceſſatio tamen ab ea viſione cum poteſtate continuationis, nihil ferè voluptatis diminuet. Sic etſi poſſeſſio loci debiti cuiuis Beato in Empyreo iuxta qualitatem meritorum pertineat ad beatitudinem accidentalem, nihilominus abſque huius conſiderabili detrimento poterit Beatus diſcedere à ſuo loco, quia adhuc tunc retinet ius, & poteſtatem redeundi ad illum, quando voluerit. Simili modo explicat Arriaga diſp. 21. num. 18. Cur Beati non decreſcant, neque creſcant in beatitudine accidentali, quoties intermittunt cognitionem obiecti creati magis delectabilis, vt ſe impendant cognitioni obiecti minus delectabilis, & è conuerſo. Confirmatio facilè eleuatur, ſi intellectualis viſio humanitatis habeatur in Verbo, cùm enim indiſtincta ſit à viſione, qua Deus videtur, & hæc ſit neceſſaria, ac inuariabilis, erit & illa. Si verò habeatur extra Verbum per ſpecialem reuelationem, & illuminationem, imitabitur neceſſitatem viſionis ad Deum terminatæ, ratione cuius confertur à Deo.

143 Non ſecunda, quia pro intermittenda viſione humanitatis, honeſtus aliquis finis aſſignari poteſt, ſcilicet maior conatus adhibendus in viſiones aliorum Beatorum, & ſufficeret exercitium libertatis ex intentione gloriæ diuinæ, aut alterius ſimilis boni honeſti. Non tertia, quia neque Antecedens eſt certum, neque eo conceſſo adigimur dare manus conſequentiæ, cuius vis eneruata iam eſt aſſignando vtilitatem, & honeſtum finem in impeditione viſionis attingentis humanitatem. Quòd ſi ab authoritate extet fundamentum, vt dicatur, vnum Beatum non poſſe alteri Beato præſenti ſui aſpectum denegare; nullum ab ea extat, vt nos fateamur, non poſſe ſuſpendere intuitionem humanitatis, ſi eius ſpecie ornetur. Non quarta, quia eleuatio ſenſuum externorum ad ſubli-miorem perfectionem in vita immortali, præbet occaſionem cogitandi ſpecies ipſis impreſſas dependentes fore in operando ab arbitrio Beati. Non quinta, quia excitatiuum ad viſionem interruptam erit ſpiritualis cognitio, vel ipſius obiecti, vel ſpeciei repræſentantis virtualiter illud.

144 Vellem de ancipiti hac quæſtione nihil ſtatuere. *Nec ideo tibi* (optime lector) *nihil collatum putarem. Nonnulla enim pars inuentionis eſt noſſe, quod quæramus,* vt inquit S. Auguſtinus lib. 1. quæſtionum ſuper Geneſim in proœmio. Sed quia vereor, ne ſi ſæpe hunc modum ſcribendi ſeruem, vſurpet contra me aliquis illud Richardi Victorini lib. 1. de Emmanuele cap. 7. *Quid prodeſt quæſtiones mouere, quas nolis, aut non poſſis ſoluere. Nonne hoc eſt ciſternam aperire, & ſine operculo relinquere? Quid eſt ambiguitatis opacum, perplexioniſque profundum argumentando oſtendere, quàm puteum effodere, vel ciſternam aperire? Ad quæſtiones ante propoſitas nullam ſolutionem reddere, ſed quaſi inſolubiles relinquere, quid aliud eſt, quàm ciſternam aperire, & ſine operculo relinquere? ſed ſi ceciderit bos, aut aſinus in eam, ſecundùm legis præceptum dominus ciſternæ reddet pretium iumentorum. Sed quid eſt bouem, aut aſinum in eiuſmodi ciſternam cadere? niſi ſimplices quoſque dubitationis laqueos incidere.* Ideo meum apponam iudicium in ſuſcepta diſquiſitione.

145 Dico itaque, Si Beatus præditus ſit permanenter ſpecie humanitatis Dominicæ, fore, vt ſaltem moraliter nequeat ceſſare ab illius viſione, quæ, vt inquit Gilbertus Abbas ſermon. 20. in Cantica, *verè efficax eſt, ac violenta, & intuentium in ſe rapit affectus.* Sumo aliquale indicium ex duplici exemplo. Et primum ſit Angeli, qui in multorum Doctorum ſententia, non poteſt phyſicè ceſſare à cognitione ſui, eo quòd ſit obiectum maximè coniunctum, & proportionatam proprio intellectui: Et licèt ſecundùm alios poſſit ceſſare, tamen aiunt, Angelum reuocari neceſſariò ad cogitandum de ſe, eo ipſo quòd deponat expreſſum, & formale propoſitum auertendi cogitationem ſuam à ſe, & transferendi totam ad res alias; quo propoſito depoſito deſinet, aut remittetur cogitatio de alijs; deſinente autem, aut remiſſa iſta cogitatione, redit neceſſariò cogitatio de ſe ob rationem indicatam.

146 Secundum exemplum ſit, Viſionis, & amoris beatifici, ad quæ phyſicè neceſſitatus eſt Beatus, quin valeat phyſicè ab eis ceſſare, vel ob eam ſolam rationem, quod infinita Dei pulchritudo viſa non tantùm allicit, ſed etiam rapit neceſſariò ad continuandam viſionem, & amorem. Si ergo hæc ita ſunt, procul à vero non erit dicere, Beatum, ſi inſtructus ſit ſpecie, qua ſemper prodire queat

Digitized by Google

queat in viſionem humanitatis, fore moraliter neceſſitatum, vt in eam prodeat, & nunquam intermittat, cùm nullum obiectum magis proportionatum, nulla maior pulchritudo occupare poſſit facultatem viſiuam, & accidentali beatitudini deſeruire. Quo ad hanc ſaltem neceſſitatem moralem inueſtigandam conducunt aliquantulùm allata exempla. Quoad neceſſitatem verò phyſicam, vel oppoſitam libertatem, diſcutiat quiſque, vt placuerit, dummodo cum S. Anſelmo enarratione ad c. 17. Matth. dicat, *In illo ſuperne beatitudinis regno ſanctis omnibus ita reſplendebit vnico, ac ſingulari ſplendore clariſſima etiam humanitatis contemplatio, ſicut Sol vnica, ac ſingulari claritate ſuperat omnia, quæ corporeis oculis lucida videntur.*

SECTIO XII.

Nobilius obiectum viſionis corporeæ erit poſt Chriſtum Deipara Virgo. Vbi de pulchritudine Virginis.

147 ITa Petrus Damiani ſerm. 1. de Natiuitate Mariana, inquiens, *Summa gloria eſt, poſt Deum, te videre, tibi adhærere.* S. Anſelmus in lib. de Excellentia B.V. MARIÆ cap. 9. *cùm ipſam Dominam, per quam tanta bona eis* (nempe beatis hominibus) *prouenêre, præ oculis habuerint iuxta Deum, quæ de ſuo vtero Virgo filium peperit, reſidentem, & iure materno cœlo, terraque cum eodem ſuo filio præſidentem, conſideremus, qua exultatione exultabunt pro tanta gloria eius, quo honore ſubleuabuntur in tanta potentia eius. Omnis itaque creatura defert eis honorem, non ſolùm quia videbunt naturæ ipſorum conſortem eſſe ſuum Creatorem; ſed etiam quia Dominam ſummam, & vnicam dominatricem cœli, & terræ MARIAM ex his conſpicient eſſe factam Reginam Angelorum.* S. Bonauentura in ſpeculo Virginis lectione 6. *Glorioſum gloriæ MARIÆ priuilegium eſt, quòd poſt Deum maior noſtra gloria, & maius noſtrum gaudiũ ex MARIA eſt.* Rurſus in ſoliloquio c. 4. *Quis cogitare ſufficiat, quantum gaudium generat, MARIAM illam, inquam, matrem miſericordiæ, & pietatis videre :::: ſuper omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Chriſto in Trinitatis Palatio.* S. Brigitta lib. 1. Reuelationum c. 31. *Non eſt aliquod gaudium; quod non augeatur ex Virgine, nulla delectatio, quæ non plenior ſit, & perficiatur ex ea, & ex eius viſione beata, quia ipſa impleta, & repleta eſt gratia, & vltrà omnes ſanctos.*

148 Dionyſius Carthuſianus de laude vitæ ſolitariæ art. 29. *In regno cœlorum MARIÆ præſentia, & aſpectus ineffabiliter auget accidentale præmium Beatorum.* Idem in lib. de mutua cognitione Sanctorum in Patria art. 15. *Potiſſimè felicitas iſta, quæ eſt accidentalis, & ſecundaria merces, conſiſtit in aſpectu humanitatis Chriſti, & omni pulchritudini eius interiori, & exteriori accidentali, quæ ſola omnium Beatorum pulchritudinem vincit; neque cogitare, aut concipere poſſumus, quàm delitioſiſſimus erit iſte aſpectus ::: Deinde beatitudo iſta, & gloria in viſione B. Virginis MARIÆ conſiſtit; quæ Beatiſſima Virgo indicibili ſpecioſitate poſt Chriſtum reſplendet, omniúmque Beatorum oculis gratiſſima, amabiliſſimáque monſtratur ineffabiliterque delectabile erit videre mutuam dilectionem, delectationem, complacentiam, vnionémque IESV Chriſti, ac Matris eius Virgineæ.* S. Bernard. Senenſis tom. 4. ſerm. de exaltatione B. Virginis in gloria, art. & cap. 2. deuotè, & copioſè explicat quàm ingentem accidentalem gloriam recipiant Beati ex contemplatione ac viſione Deiparæ. P. Salazar tomo poſteriori in Canticum Canticorum pag. 112. fultus S. Bernardini authoritate pronuntiat, *Quòd ſi data hypotheſi, viſio clara Dei eſſet impoſſibilis, Beati omnes propter obitos labores, & tormenta, & propter alia honeſtatis opera rectè geſta, benè ſecum actum, ac ſatis præmij collatum putarent, ſi ad ſolam B. Virginis contemplationem, ac viſionem in cœlo admitterentur.* Sic Illuſtriſſimus Salazar, qui pronuntiatum iſtud ſapienter accurat.

149 S. Dionyſius Areopagita ſcribens ad S. Paulum, *Fateor* (ait) *coram omnipotentia Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maieſtatis Deiformis Virginis Matris eius, quoniam cum à Ioanne vertice & Euangelij, & Prophetarum, qui in corpore habitans quaſi Sol fulget in cœlo, ductus fui ad Deiformem præſentiam Altiſſimæ Virginis, tantus me immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet tantæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & ſpiritus, tantæ gloriæ maieſtatis oppreſſus. Teſtor, qui aderat in Virgine, Deum, ſi tua diuina concepta mente non me docuiſſent, hanc ego Deum verum eſſe credidiſſem. Quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus deguſtaui.* Hucvſque S. Dionyſius, qui vt refert Ioannes Iuſtus Lanſpergius ſerm. 2. de Natiuitate Virginis; *dum per quandam feneſtellam quaſi occultè vidiſſet B. MARIAM in oratione poſitam, & ſplendoribus diuinis rutilantem, obſtupeſcens dixit ad Ioannem; O quàm felix es tu qui paradiſum habes in terris.* Legatur Amadeus Franciſcanus raptu 8. ſuæ Apocalypſis. Fortè cùm Areopagita vidit Deiparam, reſtagnauit in huius pulcherrima facie ſplendor eximius, non quidem continuus, ſed temporarius, vt poſſet cum hominibus conuerſari: vti ſibi perſuadent Dionyſius Carthuſianus lib. 1. de laudibus Virginis art. 36. Viegas in cap. 12. Apocalypſ. Comment. 2. ſect. 3. Granadus tom. 4. controuerſ. 2. de geſtis vitæ Chriſti tract. 1. diſp. 3. ſect. & §. 2. à num. 34. Oliuerius Bonartius in cap. 39. Eccleſiaſtici v. 19. in cap. etiam 43. verſ. 5. Daniel Malonius elucidatione in c. 11. Alfonſi Paleoti de IESV Chriſti crucifixi ſtigmatibus.

150 Ob illum fulgorem radiantem in vultu indicat S. Hilarius, MARIAM prægnantem fixo oculorum obtutu videri aliquando non potuiſſe à S. Ioſepho. Etenim explicans in alio ſenſu, quàm litterali, locum Matth. 1. v. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum,* ſic fatur: *Dominum gloriæ habens in vtero quomodò cognoſceretur? Si Moyſis cum Deo colloquentis glorificata eſt facies, vt non poſſent intendere in eum filij Iſrael, quantò magis MARIA cognoſci, vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in vtero habebat?* Id ipſum legi in Euangelio Nazaræorum tradit ex S. Chryſoſtomo Hugo de S. Charo, extenſéque expenditur à Richardo de S. Laurentio lib. 5. de laudibus B. MARIÆ, tit. de corporali pulchritudine MARIÆ, nec non lib. 12. ſerm. 1. de Aſſumptione, S. Vincentio Ferrerio ſerm. in Virginis Natiuitate, Ludolfo de Saxonia 1. part. vitæ Chriſti cap. 8. Ambroſio Spiera in Quadrageſimali de floribus ſapientiæ ſerm. 32. conſideratione 2. concluſ. 3. Martino Garcia in ſerm. 114. nec improbatur à Strabo in Gloſſa, Paſchaſio, Richelio ad cap. 1. Matth. v. 25.

S. Thoma

Digitized by Google

S.Thoma 3. p. q. 28. art.3.ad 3. Alenſi 3. p. q.21. membro 6. Melchiore Inchofer in coniectatione pro epiſtola B.Mariæ,ad Meſſanenſes cap.4.pag.29. S.Bernardino Senenſi tom.4. ſerm. de Conceptione V.Mariæ art.2. c.1. pag.109. Vincentio Regio lib.1. Elucidationum Euangelicarum cap.8. n.24. in ſcholiis. Quod minus mirum apparebit conſideranti dictum illud S. Ioannis Euangeliſtæ ad S.Mechthildem lib.1. ſpiritualis gratiæ cap.15. *Dum eſſem in terris,Genitricem Domini mei in tanta reuerentia, & honore habui, quòd faciem eius nunquam perſpicere auſus fui.*

151 Ex his infertur, quàm ſublimiter exiſtimare debeamus de facie Deiparæ iam immortalis; *quæ,* docente ſapientiſſimo Idiota in libr. de laudibus Virginis, *ſua pulchritudine, & dignitate omnem mundi pulchritudinem vincit, Solem, Lunam, & Stellas ſtore lucis excedit. Neque enim Sol perpetuò nobis ſplendet, cùm contraria viciſſitudine nox diei ſuccedat: nec ſemper Luna orbem illuſtrat, cùm cœlorum conuerſione noſter hic mundus certo temporis ſpatio tenebris obuoluatur. MARIA verò & Sole,& Luna, & aſtris illuſtrior ſuo lumine nulla ſui commutatione, ac viciſſitudine, complet,ac ambit omnia, flammis luſtrat, luce veſtit; nec enim illi ſuccedit nox.* O quantum erit gaudium cœlitibus, Marianam venuſtatem, & radios ex Virgineo eiaculatos ore aquilinis oculis haurire! *Implebitur proculdubio gaudium ſanctorum Angelorum, & omnium ſanctarum animarum ex pulchritudine eius,* vt ad S.Brigittam lib.1. Reuelationum cap.31. dixit S.Ioannes Baptiſta. *Nulla enim ſic in terris gratia eius* (nempe Solis Iuſtitiæ) *nulla ſic in cœlis eius gloria eſt amicta,* vt ponderat Richardus de S.Laurentio libr. 12. de laudibus B.Mariæ, & vt S.Ildefonſus ſerm.3. de Aſſumptione, *Nulla nobilior Dei Matre refulſit, nulla ſplendidior eâ proceſſit, quam ſplendor paternæ gloriæ ineffabiliter diuinitus illuſtrauit,quam virtus Altiſſimi obumbrauit, vt Virgo pareret, quam diuina gratia repleuit, vt Virgo conciperet, quam ſapientia Dei Patris præ omnibus elegit, vt placeret:*& vt S. Epiphanius ſerm. de laudibus Mariæ, *Solo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit, natura formoſior eſt ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico.*

152 Deipara, cùm in terra degeret, maximè poſt aſcenſum filij in cœlum, trahebat ſui vultus maieſtate, & decore ab extremis orbis homines ad ſe inuiſendam. Ita Amedeus Epiſcopus Lauſannæ homil.7. de laudibus B.Virginis hiſce verbis *Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reuerendæ Maieſtatis decus aſpicere, & vultum omnimoda ſuauitate Imperiali etiam dignitate, & ſingulari præditum poteſtate videre? Quippe nihil inueniebatur illi ſimile in filiis, & filiabus Adæ;nihil tale in Prophetis, in Apoſtolis,aut Euangeliſtis, nihil illi ſimile cœlum,vel terra dedere. Quis enim in nubibus æquabitur ei, aut ſimile foret Matri Domini inter filios Dei? Et vide, quàm recto ordine citra Aſſumptionem effulſit admirabile Nomen eius in vniuerſa terra, & fama eius celeberrima vbique diffuſa eſt, prius quàm eleuaretur magnificentia eius ſuper cœlos. Decebat enim Matrem Domini Virginem, & ob nati ſui honorem primò terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria ſuſcipere; dilatari in infinis, vt & ſuperna in plenitudine ſancta penetraret; tranſlata ſicut de virtute in virtutem,ſic à claritate in claritatem à Domini Spiritu. Igitur in carne præſens futuri regni primitias prælibabat.* Hactenus Amedeus, cuius authoritate ſatis apparent veriſimiles ex noſtra Hiſpania ad Virginem peregrinationes narratæ à Flauio Lucio Dextro in fragmento Chronici, ſeu omnimodæ hiſtoriæ, anno Chriſti 35. & à Iuliano Perez in Aduerſariis ad ſuum Chronicon num.33. quæ licet fidei ſuſpectæ habeantur à Roderico Caro, approbantur tamen à Franciſco Biuario noſtróque Paulo Sherlogo in Canticum Canticorum volumine,ac veſtigatione 2. num.55. rurſus volumine 3. veſtigat. 37. numer. 21. Euſebio Nierembergio in lib. de affectu erga Deiparam cap. 9.

153 Si itaque cùm futuri regni primitias prælibabat MARIA in corpore mortali, rapiebat ad ſui aſpectum longè diſſitas, & toto diuiſas orbe gentes; quî rapiet cælicolas exaltata in immortali corpore ſuper choros Angelorum ad Empyream Regiam? Vnde non immeritò dixerit S.Ignatius Martyr in epiſt.1. ad S.Ioannem Euangeliſtam, *Et hæc talia excitauerunt viſcera noſtra,& cogunt valde deſiderare aſpectum huius (ſi fas ſit fari) cæleſtis prodigij, & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Ruſus in epiſtol.2. *Quem enim non delectet, videre eam, & alloqui, quæ verum Deum de ſe peperit,ſi noſtræ ſit fidei,& religionis amicus?* Iuxta Amedeum ſuprà, *Mira pietate primitiuæ Eccleſiæ prouiſum eſt, vt quæ Deum in carne hac præſentem minimè cerneret, Matrem eius viſu iucundiſſimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quàm Matrem Plaſmatoris, ac Redemptoris omnium videre?*

154 Tanta fuit pulchritudo MARIÆ adhuc in terris, vt Authore Beda apud Catenam S.Thomæ ad cap.1. Lucæ, verſ.38. Gabriel Angelus *Stupuerit in Virginea forma.* Nec ſolùm ſpiritus Angelicos, ſed etiam diuinum prouocaſſe ad ſe intuendam, diſces ex S.Bernardo homilia 2. ſuper *Miſſus eſt,* ſic loquente, *His Virgo Regia gemmis ornata virtutum,geminóque mentis pariter, & corporis decore præfulgida, ſpecie ſua, & pulchritudine ſua in cæleſtibus cognita cæli ciuium in ſe prouocauit aſpectum, itavt & Regis animum in ſui concupiſcentiam inclinaret, & cæleſtem nuntium ad ſe de ſupernis educeret.* Diſces etiam ex Richardo de S.Laurentio lib.5. de laudibus Mariæ,ſic circa principium ſcribente, *Incredibilis dicitur MARIÆ pulchritudo, ideſt,in ſuperlatiuo gradu virtutum omnium plenitudo. Vnde Iſaiæ 66. Quis audiuit vnquam tale? Omniúmque oculis gratioſa, & amabilis videbatur per humilitatem ſuam,quam reſpexit Deus, Lucæ 1.quia vbi amor, ibi oculus. Et nota quòd dicit, Oculis omnium.Primò oculis ipſius Dei Trinitatis, qui eius humilitatem reſpexit, & ſpeciem eius deſiderat intueri. Vnde dicunt ei Pater, & Filius,& Spiritus Sanctus Cantic.6. Reuertere, reuertere Sunamitis, vt intueamur te. Sunamitis interpretatur Mortificans, vel Mortificata. Hæc eſt MARIA:.. In hoc etiam, quòd dicitur, Et intueamur te,& ponitur verbum plurale, notatur Trinitas perſonarum. Ideo dicit etiam ei ſponſus,Cant.2. vox tua dulcis ad audiendum, & facies tua decora ad intuendum. Secundò oculis Angelorum, & omnium ſanctorum, qui in eam, ſicut in Filium deſiderant intueri. 1.Petri.1. Non dico ſicutiſſimè. Tertiò oculis hominum. Creditur enim,quòd ferè nullus potuit eam intueri quandiu fuit in mundo, qui eam ſtatim non amaret, nunquam tamen fuit malè adamata.* Hæc Richardus, quæ applicatione ad præſens inſtitutum non indigent, cùm exprimant apertè, quàm ſit in pretio apud beatos homines MARIÆ viſio. Colludit Alanus de Inſulis, tranſcriptus à Delrio in c.6. Cant. ſect.6. §.4. Nam tribuens Beatis illa verba,

Reuerte

Digitized by Google

Reuertere, Reuertere, profert iſthac ipſorum nomine, Reuertere, vt intueamur te; à dignitate Angelorum ad ſuperexcellentiam iam beatificorum ſpirituum, quia ſicut in faciem filij tui deſideramus proſpicere, ſic in ſpecie, & pulchritudine tua vultus defigere volumus, & luce vultus tui illuſtrari. Inuenies alia ſimilia in Ruperto lib.6.ſuper Cant.ad c.6.v.8. in Guiliel.Peryte apud citatum Delr.in c.4.ſect.1.§.4.circa v.10.in Alb. Mag.Bibliis de B.Virgine Maria,ad eundẽ locũ Cant.

155 Nec ſine cauſa id volunt ardẽtiſſimè Beati.Ecquis nãque *poterit enumerare,cõcipere,aut effari,quàm incõparabiliter,quàm multipliciter,quã abundantiſſimè corpus Deifera Virginis,caro Principis vitæ,quæ Deũ in ſe ſuſcepit,vitámq; inchoauit,clarior,cãdidior,ſpecioſior erit Sole etiã innouato? Certè tunc Sol,& Luna pulchritudinẽ,& ſplendorẽ Virgineæ carnis Deificatæ* MARIÆ *admirabũtur, & eius cõparatione,nec ſtellæ ſplendebũt. Tunc per omnem amplitudinẽ Cæli Empyrei sereniſſima Virgo* MARIA *ſplendidiſſimos ſuos indeficiẽtiſſimæ claritatis radios effũdet,& ſua fragrãtiã ſuauitatis vndiq; ſparget,totámq; cæleſtẽ patriã venuſtabit,ac delectabit, ac omniũ animas in ſui admirationẽ ſuſpẽdet;& nũc interim agit hæc omnia:::: Quæ facialiter intueri,ſẽſibiliterq; percipere,atque experimẽtaliter deguſtare, iucundiſſimũ prorſus eſt,& omnia gaudia mũdi incõparabiliter vincẽt.* Non mea,ſed Diony.Carthuſiani lib.4. de laudibus Mariæ,art.17.ſũt verba,relictis multis aliis, ad quæ luſtranda oculis inuito lectorẽ. Author vitæ B.Iuettæ apud Bollandum Noſtrũ die 13. Ianuarij in actis Sanctorũ, & apud Mantique in Annalibus Ciſtercienſibus an.1196.c.3.n.2.referens quandam Virginis apparitionem inquit, *Inæſtimabili decoris gratia tranſcendere videbatur omnem mundi pulchritudinẽ,vt meritò nihil aliud poſſit æſtimari,quàm illam eſſe, cuius pulchritudinem Sol,& Luna mirantur, Reginam cælorum, Dominam, Matrem Dei,glorioſam Virginem* MARIAM, *cuius ad imperium,vt quidã ait,cæleſtis Regia pẽdet.* De aliis Deiparæ apparitionibus mira cum pulchritudine,& claritate agit Diſcipulus in Promptuario Miraculorum B.Mariæ, exemplo 77. & duobus ſequentibus, plenæque ſunt Sanctorum hiſtoriæ.

156 Cõmendatũ Deiparæ ſplẽdorem nullatenus in Empyreo obnubilabit, aut glorificatis oculis adimet Sol iuſtitiæ Chriſtus. *B.enim Virgo,* vt perbellè tractat Richard.de S.Laur.l.1.de laudib⁹ Mariæ,c.3. *quæ verũ peperit Solẽ,lucet cũ filio, & quãto maiori dignitate rutilat fili⁹,tãto maiori dignitate ſplẽdet Mater,quæ licet lõgè ſit minor filio,ſicut ſtella minor Sole,hoc tamen gaudet priuilegio,quòd omnis anima Deo comparata ſuã reprimit claritatẽ;ſed quia honor Filij,honor eſt Matris,in excellẽtia Filij lucet excellẽtia Matris,quæ tantũ Filiũ meruit generare. Quod deſignatur in hoc,quòd ſtella illa lucebat de die.* Loquutus fuerat de ſtella,*quæ apparuit Magis,quæq; cũ Sole lucebat cõtra naturã ſtellarũ omniũ. Luna enim,& ſtellæ ſuperueniente Solis lumine non apparent,ſed abſorbẽtur ab ſplẽdore Solis. Hæc autẽ ſtella lucebat cum Sole,nec ad lumen Solis propriã claritatem amittebat,vt illius ſtella,quæ peperit Solẽ,priuilegiũ demõſtraret.* Nec mirũ ſi IESVS,& MARIA ſimul luceãt in Empyreo. *Vna quippe eſt* MARIÆ, *& Chriſti caro, vnus ſpiritus,vna charitas,Vnitas diuiſionẽ non recipit, non ſecatur in partes; Et licet ex duabus factũ ſit vnũ, illud tamen vltra ſcindi non poteſt;atq; adeò filij gloriã cũ matre nõ tã cõmunẽ,quã eandẽ iudicare debemus.* Vt benè Arnold.Carn.in tr.de laudibus Virginis. *Taceat hic ergo,& contremiſcat omnis creatura,& vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem:habitat Deus in Virgine,cũ qua vnius naturæ habet identitatẽ.* Sic Petr. Dam.ſer.2.de Nat. Vt enim addit S.Epiph.ſer.de laudibus Deiparæ, *Stupendũ eſt miraculũ in cælis Mulier geſtãs lucẽ in vlnis::: Virgo habẽs filiũ Deũ.* Et ob id dixerat, S. Virginẽ *adduxiſſe in ſtuporẽ exercit⁹ Angelicos* Similiter Arnold.ſup. *In ſupernis,& infernis admirationi eſt Virgo puerpera,ſtupent Dæmones,gaudẽt homines, in cælo gloriã Deo concinunt Principatus,& Poteſtates.* S.Brig.lib.1.Reuelat.cap.31. *Angeli,qui habent oculos clariores,luce illuminantur ex Virgine,& Dæmones non audent reſpicere in claritatẽ eius.* Quare non immeritò ſcripſerit S.Greg.Thaumaturg.ſer.1.in Annunt.B.M. *Non ſolùm admirationẽ nobis parit ſanctiſſima illius in corpore pulchritudo, ſed & virtutes animæ eius. Omnis enim pulchritudo ad Virginẽ cõparata,* ſi credim⁹ S.Max. de laudib⁹ Virginis, *deformitas eſt,omnis innocẽtia peccatũ.* Et Petr.Dam.in ſer.de Aſ.inquit, *Sol lucid⁹ incãdeſcẽs ita ſibi ſyderũ,& Luna rapit poſitionẽ,vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint. Similiter & Virga Ieſſe veri prænia luminis in illa inacceſſibili luce prælucens, ſic vtrorumque ſpirituũ hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere.*

157 Adnotandũ hic eſt cũ nõnullis apud Piorçũ in Corona Virginis tr.1.c.5.etſi Virgineo corpori in reſurrectione acceſſerit miræ claritatis dos,nihil tamẽ, quo demulceat Beatorũ in Empyreo oculos,additum pulchritudinis cõſiſtentis in integritate,proportione debita membrorũ,& cõuenienti colore natiuo. Nã in ſtatu vitæ mortalis fuiſſe maximè perfectum penes ſuã ſpeciẽ,& ſexũ,negari non poteſt ſine temeritate, vt cenſet Suar.tom.2. in 3.p.diſp.2.ſect.2. fuiſſe etiã prẹditũ honeſtiſſima pulchritudine, adſtruit ibidem; imò *habuiſſe ſummum, & perfectiſſimum in pulchritudine, quod potuit eſſe in mortali corpore fœmineo ſecundùm ſtatũ viæ,operante natura,* tradunt Alb.Mag. in Mariali c.40.S.Ant.4.p.Sũmæ tit.15.c.10.§.2.Philipp.Abb.l.2.in Cãt.c.1.Dion.Carthuſ.l.1.a.3.de laudibus Virgin.qui lib.& art.2.præſẽtat verba Henr.de Haſſia ſatis ſimilia. Concordant Gerſ.in ſer.de Concept.apud Salazariũ in defenſione pro Deiparæ Virgin.Cõcept.ſine labe peccati c.32.n.13.Lãſperg.ſer.1. de Natiu.B.M.Amad.Franc.rapt.8.ſuæ Apocal.Alan. Inſul.in cãt.c.2.v.14.Pelbart.l.5.Pomer.ſer.de B.Virgine p.3.a.2.c.1.& 2.ac 3.Raul.ſer.6.de Concept.B. M.Et inter Modernos Barrad.t.1.in Euãg.l.6.c.9.Viegas,Granad.cit.in n.149.Spinel.de laudibus Deiparæ, c.5.Poza in Elucid.l.3.tr.11.c.2.Bẽzon.in *Magnificat* l.3.c.34.dub.7.Sherlog.in Cantic.Canticorũ vol.2. veſtig.2.n.54.Nicol.Suſius in diſceptat.quodlibetica de pulchritud.B.V.Mariæ.de Ruelas in integro de eadẽ re lib.Aloyſ.Nouarin.in vmbra Virginea à n.240 vſq; ad 263.Ferreol.Locr.in MARIA Auguſta Virgine Deipara l.5. c.6.Iacob.Aluar. de Paz 3.t.de vita ſpiritual.p.2.c.5.medit.6.pu.2.Ioan.Rodolf.à Cordub. tom.2.in lib.Reg.Inſtit.Mor.24.n.29.quod præſtantiſſimũ opus iã prelo maturũ Author ipſe religione,& amicitia cõiunctiſſimus,videndũ mihi permiſit,Vincent.Reg.l.1.elucidat.Euang.c.2.in digreſſ.mor.à n. 15.Lud.Valleſter p.2.Onomatographiæ p.488. Placid.Nigid.in cãt.c.1.v.5.Ant de Eſcob.& Mend.vol.& l.3.in Euang.SS. ſer.9.à p.170.Ant.Balinghen tom. priori locorũ communiũ ſacræ Scripturæ. in MARIA c.2.§.5. Si ergo Deiparæ corpus mortale eximia viguit pulchritudine,quin & ſũma,quæ in fæmina ſit naturaliter poſſibilis,ſit,eandẽ inet ab immortali iã corpore retineri,nec opus eſſe nouã ſuperaddi,vt in naturali hac dote nulli fœminæ rediuiuæ primas cedat Empyrei Regina, *humanæ naturæ venuſtas, primigeniæ Euæ correctio, mulierũ ornamentũ, pulcherrima pulchritudo omniũ pulchritudinũ,& pulchrorũ omniũ ſummũ ornamentũ:* quibus inſignitur titulis à S.Damaſc.& Georg. Nicodemo in orationibus de Natiuit. & Oblatione ipſius Virginis, *decora corpore, & animo fulgida,* vt concelebrat S. Ildefonſus in ſerm. de Aſſumptione.

158 Sed tamen P.Arriaga tomo 2.in 1.p.diſp.34.

ſect.4. cenſet Virginem, etſi valdè pulchram, ſuperatam tamen in ea perfectione ab Eua,& fortaſſe ab aliis fœminis. Quod etiam affimat de Chriſto reſpectu Adami, imo & Abſalonis. Mouetur tum quia ſi in Filio, & Matre, quam corpore filius retulit, vt inquit S. Ambroſius libr. 3. de Virginibus, fuiſſet tam eximia, & præcellens pulchritudo, Scriptores ſacri,&prophani eam magis notaſſent. Tum quia Chriſto fuit ſimillimus vultu,& formâ Iacobus cognomento Iuſtus, vt teſtatur S. Ignatius Martyr in epiſt.2.ad Ioannem, traditque Origenes libr. 1. contra Celſum,& S.Brigitta cap.34.Reuelationum extrauagantium. Vnde Iudas militibus comprehenſuris IESVM dedit ſpeciale oſculi ſignum, ne loco IESV caperent Iacobum, vt ait Salmeron tomo 10.in Euangelia tract.16. pag. 177. Iacobi autem pulchritudo ſingulariter non commendatur ab Authoribus; nec poſſet Chriſtus confundi cum Iacobo, aut non eſſe notiſſimus, ſi tam inſigniter pulcher eſſet. Tum quia conueniens videtur, ne Chriſtus habuerit inſolitum quid, & rarum venuſtatis; alioqui hac magis, quàm vita, & doctrina putaretur homines ad ſe trahere, & allicere, *populus enim ea, quæ ſenſibus pulchra apparent, tantùm ſuſpicit, & admiratur*, ſicut notat Procopius Gazæus in l. 1. Regum cap. 15. & ſicut Curtius l. 6. hiſtoriæ Alexandri Magni c.8. *in corporum maieſtate veneratio eſt, magnorúmque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt*. Sed certè hæc motiua non ſufficiunt, vt Chriſto, & Mariæ primatum pulchritudinis negemus. Non primum, nam etſi Euangeliſtæ nihil de ea ſcripſerint, vt nec de aliis, quæ piè credimus; at Patres, & Eccleſiaſtici Authores, Lentulúſque Gentilis, ſi ipſius Epiſtolæ præbeatur fides, ſilentio non prætericrunt. Non ſecundum, quia ex eo quòd Iacobus Minor fuerit Chriſto ſimilis, infert potiùs Noſter Cornelius in præludiis ad epiſtolas Canonicas, habuiſſe non vulgarem pulchritudinem; quicquid ſit de cauſa ſigni exhibiti à Iuda; aliæ propiores vero proponuntur à Salmerone, & Maldonato. Non tertium, nam ex Patribus relatis n.124. ſect.9. conſtat, quanta vi pulchritudo Chriſti rapuerit hominum corda. Potuit quidem non adeò in admirationem ſemper concitare, vt quæ afflictionibus, ieiuniis, orationibus, peregrinationibus, ac labore docendi, moderata appareret præſertim apud eos, qui non virilem & inaffectatam, ſed fœmineam, & comptam æſtimarent. Hinc Chriſtus grandior ætate, ſcilicet quadragenario maior iudicatus fuit ab iis, qui dicebant, Ioannis 8. v.57. *quinquaginta annos nondum habes*. Ita ſuſpicatur Sandæus in Theologia iuridica, commentatione 48. & innominati quidem apud Maldonatum.

159 Maneat igitur firmum, Deiparam Virginem *vincere cunctas fœminas pulchritudine carnis*, quæ ſunt verba S. Auguſtini, teſte Pioræo in Corona Virginis tract.1. cap.5. Siſtamúſque iam calamum in multa alia, quæ ex Patribus decerpſeramus, excurrentem, conſcij ex S. Damaſceno in oratione 2. de Natiuitate, *Virginem omnium encomiorum legem excedere, nec ſi omnes in toto orbe diſperſa lingua in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſe*. Conſcij etiam ex S. Methodio in hom. de Purificatione, *Cuius opus humanum non eſt, eius nempe laudem quoque hominem excedere*. Siſtamus itaque, mutuantes à S.Anſelmo lib. de excellentia Mariæ c. 8. verba illa, *Quid ampliùs dicere poſſumus, Domina? Immenſitatem quippè gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ conſiderare cupientibus ſenſus deficit, lingua fatiſcit*.

SECTIO XIII.

Viſionis corporeæ obiecta Angeli in aſſumptis corporibus, & conciues Empyrei in propriis.

160 MAgnam capient delectationem beati homines ab intuitu Angelorum in aſſumptis corporibus, pulcherrimè efformatis, ſiue ex materia Empyrea, ſiue ex aërea, de quo in exercitation. 26. Et in hoc ſenſu intelligendus eſt Sanctus Anſelmus memoratus n. 37. Conſpicient etiā ſua corpora glorificati homines non minori voluptate. Si roges, cernéntne ſuas facies, & oculos? Reſpondet Nider cap. 10. ſuper decimum præceptum Decalogi, fore, vt poſſint vbique, & ſemper; tum per ſpecies à Deo inditas, tum vtendo corporibus glorioſis aliorum, vel etiam manibus propriis ſubleuatis ante oculos tanquam ſpeculis mundiſſimis. Cùm enim Beatorum corpora futura ſint tranſparentia, & polita; poſſintque ipſorum animæ vti ad placitum corporibus ſuis, & ſpeciebus ſenſibilibus, fit, vt ſubtrahendo, vel immutando queant facere illa terminata, & per conſequens optima ſpecierum receptacula, & ſic videre eis ſitu oppoſita. Non abſimiliter reſpondet Salas tom.1. in 1.2. tract.2. diſp.& ſect.14. n.114. propter dominium Beatorum in proprias ſpecies; quæ, vt placuerit, reflectentur à quolibet corpore; & plures in quolibet poterunt eſſe reflexiones ſpecierum, quàm ſint in ſpeculis naturalibus. Iuxta hæc accipiendus eſt S. Anſelmus, dum in Elucidario inquit de Beatis, *ſuos oculos, ſuas facies cernent*.

161 Beatos Angelos, & homines mutuò ſe viſuros intellectualiter, indéque ingenti lætitiâ afficiendos, & hanc fore vnam, & præcipuam ex accidentalibus perfectionibus beatitudinis ſuæ, docet elegantiſſimè S. Auguſtinus lib.8. de Geneſi ad litteram cap.23. his verbis, *Creatura ſpiritualis, & intellectualis perfecta, & beata, qualis Angelorum eſt, quantùm attinet ad ſe ipſam, quo ſit, ſapiénſque, ac beata ſit, non niſi intrinſecùs adiuuatur æternitate, veritate, charitate Creatoris. Extrinſecùs verò ſi adiuuari dicenda eſt, eo fortaſsè ſolo adiuuatur, quod ſe inuicem vident, & de ſua ſocietate gaudent*. Hactenus S. Auguſtinus, cuius doctrinæ inſiſtens S. Thomas 1.2. q.4. art.8. tradit, ſocietatem amicorum conducere ad beatitudinem, quæ erit in patria. Et meritò quidem; nam gaudium de felicitate eſt maius ſaltem extenſiuè, quando eandem participant amici. Ipſa etiam Dei dilectio perfecta infert proximorum amorem, gaudiúmque de communi proſperitate.

162 Externis etiam oculis, de quibus nunc à nobis agitur, conſpicient ſe ſe mutuò homines glorificati. Auſculta S. Cyprianum in lib. de Mortalitate, *Patriam noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens, nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & de noſtra ſalute ſolicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia eſt?* Rursùs in epiſtola 56. ad Thibatitanos, *Quæ erit gloria, & quanta lætitia admitti, vt Deum videas, honorari, vt cum Chriſto Domino tuo ſalutis, ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Iſaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apoſtolos, & Martyres ſalutare?*

Clariùs

Digitized by Google

Clariùs de viſione corporea loquitur S. Theodorus Studites ſerm. Catechetico 22. *Verùm nos, fratres, etiam, atque etiam credamus & reſurrecturos, & incorruptos futuros, & agnituros mutuò, non in corruptele, quibus prediti ſumus, idiomatis, ſed pulchritudine affecti incorrupta, ſecundùm arcanam Dei voluntatem, vti & Maiores noſtri in paradiſo, qui & ante transgreſſionem ſe agnoſcebant incorrupti, & poſt transgreſſionem æquè ſub corruptelam ſubiecti. Sed hi aliter, aliter illi. Vnde credendum, fore, vt fratrem agnoſcat frater, liberos pater, vxor maritum, amicus amicum, addo, & Monachus Monachum, Confeſſorem Confeſſor, Commilitonem Martyr, Apoſtolus Coapoſtolum, cuncti cunctos; quo omnium in Deo lætum domicilium ſit; inter cætera beneficia, notitiam quoque inter nos largito.*

163 S. Damaſcenus oratione de iis, qui in fide migrauerunt, *Iuſti quidem cum Deo agent, & inter ſe; peccatores verò in extimis locis, & inter ſe, ipſi quoque, non tamen mutuùm ſe cognoſcentes; nam & hac conſolatione deſtituti ſunt.* Ita ex S. Athanaſio; qui in quæſtionibus ad Antiochum (ſi ſuppoſititiæ non ſint) ait damnatorum animas apud Inferos non ſe agnoſcere. *Nam iuſtorum animabus hoc bonum, ſcilicet agnitionem, Deus dono dedit.* Et ſtatim in q. 23. rogatus, an damnati cognoſcent ſe mutuò poſt reſurrectionem, eo quidem pacto, vt diſcernantur qui eiuſdem patriæ, domus, & familiæ ſunt, & vnâ intra orci carceres continentur? Reſpondet negatiuè, vt & Philippus Solitarius lib. 2. Dioptræ c. 14. lib. 4. cap. 2. & Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q. 91. in Scripturam. Sed de hoc poſteà. Nobis modò ſatis eſt, ſi aliter cenſeatur de Beatis. De quibus S. Macharius ſenior homilia 34. *Quando verò corpora reſurgent, quorum ante reſurrexerint, & illuſtrata gloria fuerint animæ, tunc illorum etiam corpora pari dignabuntur gloria, & illuſtrabuntur cum anima, quæ ex hoc iam tempore lumine ſplenduerit, & gloria::: Non ſe ſe prauo ſpectabunt oculo, quia ſublata eſt nequitia; non eſt illic maſculus, & fœmina, ſeruus, & liber. Nam omnes in naturam diuinam transmutantur, benigni, dij, & filij Dei facti. Ibi frater cum ſorore ſine vllo pudore tunc pacificè loquetur, omnes enim vnum ſunt in Chriſto, & omnes in vno lumine conquieſcunt. Attentus erit alter in alterum, & intereà confeſtim in veritate fulgebunt, in vera contemplatione luminis arcani adeò multiplicibus figuris, multis, & variis ſplendoribus diuinis ornatos ſeſe mutuò intuebuntur. Obſtupeſcet vnuſquiſque animaduerſa alterius gloria, & exultatione indicibili exultabit.* Inuenientur alij Patres apud Philippum Solitarium lib. illo 2. Dioptræ cap. 4.

164 Beatorum reciprocus conſpectus quantæ erit iucunditatis, noſces aliquatenùs ex his verbis Dionyſ. Carthuſiani lib. de mutua cognitione Sanctorum in Patria art. 15. *O quam iucundiſſimum erit videre beatiſſimorum Apoſtolorum venuſtatem, excellentiam, & gloriam, Martyrum innumerabilium victorioſum exercitum, Confeſſorum lucidiſſimam turbam, Virginum puriſſimam collectionem, totiúſque cœleſtis curiæ preclaram militiam, ſapientiſſimam collectionem, pulcherrimam ordinationem! Deinde cùm vnum ciuem cœleſtem in ſuo decore, & gloria cernere omne gaudium præſentis vitæ tranſcendat, quàm iucundum erit tam innumerabilem ſupernorum multitudinem in ſuo decore, & gloria feliciter ſine fine inſpicere? Videre glorificata corpora electorum in tanto ſplendore, ornatu, ac venuſtate? In quibus omnibus erit etiam quædam decentiſſima, ac delectabiliſſima pulchritudo, moralis videlicet ordinatiſſima omnium membrorum habitudo, diſpoſitio, modeſtia, ſine facetia, quæ & in vultibus maximè apparebit. Erunt quippe in illis beatis hominibus venuſtiſſimi mores, nec aliquod membrum ſine prauio infallibilis rationis iudicio vnquam mouebitur. Ibi erit omnium inuiolabilis æterna concordia, mutua complacentia, charitas perfectiſſima.* Hæc Richelius; quibus nihil eſt, quod demere poſſis, atque adeò non longa.

165 Vniformia ſunt, quæ meditatur piiſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 4. de æterna felicitate Sanctorum cap. 5. addens, *Quantùm lætificat Sol vnus ex ortu ſuo vniuerſam terram! Quid igitur erit videre ſimul innumerabiles Soles, non ſola luce illuſtres, ſed membrorum varietate, & venuſtate pulcherrimos? Neque in eo loco claudendi erunt oculi, ne fortè à nimio ſplendore lædantur; nam & ipſi oculi beati erunt, ac per hoc impaſſibiles, & immortales. Qui enim lumine gloriæ confortabit oculos mentis, ne videntes Deum facie ad faciem opprimantur à gloria, idem etiam dote impaſſibilitatis confortabit oculos corporis, vt ſine læſione cernant non Solem vnum, ſed innumerabiles.* Tantùm Bellarminus. Nec grauabor attexere alia ex S. Gregorio Nyſſeno in oratione de mortuis, vbi de beatis hominibus fatur in hunc modum: *Vna in omnibus diuina pulchritudo fulgebit, ad cuius exemplar initio formati ſumus. Hæc autem eſt lux, puritas, immortalitas, vita, & veritas, & alia eiuſdem generis. Neque enim dedecet diei, luciſque filios, & eſſe, & videri. Lucis autem, & puritatis, & immortalitatis nulla mutatio, differentiáve in eodem genere reperietur; ſed vna gratia in omnibus elucebit, cum filij lucis effecti fulgebunt vt Sol, quemadmodùm voce ſua veriſſima Dominus ipſe denuntiat: cúmque ex diuina promiſſione perfecti erunt, idémque ſentient, vna, eadémque gratia in omnibus ſic effulgente, vt proximo quiſque ſuo lætitiam impertiatur. Ex quo fiet, vt aliorum alij pulchritudinem contuentes mutuis inter ſe gaudiis viciſſim afficiantur; nulla mali, aut vitij, aut turpitudinis macula decus illud in deformem ſpeciem commutante.*

166 Putabat Socrates, beatiſſimum fore videre apud Inferos Minoëm, Radamantum, Æacum, Triptolemum, conueniréque eos, qui iuſtè, & cum fide vixerunt, *Sin vera ſunt*, ait ipſe in Cicerone lib. 1. Tuſculanarum quæſtionum, *quæ dicuntur migrationem eſſe mortem in eas oras, quas qui è vita exceſſerunt, incolunt: id multò iam beatius eſt, te, cùm ab iis, qui ſe Iudicum numero haberi volunt, euaſeris, ad eos venire, qui verè Iudices appellentur, Minoëm, Radamantum, Æacum, Triptolemum, conueniréque eos, qui iuſtè, & cum fide vixerunt. Hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? Vt verò colloqui cum Orpheo, Muſæo, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? Equidem ſæpè mori, ſi fieri poſſet, vellem, vt ea, quæ dico, mihi liceret inuenire.* Sic ibi Socrates; ex quo idem Cicero in Catone Maiore geminam ratiocinationem expreſſit. Iam verò quid, par eſt, iudicemus Chriſtiani melioribus inſtructi, de iucunditate prouentura in Empyreo ex viſione, colloquio, & conſortio tot præſtantiſſimorum cœleſtium Conciuium? *Dic obſecro.* Ita S. Chryſoſt. parænesi priori ad Theodorum lapſum, *ſi quis te in Theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum ſederet amicta ſtolis aureis, & in medio omnium oſtenderet quemdam alium adornatum eximiè gemmis, Regio veſtitu inſignem, coronam habentem in capite, deinde polliceretur te aſſumpturum in numerum eorum, num omnia faceres, quæ ipſe iuſſerit? Euola nunc in cœlos animo, in illud intende Theatrum, quod non coit ex huiuſmodi Viris. Conuentus eſt illic eorum, qui exuperant omne pretiũ auri, lapidum pretio-*

Digitized by Google

ſorum, radiorum Solis, & omnis viſibilis forma; non hominum ſolum, ſed eorum, qui hominibus antecellunt ::: De Rege ipſo nihil ſatis idoneum dici poteſt, adeò ſermonem, & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplendor, gloria, maieſtas, magnificentia. Tantúmne bonorum à nobisipſis ſubmouebimus, quo declinemus exigui temporis laborem.

167 Multa ſunt, quæ de pulchritudine glorificatorum corporum digeri poſſent ex Patribus. Penſum hoc accurandum aliis relinquo. Ad pulchritudinem tria requiruntur iuxta S. Thomam 1. part. q.39.art.8. & 2.2.q.145.art.2.q.180. art.2. nempe Integritas, Propoitio debita, Coloris Elegantia. Tria hæc conuenient in corporibus Beatorum *itave pulchritudo minimi Sancti ad minus futura ſit quinquagies, vel ferè tanta, quanta eſt modò pulchritudo naturalis, cuiuſcumque corporis etiam cœleſtis*; quemadmodùm computat Nider cap. 6. ſuper decimum Præceptum Decalogi & B. Maria Magdalena de Pazzis c.18.vitæ editæ à Ioanne Baptiſta de Lezana tantam fore adſeuerat, vt nunquam à ſe poſſet reddi eius ratio, aut comprehendi in hac vita. Ægidius Luſitanus tomo, & lib.3. de Beatitudine copioſus eſt in diſcutienda perfectione naturali quantitatiua, & qualitatiua glorificatorum corporum. Illum adi, ſi cupis imbui pleniori notitia integritatis, & debitæ diſpoſitionis extituræ in ipſis; pauca tamen aliqua, eaque ſelecta mecum obſerua.

168 Coloris ſuauitatem in beatis hominibus denegare videtur Philippus Solitarius lib. 2. Dioptræ cap.10.ac 13.& lib.4.cap.2. qui tamen mitiùs accipi poteſt de colore ex imperfectione aliqua, aut vitio, vel morbo naturæ, vt animaduertit Noſter Cerda in annotatione 653. ad librum Tertulliani de Reſurrectione carnis. Eodem pacto interpretandus venit S. Athanaſius q.24. ad Antiochum, dum reddens rationem, cur damnati non diſcernent in Inferno, quinam eiuſdem patriæ, domus, & familiæ ſint? inquit: *Non eſt in reſurrectione diſcretio neque parui, neque magni, neque albi, neque fuſci, neque rubei, neque varia ſunt formæ, ſeu ſpecies, ſiue perſonæ.* Sic ibi S. Athanaſius, quem transcripſit Anaſtaſius Nicænus, vel Antiochenus q.89. Aliam etiam expoſitionem ſubit, quatenùs, ſcilicèt, in reſurrectione omnibus damnatis communis ſit idem ſpecificè color, eadem figura, & magnitudo. Prior interpretatio, ſi ſermo eſſet de Beatis, non diſplicebit iis, qui cum Soto in 4.diſt.44 quæſt.vnic.art.4.in fine, Henriquez lib.vltimo de fine hominis cap.26. §.3. Barrada tom.3. in Euangelia lib.9. cap.14. Eſcobar volumine 5. in Euangelia temporis pag.159. Sala ſuprà, ſect.13.n.94. tenent, Æthiopes, & Indos iuſtos non reſuſcitandos nigros, neque ſubpallidos, eo quòd color hic, cùm proueniat ex nimia Solis aduſtione, tribuatur vitio naturæ; licèt, vt inquit S. Franciſcus Xauerius lib.1.epiſt.5. *Indi, vtpote qui natura nigri ſunt, cæteris anteponant colorem nigrum, & Deos atros eſſe arbitrentur.* Sed frequens eſt, vt Æthiops album derideat, & loripes rectum. Poſterior expoſitio conformior quidem eſt contextui S. Athanaſij; ſed æqualis omnium reſurgentium magnitudo, & ſtatura neque à S. Auguſtino lib.22. de ciuitate Dei cap.15. neque à Theologis communiter probatur. Similis etiam in omnibus color, & figura, quoad lineamenta præſertim vultus, non admittitur à quinque relatis Theologis, neque ab Scoto, Maiore, Palatio, & Ouando apud Pozam lib.3. Elucidarij Deiparæ tract. 11. cap.7. qui vniuerſim dicunt, colorem in vnoquoque Beatorum corpore futurum eſſe ſecundùm naturam mortalis complexionis, id eſt, ſpeciei, & intenſionis, quæ ei debeatur ex ſe, & quam haberet, quando non degeneraſſet caſu aliquo; vt vt ſit, quis cui color antecellat abſolutè; de quo certamine perbellè Mendoza in Viridario l. 4. problemate 30. Vnde Sotus ſcribit, *Vnuſquiſque recipiet, quam habuit effigiem, ab omni tamen deformitate puram, & colimatam ::: tales erunt, vt poſſint dignoſci, eos eſſe, qui in hoc ſæculo vixerunt. Et ſimiliter dicendum eſt de coloribus, non enim neceſſe eſt, vt omnes rufi, aut albiſſimi reſurgant, ſed ea erit colorum varietas, vt venuſtati, & pulchritudini nihil officiat.*

169 Neque ab antiquis id adnotari prætermiſſum. Nam Prudentius canit in Apotheoſi,

Et totus veniam, nec enim minor, aut alius, quàm
Nunc ſum, reſtituar, vultus, vigor, & color idem,
Qui modò viuit, erit ——————— ———

Et alter Hiſpanus Poëta S. Orientius in commonitorio,

Ora, color, ſanguis, vena, cutis, oſſa, capilli,
Vt nunc labuntur, ſic iterum venient.

S. Clemens lib. 5. conſtitutionum Apoſtol. cap.8. excitandos nos, inquit, *tales, quales modò ſumus præſenti figura, nihil mancum habentes, nec corruptioni obnoxium.* S. Iuſtinus in reſponſione q. 60. Orthodoxorum, *Plures ſunt cauſæ, quamobrem oportet reſurgentes ſua quemque reſurgere forma,* &c. Origenes in Apologia Pamphili pro ipſo, *Intelligendum eſt, hanc ſpeciem, quæ nunc eſt in nobis, ipſam permanſuram etiam in futuro, plurima tamen immutatione in melius, & glorioſius facta.* Et poſteà, *Prior hæc ſpecies non exterminabitur, licet glorioſior eius effecta ſit permutatio, Sicut enim ipſius Domini I E S V, vel Moyſis, vel Eliæ ſpecies non erat alia in transformatione, quàm fuerat ante transformationem; ita non erit alia Sanctorum ſpecies, etiamſi multò glorioſior fiat.* Leges eadem in Methodio apud S. Epiphanium hæreſi 64. in Victore Antiocheno ad cap. 9. S. Marci v. 2. S. Auguſtinus epiſt.59. in ſolutione quæſtionis 8. etſi non vereatur concedere, Chriſtum, poſt Reſurrectionem, mutaſſe ad tempus faciem quoad lineamenta habita in vita mortali, addit tamen, reuocaſſe poſtmodùm. Et in lib.3. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 25. meliori iudicio mutationem illam non concedit, vt nec Seuerianus iam adductus in n.128. nec S. Polycarpus, vt ex eius vitæ exemplari Græco M.S. legitur apud Noſtrum Petrum Halloix cap.4. ibi: *Addebat etiam, quomodò ſuſcitaſſet eum Deus ex mortuis, & talem vidiſſent Diſcipuli ſuſcitatum, qualem, antequam pateretur, viderant*; nec S. Cyrillus Alexandrinus lib.12. in Ioannem cap.35. nec S. Athanaſius adſcitus à Suario q. 53. part. 3. art. 2. in commentario; denique nec S. Hieronymus in cap. 17. Matthæi v.2. Eadémque eſt ratio de Beatis aliis rediuiuis, quorum mortalia corpora caruerint vitio, & deformitate, quæ in ſtatu immortalitatis emendaretur, & corrigeretur.

170 Certè, cùm glorificata corpora habitura ſint optimum temperamentum, erunt colorata *pulcherrimis coloribus, & viuaciſſimis*, vt tradit Paludanus in 4.diſt.44. q.5. art.2. concluſ.1. & Harphius l.1. Theologiæ Myſticæ part.2. cap.56. *Etenim in animabus ſalubris humorum complexio iucundam lineamentorum, & colorum ſpeciem procreat*, vt ex Carolo Marſupino confirmat Marcilius Ficinus in conuiuium Platonis, oratione 5.c. 1. & docet Tullius lib.1. Officiorum hiſce verbis, *Venuſtas, & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à valetudine.* Item cùm reſurrectio, & dotes glorioſæ non tollant, ſed perficiant naturam, denegandum non eſt

corporibus

Digitized by Google

corporibus glorificatis quicquid pulchritudinis reſplendet in aliis corporibus, & fuit in ipſis in ſtatu vitæ mortalis; color autem eſt pulchritudo mixti omnis terminati, & ex humani temperamento reſultat naturaliter. Quare non ſolùm probabilius eſt, vt videtur Guilielmo de Rubione in 4. diſt. 49. q. & concluſ. 4. ſed etiam certum, Beatorum corpora colorata fore; & prætereà retentura in vultu figuram, & lineamenta adeò ſimilia habitis, vt per ea valeant dignoſci, tametſi dotibus gloriæ augeſcet pulchritudinis perfectio; ſicut è contrà, ex faciei lineamentis viſis in iuuene agnoſcimus ipſum iam ſenem, licet non amiſerit vultus venuſtatem.

171 Neque eſt, cur idipſum non affirmetur de corporibus damnatorum: quibus non ad ſolatium, ſed ad confuſionem erit, quòd dignoſcantur tam in die magni Iudicij, quàm vltrà. Si enim in ætate iuuenili reſurgent, *cuius tamen flos, & pulchritudo per nebulam nigrantis ignis contenebreſcet*, vt cogitat Sotus ſuprà quo cenſu exponi poteſt S. Hilarius cùm in Pſalmum 135. inquit de impiis, *Terreno, & indecoro corpore reſurgentes:* rurſus ſi reuiuiſcent ſine deformitatibus prouenientibus ex defectu, aut læſione membrorum, vt cùm S. Thoma, Richardo, Angle, Palatio, Viguerio, Soto ipſo defendant Salas ſuprà n. 95. & Granadus 2. p. controu. 13. de Nouiſſimis trac. ac diſp. 3. n. 18. Duuallius tract. de quatuor Nouiſſimis q. 3. art. 1. in fine, cur etiam non reſurgent cum colore, figura, & lineamentis in facie referentibus habita in vita mortali? Et hæc ſatis de damnatis. *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, & pulchritudo, quorum erit certa, & ſempiterna damnatio.* Quæ ſunt S. Auguſtini verba in Enchiridio cap. 92.

172 De luce condecorante corpora glorioſa, & ea viſu pulcherrima reddente, de aureolis etiam, quibus ornabuntur, fientque gratiſſima aſpectui, dixi in aliis locis multa, & adiiciam plura ante finem operis. Nunc verò tantùm adnotabo cum maiori, & meliori Theologorum tam veterum, quàm recentium parte, non ſolùm fore lucida, ſed etiam tranſparentia, & peruia oculis; ita vt perfundantur luce in tota profunditate partium; ſintque prætereà traductiua ſpecierum non minus, quàm cryſtallus, aut vitrum. Hinc SS. Auguſtinus, Gregorius, & Laurentius Iuſtinianus ingentem meditantur voluptatem in viſione internæ membrorum harmoniæ. *In ipſis interioribus viſceribus* (addit Auguſtinus) *quæ nullum decus modò videntur habere, ita pulchritudo rationis delectabit, vt omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ſecundùm mentis iudicium referatur.* Et procul eſto, vt dicatur de externa, & interna glorificatorum corporum pulchritudine, quod de Alcibiadis externa ſcribitur à Boëtio lib. 3. de conſolatione Philoſophiæ, proſa 8. *Quòd ſi, vt Ariſtoteles ait, lynceis oculis homines vterentur, vt eorum viſus obſtantia quæque penetraret, nonne introſpectis viſceribus illud Alcibiadis ſuperficie pulcherrimum corpus, turpiſſimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non natura, ſed oculorum te ſpectantium reddit infirmitas.* S. Oddo Abbas Cluniacenſis lib. 2. collationum expendit, *corpoream pulchritudinem in pelle ſolummodò nunc conſtare. Nam ſi viderent homines hoc, quod ſubtus pellem eſt, ſicut lynces in Bœotia cernere interiora feruntur, mulieres videre nauſearent.* S. Anſelmus in carmine de contemptu mundi colludit,

Nunquid non hominem mulier de ſede beata
Expulit, & noſtra mortis origo fuit?
Sed facie clara ſatis eſt, & forma venuſta,
Exteriora placent, diſſonat interius.
Viſcera ſi pateant, pateant ſi cætera carnis,
Cernes, quas ſordes contegat illa cutis.

Verumtamen glorificatis corporibus inerit venuſtas non tantùm exterior, ſed etiam interior, & vtramque conſpexiſſe pariet ingentem oblectationem. *Perinde enim euenturum exiſtimo*, aiebat S. Chryſoſtomus in Pſal. 109. *ac ſi multi Soles in cælo fulſerint, vel ſi frequentia fulgura, vel potius quodcumque dixero, contendens oſtendere illam pulchritudinem, minimè potero dicere pro rei dignitate. Sunt enim hæc omnia Exempla corporalia. Splendor autem, & quæ tunc illic futura eſt gloria, omnem eiuſmodi pulchritudinem longo interuallo ſuperabit. Non ſolùm enim erunt ab interitu aliena, & immortalia corpora, ſed tunc etiam induentur gloria ineffabili.*

SECTIO XIV.

Viſionis corporeæ obiecta Cæleſtes ſphæra

173 EAs inter prima, vt potè indiſtans ab ipſis Beatis, erit Empyrea. *Quid dicam de voluptate, quam capient oculi Beatorum ex conſpectu totius illius ampliſſimæ Ciuitatis, quam Tobias, & Ioannes non habentes ſatis digna vocabula, quibus eius decorem exprimerent, totam auream & gemmis, ac margaritis, & lapidibus pretioſis ornatam eſſe dixerunt? Quid de cœlo nouo, & terra noua, quam Scriptura Sancta nobis promittunt poſt vltimi Iudicij diem, & de renouatione, & in ſtatum meliorem commutatione totius rerum Vniuerſitatis? Iſta enim ſicut nobis incognita ſunt, ita nouo, & admirabili gaudio Beatorũ oculos oblectabunt; cùm eorum pulcritudo conſpici cœperit.* Indigitant hæc verba ſuum Authorem, nimirùm religioſiſſimum Cardinalē Bellarminum lib. 4. de æterna fœlicitate Sanctorum cap. 5. Germana ſunt, quæ habent Seraphicus Doctor in ſoliloquio cap. 4. S. Bernardinus Senenſis tomo 3. in Seraphico Quadrageſimali ſerm. 40. p. 1. principali pag. 371.

174 Prætermittenda non ſunt alia Guilielmi Pariſienſis 2. partis de Vniuerſo parte. 2. c. 78. *cælum vltimum, cùm tot ſplendebit, & decorabitur Sanctis, ac beatiſſimis Angelis velut gemmis inæſtimabili fulgore micantibus, & hominibus glorificatis, velut lapidibus pretioſiſſimis, coruſcantibus, ac vernantiſſimis, ipſam Cæli ſtellati pulchritudinem, & ornatum, tam multiplici varietate, ac luminoſitate Stellarum, & Luminarium tantò amplius ſuperabit, quantò fulgores, & ſpecioſitates corporalibus antecedunt. Et apparebit, quòd tunc, & in perpetuum magnificentiſſima gloria regni Regis Regum non ſolùm incomparabiliter, ſed etiam incogitabiliter ſuperat glorioſa, vel vt veriùs dicam, exigua, exiliaque miniſteria, vel potiùs ſeruitutes Regum terrenorum.* Addit cap. 80. *Ad Empyrei magnificentiam, & mirificentiam omnium terrenorum Regum palatia vix tuguria viliſſima eſſe.* Imò cap. 81. maius quid audet. Inquit enim, *Quemadmodũ aqua ſubtilioris ſubſtantiæ eſt, quàm corpora natatilium in ea degentia, ſimiliter & aër ſubtilioris ſubſtantia eſt, quàm corpora hominum, & aliorum animalium in aëre viuentium, & inhabitantium: Sic fortaſſis veriſimile videatur alicui cæli illius ſubſtantiam ſublimiorem, ac ſubtiliorem eſſe corporibus glorificatis hominum glorificandorum.* Sic Pariſienſis: de pulchritudine Empyrei reperies politiſſimam deſcriptionem apud P. Iacobum Salianum lib. 3. de amore Dei c. 15.

175 Ego aliqua attingam ex Patribus, Procopius Gazæus in c.1. Geneſis v.6. inquit: *Secundo die cœlum, vt fieret, imperauit Deus, quod quidem conſtituit ad ſimilitudinem primi cœli, quo opere nullum erat vel amœnius, vel pulchrius.* S. Baſilius homil. in Exameron comparans Empyreum cœlum cum ſydereo ait; *Si ſanctorum atria talia ſunt, & Templi veſtibula tantùm reuerentiæ ſe adeuntibus incutiunt, tantâve ſe attollunt mole, vt exuperantia ſua pulchritudinis perinde ac intermicantibus fulgetris oculos mentis noſtra perſtringant: qualia, putas, ipſa ſunt ſancta Sanctorum? Ecquis tandem reperietur idoneus, qui intimas, ſecretiſſimáſque ædes templi audeat ingredi: Aut certè quis promerebitur ſpectator eſſe iſtiuſmodi arcanorum, nec cuiuis explicabilium? Talium enim vel proſpectus vix vlli peruius eſt.* His S. Baſilij verbis inſtitiſſe videtur S. Gregorius Nyſſenus oratione de vita Gregorij Thaumaturgi, *Si quis* (ita Nyſſenus) *cœlum ſuſpexerit, eáque, quæ inibi ſunt, ornamenta, & omnem creaturam animi oculo conſiderauerit, quæcumque in his miracula comprehendere poterit, has noſtræ patriæ reperiet narrationes, imò vero non ipſius patriæ, ſed coloniæ, quam a ſublimiori vita reiecti, & relegati mundum præſentem nimirum aſſequuti ſumus. Quod ſi talis eſt colonia, exiſtimare oportet qualis ſit ea vrbs, vnde colonia deducta eſt: quæ ſit in ea pulchritudo, quæ ſit in ea Regia, quæ Beatitas illorum, quibus ea habitatio obuenit. Nam ſi ea, quæ in rebus creatis apparent, eiuſmodi ſunt, vt nulla oratione explicari, nulla ratione comprehendi poſſint; quid de iis exiſtimandum eſt, quæ ſupra hæc ſunt, quæ neque oculis comprehendi poſſunt, neque auribus percipi, neque mentis, & intelligentiæ coniecturis, qualia ſint, iudicari & exiſtimari poteſt?* Hucuſque S. Nyſſenus.

176 Viſo Romæ Theodorico Rege circumdato Romana curia, Senatu, & ſplendidiſſima pompa fertur dixiſſe S. Fulgentius, *Quam ſpecioſa poteſt eſſe Hieruſalem cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris? Et ſi in hoc ſæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem; qualis honor, & gloria præſtabitur Sanctis contemplantibus veritatem?* Ita Author vitæ apud Surium die 1. Ianuarij. Author etiam tractatus de conflictu Vitiorum, & Virtutum cap. 26. inter opera S. Auguſtini ad eandem ferè conſiderationem nos excitat inquiens, *Si te iſta delectant, quæ ſub cœlo ſunt, ſi carcer ita pulcher eſt, patria, ciuitas, & domus qualis eſt? Si talia ſunt, quæ colunt peregrini, qualia ſunt, quæ poſſident filij? Si mortales, & miſeri in hac vita taliter ſunt remunerati, immortales, & beati qualiter ſunt in illa vita ditati?* Tam notum, quàm verum eſt illud S. Gregorij Magni homilia 37. in Euang. *Si conſiderentur, quæ, & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris.* Hinc B. Maria Ogniacenſis apud Iacobum de Vitriaco lib. & cap. 2. vitæ, dicebat, *comparatione illius gloriæ, quam ego expeto, nihil prorſus eſt, vel æſtimari poteſt omnis humana gloria, & prædicatio.*

177 Mendicorum panniculis, ſordibúſque ipſis viliora eſſe aſſeuerant Sanctus Chryſoſtomus homilia 12. in Math. & S. Thereſia cap. 38. ſuæ vitæ, ſi omnia iſta, quæ cernimus, conferantur cum Regno cæleſti:

——Tellus, ipſi collata, ſepulchrum eſt,
Et cæco ſpelunca ſinu ————

Luſit ſapientiſſimè Baptiſta Mantuanus lib. 3. Syluarum carmine Panegyrico in Robertum Sanſeuerinatem. Et S. Paulinus in exhortatione ad coniugem ſuam.

———— Viris iuſtis
Sordent terrena, patent cæleſtia.

Caſtiſſima quædam fœmina aiebat apud S. Gregorium Turonenſem lib. 1. hiſtoriarum cap. 47. *Reſpuo longè, latéque diffuſa ſpatia terræ, quia amœnitatem paradiſi Cæleſtis concupiſco.* De Sancto Apollinari Epiſcopo & Martyre tradit S. Petrus Chryſologus ſerm. 128. *Cœlũ ſuſpiciens, carnem deſpiciebat & terram.* Terrena quæuis procul dubiò, qui Empyreum mente luſtrauerit, contemnet. Hac de cauſa S. Hieronymus in epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis ſuadet ipſi, *vt ad paradiſum mente tranſgrediatur, quotieſcumque vana ſæculi delectauerit ambitio, quoties in mundo aliquid viderit glorioſum.* S. Athanaſius in Catena S. Thomæ ad cap. 18. Lucæ verſ. 22. eodem intentus admonet Religioſos, *ne mundum deſpicientes putent grandia quidem abdicaſſe, quia tota terra eſt in comparatione cœli breuiſſima: quapropter ſi toti terræ dominarentur, ei abrenunciantes, nihil dignum eſſet in comparatione regni cœlorum.* Hugo Etherianus c. 22. de animarum regreſſu ab Inferis, poſtquam ſine fuco dixiſſet, cæleſte palatium adeò à mundialibus diſtare, *vt illius comparatione hæc lutulenta videantur,* infert optimè ſic, *Quiſquis ergo illud adeptus fuerit, quâ non erit dignus beatitudine?* Vtinam ſint

——pennæ volucres mihi,
Quæ celſa conſcendant poli!
Quas ſibi cum velox mens induit,
Terras peroſa deſpicit ———— ————

Vt decantat Boëtius lib. 4. de conſolatione Philoſophiæ metro. 1. qui lib. 3. proſa 8. vel de ſydereo Cœlo loquutus, *Reſpicite* (clamat) *cœli ſpatium, firmitudinem, celeritatem, & aliquando deſinite vilia mirari.* Si terrena omnia, vt quæ vilia ſint, in admirationem rapere non debent noſtros animos, dum ſyderea ſpectemus; quantò minus dum recogitemus Empyrea? *Decet enim præſtantiorem eſſe aulæ Regalis nitorem, in qua ſicut vſus maior; ita ſplendor eſt,* vt in ſimili cauſa aiebat S. Ambroſius lib. de Noë cap. 7.

178 Sciſcitatur Petrus Damiani, *cur cùm dicimus Pater noſter, præſto ſubiungimus, qui es in cælis, & non potiùs, qui es in terris, videlicet quæ nobis notiores ſunt, ſiue, qui es in aquis, aut in abyſſis; cùm vbique Deus ſit, nihilque ab eius omnipotentia vacuum ſit?* Reſpondet ſcitè lib. 5. epiſt. 6. *Idcircò addimus, qui es in cælis, vt ad illam cæleſtem hæreditatem ſe ſe noſter animus erigat, atque in tam ſublime germen adſcitus, vt ſit hæres Dei, terrena quælibet ignobiliter non requirat.* Longè eſſet à requirendis terrenis, qui hæreditatem adeundam in Empyreo perſpectam benè haberet; imò & qui ſolam ipſius Empyrei materialem pulchritudinem. Hæc namque tanta eſt, *vt ſi a nobis modò poſſet videri, nollemus comedere, nec bibere,* vti expedit S. Vincentius Ferrerius ſerm. 4. in Dominica 1. Aduentus. Quapropter meritò S. Cyprianus de laude Martyrij alloquens Martyrem, inquit, *Quid tibi cum hac luce, cui lux æterna promiſſa eſt? Quid cum hoc vitæ, naturæque commercio, quem cœli amplitudo depoſcit?* Meritò etiam S. Simphorianum hortabatur Mater, vt fertur in Breuiario Romano die 22. Auguſti, *Nate, nate, memento æternæ vitæ, cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere; tibi enim vita non eripitur, ſed mutatur in melius.*

179 Confines Empyreo cenſeo aquas, quas ſupra firmamentum reliquit Deus in mundi opificio

Digitized by Google

cio. Illas intimè penetrandas luce diffuſa; ſiue à cœlo Empyreo, ſiue à ſydereo, ſiue indita à Deo, nemo inficiabitur, qui mecum cenſeat. Nonnulli nec obſcuri, neque ineruditi ea de cauſa ſuperpoſitas ſphæris volubilibus credunt, vt Beatorum oculi ex earum intuitu recreentur. Ita ex Modernis Geneſeos Interpretibus Cornelius, Merſennus, Celada, quibus acceſſere Salianus in Annalibus die mundi 2. numer. 20. Granadus 1. parte tractat. 2. de opere ſex dierum diſputat. 3. ſection 2. numer. 9. Aiunt enim relictas à Deo aquas naturales ſupra firmamentum, vt miris, ac variegatis reflexæ lucis coloribus, qui in aqua, velut in Iride apparent, iucundè paſcat, & recreet Beatorum oculos. Trahunt huc illud Apocalypſis 7. verſ. 17. *Quoniam agnus, qui in medio Throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*: nec non illud eiuſdem Apocalypſis cap. 22. v. 1. *Oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum.* Fuere qui per Mare vitreum ſimile Cryſtallo Apocalypſis 4. verſ. 6. denotatas putent aquas, vt refert Andreas Epiſcopus Cæſarienſis cap. 10. in Apocalypſis cùm autem illud mare eſſet *in conſpectu ſedis*, ſcilicet Empyrei, infertur ſubiacere oculis inibi exiſtentium. Forraſſis has aquas meditabantur Richardus, & Toletus laudati à Granado 3. parte controuerſ. 13. de nouiſſimis tractat. diſput. & ſect. 3. numer. 24. quando ſcripſere, in cœlo, quod eſt immediatum Empyreo, dari mirabilem colorum varietatem, quæ Beatorum oculos oblectet. S. Ambroſius libr. 3. Examer. cap. 5. æſtimans pulchritudinem aquæ ſublunaris fatur ſic eleganttiſſimè: *Pulchra eſt ſpecies eius elementi, vel cum ſurgentibus albeſcit cumulis, ac vorticibus vndarum, & cautes niuea rorant aſpergine, vel cum æquore criſpanti clementioribus auris, & blando ſerena tranquillitatis purpuraſcentem præfert colorem; qui autem eminùs ſpectantibus frequenter offunditur, quando non violentis fluctibus vicina tundit lit o a, ſed velut pacificis ambit, & ſalutat amplexibus, quàm dulcis ſonus, quàm iucundus fragor, quàm grata, & conſona reſultatio.* Quòd ſi tam pulchra eſt ſublunaris aquæ ſpecies, fas erit, magnum quid cogitare de pulchritudine cœleſtium, quas variegari reflexæ lucis colores venuſtabunt.

180 Poſt præfatas aquas ſuccedit cœlum ſydereum. Conſpicietur à Batis, vt ſignanter notant Sanctus Anſelmus in Elucidario, & Sanctus Laurentius Iuſtinianus lib. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23. Quorum primus inquit, *Omnia, quæ ſunt in nouo cœlo, & in noua terra contemplantur.* Secundus, *Delectabitur oculus, cùm cœlum Solis, Lunæ, Stellarúmque ſplendore rutilans intuebitur.* Delectabitur triplicem ob cauſam. Primò ob comparatam per ſenſus ipſos notitiam cœleſtium corporum; quæ iuxta Philonem libr. de ſomniis, *Naturam habent incomprehenſibilem, nec vlla eorum notitia certa dimanat ad nos* : : : : *Nam hæc, & huiuſmodi omnia* (propoſuerat nonnulla, quæ diſputantur, & aſſeruntur) *in præcipuo mundi corpore quarto, ideſt, cœlo; incerta, incomprehenſibiliáque coniecturis veriſimilibus potiùs, quàm certis, veriſque rationibus nituntur: vt iurare fas ſit, neminem mortalem poſſe vnquam quidquam horum certò percipere.* Idcircò rectè dixit Ruffinus expoſitione in Symbolum, *ignorare Philoſophos ea, quæ loquuntur, dum de Solis curſu, cœlique ratione diſputant: neque enim cœlum aſcenderunt, axem dimenſi, mundum oculis perſcrutati ſunt, quia nullus eorum cum Deo in principio fuit, nullus eorum de Deo dixit, cùm pararet cœlum, cum ipſo eram, & eram cum eo componens, ego eram, cui adaugebat.* Valerius Maximus c. 302. fatetur, *eruditiſſimorum etiam virorum ingenia in diſputatione cæca vagari, dum menſuras Solis, & Lunæ, & cæterorum ſyderum loquacibus magis, quàm certis argumentis explicare conantur.*

181 Tanti eſt contemplatio cœli, ac lucis ipſius, vt quaſcumque miſerias libeat pro ea ſuſtinere. Ita Anaxagoras apud Lactantium lib. 3. diuinarum Inſtitutionum c. 12. & referente Laërtio. lib. 2. de vita & moribus Philoſophorum, Chalcidio, in Timæum Platonis, necnon Philone lib. Quòd mundus ſit incorruptibilis, rogatus Anaxagoras, cur ita placidè ferret ſubdiualia peruigilia? Reſpondit, vt cœli aſpectu, cui ſe natum putabat, frueretur. Hunc ob finem Deus.

Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus,

Vt modulatur Ouidius lib. 1. Metamorph. cui concinunt Manilius lib. 4. Aſtron. Corippus lib. 2. in laudem Iuſtini Auguſti Minoris Politianus in Nutriciis, Xenophon lib. 1. Memorabilium, Procopius Gazæus in c. 1. Gen. v. 26. Iulius Firmicus Maternus procemio ad lib. 8. Aſtronom. vbi ſcribit, *Nihil debemus cogitare terrenum, præſertim cùm ſciamus fabricatorem noſtrũ Deum, ita nos diuini artificij moderatione feciſſe, vt recti corporis forma ab omni humilitatis deiectione ſepoſita, nihil aliud primum, patefacta oculorum acie, niſi Solem, & Lunam ſtelláſq; & omniũ horum pulcherrimum, atq; immortale domiciliũ mundum ſcilicet videremus. Cæteros enim animantes ita natura compoſuit, vt ad terram demerſi, & caduca quadam mundi huius humilitate proiecti & animo, & corpore terrenis ſemper conuerſationibus inhæreant. Nos verò magna quadam neceſſitatis moderatione perfecit, vt aliud ſibi in nobis fragilitas corporis, aliud immortalis animi diuinitas vendicaret, vt ſcilicet corpus, quod cum belluis videmur habere commune, animo feruens diuinitatis eius imperio ſubiaceret. Mauorti, decus noſtrũ patentibus oculis & cœlum, & pulcherrimã iſtam diuini operis fabricã animus tuus ſemper aſpiciat. Tunc enim mẽs noſtra maieſtatis ſuæ formata, à prauis corporum illecebris liberatur, & exuta mortalitatis incõmodis ad authorem ſuum feſtinato nititur greſſu, nihilque aliud niſi res diuinas per omnia horarum momenta ſagaci, ac peruigili ſemper inquiſitione perquirit.* Hæc Ethnicus homo, quæ, ſi vnum aut alterũ demas verbum, digniſſima ſunt Chriſtiano Philoſopho. Boët. lib. 5. de conſolatione Philoſophiæ metro 5. canit,

Vnica gens hominum celſum leuat altius cacumen,
Atque leuis recto ſtat corpore, deſpicítque terras.
Hæc, niſi terrenus malè deſipis, admonet figura,
Qui recto cœlum vultu petis, exeriſque frontem,
In ſublime feras animum, ne grauata peſſum
Inferior ſidat mens, corpore celſius leuato.

Concordat Rupert. lib. 2. in Geneſ. c. 22. *Forma hominis in hoc ſolo animante ſurſum caput attollit, cœlũ intuetur, terrámq; calcans pedibus recto pectore incedit; & ſydera, vel cœleſtia regna supernè poſitis meditari cõmonetur oculis.* Vuolbero Abb. præfatione in Cantica, *Ipſa corporis habitudine ad cœleſtia ſuſcipienda, & terrena calcanda originaliter euectus homo.* S. Aug. lib. 22. de ciuitate Dei c. 24. *Erecta in cœlum corporis forma admonet ea, quæ ſurſum ſunt, ſapere.* S. Ambroſius in epiſtol. 39. ad Horantianum, *cum Dominum legimus, vt ſcriptura oſtendit, cum ſapientia, & quodam conſilio, & diſpoſitione feciſſe, & ordine, vt primò cœlum faceret, quod eſt pulcherrimum,*

oportet, vt eò primùm oculos dirigamus; illò nobis contendendum eſſe arbitremur, illam ſedem terrenis omnibus præferendam putemus. Quibus verbis innuit finem, quem alij Patres; & ex primigenia cœli conditione, eximiaque pulchritudine aptiſſimè deducit, quàm arctè teneamur, oculis & mente in illud intendere.

182 Cuius obligationis conſcius Adamus, *ſtatim animam ſumens in cœlum latus aſpexit.* Vt ſuſpicatur S. Baſilius in oratione, Quòd Deus non eſt Author malorum. Et Prudentius lib. 2. contra Symmachum inducit Deum ſic loquentem,

Condideram perfectum hominem, ſpectare ſuperna
Mandaram totis conuerſum viribus in me,
Recto habitu, celſóque ſitu, & ſublime tuentem,
Sed diſpexit humum, ſéque inclinauit ad Orbis
Diuitias, pepulítque meum de pectore Numen.

S. Alcimus lib. 2. de peccato originali cogitat Adamum, vt conditus eſt, cœli varias ſpecies fuiſſe demiratum, Canit namque hunc in modum,

Poſtquam naſcentem ſolers prudentia ſenſum
Imbuit, & puro rationis lumine fulſit,
Surgit, & erectis firmat veſtigia plantis,
Tunc varias cœli ſpecies, mundique figuras
Mirantem, tali compellat voce Creator.

183 *Ætatem vnam non ſufficere, vt tota vacet cœlo,* dixit Seneca libr. 7. naturalium quæſtionum cap. 25. & de Gallo prodit Cicero in Catone Maiori tam iucundè atque abſortè deditum fuiſſe conſpiciendo dimetiundóque cœlo, *vt in hoc ſtudio mori penè videretur.* Quantæ ergo erit iucunditatis inſtantaneo oculorum excurſu, vllis ſine moleſtiis totam peruadere aſtrigeri cœli vaſtitatem, & eam perfectiſſimè intueri. Huc inuerto eiuſdem, ſiue alterius carmina in Octauia actu 2.

O quàm iuuabit (quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immenſi artifex)
Cœlum intueri, Solis & curſus ſacros
Mundique motus, Solis alternas vices.
Orbémque Phœbes, aſtra quem cingunt vaga,
Latéque fulgens ætheris magni decus.

Similia ſunt, quæ habet ipſe in conſolatione ad Helbiam cap. 9. Necnon in epiſt. 65. & quæ Tullius libr. 5. quæſtionum Tuſculanarum. Huius ſolius præſento verba. *Quo gaudio,* ait, *affici neceſſe eſt ſapientis animum, cùm totius mundi motus, conuerſionéſque perſpexerit, ſyderáque viderit innumerabilia cœlo inhærentia, cùm eius ipſius motu congruere certis infixa ſedibus? ſeptem alia ſuos quoque tenere curſus, multum inter ſe aut altitudine, aut humilitate diſtantia.* Papinius lib. 5. Syluarum Epicedio in Patrem affatur ſic ipſum,

At tu ſeu membris emiſſus in ardua tendens
Fulgentéſque plagas, rerúmque elementa recenſes,
Quis Deus, vnde ignes, qua ducat ſemita Solem,
Qua minuat Phœben, quaque integrare latentem
Cauſa queat, notique modos extendis Arati.

Putabat nimirùm Papinius maximam Patris emortui felicitatem eſſe, quòd cœli, ac ſyderum conſideratione animus ipſius occuparetur. Pythagorei, teſte Antonino Philoſopho, atque Imperatore l. 11. de vita ſua, *iubebant nos cœlum aſpicere manè* ſingulis diebus tam ob vtilitatem, quàm ob quotidiani huius exercitij iucunditatem.

184 Secundò delectabitur oculus glorificatus ob perſpectam cœli ſtellati immenſam propè molem, & effuſiſſimam amplitudinem. Cogitatuum corpus euehi ad altiſſimam ſpeculam, terras vnde arduus omnes proſpectes. Haurires ſanè pleniſſimam voluptatem ex ſpatiato viſu per illas. *Aſt cum* cœlum *ſit multipliciter maius, quàm terra, ita vt à plerìſque punctum comparatione cœli terra ſit exiſtimata,* teſte S. Ambroſio in 1. Pſal. Quantam capiēt recreationem Beati ex perſpicaciſſima illius viſione? *Multi vndique aſpectus argenti valdè delectat oculos. At quantò melius eſt in cœlum ſuſpicere, & multo maiorem inde voluptatis fructum percipere? Quantò enim aurum ſtagno, atque plumbo, tantò cœlum eſt auro, & argento, omnique materia ſplendidius, atque fulgentius.* Sic aiebat S. Chryſoſtomus lib. de Virginitate n. 68. Et Philoſophi quidā Ethnici apud Lactantium libr. 6. Diuinarum Inſtitutionum cap. 20. dictitabant, *multo eſſe Præclarius, & homine dignius cœlum potiùs, quàm cælata intueri, & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus, tanquam floribus, adornatum, quàm picta, ac ficta & gemmis diſtincta mirari.*

185 Tertiò, delectabitur oculus glorificatus ob cœli, & ſyderum viſam pulchritudinem: quam quia *ex æquo quidem videt ſiue eruditus, ſiue rudis & idiota fuerit is, qui in cœlum ſuſpicit,* vt notat S. Gregorius Nyſſenus oratione de infantibus præmaturè abreptis, ideò expenſione noſtra opus non eſt, vt innoteſcat Beatorum gaudium ex intuitione illius. *Philoſophis ſummis, & magnis cœlum eſſe pro libro,* pronuntiauit ſapienter Plato, imò & idiotarum librum eſſe cœlum, longa, & elegantiſſima proſequuntur oratione S. Baſilius homil. 2. in Exameron S. Chryſoſtomus homilia 9. ad populum Antiochenum, necnon hom. 3. in epiſt. ad Romanos, breuiùs S. Bernardus ſerm. in Pſ. 48. Erit etiam ſapientiſſimis Beatis pulcherrimus liber, in quo Dei omnipotentiam, & ſapientiam viuis quaſi coloribus depictam adſpiciant cominùs; & exclamabunt cum Pſalte Regio poſt viſos *Cœlos opera digitorum* Dei, poſt *Lunam & Stellas* viſa, *quæ* ipſe *fundauit. Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? : : : Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* Pſalm. 8. à v. 4. Quæ omnia optimè quadrant in Beatos homines, erga quos tantus erit Dei fauor, vt non ſolùm dominentur cœlo, & aſtris, ſed ſub eorum etiam pedibus ſubiecta iaceant, adeò vt quiſque Beatus dicere queat,

Nunc mihi ſumma licet contingere ſydera plantis.

Noſque de ipſis veriùs, quàm de Aſtronomis Angelus Politianus in Nutriciis,

——————— etiam æthera curis
Subſtrauêre auidis, etiam famulantibus altum
Inſeruêre apicem ſtellis, animóque rotatos
Percurrêre globos mundi ———————

186 Et pro maiori Cælitum voluptate, Soli, Lunæ, & aſtris in mundi innouatione intenſior accreſcet lux, vt inter alios probat ex Scriptura, & Patribus Noſter Octauianus de Tufo in c. 16. Eccleſiaſt. v. 29. Quòd ſi cœli, quibus infixa ſunt ſydera, habeāt natiuam lucem non mutuatam ab ipſis, ornabuntur pariter cumulatiori: totáque cæleſtis machina reddetur diaphana, & tranſparens; ídque ob maiorem gloriam, & perfectionem Beatorum. Suarez, & Valentia, ille tomo 2. in 3. p. diſp. 58. ſect. 2. v. *Addo præterea,* hic tom. 4. diſp. 11. q. 6. puncto vnico, v. *Modum autem,* tribuunt Richardo dixiſſe, lucis augmentum in corporibus cæleſtibus fore ex influentia glorificatorum. Verùm Richardus in 4. diſt. 48. art. 2. q. 5. tantùm ait *Elementa abundantiùs illuminanda, quàm modò, quia à corporibus cæleſtibus recipient ampliorem luminis influentiam.* Addit illicò, *Vtrùm autem præter illam claritatem, quam à corporibus cæleſtibus recipient, lux eis imprimatur alia?*

Incertum

Digitized by Google

Incertum eſt, tamen nullum eſt inconueniens quòd ſic. Et de cœleſtibus corporibus ſtatuerat, *conueniens fore, quòd cùm innouabitur homo, lux etiam in eis augeatur.*

187 Gloſſa interlinearis in cap. 30. Iſaiæ v. 26. tradit, minoratam lucem aſtrorum, peccante homine; & eo reſurgente ad vitam immortalem, fore, vt reparetur ita vt lucis acceſſio noua ſit connaturalis. Fauet S. Hieronymus ſcribens ibi, *Sol ſeptuplum lumen accipiet, ſicut lux ſeptem dierum, quando ab initio creatus eſt mundus.* Item Petrus Damiani ſer. 52. de S. Michaële, quatenus inquit, *Peccante autem illo* (ideſt, homine) *multum ſplendoris ſyderei detractum eſt luminaribus.* Præterea S. Vincentius Ferrer. ſerm. in Octaua S. Stephani refert, *ſententiam eſſe indeterminatè Theologorum in 4. ſent. quòd de omnibus rebus abſtulit Deus ſeptem partes virtutis, & proprietatum, & qualitatum, ſcilicet de claritate Solis, Lunæ, & ſtellarum.* Diſcipulus ſerm. 1. in die Sancto Paſchæ, Haymo apud Ludolfum de Saxonia 2. p. vitæ Chriſti cap. 87. ſubſcribunt Gloſſæ interlinearis exiſtimationi, vt & Magiſter ſent. in 4. diſt. 48. Vincentius Bellouacenſis lib. 4. gratiæ cap. 118. Gotfridúſque Viterbienſis parte 1. Chronici vniuerſalis, Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 12. illuſtrium miraculorum, & memorabilium hiſtoriarum cap. 53. quæ tamen non arridet probatioris, & excultioris litteraturæ viris hac, & noſtræ proxima ætate, iamque diù eliminata eſt ab Angelico Præceptore in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 3. & 4.

118 Si in orbe innouato extituri eſſent duo, aut plures Soles, vt totum hemiſphærium illuminent, quemadmodùm excogitat Arriaga tom. 2. in 1. part. diſp. 33. num. etiam 33. cederet & id in pleniorem Beatorum oblectationem. Sed tamen ſine cauſa excogitatur Solis multiplicatio, vt idem Author fatetur. Satius eſt dicere cum Alberto Magno in c. 21. Lucæ v. 25. S. Thoma q. 5. de potentia Dei art. 5. ad 17. Vorillong. in 4. diſt. 48. art. & difficult. 3. Mayrone diſt. 47. q. 1. Molina diſp. 15. de opere ſex dierum 5. *Hoc eodem modo,* Solem permanſurum in noſtro hemiſphærio, & Lunam in alio oppoſito ornatam tanta luce, quanta nunc effulget Sol, vt ab eis integer Orbis illuminetur, ſitque in eo toto ſempiternus quidam dies neſciens noctem. Sed & pro hac fuganda ſufficeret Empyrei lux, nullis tunc obſtaculis retardanda, ne diffundatur in vtrumque hemiſphærium: ſufficeret item glorificatorum corporum claritas.

189 S. Chryſoſtomus, & Euthymius apud Barradam tomo 3. in Euangelia lib. 9. cap. 10. tradiderunt, ſuperſtites non fore ſtellas poſt diem Iudicij: nec repudiatur à S. Auguſtino lib. 10. de Ciuitate Dei c. 24. & teſte Ruperto lib. 1. in Geneſim c. 28. *Scrupuloſa inter Doctos diſceptatio eſt, vtrùm & ipſa Luminaria cum ipſis, per quos feruntur, cælis, ſiue circulis, peritura ſint? Nam cùm Veritas dicat, Tunc Iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum, de reſurrectione loquens mortuorum, quid ibi facient Sol, & Luna, vbi tot erunt Soles, quot Iuſtorum corpora? Nempe etſi ſupererunt, lucere non valebunt, tam multorum corporum claritate reuerberante lumen ipſorum. Sed & Ioannes dicit, Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque Solis.* Ipſe tamen Rupertus in ea diſceptatione tenet, & meritò, cœlum, Planetas, & ſtellas non peritura quoad ſubſtantiam, licèt inter Modernos Tannerus vt probabile proponat, non manſuros Planetas, neque ſtellas, eo quòd deſit permanentiæ cauſa, videlicet influentia in Orbem ſublunarem. Videatur Arriaga ſupra, n. 34. contrarium ſentiens. Et quidem Iſaiæ 65. verſ. 17. Apocalyp. 21. v. 1. fit mentio permanſuri cœli, ſiue noui ſubſtantialiter, ſiue antiqui renouati accidentaliter. Pſalmo 148. v. 6. poſt cœlum, Solem, Lunam, & ſtellas memorata dicitur, *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Iſaiæ 30. v. 26. *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui.* Quę teſtimonia intelliguntur à Patribus, & Theologis communiter in hoc ſenſu. Vnde etſi ob defectum lucis in orbe ſublunari, aut ob neceſſitatem influentiæ in elementa, & mixta, non perſeuerabunt Planetæ, & ſtellæ; manebunt, nihilominus tum ob ornatum ipſius cœli, tum ob maiorem Beatorum voluptatem ex eorum viſione habendam, vel in ſedibus Empyreis, vel in terra, ſi ad hanc digredi velint. Et tunc ſtellarum multitudo innumera conſpicietur diſtinctè, vt animaduertit Leſſius lib. 13. de perfectionibus diuinis c. 23. etſi nunc ob imbecillitatem noſtrorum oculorum confusè appareat.

SECTIO XV.

Viſionis corporeæ obiecta elementa. An fortè aliqua mixta in terra? Agitur etiam de rediuiuis pueris, qui cum peccato originali obierunt?

190 QVatuor elementa, nempe ignem, aërem, aquam, & terram conſpicienda à Beatis, extra controuerſiam erit, ſi ea omnia permanſura ſint: quod de terra ſiue noua ſubſtantialiter, ſiue antiqua renouata accidentaliter, negari non poteſt, ſalua authoritate Sacrarum Litterarum, vt conſtat ex locis Iſaiæ, & Apocalypſis præcitatis, nec non ex cap. 66. eiuſdem Iſaiæ v. 22. & ex 2. Petri cap. 3. v. 13. De aliis tribus elementis non adeo apertè loquuntur Sacræ Litteræ; ſed apud pleroſque Patres, & cunctos Theologos ratum omnino, fixúmque eſt, perſeueratura. Et cùm modò cuiuſlibet ex illis viſio demulceat magnopere mortales oculos, multò magis tunc reficiet immortales, ſiquidem omnia miro offundentur ſplendore, vt oculis ſeruiant filiorum Dei.

191 Nam quemadmodùm Paterfamilias, quando noua filio confertur dignitas, eius famulos noua, atque illuſtri amictu induit, ſic Deus, quando noua, ſempiternaque dignitas homini in cœlo tribuetur, creaturam, quæ ei inſeruiuit, pulchriori veſte decorabit. Et quemadmodùm nutrix, quæ infantem aluit Regium, hoc ad Principatum, aut Regnum erecto, ipſa quoque felicitatis particeps fit; ita & creatura. Has, & alias rationes exornant Barradas tom. 3. in Euangelia lib. 10. c. 1. Ex quibus venit intelligendus S. Petrus Chryſologus ſerm. 47. dum ait: *Mundus de fine principium ſumit; ſine innouatur, non deficit creatura; ſæculum deficit, non Creatori, ſed crimini; neque Iuſtis, ſed peccatoribus finiuntur elementa.* Et pro voluptate Beatorum ex elementorum intuitu traho hîc S. Cypriani verba illa in lib. de ſpectaculis, *Habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit; habet veras, & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit: & , vt omittam illa, quæ nondũ cõtemplari poteſt, habet iſtam mundi pulchritudinem, quam videat, atque miretur.*

192 Petrus de Palude in 4. diſt. 48. q. 1. a. 3. agens de innouatione mundi affert hos verſus,

Terra ſuperficie vitro ſimilabitur, Vnda
Cryſtallo, cœlis æquabitur Aer, & Ignis
Syderibus, Soli Luna, & ſeptempliciter Sol.

Quos

Digitized by Google

Quos explicans inquit, illuminandam forſan terram in profundo vſque ad Limbum puerorum incluſiuè, *quia tenebræ eſſent pœna corporibus eorum, licet modò non ſit pœna.* Aſſentitur Barradas ſuprà, quatenus tota terra futura ſit Diaphana præter cauernas Tartareas, vt totus mundus Beatorum oculis conſpicuus ſit, nihilque lateat. Imò S.Thomas in 4.diſt.48.q.2. art.4. ad 3. addit, *Etiamſi ſit tota terra glorificata, nihilominus reprobi in tenebris exterioribus erunt, quia etiam ignis Inferni, qui aliquid eis lucebit, quantùm ad aliud eis lucere non poterit.* Sed quicquid ſit de Inferno, pars aliqua terræ præter refulgentiam in ſuperficie à corporibus cœleſtibus, penetrabitur luce *ex diuina virtute* ſine præiudicio denſitatis ipſius, vt S.Thomas ad 2. aduertit; cui adſtipulantur Richardus, & Suarez allegati n.186. Granadus 3. p. controu.13. de Nouiſſimis Tract. 1. n.10. Thyræus tract. de Iudiciariæ Chriſti apparitione cap.22. n.35. Ludouicus Tena in c. 1. Epiſt. ad Hebræos difficult. 13. ſect. 5. Barradas ſuprà, & alij. Quare non eſt audiendus Aureolus in 4.diſt.47. q.vnica. verſ. *Sed quid de terra.* dicens, *Terra remanebit in ſua naturali diſpoſitione, & habebit naturalem opacitatem, tamen non tantam, quantam modò, quia modò magis eſt opaca ex admixtione corporum extraneorum.*

193 Nec ſolùm terra perfundetur luce, ſed etiam fiet plana. Ita S.Bernardinus tom.2. in ſer. Feriæ 2. poſt primam Dominicam Quadrageſimę pag.506. Eſtius in capite 16. Apocalypſis verſ.20. Rusbrochius in regno Deum amantium cap. 37. Bloſius in ſpeculo ſpirituali cap.14. & in farragine vtiliſſimarum inſtitutionum pag. (mihi) 560. Ludolfus de Saxonia in 2.parte vitæ Chriſti cap.38. Colligi poteſt ex Apocalypſi cap.6. v.14. Legitur namque ibi, *Cœlum receſſit ſicut liber inuolutus. Et omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.* Sed Cornelius ſubiungit, *Quid hac de re futurum ſit, ipſa docebit experientia finiſque mundi. Nam pro aduerſa ſententia facit, quòd montes, & inſulæ non parùm faciant ad decorem, varietatémque Vniuerſi. Vnde non primo die mundi rudis, & informis, ſed tertio, quo terra formata & ornata eſt, à Deo producta ſunt.*

194 Ad hæc: tam terra, quàm cætera elementa omni ſordirate, & fæce expiabuntur deiectis in barathrum excrementis, & immunditiis, vt cum S.Baſilio credit S.Antoninus 1. part. ſummę Theologicę titulo 5. cap. & §.3. & cum S.Thoma in 4.diſt.47. quæſt. 2. art.3. quæſtiuncula 3. reliqui Theoſophi, exiſtimatque Richardus Victorinus lib. 7. in Apocalypſim cap. 1. purgandum mare à corpulentia, ſalſa amaritudine, & omni corruptione; in eóque non fore commotiones fluctuum, iudicatur à ſancto Thoma. Et hæc eſt communis ſententia tam Theologorum in 4. diſt. 47. quàm Interpretum Apocalypſis cap.21. verſ. 1. vbi dicitur, *Et mare iam non eſt.* Ad quæ verba Ribera, Viegas, Cornelius agunt de renouatione maris; licet Beda ibi, & in 2.Petri cap.3. cenſuerit, illud ſiccandum, atque omnino abolendum. & S.Auguſtinus lib.20. de Ciuitate Dei cap.16. ſcribat, *Vtrum maximo illo ardore* (conflagrationis mundi) *ſiccetur mare, an & ipſum vertatur in melius, non facilè dixerim.* Sub qua dubitatione loquuntur Primaſius, Haymo, Anſelmus, Rupertus, & ex Græcis Arethas: ſed Andreas Cæſarienſis, ex quo Arethas decerpſit Compendium in Apocalypſim; *nullius vtilitatis* putat *mare, cùm non ſit opus hominibus illud nauigare.* Manebit tamen ſubtile, purum, pellucidum, ſplendens, & ſerenum ad integritatem, decorémque Vniuerſi, vt & reliqua elementa, vndecumque viſu pulcherrima, nihilque in eis erit, quod oculis glorificatis non deſeruiat ad oblectationem, *& pereunte immunditia, verè mundus iam vocabitur Mundus*, vt ex voce ludit S.Petr.Chryſol.ſerm.139.

195 Si Paradiſi, aut alicuius loci amæni floribus, roſiſque immarceſcibilibus ornati exiſtentiam poſt generalem reſurrectionem viderem ſatis fundatam ab authoritate Patrum Eccleſiæ, & placidè acceptam à Theologis, aſſererem, eo præcipuè fine intentam à Deo, vt Beatorum hominum ſenſus maiori afficerentur voluptate. Aſt, inquit Suarez diſput. illa 58. ſect.3. v. *Tertiò per hunc*, eſſe poſſe multò pulchriorem, & delectabiliorem aſpectum in terra prædita eximio ſplendore, & claritate. Non acquieſco, nam in primis odoratus magis oblectabitur; quippè quòd terra mirum in modum fulgeat, nullatenus conducit ad voluptatem odoratus. Deindę magis etiam demulcebitur viſus ob maiorem varietatem, & multitudinem obiectorum, quin exiſtentia paradiſi, aut alicuius loci valde amæni impediat oblectationem, aliàs prouenientem ex luce. Qui per ſpecies à Deo inditas putauerit Beatorum ſenſus percepturos voluptatem ex obiectis non exiſtentibus; de quo in ſect.3. Exercit.32 ponet fruſtrà in terra paradiſum, aut viridarium aliquod, vt ex florum viſione, & olfactione delectentur glorificati homines. Si tamen ponatur, deſcendent illuc Beati, aut ad Empyreum vſque deferentur ſpecies, quibus videant, & odorentur pulcherrimos, & fragrantiſſimos flores, vt animaduertit Salas tom. 1. in 1. 2. tract.2. diſp.& ſect.14. n.116. Hæc ſub conditione quòd in terra renouata exriturus ſit aliquis locus amęnus, ſiue paradiſus, vel præſeruatus ab igne conflagrationis, vel reproductus cum floribus, & herbis ſemper virentibus, & incorruptis.

196 Nam Moſes Barcephas parte 1. de paradiſo cap.11. & 18. cenſet, æternarum paradiſum, vacuum tamen, & ſuperuacaneum poſt diem extremi Iudicij, quin vllis deſeruiat vſibus. *In paradiſum poſt reſurrectionem* (ſic cap.11.) *nemo ingredietur, ſed manſurus eſt ille cultoribus vacuus.* Quæ latiùs proſequitur in cap.18. his verbis, *Porrò poſt diem reſurrectionis nullus prorſus eius futurus eſt vſus, ſed ſuperuacaneus manebit, & vacuus. Iam verò ne quis per coniecturam hæc à nobis dicta putet; libet nonnullis id affirmare rationibus. Primò, conſtat alia etiam ſpiritibus dicata loca, cuiuſmodi ſunt ea, vnde Diabolus cum ſuis copiis excedit, vacua adhuc manere, atque ſuperuacanea. Ad hoc: pars cœli dimidia ea, quam Iuſti poſt reſurrectionem incolent, adhuc vacua eſt. Præterea ipſe terrarum orbis vniuerſus tantiſper, dum linguæ diuiderentur, deſolatus per hominum inſequentiam manebat, præter vnam Babyloniæ regionem, in quam multi conuenerant mortales. Inſuper hacce etiam tempeſtate plurima ſunt in orbe loca, quæ neque ab hominibus, neque ab Angelis incoluntur; plurima item maria innauigabilia. Denique poſt reſurrectionem nihil erit opus, aut Sole, aut Luna, aut ſtellis cæteris, vel vllis omninò animãtibus, ſerpẽtibus, auibus. Poſtremò poſt reſurrectionem nullus Iuſtorum manſurus eſt in terris; quippe qui ſupra firmamentũ conſcendent; ſed ſoli illic relinquentur, & moraturi ſunt impij. Vt ergo in his omnibus, cùm ita ſe habeant, nihil abſurdum, aut diſſentaneum, nihil mutilum, aut hians eſſe dicimus; ita neque in eo, quòd paradiſus poſt reſurrectionem nullius vſibus ſeruiet, quicquam deforme, aut hiulcum ineſſe ſtatueris. Inſuper Reges ſæpe maximis ſumptibus magna extruunt ædificia, quæ poſtquã ipſorum vſui fecere ſatis, vacua deinde relinquuntur; & tamen*

Digitized by Google

tamen minimè temerè, aut inconſideratè illa extructa exiſtimantur. Quis igitur Deum prudentiſſimum rerum diſpenſatorem inconſiderantia arguat, qui cùm paradiſum condidiſſet Adami gratia, eúmque in illo collocaſſet, vt cum voluptate eum haberet, peccantem inde eiecit, vacuúmque illud reliquit? Hactenus Barcephas. Fuere & alij Patres, qui dixerint, paradiſum Adamicum ſuperfuturum poſt diem illum; non tamen ſine aliquali vſu. Sed de his Patribus iam in ſect. 4. Exercit. 23.

197 S. Anſelmus in Elucidario, agens de innouatione elementorum, ait, *Terra, quæ in gremio ſuo Domini corpus confouit, tota erit vt paradiſus, & quia ſanctorum ſanguine eſt irrigata, odoriferis floribus, liliis, roſis, & violis erit immarceſcibiliter perpetuò decorata.* Guilielmus Pariſienſis 1. part. de Vniuerſo parte 2. cap. 48. *De terra quidam ex Sapientiſſimis Chriſtianorum dixerunt, quòd graminibus ſemper virentibus, & immarceſcibilibus floribus, atque perpetuâ vernantiâ, vt & amœnitate inſtar paradiſi ſit decoranda.* Quam cogitationem confirmat exinde, quòd ſicut terra propter peccatum Adæ denuò germinauit ſpinas, & tribulos, vt fuit aliquorum Patrum ſententia, de qua, præter Scribentes in Geneſim, vel in opus ſex dierum, Noſter Cornelius in c. 1. Sapientiæ v. 14. ita propter merita ſanctorum conſentaneum ſit, roſas, & flores producere. Ludolfus de Saxonia 2. parte vitæ Chriſti cap. 87. inquit, *tota terra erit ſicut paradiſus.* Videantur alij citati à P. Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 24. §. 3. in Gloſſa litt. *T.* Quorum omnium ſententia adeò placuit P. Nicolao Serario in cap. 16. Iudith. quæſtiuncula 2. vt ex mixtis deſeruientibus in terra ad honeſtam glorificatorum hominum hominum poſt reſurrectionem quoad ſenſus voluptatem, probet ſimiliter extitura in Orco mixta, vt vermes, picem, ſulphur deſeruientia pro maiori miſerorum hominum quoad ſenſus pœnam. P. Suario non omninò improbabilis eſt eadem ſententia propter authoritatem præſertim S. Anſelmi; Henriquez verò licèt iudicet, aſſeri ſine neceſſitate, & ratione, non tamen cum temeritate. Salas tum vbi ſupra diſp. 13. ſect. 4. tum tom. 2. tract. 13. diſp. 11. ſect. 6. q. 3. multus eſt in ea illuſtranda. P. Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 33. ſect. 4. n. 35. pronuntiat, poſſe ſine inconuenienti herbis, & floribus concedi perpetuitatem, viderique ad perfectionem, & ornatum terræ ſummoperè conducere non minus, quàm Solem, Lunam, & Stellas in cœlo.

198 Ex Authoribus qui rediuiuis infantibus non expiatis per baptiſmum à peccato originali deſignant terræ ſuperficiem in habitationem, plures ſatis conſequenter tradunt expreſſis verbis, ipſam terram herbis, floribus perpetuò decorandam, vt in ipſa naturalem, ac ſuauem vitam ſine mœrore, tædio, vel otio æternùm tranſigant, aſſurgentes ex viſione, & contemplatione iucundiſſima cœli, ſyderum, ac elementorum ad cognitionem, amorem, laudéſque Dei. Et ſunt, qui ibi viſitandos ab Angelis, & Beatis hominibus autument, vt conſtabit legenti Salam præcitatum & Franciſcum Felicem in tract. de peccatis c 12. difficult. 4. n. 3. Tirinum in 2. Petri c. 3. v. 13. Theodorum Smiſingum tract. de de Prouidentia Dei diſp. 6. q. 7. num. 401. Columbum lib. 2. de Angelica Hierarchia cap. 8. num. 21. Vbi hic Author addit, alludi fortaſſis ad futurum terræ ornatum, & ad habitationem puerorum in ea, cùm in Pſalm. 113. v. 16. ſcribitur, *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*, & in epiſt. ad Epheſios cap. 1. v. 10. *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo.* Ideſt, quæ cœleſtem habitationem habebunt, atque terrenam. Et Apocalypſis cap. 21. verſ. 1. *Vidi cælum nouum, & terram nouam.* Vt enim interpretamur Cœlum plenum incolis, ſic & de terra cogitandum videtur.

199 Sed quidem cum à S. Petro in epiſtol. 2. c. 3. v. 10. dicatur *Terra, & omnia opera, quæ in ea ſunt, exurentur*, per ignem conflagrationis extremæ, ideo, Iudice Suario, temerarium eſſet negare omnium, quæ in terra fuerint, mixtorum combuſtionem. Quamuis verò, vt opponit Arriaga contra Tannerum conſentientem Suario, loquatur S. Petrus eodem modo de operibus terræ, ac de ipſa terra, quæ peritura non eſt; non apparet, quo in ſenſu verificari poſſit exuſtio operum terræ, plantarum videlicet, & florum, niſi iſta pereant, & redigantur in cineres: poteſt autem optimè verificari exuſtio terræ, quin hæc pereat omnino, ſed tantùm quoad ſuperficiem immutetur, & comburatur; *& fortaſſe etiam quoad aliquam partem, quæ ad corruptionem omnium, quæ ſunt in terra, & ipſius terræ purgationem ſufficiat: nam hoc in rigore ſignificat terræ exuſtio. Ita enim ſæpè in Scriptura dicitur Regio aliqua accendi, ſiue exuri, quandocumque omnia, quæ in ea ſunt, concremantur vſque ad ſuperficiem terræ.* Sic Suarius ſect. 2. v. *Dico quarto.*

200 Si cum Soto in 4. diſt. 48. q. 1. art. 3. in fine, & Martino Ledeſma in ſecunda quartæ q. 76. art. 1. concluſione 4. Coſma Magallano lib. 3. in Moſis Cantica & benedictiones Patriarcharum ſect. 5. annotat. 2. n. 53. quis adhuc cogitaret, paradiſum Adamicum, aut partem aliquam terræ, operúmque eius præſeruandam ex diuina diſpoſitione ab igne conflagrationis, vti ab aquis diluuij exemptum putant paradiſum illum Toſtatus in cap. 25. Matth. q. 435. parte etiam 1. ſuper Euſebium Cæſarienſem c. 150. & 151. apud ſcripſit opus vernacula lingua Hiſpana: Bellarminus lib. de gratia primi hominis c. 14. & complures alij; eſto non minus vniuerſaliter in cap. 7. Geneſis ſcribatur, *Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub Vniuerſo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* Si quis, inquam, ita cogitaret, deberet pro limitãda ea vniuerſali Scripturæ propoſitione, *Terra, & omnia opera, quæ in ea ſunt, exurentur*, adducere vel ab authoritate Scripturæ, & Patrum, vel à ratione magnum aliquod fundamentum; quod certè hîc deeſt; quicquid ſit, an adſit pro præſeruatione paradiſi, ne occuparetur aquis diluuij. Quare cum Toſtato, Magio, & Delrio in Adagio ſacro 789. ſentiendum eſt, non fore immunem paradiſum ab igne conflagrationis.

201 Propoſita à Serario in 2. S. Petri cap. 3. q. 2. reproductio herbarum, florum, & roſarum nunquam marceſcentium in antiqui paradiſi ſitu, aut in alia terræ regione, aut in tota terra ſpeciem aliquam probabilitatis habet; maximè ſi infantes decedentes ſine lauacro regenerationis habitaturi ſint in terra poſt reſurrectionem, quod piè, & probabiliter dici, repetit Suarez diſp. 9. de peccatis ſect. & num. 6. tom. 4. in 3. p. diſput. 45. ſect. 2. num. 11. Pineda in cap. 26. Iob v. 10. num. 7. Lorinus in 2. Petri cap. 3. v. 12. traditúrque affirmanter à Salmerone, Cornelio, Serario, Leſſio, Arriaga, Roa, vt omittam externos alios, inter quos Ouandus in 2. diſt. 33. propoſ. 8. aduertit, præfatam opinionem non ſentire cum Armenis in Florentino Concilio damnatis, quorum error fuit, *Quòd paruuli fidelium, non baptizati, irent poſt mortem ad paradiſum*

terreſtrem

terreſtrem. Sic Ouandus, cuius animaduerſio) ſi in Florentino Concilio damnatus ſit expreſsè relatus error, quatenus ibi definitur, *illorum animas, qui in actuali peccato mortali, vel ſolo originali decedunt, mox in Infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas* fundatur in eo quòd præfata opinio non introducit paruulos in paradiſum, vel quaſi paradiſum terreſtrem, vſquedum ipſorum animæ reuniantur corporibus; neque anteà, neque poſt liberat ipſos æterna damni pœna conſiſtente in carentia viſionis Dei Phocius cod. 53. Biblioth. refert ex Concilio plenario Africano aduerſus Pelagium & Cæleſtium celebrato apud Cathaginem ad annum 418. *damnaſſe anathemate eos, qui affirmarent, medio quodam loco paradiſum inter, & inferos, non baptizatos infantes beatè viuere.* Et Binius in Concilio Africano ſub Bonifacio & Cæleſtino poſt caput 77. adducit ex peruetuſto quodam codice ſimilem damnationem. Sed in primis hoc caput non reperitur vnà cum Concilij Carthaginenſis authoratis aliis canonibus, ſolitis perperàm attribui Synodo Mileuitanæ II. Deinde poſſet exponi, quatenus neget pueris non baptizatis locum medium inter cæleſtem paradiſum & inferos ante generalem tantùm reſurrectionem; & poſt hanc etiam decernat æternum damni ſupplicium. Si ergo probabile eſt, paruulos iſtos commoraturos in terræ ſuperficie, probabile etiam erit, eam ornandam nouiter; alioqui parùm deſeruiret incolarum voluptati manens inanis, vacua, & infructifera.

202 Verum eſt, à Theologis communiter doceri duo contra hunc terræ ornatum, ſcilicet ipſam totam vndique cooperiendam aquis redactis ad naturalem ſuum locum. Et rurſus nullum in elementis extiturum mixtum poſt orbis inſtaurationem, nihilque diſcriminis eſſe, cur in terra nouæ plantæ incorruptæ, & non in aqua, & aëre, piſces, & aues nouæ, ac immortales. Ad primum reſponderi poſſet ex P. Sala, quamuis concederetur, terram omnino fore aquis operiendam, non ideò negandum exiſtere ſub illis herbas immarceſſibiles, & pueros; quorum corpora ex diuina protectione immortalia, nec ſuffocabuntur aquis, nec reſpiratione indigebunt. Meliùs poſſet dici, reditum aquarum, ad naturalem ſuum locum, ita vt totam terram circumdent, etſi à Thologis recentibus aſſeratur, nempe, à Bellarmino lib. 5. de Amiſſione gratiæ & ſtatu peccati cap. 2. Henriquez ſuprà §. 3. in textu, Granado 3. p. controu. 13. de Nouiſſimis tract. 1. n. 9. Pineda in cap. 26. Iobi. v. 10. Tanneto, & aliis, ſilentio tamen præteriti ab antiquis Theologis. Vnde Suarius v. *Solum ſupereſt* admittendum vel inficiandum eſſe dixit optimè prout quiſque admiſerit, vel inficiatus fuerit habitationem paruulorum in ſuperficie terræ. Ad ſecundum reſponderi poſſet ex Serario, incertiſſimum eſſe quòd poſt Iudicium in Elementis nulla erunt corpora mixta, & contrarium fortè probabilius Verumtamen Serarij cenſura haud quaquam placebit perpendenti Theologos veteres, plerumque ſupponere aut expreſsè affirmare mixtorum omnium in elementis deſitionem poſt inſtauratum orbem Ita S. Thomas. S. Bonauentura, Henricus, Richardus, Pariſienſis, Taranraſia, Paludanus, Albertus, S. Antonin. Carthuſianus, Sotus apud Suarium, & Henriquez, ac Granadum; adiicique poſſent multi alij ex Sententiariis; faciátque ex Græcis Authoribus acceſſionem Gregorius Archiepiſcopus Taurominitanus oratione de Indictione inquiens, *Hoc verò nequaquam ignoras, futuram illam, quam ſperamus vitam, eorum terminum eſſe, quæ, quomodò propagari creatæ res ſolent, ortus, & interitus viciſſitudine gignuntur.* Ex Latinis, Richardus Victorinus, qui lib. 3. ſuper Apocalypſim cap. 7. ait, *Poteſt exiſtimari, omnia corpora ex elementis compoſita in conflagratione Iudicij diſſolui, & in elementa reuerti, nec ampliùs corpus ex elementis confici, ſed elementa in æternum in ſua puritate perſeuerare.* Hinc Sotus in cap. 8. epiſtolæ ad Rom. v. 22. inquit, nihil non detrectare Scholaſticum, & ridiculos eſſe, qui adſeuerant, innouanda mixta corruptibilia, exceptis inſectis & generatis ex putredine.

203 Sed adhuc ad ſecundum diceret non omninò diſſonè aliquis, veteres Theologos id præcipuè intendere, ne in elementis detur viciſſitudo generationum, ac corruptionum, & ne permaneant mixta, quæ antea in ipſis erant. Quòd autem aliqua de nouo producantur in terra, conſeruentúrque incorrupta, non videtur adeò oppoſitum antiquis Theologis, neque eſt valdè alienum ab eorum mente, qui relati iam in Exercit. 25. ſect. 2. aiunt, perennaturam in Empyreo Crucem, in qua Chriſtus obiit, & qui in Inferno veros vermes incorruptos extituros putant apud Valentiam diſp. 11. q. 5. puncto 3. Serarium, & Tirinum in cap. 16. Iudith. v. 21. Antonium Ruſcam lib. 2. de Inferno cap. 31. Maximilianum Sandæum in Grammatico profano, Commentatione 16. à n. quinquageſimo, Bonartium in cap. 7. Eccleſiaſtici v. 19. Cornelium ibi, & in cap. 66. Iſaiæ: nec abnuit Sandæus n. 53. vermes ortui, interituique obnoxios in orco. Præterea Abulenſis, & cum ipſo Barradas tomo 3. in Euangelia lib. 9. cap. 15. quandoquidem Chriſtus iudicaturus mundum veniet in nubibus, ſecundùm Mathæum cap. 24. v. 30. cap. 26. v. 64. notant, Deum per miraculum vel conſeruaturum nubes poſt ignem conflagrationis, vel producturum de nouo. Olympiodorus in cap. 12. Eccleſiaſtis, quia iuxta Paulum 1. ad Theſſalon. cap. 4. v. 17. *Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* ait, *Nubes tunc in alind miniſterio Domino Deo obedient, vehicula fortaſsè geſtandis Sanctis effecta.* En mixta alia ſaltem imperfecta, poſt conflagrationis ignem. Pro perfectis extituris in aëre, & in aqua nullum eſt ab authoritate fundamentum, quale adeſt pro mixtis in terra, vt conſtat ex n. 197. & 198. Nihilominus quia hæc neque in ſacris Litteris, neque in Eccleſiæ Patribus, excepto S. Anſelmo, confirmationem habent, & aliunde frequenti veterum Theologorum repudiantur conſenſu; idcircò nec à me defenſantur, vt nec aſſerta ſunt ab Arriaga tomo 1. in 1. 2. diſp. 52. ſect. 2. vbi accuratiùs tractauit de rediuiuis infantibus, qui ſine luſtrali aqua exceſſere è viuis.

204 Porrò autem, cùm nos adeò moderatè de horum paruulorum poſt iudicium ſtatu loquamur reuereri Patrum, & Theologorum, vt par eſt, cenſuram, non poſſumus non improbare Hieronymum Columbum, dum lib. 2. de Angelica, & humana Hierarchia cap. 8. proponit vt probabile, Infantes decedentes ſine baptiſmo, poſt latam & promulgatam eius legem, baptizandos eſſe ab aliquo Angelo, aut homine in nube, vel in mari, die magna extremi Iudicij, quando ſuum corpus receperint, ſicque hæreditatis Chriſti conſortium adepturos; dumq; ibidem vt probabile etiam tradit, paruulos alios, qui ante legem Baptiſmi obierunt ſine remedio Circumciſionis, vel eo, quod fuit anteà cõtra peccatum originale, credidiſſe prædicanti Chriſto, quando deſcendit ipſius anima ad Inferos, accepiſséque ab illo

illo pænitentiam dignam vita æterna, Non poſſumus,inquam,non mirari, Authorem Catholicum & Theologum, qui hæc dicat probabilia. Nam quantum ad primum, *quis negat, niſi manifeſtus hæreticus, paruulos in peccato decedentes, nunquam per Chriſtum regenerandos, neque in eius regnum vllo vnquam tempore transferendos?* quæ ſunt verba Cardinalis Bellarmini lib.6.de ſtatu peccati cap. 2. vbi Catholicæ fidei dogma eſſe oſtendit, infantes emigrantes ex hac vita abſque lauacro paſſuros æternam damni pœnam; quod etiam demonſtratur à Suarez tomo 3.in 3.p.per integram diſp.27.& non niſi valdè difficulter inuenitur via ad liberandos pueros hos à pœna ignis,& carceribus Inferni, ſalua authoritate Patrum, & præcipuè S.Auguſtini. vt ſatis ſuperque innoteſcit ex Petauio tom. 1. Theolog.dogm.lib.9.c.10.& 11. Ad hæc: cùm non conſtet de diſpenſatione facienda à Deo in lege ordinaria,ridebunt Theologi, tanquam ſomnium, miniſtrandum ab Angelo baptiſmum,aut ab homine alteri homini poſt reſurrectionem generalem. Et verò quantùm ad ſecundum, neſcit non quicumque à limine ſalutauit Theologiam, peccatum originale non eſſe obiectum penitentiæ retractatiuæ. Poſſunt quidem alij actus penitentiæ de eo peccato haberi,taléſque eſſe, vt vi ipſorum moueatur Deus ad conferendam gratiam ſanctificantem, per quam deleatur illius peccati macula. At huic indulgentiæ diuinæ non eſt locus extra ſtatum viæ, neque fuit pro paruulis, neque item pro adultis, qui cum peccato lethali vel originali vel perſonali deceſſerunt ante deſcenſum Chriſti ad Inferos. De quo S.Thomas 3.p.q.52.art.6. & 7. Suarez tomo 2.in 3 p diſp.43.ſect.3. Videatur Petauius cap. illo 11.vbi contra Ioannem Gerſonem 3.p.operum, in ſerm.de Natiuit.B.Virg.Mariæ. Conſid.2. Gabrielem Biel in 4.diſt.4 q.2. art. 3. dub. 2. Caietanum 3.p.q 68.art.11.qui non omninò deſperant, etiam ante vniuerſalis iudicij diem, de æterna ſalute infantium intra Chriſtianarũ matrum vteros obeuntium, ſine aquæ vel ſanguinis baptiſmo, diſputat non minori acrimonia quàm eruditione;vt & Caſtro lib.3.de hæreſib. 9. verbo Baptiſmus,hæreſi 9. Valentia tom.4.diſp. 4. q. 3. punct. 4. Suarez diſp. illa 27.tom. 3.in 3. p. Granad. in 3. p. controu. 4. generali de Bapt. tr.3.diſp. 4. Refutantque ibidem eundem Caietanum q. 68. art. 2. & alios, penes quos pueri iam nati ſaluantur, ſi dum baptiſmus aquæ adminiſtrari nequit, adſit Parentum votum exteriori aliquo ſigno indicatum: Aut ex priuilegio diuino ſpeciali, ſi in baptiſmi adminiſtratione defectus quiſpiam eſſentialis intercedat. Bellarminus l.4.de Chriſto c.16.

SECTIO XVI.

Erúntne viſionis corporeæ obiecta Damnati exiſtentes in Inferno?

205 AVreolus in 4.diſt.50.art. 4.Scribit, *Quod Beati videant de facto* (oculis corporalibus) *pœnas damnatorum, certum eſt per authoritates Sanctorum.* Sed ne cæcè Aureolo fidem exhibeamus,examinandum eſt, quænam ſint authoritates illæ veterum Patrum? Occurrit in primis S.Cyprianus contra Demetrianum inquiens, *Cremabit addictos ardens ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: neque erit, vnde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando,vel finem. Seruantur cum corporibus ſuis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis ſemper, qui hic nos ſpectauit ad tempus; & in perſecutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus perpetua viſione penſabitur, ſecundùm Scripturæ ſanctæ fidem dicentis, Vermis eorum non morietur.& ignis eorum non extinguetur, & erunt ad viſionem vniuerſæ carni.* Deinde Lactantius lib.6.diuinarum Inſtitutionum cap.26. *Omnis turba impiorum,pro ſuis facinoribus in conſpectu Angelorum, atque iuſtorum perpetuo igne cremabitur.* S.Hieronymus in cap.66.Iſaiæ v.24. *Omnium Sanctorum oculis eorum ſupplicia monſtrabuntur, qui pro auro,& argento,& lapide pretioſo ædificauerunt ſuper fundamentum dom n fænum, ligna, ſtipulam, ignis pabulum ſempiterni.* S.Auguſtinus lib.22. de Ciuitate Dei cap.30. *Damnatorum eos* (nempè Beatos) *ſempiterna miſeria non latebit.* S.Gregorius Magnus lib.33.Moralium cap.19.lib.34.cap.13. & homilia 40.in Euangelia, *Iuſti ſemper intuentur iniuſtos in tormentis,vt hinc eorum gaudium creſcat,quia malum conſpiciunt,quod miſericorditer euaſerunt: tantoque maiores Redemptori ſuo gratias referunt, quantò vident in aliis,quod ipſi perpeti,ſi eſſent relicti, potuerunt. Nec illam tamen beatitudinis claritatem apud Iuſtorum animum fuſcat aſpecta pœna reproborum, quia vbi iam compaſſio miſeriæ non erit,minui proculdubiò Beatorum lætitia non valebit.* Laudantur verba hæc à S.Iuliano Toletano lib. 2. Prognoſtici cap. 32.à V.Beda in cap.16.Lucæ ab Haymone homilia in Dominicam 2.poſt. Pentecoſten, ab Hincmaro Remenſi in vita S.Remigij,à S. Iſidoro Hiſpalenſi lib.1.de ſummo bono cap.32.

206 Theodoretus in cap.66.Iſaiæ v.24.ait, *Qui fruuntur æterna illa felicitate damnatos vident, & pœnas quas criminum,& ſcelerum pendunt.* S. Anſelmus in Elucidario, *Inimicos ſuos, qui ſe olim affixerunt,in Inferno videbunt, & de his omnibus ineffabiliter gaudebunt.* Prudentius in Hamartigenia,

Certa fides,rabidos ſub terra nocte caminos
Qui pollutam animam per ſæcula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remoti
Pauperis expoſitos;nec ſecius aurea dona
Iuſtorum dirimente chao, rutiláſque coronas
Eminùs oſtendi pœnarum carcere merſis,
Hinc paradiſicola poſt vlcera dira beato
Proditur infelix vlulans in peſte reatus
Spiritus, inque vicem meritorum mutua cernunt.

Lucifer Calaritanus in lib.quòd moriendum ſit pro filio Dei,affatur ſic Conſtantium Imperatorem: *Erit profectò benè eis, qui non negauerint Dei filium qui labore ſanctæ confeſſionis potientur: contra tibi, ſi in hac amentia, qua viuis nunc, ſemper cenſueris manendum, erit malè, perpetuò illa percipiens, quæ nunc percipit Iudas Iſcariot:tunc te viſuri nos ſupplicem,& tamen omnis lamentatio penitentiæ tuæ futura inefficax, quoniam quidem hic aut adquiratur vita perpetua,aut mors.* Hactenus Lucifer,qui paulò anteà dixerat eidem Conſtantio: *Tu ergo, & omnes comparticipes tui, quoniam eſtis amariſſimæ arbores, fructus portantes mortis, quippe peccantes in Deum, niſi ad cæleſte feceritis iter tranſitum, excidemini,vt præcipitati veniatis dicto citiùs in altitudinem profundam,vnde viſurus ſine dubio tu eos, quos nunc iniuſtè perſequeris, vt tunc vidit ille Diues Lazarum in ſinu Abrahæ,Iſaac,& Iacob amicorum Dei, & omnium Prophetarum,Apoſtolorum, & Martyrum.* S. Bernardus ſerm. 8. in Pſal.90.ait *Hoc planè eis* (nempe damnatis) *graue tormentum,& magnus quidem malorum cumulus erit. Fortè enim quodcumque ſolatium videretur, eorum, quos tam malitioſè*

Digitized by Google

impugnarunt in tormentis ſuis, vel conſcientiam latere, vel ipſos ſaltem declinare poſſe conſpectus.

207 Hæ ſunt antiquorum Patrum authoritates, quas inuenire potui. Attamen, ſi vnus excipiatur S. Anſelmus, reliqui non vrgent, vt aſſeratur, Beatos corporeis oculis videre ex Empyreo damnatos in orco incluſos. Intelliguntur namque ſatis aptè de viſione ſpirituali; de qua apertè loquitur S. Auguſtinus, vt conſtat ex verbis antecedentibus, & ex lib. 20. cap. 22. SS. Hieronymus, & Bernardus, ſi innuant viſionem materialem, non niſi habendam tempore extremi Iudicij. Et quidem Scripturæ ſanctæ duo teſtimonia, quæ præſenti inſtituto conducunt, non aliud indicant, quàm aut viſionem ſpiritualem, aut materialem habendam prædicto tempore. Primum teſtimonium extat cap. 14. Apocalypſis verſ. 10. *Cruciabuntur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni.* Sed hoc à paucis eſt adnotatum in hanc rem, & de viſione ſpirituali accipiendum eſſe, nemo ibit inficias.

208 Secundum extat, cap. 66. Iſaiæ v. 24. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Egredientur,* expendit S. Hieronymus, *non loco, ſed intelligentia.* S. Iulianus Toletanus lib. 3. Prognoſtici cap. 51. *Quaſi per ſcientiam,* ait, *egreſſuri ſunt.* S. Auguſtinus cap. illo 22. explicat latiùs in hunc modum, *ſed quomodò egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Nunquid corporis motu, beatas illas relicturi ſunt ſedes, & ad loca pœnalia perrecturi, vt malorum tormenta conſpiciant præſentia corporali? Abſit. Sed egredientur per ſcientiam; hoc enim verbo ſignificatum eſt, eos qui cruciabuntur, extra futuros. Propterquod & Dominus ea loca tenebras exteriores vocat, quibus contrarius eſt ille ingreſſus, de quo dicitur ſeruo bono, intra in gaudium Domini tui, ne illuc mali putentur ingredi, vt ſciantur; ſed ad illos potiùs velut egredi per ſcientiam, quia eos cognituri ſunt boni, quia id, quod extra eſt, cognituri ſunt. Qui enim erunt in pœnis, quid agatur intus in gaudio Domini neſcient; qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus, ſcient. Ideo dictum eſt, egredientur, quia eos etiam, qui foris ab eis erunt, vtique non latebunt.* Hactenus S. Auguſtinus, cui conſonant Gloſſa ordinaria, Forerius. Leo Caſtrenſis, Sanchez, & alij Interpretes Prophetæ Euangelici, qui (ſi demas Hugonem Cardinalem) de viſione ſolùm ſpirituali eum intelligunt, vt & Magiſter Sententiarum in 4. diſtinct. 50. S. Thom. compluréſque Sententiárij, apud quos viſionis materialis nulla eſt mentio.

209 Non itaque eſt tam certum per authoritates Sanctorum, quod ab Aureolo ſupponitur. Imò inter veteres ſcriptores Olympiodorus in c. 1 Eccleſ. v. 11. videtur negare Beatis perceptionem etiam ſpiritualē pœnæ, quam patiuntur damnati, *Qui officioſè* (inquit) *vixerunt in hoc mundo, mox cœleſtis regni præmium conſequuti non habent in ſenſu memoriam laborum, quos in præſenti vita pertulerunt; ſed neque ſenſu, animóque percipiunt damnatorum pœnam::: Non quòd vlla obliuio animas occupatura ſit, ſed quia ex præſenti voluptate dolorum memoria ceſſabit.* Euſebius Gallicanus in homilia de bono Latrone alloquitur ſic ipſum, *Intra paradiſum nequaquam vltrà cum Adam viſurus Infernum.* Si τὸ *nequaquam viſurus, &c.* dicatur idem eſſe ac non incurſurus periculùm Inferni, annuam facilè. Olympiodori interpretatio non adeò in procliui eſt. Sed quid de eo ſit, Beati intellectualiter cognoſcent clarè, & diſtinctè, poſt diem Iudicij, damnatorum pœnas. Ita Patres ſuprà exarati: quibus adhærent Theologi cuncti; & meritò, quia hæc cognitio non parùm conducet ad perfectionem accidentalem beatitudinis; quippe collata propria felicitate cum damnatorum miſeria, æſtimabunt pluris illam, Deóque vberiores gratias agent, vt inquit S. Thomas in 4. diſt. 50. q. 2. art. 4. quæſtiuncula 1. Sanè vt canit Lucretius lib. 2. de rerum natura,

Suaue, mari magno criſpantibus æquora ventis
E terra magnum alterius ſpectare laborem.
Non quia vexari quemquam eſt iucunda voluptas,
Sed quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuaue eſt.

Reperies rationes alias in ſerm. 8. S. Bernardi ſuper Pſalm. 90. & in lib. Guilielmi Pariſienſis de retributionibus Sanctorum prope finem.

210 Deuenio ad viſionem materialem. Et cenſeo primò, à quouis Beato ex ſua ſede Empyrea videri poſſe ſupernaturaliter orci incolas, vel eleuatis horum corporibus ad producendas ſpecies in glorificatis oculis, vel infuſis ſpeciebus diuinitus, vel ſupplente Deo concurſum obiectiuum, præſtandum aliàs ab obiectis. Ab hac aſſertione ſtant Aureolus, & Baſſolis in 4. diſt. 50. ille art. 4. hic quæſt. 3. art. 2. Nyſſe in vltima quæſt. Reſolutionis Theologorum concluſione 5.

211 Cenſeo ſecundò, ſi admittatur in Chriſto viſio corporea reproborum, æquum eſſe, vt quandoque ſaltem admittatur in reliquis Beatis. Nam illa viſio non eſt vna ex his excellentiis, quas Chriſtus ſibi ſingulariter vendicat ob dignitatem naturæ aſſumptæ à Verbo diuino; & aliunde Beatis erit delectabile intueri corporaliter damnatorum pœnas, haud ſecùs, ac eſt delectabile intueri mentaliter. In Chriſto autem admittendam viſionem corpoream reproborum tradunt Suarius tom. 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 6. v. *Dices ergo.* & Ægidius Luſitanus infrà, dum vniuerſaliter docent, potentiam viſiuam Chriſti extendi ad quodlibet obiectum quantumcumque diſtans.

212 Cenſeo tertiò, videri poſſe naturaliter à quouis Beato, ſi deſcendat ad Inferni regionem. Ita S. Antoninus 3. p. ſummæ tit. 30. c. 8. & §. 4. *videbunt* (inquit) *Beati & oculo corporali pœnam damnatorum non quidem in cælo exiſtentes propter nimiam diſtantiam, ſed poterunt ad placitum corporaliter de cælo deſcendere.* Colludunt Gerſon. ſerm. de feſto omnium Sanctorum 4. p. & in alio ſermone de omnibus Sanctis part. 2. Paludanus in 4. diſt. 50. q. vnica art. 3. Durandus ibidem quæſt. 3. numer. 5. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſput. & ſect. 14. num. 109. Indicat Maior in 4. diſtinct. 50. quæſt. 1. verſ. *ad ſecundam dubitationem,* dicens, Beatos poſſe videre pœnas damnatorum; quia habebunt oculos corporis, & mentis optimè diſpoſitos; *& poſſunt mouere, vel mutare ſe quolibet ſucceſſiuè, vel inſtantaneè.* Deſcenſum hunc ad loca pœnalia non approbat S. Auguſtinus adductus num. 208. neque Vuendelinus in ſupplemento Gabrielis ſuper 4. diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. dub. 1. ad 2. Valentia tom. 4. diſp. 11. quæſt. 5. punct. 3. verſ. *poſt Iudicium,* Bonacina in 3. part. diſput. 3. quæſt. 5. punct. 4. propoſit. vnica num. 18. mouentúrque tres iſti Authores à paritate Limbi, & Inferni; nam ex his locis non erat reciproca commeatio ſecundùm illud Lucæ 16. verſ. 26. *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint,*

nec

Digitized by Google

nec inde huc tranſmeare. Quo etiam exemplo perſuaſus Iauellus in 8. part. Chriſtianæ Philoſophiæ tract. 4. cap. 2. credit, Beatos in loco ſuo videndos corporaliter à damnatis, quandoquidem & diues Epulo *eleuans oculos ſuos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius,* iuxta eundem Lucam v. 23. & Valentia v. *Olim* infert ex appoſitis verbis, videri antiquitus potuiſſe à damnatis iuſtos requieſcentes in Limbo. Neque id mirum, ait Valentia, cùm Limbus etiam fuerit ſubterraneus locus in ipſa regione Inferni.

213 Quæ ratio pro viſione ſpirituali, de qua debet loqui, parùm ad rem facit, non enim promouetur, aut retardatur viſio ſpiritualis ex obiecti vicinia, aut diſtantia, niſi dicatur, animas ſeparatas accipere ſpecies ab obiectis; aut ad hæc videnda non accipere ſpecies infuſas à Deo, aut ſpecies anteà inditas non determinari, vt prodeant in viſionem, quando obiecta ſunt valdè diſtantia. Hinc Scotus in 4. diſt. 50. quæſt. 3. dixit, *Si requiratur diſtantia debita inter intellectum, & obiectum, non cognoſcunt* (Beati) pœnas damnatorum in genere proprio, *quia non eſt diſtantia proportionata inter potentiam exiſtentem in cælo Empyreo, & obiectum in Inferno.* Sotus etiam ibidem quæſt. vnica art. 6. dixit, *Quòd per mentis intelligentiam beatas animas videant* (damnatæ) *nulla eſt repugnantia, quia animæ ſeparatæ poſſunt alias animas ſeparatas, ſicut & Angelos intueri. Verumtamen cùm ſint finitæ, limitatæque potentiæ, profectò naturaliter non poſſunt à tanta diſtantia mentis aciem protendere.* Sed omiſſa ratione Valentiæ, neque priora, neque poſteriora verba, cum parabolam ſapiant admixtam hiſtoriæ, valent ad probandum quæ intenduntur, vt animaduertit Maldonatus inquiens, *Solet quæri, num damnati Beatos videant? & quod videant, ex hoc loco probari. Siue videant, ſiue non, quæ in re Theologorum puto ſequendam eſſe ſententiam, certè ex hoc loco probari non poteſt, ſi, vt diximus, parabola eſt.* Indicat Maldonatus communiorem eſſe ſententiam, quòd Beati videantur à damnatis.

214 Ita quidem eſt, ſi de viſione ſpirituali ante diem Iudicij ſit ſermo, ea namque damnatis conceditur à Magiſtro in 4. diſt. 50. cum SS. Auguſtino, & Gregorio Magno; Magiſtrum ſequuntur multi Sententiarij; licèt Sotus dubitet de viſione terminata ad Beatos ſingulariter, & S. Bonauentura neget, nonnullique Patres apud Euthymium, qui in cap. 16. Lucæ verſ. 23. recitata ſententia S. Gregorij addit, *Alij verò Patres dicunt, neque à peccatoribus videri iuſtos, neque à iuſtis peccatores.* Ipſe tamen Euthymius dixerat, *Ex hac parabola diſcimus, quòd in futuro ſæculo, non ſolùm peccatores vident iuſtos, & iuſti peccatores, ſed etiam agnoſcunt.* Adamus Contzen ibidem quæſt. vnica §. 2. concors eſt. Aſt Barradas tom. 3. in Euangelia lib. 4. cap. 5. exiſtimat, & cum ipſo Eſcobar volumine 5. in Euangelia temporis pag. 243. impios non intueri ex Orco Beatos, niſi ex peculiari priuilegio per reuelationem; qua ratione Lazarum, & Abrahamum in Limbo viſos ex Orco à diuite Epulone credit citans Caietanum, & Ianſenium in hanc mentem; quæ quo ad viſionem gloriæ Beatorum placet Soto, & Argentinenſi.

215 Si verò ſermo ſit de viſione ſiue ſpirituali, ſiue materiali poſt diem Iudicij, damnatis negatur concorditer à Theologis reſpectu tam Beatorum, quàm gloriæ ipſorum. *Poſt diem Iudicij* (ſic S. Thomas, qui pro multis ſufficiat) *omninò Beatorum viſione priuabuntur; nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, ſed augebitur, quia memoriam habebunt gloriæ Beatorum, quam in Iudicio viderunt, vel ante Iudicium; & hoc erit eis in tormentum: ſed vlteriùs affligentur in hoc, quòd videbunt ſe indignos reputari etiam videre gloriam, quam Sancti merentur habere.* Huc fortè reſpexit S. Chryſoſtomus, dum in epiſtola ad Theodotum lapſum, ſub damnatorum perſona ſic loquitur: *Neminem videbimus præter condemnatos nobiſcum, & immanem ſolitudinem.* P. Thomas Comptonus in vniuerſa Philoſophia d. 2. de cœlo ſect. 3. non diſtinguens tempora ante, & poſt Iudicium tradit abſolutè, Dæmones, & animas damnatas non videre Empyrei lucem; nam licèt non ſit ſecretum cordis, nec in entitate ſupernaturalis, ſed naturalis, etſi, vt addit in num. 10. altioris gradus, quàm lux aliorum cœleſtium, & elementarium corporum, nihilominus ad ordinem ſupernaturalem quodammodò pertinet, tanquam ornamentum ſedis Beatorum, ideóque eius intuitio damnatis non debetur; vti neque viſio negationis gratiæ habitualis, quamuis enim negatio non ſit ſupernaturalis, habet tamen quandam cum gratia connexionem. Sic doctus ille vir in num. 2. & in 3. permittit damnatis conſpectum extimæ partis cœli Empyrei, vt maior inde pœna eis accreſcat, quòd noſcant ingentiſſimam lucem, aliáque ad Beatorum fortunatiſſimum ſtatum contineri intra Empyreum. Sed neſcio, qua conſequentia permittatur conſpectus ſedis Beatorum, & negetur lucis condecorantis ipſammet ſedem. Latet me etiam, quidnam ſpeciale adſit in luce Empyrea comparata ad intellectum Dæmonum, & animarum infelicium, vt magis dubitetur de viſione lucis, quàm aliarum entitatum materialium, vel immaterialium ſpectantium ad glorificationem ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem. Præterea lux ornans Chriſti, cæterorúmque Beatorum hominum in die Iudicij corpora videbitur tunc intellectualiter à Dæmonibus, & à damnatis hominibus tam oculis mentis, quàm corporis abſque eleuatione ſupernaturali. Lux autem Empyrea ſuperioris conditionis haudquaquam eſt. Quare quòd poſt diem Iudicij non conſpiciatur ab intellectu Dæmonum, & animarum infelicium, tribuendum tantùm eſt denegationi concurſus diuini ad eliciendam viſionem; cuius denegationis ante diem illum non adeò certi ſumus. Sed de his ſatis.

216 Ex quibus liquet, infirmum eſſe exemplum, quo vtitur Iauellus. Liquet etiam, elanguidum eſſe illud, quod Vuendelinus, Valentia, & Bonacina vſurpant. Addo, etſi ea verba, *inter vos, & nos, &c.* eſſent purè hiſtorica, adhuc non inferri Beatos poſt Reſurrectionem non poſſe ex Empyreo deſcendere in Barathrum. Nam Abraham loquebatur eo tempore, quo animæ non poterant exire ex receptaculo Limbi, niſi diſpenſante Deo in lege vniuerſali prohibente egreſſum. Aſt beati homines poſt reſurrectionem egredientur Empyreo, quotieſcumque voluerint nulla retardati lege Dei, quin potiùs ipſius placito conformes, deſcendéntque, prout libuerit in ſphæras cœleſtes, & elementares, vt Sotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 4. art. 7. concluſ. 2. Suarez diſp. 48. ſect. 5. v. *circa ſecundum* & Granadus 3. p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſput. 5. ſect. 3. n. 17. docent; de quo iterùm & nos in ſect. 1. exercit. 33. Iam ergo, ſi Beati poſſunt egredi Empyreo, & peruadere elementa, cur non & Inferni regionem, vt cominùs conſpiciant infelicium tormenta?

217 An ne timendũ eſt, ne ab infelicibus cernãtur?

Sed Beati occultabunt ſe ſe. Num deerit lux, vt damnari videantur? Sed ignis Inferni non omninò carebit luce; quæ eſto ſit modica, ſufficiet nihilominus acutiſſimæ aciei facultatis viſiuæ glorificatæ; præſertim cùm ſufficiat, vt quilibet damnatus tanta acie non præditus, intuatur ſe, & alios ſocios; ſicque ex mutuo pœnarum aſpectu torqueantur magis. Et quamuis in illo vmbrarum loco nulla prorſus eſſet lux, poſſet ex præſentia Beati diffundi ea, quæ ſatis eſſet, vt videret damnatos, quin hi diffuſam lucem aſpicerent. Quòd ſi authore Plinio lib. 11. hiſtoriæ naturalis cap. 37. Suetonio lib. 3. cap. 68. & Zonara in Tiberio Imperatore inerat huius oculis ea vis à natura, vt expergefactus nocte cerneret omnia non ſecus ac luce clara. Si præterea verum ſit, quod de nonnullis Aquilonaribus narrat Olaus lib. 2. hiſtoriæ Septentrionalis cap. 14. pollere nimirùm tanta acie viſiua vt noctu cuncta videant, & diſcernant, idquè ipſum teſtantur Connimbricenſes lib. 2. Animæ cap. 7. q. 9. art. 1. de quodam Brigantino; ſibique quandoque accidiſſe Cælius Rhodiginus lib. 15. lect. antiqu. cap. 1. Cardanus lib. 8. Varietatum cap. 43. aliiſque apud Firmundum lib. & cap. 2. Meteorologicorum art. 3. Honoratum Nicquetium lib. 2. Phyſiognomiæ humanæ cap. 10. art. 4. Si vlteriùs fides adhibenda ſit Plinio lib. 7. cap. 2. Solino cap. 19. Gellio lib. 9. cap. 4. Scribentibus gigni in Albania homines glauca pupilla, qui per noctem clariùs, quàm inter diem cernant; Cur in Beato quid ſimile non cogitabimus, vt ſcilicet nonobſtante carentia lucis in medio, & in extremo valeat intueri iſtud? Et ſic cogitat Conink 3. p. q. 76. art 7. n. 111. Denique qui vereretur ne ſi inter Inferni flammas verſaretur Beatus, pateretur aliquod detrimentum ſiue in corpore, ſiue in anima, is profectò ignoraret glorificati corporis incorruptibilitatem, & impaſſibilitatem; ignoraret etiam illud Origenis homilia 3. in Lucam, *locus nec nocere poterit quemquam, nec iuuare*, nempe ad Dei viſionem, de qua ibi agit Origenes, & refertur in Catena S. Thomæ ad cap. 1. Lucæ v. 11.

218 Cenſeo quartò, videri poſſe naturaliter, Si Beatus habeat obiectorum materialium ſpecies naturales inditas externis ſenſibus: quemadmodùm eas habet infuſas intellectui Angelus, & animus rationalis in ſtatu ſeparationis. Materiales illæ ſpecies queunt tales excogitari, vt non niſi præſentis obiecti, licèt quantumcúmque diſtantis, perceptioni deſeruiant, quia videlicet ſpecies externorum ſenſuum nequeant deſeruire niſi perceptioni intuitiuæ; hæc autem ad obiectum præſens, ſeu exiſtens in rerum natura ferri debeat. Quod verò Beatus habeat etiam ſpecies acceptas ab obiectis, non obſtat illis inditis, vt exemplo animi rationalis apparet, qui in ſtatu ſeparationis conſeruat ſpecies adquiſitas dependenter à corpore, & nouis aliis eorundem obiectorum naturalium donatur ab Authore naturæ. Miſſum facio Exemplum Chriſti Domini, in quo ſimul cum ſpeciebus adquiſitis exercitio ſenſuum exiſtunt aliæ infuſæ per ſe, & per accidens repreſentantes eadem obiecta, vt copioſè tractat Cardinalis Lugus diſp. 20. & 21. de Incarnatione.

219 Cenſeo quinto, ſphæram viſus glorificati eſſe limitatam, ſi emendicet ſpecies ab obiectis. Etenim hæc producunt effectiuè ſpecies; ac proinde, cùm ſint agentia finita debent habere terminum intrinſecum, & extrinſecum actiuitatis. Quarè ſicut lucidum corpus habet limites in diffuſione lucis, ita lucidum & coloratum in diffuſione ſpecierum. Hinc non annuo P. Salas dicenti ſuprà n. 112. Omne corpus habere vim naturalem emittendi diſtinctam ſui ſpeciem ad quamcumque diſtantiam, quamuis inſufficientem, vt cum viſu habente gradum, & intenſionem merè naturalem cauſet viſionem diſtinctam, ſed tãtùm cum habente gradum, ſeu intenſionem diuinitùs ſuperadditam. Suffragantur huic aſſertioni Scotus, Aureolus, Vorillong. Paludanus, Tataretus, Baſſollis, Nyſſe, Durandus, Ouandus, aliique Sententiarij communiter in 4. diſt. 50. Ledeſma in ſecunda quartæ q. 75. art. 1. & q. 86. art. 3. Suarez diſp. 58. ſect. 1. v. *Secundò hinc*, Valentia v. *poſt iudicium*. Thyræus de Iudiciaria Chriſti apparitione cap. 26. n. 127. Barradas tomo 3. in Euang. lib. 10. cap. 3. Granadus ſuprà tract. & diſp. 2. n. 1. diſp. 4. num. 8. Fernandez lib. 3. Theſauri ſacræ ſcripturæ cap. & num. 4. Bonacina in 3. p. diſp. 3. q. 5. puncto 4. propoſ. vnica n. 18. Ægidius Luſitanus tomo 3. de Beatitudine lib. 4. q. 6. art. 3. §. 2. num. 8. rurſus art. 4. num. 4. & 5. Felix cap. 7. de Beatitudine difficult. 2. num. 1. & 3. quatenus ob diſtantiam Beatorum à Damnatis negant illis permanentibus in Empyreo corpoream horum viſionem.

220 Cenſeo ſextò, definiri certò non poſſe, an reſpectu viſus glorificati exiſtentis intra Empyreum, ſint, vel non ſint intra ſphæram naturalem damnati homines recluſi in Orco? Nam licèt diſtantia ab Empyreo ad centrum terræ impar ſit viſui mortalium, determinari certò nequit, imparem eſſe perfectiſſimo immortalium, qui *viuacior erit, quàm hîc fuit*, vt ait S. Proſper, vel potiùs S. Iulianus Toletanus lib. 1. de vita contempl. cap. 11. Et qui *ſub angulo multò minori videre poterit, quàm modò poſſit, & per conſequens multo magis à remoto, & à quàmlongiſſima diſtantia*, vt inquiunt S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 6. Henricus Harphius lib. 1. Theologiæ Myſticæ p. 2. cap. 58. & Sotus diſt. 49. q. 4. art. 5. concluſ. 3. Cuius illationis meliùs intelligendæ gratiâ appono præcedentia S. Thomæ verba, *Quantò ſenſus eſt perfectior, tantò ex minori immutatione facta poteſt obiectum ſuum percipere: quantò autem ſub minori angulo viſus à viſibili immutatur, tantò minor immutatio eſt, & inde eſt, quòd viſu fortior magis à remotis aliquid videre poteſt, quàm viſu debilior, quia quantò à remotiori videtur, ſub minori angulo videtur, & quia viſus corporis glorioſi erit perfectiſſimus, ex paruiſſima immutatione poterit videre.*

221 Claudius Marius victor lib. 1. Commentar. in Geneſim ſubindicar, Adamum poſt peccatum contraxiſſe nonnihil hebetudinis in oculis corporeis; niſi mauis illum interpretari de ſolis ſpiritualibus. En Victoris Carmina, ſeu Adami apud ipſum,

Omnipotens Author mundi, rerúmque Creator,
Quē mihi labe mali infenſum, atque audacibus auſis
Conſtitui, felix olim dum vita maneret,
Et celeres animos viſu ſuper aſtra daretur
Poſſe ſequi latè, circúmque per omnia fuſo:
Hos ego cur oculos, tua quondam arcana tuentes,
Vel iam non habeo, vel magna ex parte minutos,
Et tetro clauſos terreni carceris antro,
Vt iam nil veri præter mortalia quædam
Fluxa videre datum, ac mundū in peiora labantem?
Atque adeò, Omnipotens, qui ſemper totus vbiq; es,
Ad te confugimus ————

Georgius Cedrenus in cõpendio hiſtoriarum tribuit Adamo in ſtatu innocẽtiæ acutiſſimos ſẽſus, multóque

que noſtris præſtantiores. Quare qui Adami, & poſteriorum imminutam perſpicacitatem videndi perſuaſerit ſibi, adſtruat conſequenter reparandam in Reſurrectione. Salmeron tom. 11. tr. 36. pag. 372. ait, quò quiſque in cœlo ſanctitate, & beatitudine præcellat, eò corporeis oculis viſurum magis perfectè.

222 Granadus ſuprà tract. 3. diſput. 5. ſect. 1. n. 5. ac 6. cum S. Thoma ac Ferrarienſi tradit viſum glorificatum, & alias facultates ſenſitiuas externas iuuandas per dotem agilitatis ad faciliùs, intenſiùs, & ad maiorem diſtantiam eliciendos actus. Sotus diſtinct. 44. quæſt. vnica art. 1. verſ. *Quod ſi arguas*, concedens, non redire in reſurrectione eaſdem numero, ſed ſpecie potentias ſenſitiuas, addit, *fore longè præſtantiores*. Nyſſe in Reſolutione Theologorum parte 1. portione 4. quæſt. 4. concluſ. 6. in tract. 7. non improbat eos, qui dicunt, meliorandas entitatiuè. Et licèt mihi probabilius ſit cum Palatio in 4. diſtinct 43. diſput. 2. Suario diſp 44. ſect. 3. verſ. *Secundò de vnitate*, Sala diſput. 14. ſect. 13. num. 89. Duuallio tract. de quatuor Nouiſſimis quæſt. 3. art. 1. pag. 544. Ægidio Luſitano tomo, & lib. 3. de Beatitudine quæſt. 2. art. 3. quæſt. etiam 4. art. 2. reſtituendas eaſdem numero facultates ſenſitiuas, ſeu organa, quæ in corpore mortali erant benè diſpoſita, & affecta; accreſcet tamen eis temperamentum multò melius, & multiplex perfectio accidentalis, maiórque forſan intenſio. Cùm itaque acies glorificati viſus futura ſit perfectior, extendet ſe ad ampliora ſpatia, quàm vllius mortalis animalis ſiue rationalis, ſiue irrationalis.

223 Cernendi fama celebres fuere Lyncæus Argonauta, & Strabo, quòd ille, vt refert Plinius lib. 2. c. 17. *nouiſſimam, primámque Lunam eadem die, vel nocte nullo alio in ſigno, quam Ariete conſpexerit*; hic verò, referente eodem Plinio lib. 7 cap. 21. Valerio Maximo lib. 1. cap. 8. Solino cap. 1. Polyhiſt. peruideret diſtantia centum triginta quinque millia paſſuum, & à Lilybæo Siciliæ promontorio, dixerit numerum nauium exeunte Claſſe Carthaginis portu tempore belli Punici. Hinc illud Martialis in Philomuſum lib. 9. epigram. 36.

Scis quota de Libyco littore puppis eat.

Et de Lyncæo illud Valerij Flacci lib. 1. Argon.

——— ——— poſſit qui rumpere terras,
Et ſtyga tranſmiſſo tacitam deprehendere viſu.
Fluctibus è medijs terras dabit ille Magiſtro
Et dabit aſtra rati, cùmque æthere Iupiter vmbrã
Perdiderit, ſolus tranſibit nubila Lynceus.

Illud etiam Horatij lib. 1. epiſtola 1.

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus.

Inter quadrupes clariſſimè omnium cernunt Lynces ſecundùm ipſummet Plinium lib. 28. c. 8. Inter volatilia Aquilæ. Vtrumque animal anteire hominem viſus perſpicacitate perhibetur. Cæterùm homo in ſtatu immortali ſuperabit vtrumque, vt affirmat S. Antoninus 3. p. Summæ tit. 30. cap. 7. paulò ante §. 1. & Medina in 1. 2. q. & art. 3. *ad tertium argumentum de viſu*. etſi dubitet S. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 29. Antecellet etiam Lynceum Argonautam, & Strabonem.

224 Ex his omnibus deduco, definiri certò non poſſe, an damnati homines ſint, vel non ſint intra ſphæram naturalem viſus immortalis? Nam neque quanta futura ſit huius perfectio, neque an minima obiecta materialia exiſtentia vel in centro terræ diffundere queant, quantùm ex ſe eſt, ſpecies vſque ad interiora Empyrei; quæ etſi remiſſæ illuc perueniant, ſufficiant nihilominus viſui valdè perfecto, vt prodeat in viſionem, compertum nobis eſſe poteſt. Conſtat quidem, obiecta materialia ſuos habere limites in diffuſione ſpecierum: nos autem non valemus illos certò deſignare. Vultures feruntur olfacere è diſtantia milliariũ quinquaginta, & quandoque ab ſpatio quingentarum leucarum allectos odore cadauerum, tum ipſos, tum tigrides, narratur ab Alb. Mag. lib. 2. de Anima c. 25. & cum exhalationes odoriferas tantùm ſpatij percurrere incredibile ſit multis, fatentur odoris ſpecies eò vſque ſe protendere. Quis ſcit, ſpecies viſiuas ampliùs ſe non diffundere, & emiſſas à corpore exiſtente in centro terræ non poſſe peruadere totum Vniuerſum, ſi ex parte medij deſit impedimentum? Qui volunt Angelos initio ſuæ creationis non accepiſſe à Deo ſpecies rerum materialium, quæ modò ſucceſſiuè producuntur in Vniuerſo, ſed accipere eas ſpecies à Deo, quando res producuntur, & Angelis fiunt vicinæ, rogati, quanta debeat eſſe vicinitas, vt Deus agens vices illarum rerum in productione ſpecierum ſpiritualium inſtar ſeruatæ ab illis in diffuſione materialium ſpecierum? Vix declarent, quanta debeat eſſe, & an ſatis ſit, Angelos exiſtere in Empyreo, vt cenſeantur habere ſufficientem approximationem ad res productas nouiter in terra. Legatur inter alios Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 6. n. 22. Quòd autem à nobis non videantur obiecta vltrà tantam diſtantiam, neutiquam probat, ſpecies non ſe diffundere vlteriùs; ſiquidem alij perſpicatioris viſus cernant eadem obiecta ad maiorem intercapedinem adiuti ſpeciebus, quæ hebetiori noſtro viſui non ſufficiunt.

225 Iuxta hæc intelliget aliquis S. Proſperum, vel potiùs S. Iulianum Toletanum, dum lib. 1. de vita contemplatiua cap. 11. inquit. *Ibi corporales oculos, nihil viſibilis creatura latebit, quia incorruptibilium corporum viſus vtique incorruptibilis erit, & ita ſine comparatione viuacior, quàm hic fuit. vt ei aliquid viſibilium clauſum eſſe non poſſit.* Intelliget etiam S. Auguſtinum lib. 22. de Ciuitate Dei c. 29. dum ait, *In illo ſpirituali corpore videbunt ſancti omnia, non ſolùm ſi oculos claudant, verum etiam vnde ſunt abſentes corpore.* Sed reuera S. Auguſtinus loquitur de viſione ſpirituali Dei, aliorúmque obiectorum habenda in corpore, quin impedimento ſit aut occluſio oculorum, aut diſtantia ab obiectis creatis. Suadet id contextus capitis. Vnde immeritò Medina ſuprà confirmat ex hoc teſtimonio S. Auguſtini, nullam ſpatij diſtantiam impedituram in oculo glorificato viſionem materialem. S. Proſper, vel S. Iulianus non minus commodè exponitur de viſione materiali obiectorum, quæ intra naturalem ſphæram viſus glorificati contineantur, qualia à Theologis non iudicantur communiter reproborum corpora adeò diſtantia à Beatorum ſedibus.

226 Maior in 4. diſt. 49. quæſt. 14. in 5. concluſ. ſcribit, non requiri fortaſsè in patria certam propinquitatem ad viſionem materialem obiectorum, vt requiritur in via. Id affirmari ab Hugone de S. Victore teſtatur Salas ſect. 14. n. 112. Significari verò ab Scoto, vel Soto teſtatur præter Salam Pater Suar. diſp. 47. ſect. 6. v. *dices ergo.* Hugo tamen ſolummodò tranſcribit S. Aug. verba. Scotus quidem in 4. diſt. 49. q. 14. inquit, *Virtus viſiua intenditur reſumpto corpore glorioſo, quia, vt videtur, tũc poterit ſine difficultate viſibile quodque videre inſpiciẽdo.* Sic ibi. Sed diſt. 50. q. 3. docet, *patere, quòd Beati non videant pœnas damnatorum viſione ſenſibili, quia non eſt diſtantia debita ſimpliciter.* Sotus in 4. diſtinct. 50.

Digitized by Google

q.vnica art.6. quò loci citatur à Suario, nihil habet; diſt. verò 49. q.4. art. 5. vbi à Sala allegatur, tantum ait, Beatos viſuros à quàmlongiſſima diſtantia; & cùm ipſe cenſeat diſt.50.quæſt.vnica, art.6. eam, quæ eſt ab Empyreo ad Infernum, longiorem eſſe, quàm vt naturaliter queant Beati mentis aciem illuc protendere, colligitur à fortiori non admiſſurum oculi glorificati aciem pertingere poſſe naturaliter orci incolas. Fauentiùs loquuntur Guilielmus Pariſienſis, S.Bernardinus, & Medina: nam prior in primæ partis de Vniuerſo parte 2. cap. 32. rogat, *Quæ erit gloria* (facultatis viſiuæ Beatorum) *ſi per eam non vident homines tunc æquè longè, vt propè, & æqualiter remota, vt propinqua?* Secundus tomo 3. in Quadrageſimali Seraphico ſermon.49. part. 2. principali pag. 431. ſcribit, corpora glorificata *videbunt ita clarè à longè, ſicut de propè.* Tertius aſſerit in loco præcitato, nullam ſpatij diſtantiam impedire in Beatis viſionem materialem, eò quòd in eis erit acutiſſima acies, & acumen viſus.

227 Sed quicquid ſit, an Authores aliqui iudicent, poſſe ex Empyreo Beatos percipere connaturaliter corporeis oculis obiectum quantumcumque diſtans, ſiquis ob dicta vellet defendere aſſertiuè, videndos naturaliter ex Empyreo damnatos exiſtentes in Inferno, deberet & duas alias ſuperare difficultates. Prima eſt, quia vt damnatorum corpora naturaliter videantur, opus eſt, quòd ſint illuminata; intra carceres autem Orci nullum erit lumen. Secunda eſt, quia terræ opacæ interſtitium impediet, ne ſpecies è corporibus damnatorum emiſſæ accedant ad Beatorum oculos, tametſi diſtantia non eſſet aliunde impedimento.

228 Primam tamen iam nos eleuauimus in numer. 217. præeunte Durando, qui in 4. diſt. 5. quæſt. 3. num. 5. dixerat, *Medium, quod ſufficit damnatis ad hoc, vt alter alterum videat, ſufficit Beatis ad hoc, vt videant eos in pœnis.* Ad ſecundam reſponderi poſſet primò ex Paludano in 4. diſt. 50. quæſt. vnica art.3. Sala n. 109. *terram ſic fore peruiam, quòd non obſtabit Beatis ad videndum ignem, & ardentes: quæ tamen non ſufficiet oculis damnatorum ad videndum Solem, & Stellas obtenebrante eos igne turbulento.* Secundò ex eodem Sala, & aliis, quorum meminerunt Suarez diſp. 58. ſect.1. v. *ſecundò hinc*, Thyræus de Iudiciaria Chriſti apparitione cap.26. num. 127. Tannerus in 3. p. diſp.2. quæſt. 4. dub. 5. num. 158. Bonacina diſp. 3.q. & puncto 5. propoſit. 2. num. 6. manſurum in terra poſt diem extremi Iudicij hiatum quendam, per quem ad Beatos tranſmittantur ex Orco ſpecies; cùm enim aperiendum putent Toſtatus in cap. 25. Math. quæſt.521. Viguerius cap.6. Inſtitutionum §.4. v.34. Sotus in 4. diſt. 50. quæſt. vnica, art. 3. in 2. concluſ. Duuallius Tractatu de quatuor Nouiſſimis quæſt. 4. artic. 4. pag.605. quæſt.6. art.5. pag. 649. vt terra degluriat damnatorum corpora, incredibile omninò non apparet, iterùm non claudendum. Tertiò ex Ægidio Luſitano tomo 3. de Beatitudine lib.4. quæſt.6. art.5. num.4. Franciſco Felice cap. 7. de Beatitudine difficult. & num. 2. oculum glorioſum intueri poſſe naturaliter obiectum, licèt interponatur medium opacum.

229 Ægidius probat exemplo Aquilegum, ſeu videntium aquas latentes ſub terra, quorum cauſam agunt cum Rhodigino, & Varro citatis à Thoma Sanctio lib.2. in præcepta Decalogi cap. 38. num. 37. à Baptiſta Fragoſo in Regimine Reipublicæ Chriſtianæ p.1. libr.2. diſp.4.§.11. num.92. Conimbricenſes lib. 2. de Anima cap.7. quæſt.9. art.1. & 2. *Nec officit* (inquiunt illi) *quod non videantur per terræ obſcuritatem tranſmitti poſſe imagines ab aqua ad aſpectum. Enim verò haud improbabile eſt, quod Stoici Philoſophi tuebantur, videlicet terram nonnihil luminis imbibere; atque adeò etiam ea, quæ terræ ſinu ſaltem ad aliquam diſtantiam incluſa ſunt, iacere ex ſe proprias imagines: verùm ita tenues vt ordinariæ, & communi videndi facultati non congruant, ſed ei, qua præditi Aquileges ſunt.* Toſtatus Paradoxo 5. cap. 30. Guilielmus Pariſienſis ſuprà, viſui glorificato tribuendam pronuntiant tantam perſpicacitatem, & acrimoniam, vt cernat per opaca corpora interiecta, quin explicent, an in ea tribuenda intercedat miraculum. Scotus in 4. diſt. 49. quæſt. 15. ait, *Oculus Beati per ſuam limpiditatem poterit videre per illos poros* (corporis alterius glorificati habentis minores poros, quàm modò) *ſicut ſi eſſet tranſparens, ſicut dicitur, quòd Linx poteſt videre per parietem.* Similia habent Maior ibidem quæſt.19. concluſ.2. Vorrillong. art. 2. parte 3. concluſ. 2. Guilielmus autem de Rubione in eandem diſt. q.4. art.3. concluſ.2. Capreolus in 4. diſt. 10. q.4. art.3. Ledeſma in ſecunda quartæ q. 86. art.3. fatentur, poſſe tribui ſaltem diuinitùs illam perſpicacitatem, quam in Lynceo Argonauta commendarunt Gentilium fabulæ, vt memorat S. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium aduerſùs Ioannem Hieroſolymitanum. Retuli quæ alij ſcriptis tradiderunt, pro comperto habens, negandam immeritò hominibus glorificatis vim penetrandi viſu corpora, ſi concedatur Aquilegibus, & Lyncibus.

230 Et vno iam verbo Reſpondeo diſquiſitioni propoſitæ in hac Sectione, nempe Beatos corporeis oculis viſuros quandoque ex Empyreo damnatorum corpora, ac cruciatus, Deo miraculosè operante ad Beatorum placitum, ſi opus ſit nouo miraculo: quo quidem opus eſſe, veroſimilius eſt. Et cùm ſphæra auditus extendatur minùs, quàm ſphæra viſus,

——— *Quia ſemper ad aureis*
Tardiùs adueniunt, quàm viſum, quæ moueant res:

ſicut Lucretius dixit libr. 6. de rerum natura. Si Beati audient aliquando ex Empyreo triſtes reproborum clamores, & eiulatus, de quibus in exerc. 29. num. 14. requiretur multò magis miraculum, vt benè notat Felix ſuprà, num. 5. Liquet iam ex toto Exercitationis decurſu, verum eſſe illud S. Bernardi in Pſalm. 90. ſerm 8. *Tanta capiet oculus reſurrectionis, quanta nec auditus, nec animus ipſe nunc capiat;* Illúdque S. Auguſtini, & S. Monicæ matris lib.9. confeſſionum cap.10. *Carnalium ſenſuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ iucunditate non comparatione, ſed ne comparatione quidem digna videtur.*

EXERCI

EXERCITATIO VIGESIMANONA.

De Auditu Glorificatorum Hominum

SEnſus auditus eſt ſecundus ordine, & nobilitate. Sortitur pro obiecto ſonum perfectum, & imperfectum. Sonus perfectus dicitur Vox; imperfectus verò dicitur Spiritus. Vox competit propriè ſolis rebus animatis; quæ ſi rationales ſint, vox ab illis prolata, & dearticulata nuncupatur Loquutio. Cùm in hominibus eò præcipuè dirigatur Auditus, vt hanc excipiant, nos præcipuè agemus modò de auditionis actu excipiente loquutionem, & vnà trademus quicquid voluptuoſum aderit glorificato Auditui in perceptione cuiuſuis alterius ſoni. Erit autem regio interior Empyrei commodum medium propter ſui liquiditatem, tum vt deferatur quicumque ſonus ad aures Beatorum, vti nunc tranſmittitur ac noſtras per aërem? & aquam, tum vt quicumque generetur ſonus ex per cuſſione ipſius Empyrei, & duorum aliorum corporum quæ, dura, & ſolida ſint.

SECTIO I.

An Beati homines audient in Empyreo alios loquentes?

1 NOn eſt ſermo de loquutione interna, & ſpirituali; qualem habent Angeli, & animæ beatæ cum Deo, & inter ſe; ſed de externa, & corporea, qualem habemus homines in vita mortali. Nam illa eſt aliena à noſtro ſcopo, non tamen ab ipſis glorificatis hominibus mutuò, vt cum Ioanne Maiore animaduertit Paſantius 1. 2. q. 4. a. 6. d. 14. colligitúrque ex S. Gregorio Papa lib. 18. Moralium c. 27. S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 4. refert, aliquos negaſſe loquutionem externam in patria; & ante ipſum retulerat Pariſienſis, de quo in n. 2. Albertus Magnus in 2. diſt. 3. art. 6. inquit, *Magis puto, quod aut non eſt ibi* (nempe in cœlo) *laus vocalis, aut ſi erit, non niſi in demonſtrationem potentiæ laudantis, vt in hoc oſtendatur decor Sapientiæ, quæ ſic ordinabit organa, vt in talem vocem prorumpere poſſent*. Bonauentura in 4. diſt. 49. art. 3. q. 1. n. 42. ait, *Iſti duo ſenſus* (Viſus ſcilicet, & Tactus) *in ſuis actibus erunt in patria; alij verò minimè, deficientibus ſibi mediis: niſi fortè quis inſtet in auditu, de quo relinquitur in dubio, ſicut de laude vocali in Patria, quam ibi ponere nec videtur neceſſarium, nec ineptum, & ideo hìc opinari eſt licitum*. Scotus ibidem diſt. 49. q. 13. *ad 2. rationem principalem* inquit, *De viſu nullus dubitat, nec de auditu, ſi eſt ibi ſonus, & poſſibile multiplicari, & immutare auditum*. Abulenſis in c. 17. Math. q. 116. *Si quis dicere voluerit, quòd in patria non erit vocalis loquutio, non eſt inconuenienter dictum, quia non manet aliquid, ad quod ſit vox neceſſaria*. Illam nouiter negauit Dominicus Garcia q. 6. in c. 3. Geneſis.

2 Reliqui vnanimi conſenſu eam concedunt, quin in dubium, & litem vocent. Recenſentur multi ab Ægidio Luſitano tomo 3. de Beatitudine lib. 4. q. 7. art. 1. §. 2. n. 4. & iterùm q. 22. art. 6. n. 2. poſſúntque plures alij adiici, vt Autiſiodorenſis lib. 4. ſummæ tit. *De Dotibus corporum glorificatorum*. Bellouacenſis in ſpeculo hiſtoriali c. 110. Thomas à Kempis in Cantico 2. Iacobus de Vitriaco ſerm. 1. in Dominica 4. Quadrageſimæ. Diſcipulus in 1. ſerm. Dominicæ 2. poſt octauã Trinitatis, Radulph. Ardens homilia 1. poſt Paſcha, S. Antoninus 3. p. Summæ Theologicæ tit. 30. c. 4. §. 3. in fine, & c. 7. §. 4. paulò ante finem, Gerſon tr. 1. de canticis tom. 2. fol. 405. partis 3. rursùs in ſerm. 3. de ſolemnitate omnium Sanctorum, parte 2. fol. 248. & in alio ſermone de eadem ſolemnitate fol. 252. Robertus de Licio ſermone de Beatitudine, in conſideratione 2. Claudius Seiſſellus tract. 2. in c. 2. Lucæ, Petrus Reginaldetus parte 2. ſpeculi finalis retributionis fol. 118. Bartholomæus Sybilla in ſpeculo peregrinatum quæſtionum Decade 1. c. 3. q. 8. S. Bernardinus Senenſis tomo 1. ſerm. 58. de conſubſtantiali gloria Beatorum art. 2. c. 1. Lucas Tudenſis lib. 1. aduerſus Albigenſes c. 13. Raymundus Eremita, ſeu Lullus in lib. Clerici c. 7. Bellouacenſis iterùm in lib. Conſolatorio de morte amici c. 12. & 13. Rusbrochius in Regno Deum amantium c. 38. Ludouicus Bloſius in farragine vtiliſſimarum Inſtitutionum pag. 560. Guilielmus Pariſienſis in primæ partis de Vniuerſo parte 2. c. 42. & 43. non tamen ita firmiter, vt aliquantulùm non addubitet, cum multis ex Sapiẽtibus Chriſtianorum, de loquutione Beatorum.

3 S. Bonauentura, qui vt viſũ eſt in n. 1. dubius fuit, meditatur ſic in ſoliloquio c. 4. reiecta prorsùs omni ambiguitate, *ibi* (nempe in cæleſti patria) *erunt omnes ſenſus in actibus ſuis. Ibi enim oculus videbit decorem ſpecioſiſſimum, guſtus ſentiet ſaporem dulciſſimum, olfactus odorabit odorem ſuauiſſimum, tactus amplexabitur obiectum delitioſiſſimum, auditus demulcebitur per ſonum iucundiſſimum. Ibi enim cùm mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis eleuatur*. S. Antonius Paduanus ſermone in Dominica infra octauam Epiphaniæ inquit, *Cùm Sancti omnia iſta* (animæ, & corporis gloricationem) *habuerint, tunc cantabitur per vicos Hieruſalem Alleluia. Per vicos Hieruſalem intelliguntur manſiones, de quibus dicitur Ioannis 14. &c. In quibus Alleluia, laus, & gloria voce indefeſſa à Sanctis cantabitur*. Petrus Abbas Cellenſis lib. de Panibus cap. 7. hunc in modum alloquitur cæleſtes ciues, *Nomen mortis, nomen languoris, nomen paupertatis, nomen anxietatis,*

Digitized by Google

nomen doloris, nec nominatur apud vos, ciues cœli, domeſtici Dei. Quid autem? Vita, iucunditas, iubilatio, exultatio, glorificatio, beatitudo, æternitas, immortalitas, & incorruptio abundant, & ſuperexundant in paradiſo. In ore habitantium ſemper laus, Alleluia, gloria, pax, benedictio, honor, virtus, & fortitudo. Quid autem oculi eorum vident, niſi Patrem luminum, niſi lucem de luce, niſi candorem lucis æternæ? Quid aures, niſi laudes Dei audiunt? Quid nares, niſi vitæ reſpirant odores? Manus quid contrectant, niſi Verbum Dei? Quà pedes incedunt, niſi per viam pacis? Quid guſtus? guſtat nempe, quàm ſuauis eſt Dominus. Sic Abbas Cellenſis; quem tamen fateor poſſe intelligi de actibus ſpiritualibus reſpondentibus penes voluptatem actibus exteriorum quinque ſenſuum.

Adiungo fauentiores alios, quàm Cellenſis, teſtes. S. Laurentius Iuſtinianus lib. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23. fatur in hunc modum: *Harmonia cœlorum, melodica cantica ciuium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Super muros namque Hieruſalem cuſtodes conſtituti ſunt, qui diu, noctùque nomen Domini laudare non ceſſant. Sed & per vicos, & plateas illius à cunctis infatigabiliter Alleluia cantatur. Fragrans quoque ſuauitas cœleſtium odoramentorum mira liquefactione reſperget odoratum. Hos prælibauerat, tenuiter tamen, qui dicebat, odor tuus, ô Domine, excitauit me in concupiſcentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam, & iucunda ſatietate oris ſaginabit palatum. Nec mirum, nam exultationes Dei in gutture eorum, & miſericordias Domini in æternum cantabunt.* Petrus Damiani in epiſt. ad Blancam, ex Comitiſſa Sanctimonialem, c. 15. graphicè depingens cœleſtem eandem Hieruſalem ait: *Illic odoris ſuauitas cunctorum excedit vires aromatum, omnem ſuperat flagrantiam pigmentorum: illic Beatorum aures harmonicæ dulcedinis organa meloda permulcent. Illic pratis iucunda ſatis amœnitate vernantibus, candentia lilia nunquam decidunt, roſæque purpureæ cum croceis floribus non marceſcunt. Et certè de illa cœleſtis Hieruſalem beatitudine ſempiterna incomparabiliter plus eſt, quàm mens poſſit humana concipere; plus mente concipitur, quàm vllis ſermonibus explicetur.* Huc vſque ille, qui non ineptè ad rem præſentem adduci valet cum in ſerm. 21. & 3. de Apollinari prædicat de ipſo, *Emicare ineffabiliter in gloria ſtola, & ante Imperatorem ſuum melodum Alleluia perenniter iubilare*; & cum ſerm. 59. de S. Nicolao commendat exinde Empyreum, quòd *illic omnes viuunt, nullus moritur; omnes exultant in voce exultationis.* S. Anſelmus in Elucidario ſcribit: *O qualis voluptas auditus illorum, quibus inceſſanter ſonant harmoniæ cœlorum, & concentus Angelorum, & dulciſſima organa omnium Sanctorum!* Rurſùs enarratione in c. 14. Lucæ innuit nonnihil his verbis: *Ibi de æternitatis ſocietate lætantur, qui iam laqueos voluptuoſæ temporalitatis euaſerunt. Ibi hymni dici Angelorum chori, ibi ſocietas ſupernorum ciuium. Ibi dulcis ſolemnitas à peregrinationis huius triſti labore redeuntium. Feſtinemus igitur hoc intrare conuiuium, vbi cum electorum omnium ſatietate feſtiuis gaudiis perpetim exultemus.*

5 Clariora ſunt S. Gregorij Magni verba in ea Iobi 8. v. 20. & 21. *Deus non proiiciet ſimplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo*, ſcribit enim, *Benè os riſu impleri dicimus, & labia iubilo, nam in illa æterna patria cùm iuſtorum mens in exultatione rapitur, lingua in cãtum laudis eleuatur.* Concordat S. Anaſt. Sinaita lib. 5. de rectis fidei Catholicæ dogmatibus dicens: *Tunc* (poſt reſurrectionem) *canticum nouum, hymniſque nulla hora interrumpendus per omnia ora exprometur, atque offeretur Patri nouorum ſæculorum.* Item Paſchaſ. lib. 4. in lament. Hieremiæ, *In illa æternæ vitæ patria carmina hymnidicis Angelorum vocibus, & Sanctorum omnium cum iubilo exultationis erunt. Hinc, rogo, adhibeantur in hac noſtra peregrinatione lamentationes, quatenus illic in carminibus Deum laudare poſſimus.* Germana ſunt S. Ildefonſi verba ſerm. 1. de Aſſumptione B. Mariæ, *Peruenit puerpera, vbi Angelorum melliflua indeſinenter ſonant organa; vbi hinc inde hymnidici Sanctorum viciſſim cantica nuptiarum alternant chori, vbi epithalamia ſponſi, & ſponſæ ſuis ſuauia redduntur melodiis.*

6 Non minus ad rem Tertullianus cap. 61. de Reſurrectione carnis, *Sed accepiſti, homo, os ad vorandum, atque potandum? cur non magis ad eloquendum?* (videlicet poſt reſurrectionem, vt ex contextu patet) *vt à cæteris animalibus diſtes, cur non potius ad prædicandum Deum, vt etiam hominibus antiſtes?* S. Irenæus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 8. *Si igitur nunc pignus habentes clamamus; Abba pater: quid fiet, quando reſurgentes facie ad faciem videbimus eum? Quando omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui ſuſcitauerit ea ex mortuis, & æternam vitam donauerit.* S. Paulinus in epiſt. 44. quæ eſt 4. apud S. Auguſtinum, *Sine dubio hoc illud eſt, quod in Pſalmis habes, Beati, qui habitant in domo tua, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Puto autem hanc laudationem vocibus concinentium eſſe promendam, etſi immutabuntur Sanctorum reſurgentium corpora, vt ſint ſicut & Domini corpus poſt reſurrectionem apparuit: in quo vtique reſurrectionis humanæ viua imago præfulſit, vt Dominus ipſe, qui in viuo corpore, quo paſſus fuerat, & reſurrexerat, quaſi ſpeculum contemplationis omnibus fuerit. Qui vtique cum in eadem carne, qua mortuus, & ſepultus fuerat, reſurrexiſſet, omnium officia membrorum expreſſa oculis, & auribus hominum ſæpe collata exhibuit. Quod ſi etiam Angeli, quorum ſimpliciter ſpiritualis eſt creatura, linguas habere dicuntur, quibus vtique laudes Domino Creatori decantant, & gratias referre non deſinunt, quantò magis hominum, etſi ſpiritualia iam poſt reſurrectionem corpora, manentibus tamen glorificatæ carnis omnibus membris, & per omnia membra formis, & numeris ſuis, & linguas habebunt in oribus ſuis, & linguis effantibus dabunt voce, quibus diuinas laudes, vel ſenſuum ſuorum, gaudiorúmque affectus per verba depromant.* Hactenus S. Paulinus.

7 Cui ſuccedat S. Auguſtinus in lib. Meditationum cap. 26. ſic canens de incolis Empyrei,

Nouas ſemper harmonias vox meloda concrepat,
Et in iubilum prolata mulcent aures organa.

Deinde in Manuali c. 6. ait, *Quæ cantica, quæ organa, quæ cantilenæ, quæ melodiæ ibi ſine fine decantantur? Sonant ibi ſemper melliflua hymnorum organa, ſuauiſſima Angelorum melodia, cantica canticorum mira, quæ ad laudem, & gloriam tuam à ſuperis ciuibus decantantur.* Inſigne eiuſdem teſtimonium ex lib. 1. Retractationum, c. 11. tranſcribam in n. 49. exercit. 35. legantur alia lib. 22. de ciuit. Dei c. 30. lib. de catechizandis rudibus, cap. 27. in Pſam. 83. v. 5. Author epiſtolæ ad amicum ægrotum circumlatæ inter opera S. Hieronymi conſonat ſatis apertè, inquiens, *ſed veniet reſurrectio, te incolumen reditura, quæque tota in te membra ſunt occupatura. Sed lingua in laudes Domini quotidiano nutriatur augmento, copiam laudis in cœleſtibus regnis narratura.*

Author

Digitized by Google

Author expoſitionis ſuper Apocalypſim ſub nomine S.Ambroſij. *Quis verò dignè conſiderare poteſt, quòd magna pars gloriæ Sanctis detrahitur, ſi à laudibus Dei expertes habeantur.* Ita in cap.14. Antiquos alios Doctores progreſſu Exercitationis adducam, vt & recentes Theologos.

8 S.Ambroſius ſuprà, & Viguerius in Inſtitutionibus cap.14.§.2.v.3. cap.16.§.4.v.36.afferunt ad probandam loquutionem Beatorum canticum iſtud Eccleſiæ,quod iam,vt credo,deſueuit,

Clara ſonant iugiter organa Sanctorum.

Ægidius Luſitanus ſuprà exarat ex S.Thoma in 4. diſt.44.q.2.art.1. quæſtiuncula 4. in corpore aliud etiam Eccleſiæ,nimirùm:

Odor ſuauiſſimus carmina Sanctorum.

Sed apud Angelicum Præceptorem non lego niſi *corpora Sanctorum*,& eo vtitur ad ſtatuendum odorem in patria.Magis è re eſt illud Pſalmi 149. v.6. & 7.*Exultabunt Sancti in gloria, Lætabuntur in cubilibus ſuis. Exaltationes Dei in gutture eorum.* Exponitur enim frequẽter à Patribus,& Scripturæ Interpretibus de laude vocali in cœlo,vt videre eſt apud Lorinum.Hinc Caſſiodorus ait,à Pſalte Regio ſignificari, *Quoniam ſiue cogitatione,ſiue lingua laudare non deſinent,à quo æterna dona percipiunt.* Et S.Thomas ad Corint.1.13.v.8. *Eſt futura in patria laus vocalis ſecundùm illud Pſalmi, Exaltationes &c. vt Gloſſa ibidem exponit.* Alia ſacræ paginæ teſtimonia proponet ſect.3. Interim huc trahi poteſt illud Oſeæ 14.v.3. *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei,omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

9 Et quidem Chriſtum Dominum in glorioſo corpore loquutum,antequam aſcenderet in cœlum conſtat ex Euangeliſtis. Poſt Aſcenſionem autem ſermonem habuit ad Paulum, vt narratur Actorum 9. Quòd ſi tunc cœlo non abfuit,& duplici in loco ſimul extitiſſe non concedatur, fit planũ poſſe Beatos loqui in Empyreo.Præterea Chriſtum ſenſibili, & externa voce pronuntiaturum in Iudicio generali definitiuam ſententiam, audiendámque proinde ab hominibus beatis,& dãnatis, defenſant Abulenſis in cap.25.Mathæi q.333. & Granadus 2.p. controu.13.de Nouiſſimis tract.4.diſp.6.cum Soto, Suario,Valentia,Acoſta,ac multis aliis. Qui etiam in tract.2.diſp.4.cum duobus vltimis,& P.Salas cõtendit, vocem qua ſuſcitentur mortui, formandam immediatè ore ipſius Chriſti, & eam ſaltem quoad poſteriores aliquas ſyllabas audiendam à ſuſcitatis tradit S.Hieronymus in epiſtola ad Pammachium de erroribus Ioannis Hieroſolymitani, dum inquit, *Audient auribus, & procedent pedibus.* Et ſic intelligendum eſt in ſenſu litterali illud Chriſti apud Ioannem 5.v.28.*Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem &c.* Quòd ſi vox proferẽda ſit à Chriſto incipiente deſcendere de cœlo ad locum Iudicij,vt Granadus in illa diſp.4.n.7.Salas tom.1.in 1.2.tract.2.diſp.14.ſect.5.n.40 declarant, dearticulabitur fortè intra ipſum Empyreum.Adde Chriſtum nunc in cœlo orare vocaliter ad Patrem, vt perſuadet ſibi Carthuſianus in epiſt. ad Romanos,8.v.34.& Suarez tom.1.in 3.p.diſp.45.ſect.2. in fine putat,*non eſſe incredibile,ibi non ſolùm mente, ſed etiam corpore Chriſtum orare, quia & voce Deum laudat,& cultum Religionis illi præbet.* Non diſplicet id Valẽtiæ tom.4.diſp.1.q.21.punct.1.v.*ſi qui autẽ*, Puteano in 3.p.q.21.ar.4. Tenæ in c.7.ad Hebræos diffic.8.ſect.2.& 3.Eſtio in c.2.prioris epiſt.Ioannis v.1.in c.8.ad Romanos v.34.Henriq. lib.9.c.12.§. 4.Si dicatur (quod & à Suario dicitur) non orare nunc pro nobis ſupplici corporis geſtu.Beda tamẽ, S.Gregorius Magnus,Nicol. Cabaſilas, & Simeon Epiſcopus Theſſalonicẽſis relati à Vazquio tom.1. in.3.p.diſp.82.c.2.videntur non admittere nutu in Chriſto orationem vllam vocalem ; negatque eam Araujus in 3.p.q.21.art.4.dub.1.ã n.13.Sed quicquid de hoc ſit, non eſt, cur in Beata Virgine, & aliis Sanctis(ſiqui alij gloriſicati penes corpora incolant iam Empyreum) non concedatur.

10 Agamus iam rationibus. Prima; Glorificati homines mouebunt corporis membra:Ergo nõ eſt, cur linguam,quæ valde flexilis eſt,non moueant,& ex imaginatione,ac appetitu arteriam aſperam,proindéque articulent voces,& per litteras, ac ſyllabas modulentur.Secunda;Inter beatos homines futura eſt humana,& politica ſocietas,hæc autem potiſſimè requirit communicationem mediis vocibus, quibus ſignificentur,& exprimantur interni conceptus.Tertia;Loquutio mutua eſt operatio valde perfecta naturæ humanæ,& quæ homines à belluis nõ parùm diſtinguit,vt ait Plinius lib.11.cap.51.Ergo incredibile eſt,naturam humanam in ſtatu illo excellentiſſimo ſubiturã defectum inſignis huius perfectionis,& Beatos homines extituros perpetuò in placidiſſimo illo contubernio,non ſecùs,ac ſi eſſent muti, & ſurdi.Ad hæc:glorificati homines perfundentur torrente gaudiorum.Horum autem iuxta S. Ennodium lib.5.epiſt.16. *magna ſunt imperia ; expers eſt continentiæ hilaritas, & in vocem geſtit erũpere.* Symmachus etiam ait lib.1. epiſt.31. *lætitia loquax res eſt, atque oſtentatrix ſui.* Ad quæ verba inuiſendæ ſunt notæ Franciſci Iureti,additis illis Latini Paccati in Panegyrico ad Theodoſium. *In eundem hominem non puto conuenire gaudium, & ſilentium.*

11 Quarta;Eccleſia militans laudat Deum mente,& ore.Ergo & laudabit triumphans mente pariter, ac ore. Etquidem, *nihil à nobis æquè requirit Deus,ac laudes,& gratiarum actiones:propterea enim animam nobis inſpirauit,rationales nos fecit,& à brutis lingua diſcreuit,vt eum laudemus, celebremus, & iugiter glorificemus: non quòd ipſe opus habeat noſtra laudatione,ſed vt nos doceat gratos eſſe, & agnoſcere tantorum bonorum ſuppeditatorem, & vt quod lucri ex iſta celebratione fit,ad nos redeat,& dignos faciamus ſẽper maioribus ſubſidiis.* ſic Sixtus Senenſis lib. 3.Bibliothecæ ſanctæ,pag.187.ex doctrina S.Chryſoſtomi,qui in oratione de Prouidentia,in ſermone de fide,& lege naturæ,& Spiritu ſancto, in Homilia 54.ad Antiochenum populum ait:*Os nobis, & lingua ad laudes eſt aſſignata diuinas.* Exercebitur itaque in Dei regno ab ore & lingua,munus,ad quod eſt deſtinata;in cæleſti *Sion gaudium, & lætitia inuenietur,gratiarum actio, & vox laudis*, vt prædixit Euangelicus Propheta Iſaias c.51.v.3.

12 Confirmatur ex Guilielmo Pariſienſi in c.43. præcitato, *Nam decentiſſimum,ac debitum modis omnibus per ſe videtur, & corde, & ore ibi potiſſimum laudari Creatorem ab his,in quos incogitabiliter profuſa erit beneficentia largitatis ipſius. Et virtus gratitudinis nec completa fore in operationibus ſuis videri poteſt,ſi non erumpit in voces collaudationum,benedictionum,& glorificationum Creatoris.* Hinc tot in cœlo cantica audita ab Iſaia c.6.verſ.4.à S.Ioanne, vt narrat ipſe in Apocalypſi,& Theodor.in epiſt.2. ad Corint.c.12.v.4.memorat, *Dixiſſe nonnullos,verba (arcana audita à Paulo in cæleſti paradiſo)eſſe res.Vidiſſe enim ipſum Paradiſi pulchritudinem, & Sanctorum, qui in illo ſunt,Choreas, & numeroſam ac modulatam hymnorum vocem.* Hinc alterni cantus Angelorum in laudem Triados Sanctiſſimę auribus excepti à Deifero Ignatio, vt teſtatum habe

Digitized by Google

habemus apud Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Authores, præſertim Socratem lib. 6. cap. 8. Nicephorum Calliſtum libr. 13. cap. 8. Georgium Epiſcopum Alexandrinum in excerptis vitæ S.Ioannis Chryſoſtomi, in Phocij Bibliotheca codice 96. Leonem Imperatorem in Encomio S. Chryſoſtomi, Petrum Halloix in vita S.Ignatij Martyris cap.5. Hinc triſagium auditum in cœlo ab infantulo illuc per vnam horam rapto, qui, vt vltra Iobium Monachum in Phocij biblioth. cod.222. col.610. Georgiúmque Zedrenum anno 28. Theodoſij Iunioris, refert Felix Papa in epiſtola ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, *rurſum deſcendens nuntiauit, quæ in æthere audierat, dicens, de cœlo quaſi de multitudine pſallentium huiuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis.* Hinc cum Gennadio apparuiſſet in ſomnis conſpicuus iuuenis, & dignus intendi, à quo ductus ad quandam ciuitatem, *Vbi audire cœpit à dextera parte ſonos ſuauiſſimæ cantilenæ vltra ſolitam, notámque ſuauitatem*, rogánſque, quidnam eſſet? nouit ex ductante, *hymnos eſſe Beatorum, atque Sanctorum:* Ita proditum eſt à Sancto Auguſtino in epiſtola 100. ad Euodium. Hinc denique caſtiſſimæ Virginis Agnetis auribus cœleſtis ſui ſponſi *organa modulatis vocibus cantabant*, vt ſermone inter Ambroſianos 90. legimus.

13 Quinta ratio; Maximè decet ſtatum beatificum hominum oblectatio comparata ex auditu dulciſonorum cantuum, qui quantùm demulceant mortalium animos, ipſa oſtendit experientia, *Infantes, ac iuuenes*, inquit Boëtius lib. & cap.1. de Muſica, *nec non etiam ſenes, ita naturaliter affectu quodam ſpontaneo modis muſicis adiunguntur, vt nulla omninò ſit ætas, quæ cantilenæ dulcis delectatione ſeiuncta ſit.* Multa ex Humanioribus litteris volens nolens ſileo, vt de ſacro cantu hæc Paſchaſij ſubiiciam verba ad Sanctimoniales Sueſſionenſes in Pſalm.44. lib.1. *Neſcio, quid plus inuitent nos ad gaudia lectiones diuinæ, an cantus tantæ ſolemnitatis? Nam lectiones inſtruunt, cantus labores ſubleuat arduos, & ſolatur anguſtias. Probant ad ſolatium operis datam nobis naturaliter cantilenam, hinc nautæ, qui cantu ſuperant maritima diſcrimina, hinc immenſo ponderi adducunt leuamina canticorum: hinc viantes colles arduos facit tranſire ſerena vox, eremúmque tranſire intrepidos dulcia modulamina cantus. Ac ne multa dicam, quicquid durum eſt operis, quicquid laboris aſperum, dulcis vincit cantilena muſici carminis, & leue reddit. Sic & vos, ſanctiſſimæ, harmonia huius cantus releuet iugis, & exercitet mentes. Permulceat vos fiſtula Dauidica, oblectent animum ſponſalia dotis. Nam ipſe Dauid, qui hoc Epithalamium primus ceciniſſe creditur, hoc genus inueniſſe ad nuptias gratia canendi non dubitatur. Qui cantu didicit dura ſuperare bellorum, cantu meruit populum concitare ad ſalutem, cantu gentes inuitat ad Chriſtum, Iudæos reuocat, Dæmones fugat, Dei filios ad ſuperni Patris obſequium conuocat, & vos, ô Virgines Chriſti, ad thalamum æterni Regis inſtruit, & præparat.* Hactenus Paſchaſius, & eadem ferè inuenire licebit apud S.Chryſoſtomum in Pſ.41. apud S.Chryſologum ſerm.10. in Pſ.28. Memini me legiſſe in S.Baſilij de paradiſo terreſtri homiliâ, extitiſſe in eo *omnia auicularum genera, quæ & pulchritudine colorum, & dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem.* En quanta, & quàm digna homine percepta ex cantu voluptas! Sed obiter caue cum Antonio Ruſca l.2. de Inferno c.32. Petro Thyræo de glorioſa Chriſti filij Dei apparitione c.26.n.60. ne in cœleſti paradiſo auiculas conſtituas, quæ ſuauiſſimo concentu lætitiam afferant Beatis. Apage tam rudem cogitationem. Refero gradum ad orbitam. Vel irrationalia viuentia delectat cantus. *Luſcinia lætabunda* (inquit Rupert.lib.1. in Geneſ. c.52.) *paruulis ouis ſuperſedens tota peruigil nocte decantat, tanta cantilenæ ſuauitate, vt tibi videatur hæc eſſe ſumma eius intentio, quo poſſit non minus dulcibus modis fœtus animare, quàm fotu corporis.* Quin imò & inanimes creaturas quaſi delectat. Canebat in Poëtarum Principe Silenus Paſtor,

Cogere donec oues ſtabulis, numerúmque referre.
Iuſſit, & inuito proceſſit veſpere Olympo.

Illud, *inuito Olympo*, mirè dictum, adnotante noſtro Cerda quaſi cœlum ægrè ferret carere ſuauiſſimi cantus dulcedine, & vellet diem detinere.

14 Sexta, & vltima ratio: In inferno erit contra Deum vocalis blaſphemia, luctuoſi clamores & horribiles eiulatus, vt credunt S.Thom. 2.2.q.13.art.4. in corpore, Mayro in 4.diſt.49.q.3. Iauellus in 8.p. Chriſtianæ Philoſophiæ tract.4.c.2. S.Antonius de Padua ſerm. feriæ 2. in hebdomada 1. Quadrageſimæ, Iacobus de Vitriaco in ſerm. Dominicæ 4. poſt Epiphaniam, Nider c.2. in 10. præceptum Decalogi, Sotus in 4.diſt.50.q. vnica art.4. concl.5. Valentia tom.4. diſp.11. q.5. punct.3. v. *item erunt*, Leſſius lib.13. de perfectionibus diuinis c.24. & 29. Bonartius in Eccleſiaſticum c.7. v.19. rurſus c.21. v.11. Granad. 3.p. controu.13. de Nouiſſimis tr. & diſp.4. n.7. Ergo & in cœlo erit vocalis laus Dei. Confirmatur ex Bellouacenſi lib. 31. ſpeculi hiſtorialis c.106. dicente, fore in Inferno excurſu, ſeu mutabilitate aëris tantam tempeſtatem, & impetum ignis, vt quaſi in ictu oculi impellet damnatos velut ab Oriente in Occidentem, & è conuerſo. *Ex iſto* (addit) *motu inſurget quidã ſonus terribilis quaſi tonitruũ magnum, quod quidem erit eis pœna ineffabilis.* Leſſ. l.13. de perfectionibus diuinis c.24. & Sandæus in Grammatico profano commentat.16. n.58. cogitant etiam in Inferno ingentes procellas ex fumo ſulphureo, quæ auditum obtundent, oculóſq; & olfactum excruciabunt, innuente Pſalte Regio Pſ.10. v.7. *Ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*; Apoſtoloq; Iuda in Catholica epiſt. v.13. *Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternũ.* Notatq; Robert. Holcot, vel Thom. Gualeſius in Prouerbia, lect.10. *Sic Infernum claudendum, vt nulla ſit carceris apertura, per quam vox exire poſſit. Sed totus clamor ad intra reflectetur, vt etiam de ſuis clamoribus ipſi reprobi ampliùs intrinſecus puniantur.* Ergo par è contra eſt vt beati homines demulceantur placidiſſimo aliquo ſono.

SECTIO II.

Oblectamentum ex auditu captum agnouere in Beatis antiqui Poëtæ, & Philoſophi.

15 S.Ioann.Chryſoſt. lib.2. aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ ſic affatur Gentilẽ, & infidelem patrẽ, *Audiſti profectò cocytos, & Pyriphlegethõtas fluuios, & ſtygis vndã, & Tartarũ tantò inferiorem terra, quantùm hæc ipſa diſtat à cœlo, plurimóſque ſuppliciorum modos. Etſi enim hæc illi explicare, prout erant, non potuerant, quippe Gentiles, & cogitationibus propriis inſtincti, noſtráq; longius odorati, tamen Iudicij vmbrã quandam, atq; imaginẽ expreſſerunt. Deniq; inuenies & Poetas, & Philoſophos, & Oratores, atq; omne Scriptorũ genus de dogmatibus huiuſmodi philoſophantes. Audis enim & Elyſium campum, & Beatorum inſulas, & prata virentia, & myrtos, & auram tenuem, odorémque ſuauiſſimum cuncta*

replentem

Digitized by Google

replentem ; & choros ibi commorantes , amictos ſtola candida tripudiantes , atque hymnos quoſdam concinentes , prorſuſque poſt vitæ exceſſum , & malis , & bonis repoſitam pro meritis mercedem. En teſte tanto Doctore , veteres Sapientes Christiana dogmata odorati , deſignarunt hymnorum cantilenas inter delitias Beatorum.

16 Obuia cuiuis ſunt ſunt Virgiliana illa carmina de Incolis Elyſiorum lib.6. Æneidos,

Pars in gramineis exercent membra palæſtris,
Contendunt ludo,& fulua luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas,& carmina dicunt.
Necnon Threicius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.
Iámque eadem digitis,iam pectine pulſat eburno.

Habebat illa præ oculis Caſſiodorus,dum lib.2.variarum, epiſtola 40.aiebat: *Muſæum etiam,& artis Orphei filium , & naturæ , Maronis præpotens lingua concelebrat , dum apud Inferos in ſumma beatitudine conſtitutum , quòd per Elyſios campos felices animas ſeptem chordarum pulſibus amænabat,ſignificans ſummo præmio perfrui , cui diſciplinæ huius contigerit epulari.* Imitatur Maronem Prudentius Poëta Chriſtianus in hymno 5. libri Cathemet.

Felices animæ prata per herbida
Concentu parili ſuaue ſonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant,& pedibus lilia candidis.

Venantius etiam Fortunatus lib.8.Poëmate de Senatu curiæ cœleſtis,

Culmina multa polo radianti lumine complent,
Lætantúrque piis agmina ſancta choris:
Carmine Dauidico plaudentia brachia texunt,
Creditur & ſacro tripudiare gradu.
Cœtibus Angelicis hominum ſociata propago,
Reddit honorificum laudis amore ſonum.
Alternis vicibus diuina poemata pſallunt,
Atque Creatori myſtica verba canunt.
Lucida ſydereo cœli ſtrepit aula tumultu,
Laudibus,& Domini concutit aſtra fragor.

17 Pro illuſtrandis ſuperioribus Virgilij Carminibus cumulauit eruditiſſimus P. Cerda alia Tibulli lib.1. elegia 3. Propertij lib. 4. elegia 7. Ego addo hæc Pindari apud Theodoretum ſerm.8. de curatione Græcarum affectionum,& apud Clementem Alexandrinum lib.4. Stromatum,

Animæ piorum cœlos colentes
Cantu beatum,& magnum in hymnis canunt.

Sybilla canit de Beatis hominibus poſt reſurrectionem ,

Sed quoſcumque pios viuos ſuſceperit orbis
Inſpirante Deo vitam,gratúmque fauorem,
Mutuaque inter ſe cumulabunt gaudia læti.

Extant hi verſus in S. Clemente Romano lib. 5. conſtitutionum Apoſtolicarum cap.8. quos æmulatus videtur S.Auguſtin. lib. Meditationum c.26. in hymno de Empyreo paradiſo,

Poſt triumphum coronati mutuò coniubilant,
Et proſtrati pugnas hoſtis iam ſecuri memorant.

18 Regredior ad Gentiles: Themiſtius tranſcriptus ab Stobæo in ſerm. 117. habet hæc maximè notanda , *Poſt mortem mirabilis quædam lux occurit, aut luci puri, & amœna prata defunctos excipiunt, in quibus voces , choreæ , & venerabiles de rebus ſacris narrationes reſonant. Illic homo iam perfectus initiatus,& ſui iuris factus,& liber, coronatus obambulans ſacra celebrat , & conuerſatur viris ſanctis , puriſque.* Plato in Axioco, *Quibuſcumque in vita melior aſpirauerit Dæmon, ij ſedes incolunt piorum, vbi omnes oræ ſcatent omnium fructuum vbertate. Fontes puris labuntur aquis,variis prata omnimoda floribus vernant, conuentus ſunt Philoſophorum , theatra Poëtarum, exultantium coronæ , Muſicique concentus. Ad hæc: inſtructa diligenter conuiuia , & ipſa ſe ſe ſuppeditans affluentia victus indolentia immortalis , iucunda victus ratio. Non enim frigus illis, non æſtus eſt grauis ; ſed temperatus aer funditur mitibus ſolis radiis illuſtratus. Hic etiam initiatis eſt dignatio quædam, & religioſa ibidem quoque peragrant ſacra.* Lucianus lib.2. verarum hiſtoriarum transfert ad campos Elyſios cantilenas , *& choreas è pueris , & Virginibus.* Qui plura deſideret; adeat laudatum Cerdam; nos enim pauca hæc omiſſa ab ipſo obſeruauimus.

19 Author eſt Macrobius lib.2. in ſomnium Scipionis cap.3. *mortuos ad ſepulturam proſequi oportere cum cantu, plurimarum gentium, vel regionum inſtituta ſanxiſſe ; perſuaſione hac , quia poſt corpus animæ ad originem dulcedinis muſicæ , ideſt , ad cœlum redire credantur. Nam ideò in hac vita omnis anima muſicis ſonis capitur , vt non ſolùm qui ſunt habitu cultiores, verùm vniuerſæ quoque barbaræ nationes, cantus,quibus vel ad ardorem virtutis animentur,vel ad mollitiem voluptatis reſoluantur , exerceant , quia in corpus defert memoriam muſicæ , cuius in cœlo fuit conſcia : & ita delinimentis canticis occupatur , vt nullum ſit tam immite, tam aſperum pectus , quod non oblectamentorum talium teneatur affectu.* Hucvſque Macrobius;cui lucem affundo ex Caſſiodoro lib.2. variarum,epiſtola 40. *Harmonia Cœli* , inquit , *humano ſermone idoneè non poteſt explicari , quam ratio tantùm animo dedit;ſed auribus natura non prodidit. Dicunt enim debere credi, vt beatitudo cœleſtis illius oblectationibus perfruatur , quæ nec fine deficit , nec aliqua intermiſſione marceſcit. In ipſo quippe intellectu habitare referunt ſuperna , ipſis delitiis cœleſtia perfrui, & talibus contemplationibus inhærentia beatis iugiter delectationibus contineri. Benè quidem arbitrati , ſi cauſam cœleſtis beatitudinis non in ſonis, ſed in Creatore poſuiſſent, vbi veraciter ſine fine gaudium eſt ſine aliquo tædio manens ſemper æternitas,& inſpectio ſola diuinitatis efficit , vt beatius eſſe nihil poſſit. Hæc veraciter perennitatem præſtat , hæc iucunditates accumulat : & ſicut præter ipſam creatura non extat , ita ſine ipſa incommutabilem lætitiam habere non præualet.* Expendantur illa , *Benè quidem arbitrati* , in quibus cœlorum concentui pro Beatorum voluptate inducto à Pythagora , & Platone non omninò diſſentitur (vt nec in Præfatione ad librum de Anima) dummodò potior,ſeu eſſentialis beatitudo in Creatoris viſionem reuocetur. Sed de eo concentu dicemus in ſect.4. Nec in præſentiarum plura de dogmatis Gentilium Philoſophorum,*qui ſcientiæ , & honeſtatis aliquod conferunt ſolatium* Chriſtiano Philoſopho , ſed *ad refocillandum potiùs , quàm ad potandum* , & vt quaſi *furtim* ex eorum hauriat fontibus], ſicut pervrbanè aduertit,& ſuadet Stephanus Cantuarienſis in Godefridi Tilmanni allegoriis ad c.7. Iudith. v.7.

SECTIO III.

Quanam lingua loquentes audient ſe mutuò Beati.

20 EAm fore Hebræam affirmant Haymo,& Remigius in 1. ad Corint.13. v.8. Buſtus p.2. Roſarij ſerm.2. parte 1. citans S.Iſidorum Hiſpalenſem ; iterùm ſerm. 19. titulo de ſeptimo gaudio paradiſi

paradiſi, Chaſſaneus 12. parte Cathalogi gloriæ mundi, conſideratione 22. Georgius Venetus de harmonia mundi cantico 3. ton. 8. modulo 11. concentu 2. Viguerius in Inſtitutionibus cap. 9. §. 1. v. 8. Petrus Galatinus lib. 12. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ pag. 32. & in Pſalm. 50. num. 1. Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 27. §. 2. Benzonius in Canticum Magnificat, lib. 1. cap. 4. Rua tom. 2. controuerſ. 9. Scholaſtica pag. 944. Bartholomæus Sybilla in ſpeculo peregrinarum quæſtionum c. 6. Decadis 3. quæſt. 6. Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitud. libr. 4. quæſt. 22. artic. 7. §. 4. num. 16. Martinus de Roa cap. 11. de ſtatu Beatorum in cœlo, Didacus Maruте in l. de proſapia Chriſti, ætate mundi ſecunda, cap. 5. §. 7. Franciſcus Felix cap. 7. de Beatitudine, difficult. 2. num. 11. Caſtro in 3. Sophoniæ verſ. 9. Titinus ibidem cum Aria Montano Recenſentur plures alij à Lorino in Pſalm. 149. v. 6. in cap. 2. Actorum v. 4. & ab Euſebio Nietembergio lib. 6. de origine ſacræ Scripturæ cap. 12. qui omnes putant, Hebræam Linguam fuiſſe primam. Philippus tamen Cluuerius lib. 1. ſuæ Germaniæ c. 8. credens, primigenam linguam diuerſam fuiſſe ab Hebræa, & tunc prorſus amiſſam, addit, reſtituendam in futuro ſæculo. Nonnulli apud Galatinum ſuprà, ſuffragium dederunt pro Latina lingua. P. Salmeron tom. 1. in Euangelia Prologo 14. cum laudaſſet Hebræam, ab eius vſu in cœleſti regno, ſubiungit, pium eſſe, & probabile, quod alij opinantur, omnibus ſcilicet linguis Deum celebrandum. Sentiunt id ipſum Palatius in 4 diſt. 31. & 32. diſp. vnica ad 2. Barradas tom. 3. in Euangelia lib. 10. cap. 3. & antiquior quidam memoratus a Mauburno in Roſeto tit. 38. alphabeto 75. lit. *G.* prima. Tandem Alfonſus de Mendoza in quodlibetis quæſt. 6. ſcholaſtica num. 15. Moura in opuſculo 1. de Incantationibus cap. & ſect. 1. num. 4. Hieronymus Columbus in Hierarchia Angelica & humana cap. 21. lib. 8. Cornelius à Lapide in 1. ad Corint. 13. v. 8. Saudæus parte 1. Theologiæ lib. 4. commentatione 7. exercit. 3. diſquiſitione 1. num. 2. Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. num. 106. & Nietembergius ſupra, quibus proximè accedit Thyræus tract. de glorioſa Chriſti iudiciaria apparitione n. 112. c. 1. exiſtimant, nouam linguam infundendam Beatis, eamque hactenus inuentis longè nobiliorem. Hæc ſunt Authorum Iudicia.

21 In re tam incerta, & quæ nuſquam reperitur in Sacris litteris, vt notat S. Iſidorus Hiſpaniarum Doctor lib. 9. originum, cap. 1. opinor primò, Beatos habituros donum omnium linguarum. Ita Albertus in Summ. de quatuor coæquæuis, quæſt. 9. art. 5. Capreolus in 3. diſt. 31. ac 32. quæſt. vnica art. 2. Carthuſianus in 1. ad Corint. 13. v. 8. Peſantius in 1. 2. quæſt. 4. art. 6. d. 14. cum Alberto in l. de quatuor coæuis quæſt. 8. Caietanus apud Felicem num. 10. Viguerius, Henriquez, Salas, Mendoza, Lorinus, Ægidius, & Roa ſuprà. Probatur, quia hæc eſt perfectio, ſine imperfectione, maximè decens ſtatum beatificum, & valdè conformis auiditati hominum varias linguas callendi. Plures in via ornauit Deus dono illo cur non in Patria? Non credam, ſi Hiſpanus alloqueretur Hiſpanum in cœlo, intelligendum non iri à Germano, neque hunc fore quaſi ſurdum. Sumus namque ſurdi in illis linguis, quas non intelligimus, vt inquit Tullius lib. 5. Tuſculanarum quæſtionum; imò & barbari habemur apud eos, quorum voces non callemus, ſecundùm illud Pauli ad Corinthios 1. c. 14. v. 11. *Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus.* Addit Indiarum Apoſtolus S. Franciſcus Xauerius lib. 1. epiſtola 13. *Laborioſum eſt eorum, quibuſcum verſeris funditus ignorare ſermonem.* Vnde eos, qui ex omni parte ſunt Beati, labor ille non grauabit.

22 Narrat S. Gregorius lib. 4. Dialogorum c. 26. de quodam puero, qui cùm in cœlo fuiſſet; *accepit illic vt linguis omnium loqueretur*; & hoc ipſe ſignum præſtitit ſui in cœlum raptus. Ergo quia in eo linguæ omnes ſciuntur à Beatis per ſcientiam ſaltem infuſam, vt putat Henriquez; & aduertit Salas, poſſe ſciri breui tempore, & vllo ſine labore peradquiſitam. Quòd ſi Mithridates, referente Plinio lib. 7. cap. 24. *Duarum, & viginti gentium rex, totidem linguis iura dixit, pro concione ſingulas ſine interprete affatus*, dignè exiſtimabitur de beatis hominibus, ſi linguarum omnium notitia adquiſita, vel infuſa dicantur non carere.

23 Opinor ſecundò; in cœlo vnius tantum linguæ fore frequentem vſum. Ita præter Salmeronem, Palatium, Barradam, & antiquiorem illum apud Mauburnum reliqui Authores. Probatur 1. ex 1. ad Corinth. 13. verſ. 8. vbi Apoſtolus inquit, *Charitas nunquam excidit, ſiue Prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur.* En ceſſaturas linguas, ſiue vſum multiplicium linguarum, vt benè admonet noſter Iuſtinianus. Sed iuuabit veterum Interpretum audire verba. S. Anſelmus ait, *Variarum linguarum loquutiones in illo ſæculo ceſſabunt. Vbi enim erunt manifeſta omnia, cur alicui diceretur aliquid? Poterunt quidem loqui adinuicem Sancti, ſed non neceſſe erit, vbi ſcientia vocem preueniet. Et ſi quid inter ſe loquuti fuerint, non eo modo facient, quo nos nunc loquimur; ſed eo potiùs quo in ſupernis Angelici ſpiritus loquuntur.* Verba hæc vt ingenuè fatear, Beatorum in cœlo loquutioni ſenſibili parum fauent, & plus quàm vellem, linguarum remouent varietatem. Si commentaria in epiſtolas Pauli adſcripta S. Anſelmo, alterius ſint Authoris, nempe Heruei Natalis, curandum adeò non erit de interpretatione. Poſſunt tamen poſteriora intelligi verba de loquutione quidem vocali, ſed quæ mentalem Angelicam in ſui æmuletur perfectione. Quicquid de hoc ſit, Theodoretus inquit, *Inutiles lingua ſublata earum differentia.* S. Bruno, *Omnibus in futuro identitas erit ſermonis.* S. Thomas, *Eſt intelligendū, quantùm ad donum linguarum, quo ſcilicet aliqui in primitiua Eccleſia variis linguis loquebantur, vt dicetur Actorum 2. In futura enim gloria quilibet quamlibet linguam intelliget. Vnde non erit neceſſarium variis linguis loqui. Nam etiam à primordio generis humani, vt dicitur Geneſis 11. vnus erat ſermo, & vnum labium omnibus: quod multò magis erit in vltimo ſtatu, in quo erit vnitas conſummata.* Eadem habet Richel. addens, *ad quod applicari poteſt illud Zachariæ 14. verſ. 9. In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum.* Concinit Caietanus, *Non dicit, quòd ceſſabit lingua, ſed ceſſabunt linguæ; quoniam non ceſſabit ſenſibilis loquutio; ſed ceſſabit diuerſitas idiomatum. Erit enim labium vnum omnium, multò magis, quàm fuerit olim ante confuſionem linguarum.*

24 Confirmatur ex S. Bernardo cap. 4. Meditationum, Petro Cellenſi in tract. de opere ſex dierum docentibus, *vna erit omnium lingua.* Et inferiùs, *Non erit in illa pace, diuerſitas linguarum.* Deinde ex Perſarum ſacerdotibus, qui nonnihil ſunt

ſubodo

Digitized by Google

ſubodorati. Nam apud Plutarchum lib. de Iſide, & Oſiride prænuntiarunt, *Appetere tempus fatale, quo neceſſe ſit peſte, & fame ab his inducta Arimanium* (id eſt, Dæmonem) *perdi, terráque æquabili, & plana facta vnam vitam, vnámque Ciuitatem beatorum hominum vniuerſorum, vnáque lingua vtentium fore.* Theopompus etiam ex eorundem Magorum doctrina, dicit, teſte Laërtio in proœmio ad vitas Philoſophorum, *reuicturos homines, immortaléſque futuros, & omnia ſuas appellationes retentura.* Hunc in modum vertit Nieremberg. diſcors ab Henr. Steph. ſic interpretante, *Et vniuerſa illorum precatione conſiſtere.* Fas fuerit, prophana Sacris intermiſcuiſſe.

25 Probatur ſecundò; Quia varietas frequens linguarum dedecet concordiam cœleſtis Reipub. Hinc S. Chryſoſt. in c. 11. Gen. homilia 30. agens de confuſione prima linguarum ſcribit, *Sicut lingua vnitas cohabitationem fecit; ita lingua diuerſitas diſperget; quibus enim non eſt idem ſermo, & lingua, quomodò cohabitare poſſunt?* Et vt egregiè notat Benedictus Fernand. in c. 11. Gen. ſect. 10. n. 1. *Tantam ſolet animorum generare concordiam lingua vnius, eiuſdémque ſocietas, vt hac ſublata, putetur illa diſſoluenda.* Hinc etiam ſacer Pſaltes imprecatur ſceleſtæ Reip. diuiſionem linguarum, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum.* Pſal. 54. v. 10. Quippe multiplicitas linguarum in eadem vrbe ingens ſit malum. Quo liberi fuere mortales vſque ad ædificationem turris Babylonicæ. Nam vt Geneſ. 11. v. 1. dicitur, *Erat terra labij vnius, & eorundem ſermonum.* v. 6. *Vnus eſt populus, & vnum labium omnibus.* Et ſtatim ac *confuſum eſt labium vniuerſæ terræ, diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum.* Iuxta v. 9. Quare non benè audit S. Philaſtrius, dum in lib. de hæreſibus hæreſi 56. putat, ante ſtructuram turris Babel fuiſſe plurium linguarum, quas cuncti callerent, vſum. Conſule Nierembergium lib. 6. de origine ſacræ Scripturæ c. 3. Hinc denique in Inferno, qui eſt locus confuſionis, & pœnæ debitæ peccatis, erit diuerſitas linguarum, vt ſuſpicantur Roa cap. 45. & Bonac. in 3. p. diſp. 3. q. 5. puncto 4. propoſit. vnica n. 22. Memorat Plinius lib. 6. c. 5. in vna Colchorum vrbe ter centum nationes, quæ diſſimilibus linguis vterentur, congregatas: & de Peruanis Noſter Ioſephus Acoſta in hiſtoria naturali, ac morali Indiarum lib. 7. c. 28. lib. etiam 1. pro indorum ſalute procuranda, c. 2. *diſcrepare ſeptingentis, & eò amplius inter ſe linguis, vt vix vallis habitetur paulò latior, quæ non ſua materna lingua gaudeat.* Quanto maior in Orco erit linguarum permixtio? Et cùm *ex tot gentium ſermonibus, tot linguis, tanta loquendi varietate nunc fiat, vt externus alieno penè non ſit hominis vice,* vt inquit Plinius lib. 7. c. 1. & vt S. Auguſt. lib. 19. de Ciuitate Dei c. 7. *Cùm linguarum diuerſitas hominem alienet ab homine::: ita vt libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno,* habenda non eſt poſtremo loco inter pœnas damnatorum hominum tanta idiomatum cõfuſio. Licet autem ſecunda hæc probatio, non ſit tam vrgens, ſuppoſito dono omnium linguarum in Beatis, tamen longiùs remouetur cuiuſuis confuſionis vmbra ab ea Republica, in qua erit vnum cor, & vnus animus, ſi ordinaria linguarum varietas non inducatur, maximè cùm vnius idiomatis vſus non leuiter ſoleat cõciliare animos, prout aduertunt Philo Iudæus in lib. de confuſione linguarũ, Genebrard lib. 1. Chronographiæ pag. 34.

26 Confirmatur; Quia in Republicis optimè moderatis vnius linguæ vſus viguit. Ideo à Romanis *opera data eſt,* inquit S. Auguſt. lib. 19. de Ciuitate Dei c. 7. *vt Ciuitas imperioſa non ſolùm iugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret.* Et vt commendat Valerius Maximus lib. & c. 2. *Magna cum perſeuerantia cuſtodiebant, ne Græcis vnquam niſi Latinè reſponſa darent.* Qua de cauſa Tiberius, authore Suetonio cap. 71. *Militem græcè teſtimonium interrogatum, niſi latinè reſponderet, vetuit.* Claudius etiam, eodem narrante c. 16. ſplendidum Virum, Græciæ quoque prouinciæ Principem, verùm Latini ſermonis ignarum, non modò albo Iudicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Alexander Seuerus, vel eius nomine Tryphoninus Iuriſconſultus, *Decreta à Prætoribus Latinè interponi debere* ſtatuit, vti cõſtat ex lege 48. ff. *de re iudicata,* cui tamen legi aliquatenùs derogarunt Arcadius, & Honorius. Lege Iudices 12. Cod. de *ſentent. & interlocut.* Auguſtus Latinam linguam non adeò zelauit, ſiquidem (fides ſit Suetonio c. 98.) edixit nonnunquam, vt Romani Græcè, & Græci Romanè loquerentur. Mira commutatio! Porrò Romanorum reliquorum cura erga ſuæ linguæ vſum tanta fuit, vt non procul verò affirmarit Plutarchus lib. 1. de quæſtionibus Platonicis, tunc temporis, nimirùm, quo Traianus imperabat, familiarem eam fuiſſe cunctis penè mortalibus. Teſtes vel nunc ſint Hiſpania, & Gallia; *in his enim, & in cunctis penè gentibus principatum obtinet propter potentiam Romanorum,* vt obſeruauit Rupertus lib. 4. in Geneſ. c. 39. Et vt Ludouic. Viues in Auguſtini præallegatum locum, *Romani Hiſpanias, & Gallias latinas prorſus fecerunt, veteribus illarum gentium linguis abolitis.* Strabo lib. 3. Geographiæ ſermonem habens de illis, qui ſua ætate, imperantibus videlicet Octauiano, & Tiberio ad Bætim colebant, ſcribit, *Plenè conuerſi iam in Romanos ritus, adeò vt nec ſermonis ſui patrij meminerint.* Cõſule Mathiam Berneggerum in quæſtionibus miſcellaneis ex Cornelio Tacito q. 195. Lipſium in Dialogo de recta pronuntiatione latinæ linguæ c. 3. Ioan. Solorzanum, Principem Iuriſconſultorum Hiſpanæ noſtræ gentis, lib. 1. de Indiarum gubernatione c. 25. Expectáque Hiſpanum noſtrum Cantabriæ illuſtratæ opus, in cuius tractatu de antiquitate linguæ Cantabricæ adiicio multa ad rem hanc exornandam. Aggreſſus ſum in Cantabrorum gratiam, & ad finem vſque perduxi illud opus, quo tempore in Bilbaënſi Collegio Humaniores litteras docerem publicè ex Societatis Inſtituto, circa annum 1637. ſed tandiu dilata eſt certis de cauſis eius editio.

27 Opinor tertiò; Loquuturos quandoque Beatos eis linguis, quæ natiuæ ipſis fuere, dum mortalem agerent vitam. Probatur, quia id videtur non modicam voluptatem ipſis allaturum. *Dulciùs enim ab vnoquoque ſuſcipitur, quod patrio ſermone narratur,* vt fatur Caſſiodorus in Præfatione ad libros de Inſtitutione diuinarum Scripturarum. Idcircò Hieroſolymitani, *dum audiſſent, quia Hebræa lingua loqueretur ad illos S. Paulus, magis præſtiterunt ſilentium;* Act. 22. v. 2. vbi Chryſoſt. *vides, vt rapit illos vocis prægnitio.* S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. contra Iulianum arbitratur vnicuique linguæ datam à Deo *eximiam quandam gratiam, & pulchritudinem, & Hebræis ſuam patriam linguam benè ſonare.* Ex oppoſito non leue malum eſt, nec paruam ingerit triſtitiam non audire linguam patriam. Minatur id Moyſes ſuis, ſi obtemperare noluerint diuinæ voci, *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo::: cuius linguam intelligere non poſſis.* Deuteronom. 28. verſ. 49. Simile ſupplicium interminant Ieremias & Baruch, ille cap. 5. v. 15. hic cap. 4. v. 15. necnon Pſaltes Regius in Pſalm. 54. v. 10.

28 Opinor quartò; nouam linguam futuram in Patria. Probatur primò, nam illud Pauli, *linguæ*

Digitized by Google

ceſſabunt, ſatis commodè poteſt intelligi de ceſſatione linguarum, quatenus nouæ, & perfectioris dialecti notitia ſit à Deo infundenda, vti præſtantior ſcientia eſt communicanda. *Nam cognitio iſta præſens tempore illo deſinet, cùm perfecta cognoſcendi lux nobis infuſa fuerit, quemadmodùm in nocte ſerena ſtellarum ſplendor, & pulchritudo apparet, Sole autem oriente particularis ſtellarum ſplendor enacuatur.* Quæ ſunt verba S. Cyrilli Alexandrini lib. 11. in Ioannem capite 8. Probatur ſecundò; In cœleſti regno erunt omnia noua, iuxta Apocalyp. 21. v. 5. *Ecce noua facio omnia.* Ergo par eſt, vt, & lingua. Tertiò; Ornamenta corporum glorificatorum futura ſunt nobiliora in Patria, quàm fuerint vel in ſtatu innocentiæ. Ergo & lingua. Quartò; Damnati loquentur nouo idiomate, duro, aſpero, & inſuaui inuento à Dæmone, vt autumant Salas, Lorinus, & Moura, qui addunt, pueros exiſtentes in Limbo fortè loquuturos nouo etiam idiomate inuento ab ipſis. Ergo ſimiliter, *&c.* Sed non ſilebo, aſſeri à Roa, pueros illos loquuturos Hebraïcè; Bonacinā verò adſcribere illis linguam, quam viuēdo didiciſſent, ſi ad ætatem perueniſſent iuuenilem.

29 Quintò probatur ex S. Paulino epiſtola 44. quæ eſt 4. ad Auguſtinum, *Fortè*, inquit, *hoc gloriæ, gratiæque appoſituro Sanctis ſuis Domino in ſæculu regni ſui, vt tantò potioribus linguis, & vocibus canant, quantò ad beatiorem naturam corporum beata mutatione profecerint, vt in corporibus iam ſpiritualibus conſtituti, iam forſitan non humanis; ſed illis Angelicis, atque cœleſtibus, quales Apoſtolus audiuit in paradiſo, ſermonibus eloquantur. Et inde forſitan ineffabiles eos ſermones fuiſſe teſtatus eſt, quia ſanctis inter alia præmiorum ſpecies iam noua lingua parātur. Quibus idcirco hominibus huius ſæculi vti non licet, vt iam his gloria ſua congruentibus immortales loquantur, de quibus dictum eſt, Etenim clamabunt, & hymnum dicent, procul dubio in cœleſtibus, vbi cum Domino erunt, & delectabuntur in abundantia pacis, &c.* Sic S. Paulinus, qui dum animo præſumit, Beatos homines non humanis, ſed Angelicis linguis loquuturos, neutiquam excludit voces ſenſibiles; ſed ſimiles iis, quæ modò ſunt nobis in vſu. Et linguas Angelicas vſurpat in eodem ſenſu, quo S. Paulus ad Corinth. 1. capite 13. verſ. 1. inquiens, *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum*, id eſt, diſertiſſimis, & elegantiſſimis, vti Eſther 15. verſ. 16. dicitur, *facies Angelica*, quæ pulcherrima, & auguſtiſſima. Sextò, exornatur à ſimili ex opinione Platonis attribuentis Diis peculiare idioma, vt refert Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum cap. 13. fuitque vulgaris Gentilium perſuaſio, Deos aliis vocabulis res appellare, quàm mortales ſoleant. Videſis Ioannem Fileſacum lib. 2. Selectorum cap. de Myſteriis §. 4. Pintūmque Ramireſium in ſpicilegio ſacro c. 38. n. 5. Nec prætermittas ſpecioſum Dionis Chryſoſt. locum in oratione Troiana 11.

30 Obiicies primò, pro Salmerone, ſpectare ad maiorem Dei gloriam, & Chriſti honorem, vt iuxta Paulum ad Philippenſes 2. verſ. 11. *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Reſpondeo; id facere pro tertia aſſertione. Deinde Apoſtolum non loqui de multiplici lingua inter cœleſtes tantùm ciues; ſed de multiplici inter cœleſtes, terrenos, & inferos. Si addas, Deum in vita mortali laudari variis linguis, iiſque à Spiritu Sancto donatos Apoſtolos in ſignificationem, quod in cœlo erit frequens earundem vſus. Reſpondeo, hanc ſignificationem carere fundamento. Ideò enim Apoſtoli variis linguis donati fuere, quia mittendi erant ad gentes, inter quas illæ frequentabantur. Et hac etiam de cauſa diuerſis linguis laudatur Deus in vita mortali, aliud namque non patitur varietas nationum.

31 Obiicies ſecundò pro Authoribus fauentibus linguæ Hebrææ locum Sophoniæ c. 3. v. 9. *Tunc reddam populis labium, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno*; præmiſerat autē v. 8. *Expecta me in die reſurrectionis meæ in futurum.* Reſpondeo, argui inefficaciter ex eo loco. Etenim Sophoniæ tempore, quod fuit ſub initia regni Ioſiæ ante Babylonicam captiuitatem, vtebantur Iudæi Hebræa lingua: Cùm autem Deus dicat, ſe redditurum, ſeu reſtituturum labium electum, ſi de linguæ dono percipiendus eſt, diuerſa alia ab Hebræa erit; quæ tamen antiquitùs fuerit vernacula. Ideo Nierembergius c. 11. apponit hanc coniecturam pro primatu linguæ Syriacæ, qua vſus eſt Chriſtus Dominus, vt potè communi apud Iudæos poſt ſeruitutem Babylonicam, quemadmodùm notant ipſe Nierembergius c. 27. Barradas tom. 1. in Euang. lib. 5. c. 24. Pereyra lib. 5. in Geneſ. c. 2. v. 20. Pinius, de Chriſto crucifixo lib. 4. tit. 7. loco 2. n. 3. Dixi, *ſi de lingua dono percipiendum eſt*; Nam Ribera interpretans Sophoniam de aduentu Chriſti ait. *loquutio hac electa, ſiue labium electum, eſt iam non Deos nominare, ſed vnum Deum agnoſcere, & adorare ac ſi diceret: ceſſabit omnis Idololatria.* Gaſpar Sanchez exponit de puritate proborum Iudæorum, qui poſt captiuitatem Babylonicam redierunt in patriam. Nierembergius c. 12. adſtruit, impletum eſſe vaticinium illud in deſcenſu Spiritus ſancti. Quòd ſi etiamnum contendas, percipiendum de linguæ dono in futura vita, dicam cum Patre Salas, labium electum, putum, & clarum, vt Symmachus, & Chaldęus vertunt, eſſe ſpecialem illam linguam ſummè ſuauem, breuem, & perſpicuam, de qua in quarta aſſertione: neque neceſſe eſt, vt verbum *Reddam* ſumatur adeo ſtrictè, vt reſtitutionem linguæ antea conſuetæ poſſit ſolummodò ſignificare. Chaldęus vertit *Mutabo*, & Septuaginta *Conuertam.* Animaduertendúmque eſt pro ſecunda aſſertione, non dici *Reddam labia*, ſed *labium*, vt innuatur vna tantùm frequens lingua. Et fortè *Canticum nouum*, de quo Ioannes in Apocalypſis cap. 14. verſ. 3. nouam illam denotat linguam.

32 Obiicies tertiò, Cantandum *Alleluia* in cœleſti Hieruſalem iuxta Tob. c. 13. v. 22. *Per vicos eius Alleluia cantabitur.* Quæ vox (multoties etiam audita à Ioanne in cœlo, vt narrat Apocalyp. 19.) cùm ſit Hebræa, infertur, eam linguā fore in cœlo communem. Addes S. Ioan. Apoc. 15. v. 3. audiuiſſe Beatos *cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei*: Illud autem Canticum (de quo Exodi 15.) Hebraïcè fuit dictum. Addes iterùm, Iſaiam c. 6. v. 3. audiuiſſe Seraphinos, quorum alter clamabat ad alterum, & dicebat Hebraïcè *Kadoſch*, &c. id eſt, *Sanctus.* Tandem S. Paulum Act. 26. v. 14. audiuiſſe Chriſtum *loquentem* ſibi *Hebraica lingua, Saule, Saule, quid me perſequeris?* Reſpondeo, Cœleſtia verba, & arcana talia eſſe, vt ea homini mortali non liceat eloqui. Ideò Scriptores ſacri cælica cantica, quæ audiuerunt, aut præſenſerunt, noſtro modo ſignificarunt; & Empyrei ipſi ciues audientium auribus ſeſe accommodarunt. Hanc ob cauſam Chriſtus Dominus alloquutus eſt Hebraïcè S. Paulum, linguæ illius gnarum.

33 Si adhuc velis cum Hieronymo Columbo, nobiliores aliquas, & ſacratiores voces Hebræas, vt *Iehoua, Alleluia* frequentandas perſæpè in Empyrea aula; haudquaquam obluctabor: nec item contradicam Anaclero Sicco lib. 1. de Eccleſiaſtica hymnodia c. 5. & 11. exiſtimanti, vſurpādos in Hieruſalē cœleſti Dauidicos Pſalmos, ſiue lingua Hebræa, ſiue

Digitized by Google

ſiue noua alia præſtantiori. Quod inſinuatur à S. Hilario in v.9. Pſal.60. vbi de Rege Dauid inquit, *Pſallet in ſæculum ſæculi, & vota de die in diem reddet, nullo temporum fine concluſus, hymnis æternis æternorum votorum gaudia redditurus, cum abſoluta omni terrenorum corporum infirmitate, cæleſtem, atque Angelorum agat vitam de die in diem vota reddendo ſecundum illud, vota mea Domino reddam in atriis domus Domini in conſpectu omnis populi eius in medio tui Hieruſalē, cæleſtis vtique matris, & liberæ.*

34 Obiices quartò; Adamum in paradiſo accepiſſe à Deo Hebræum idioma; & hîc multa pro antiquitate, & nobilitate Hebrææ linguæ aggerabis. Reſpondeo, vltrò admittens. Sed tamen præſtantiorem linguam beatificus ſtatus videtur expoſcere, licet in Hebræa aſperitatem, æquiuocationem, & inopiam verborum non taxabo, vt fecit Salas, his enim imperfectionibus liberam eſſe deprædicant, qui eam probè ſciunt, imo Græcâ multò copioſiorem contendunt; vt videre eſt in P. Antonio Iordino lib. de radicibus Hebraïcis. Tandem pro lingua Latina nihil momenti, quod obiici poſſit, video. Etſi enim Catholica Eccleſia maiori ex parte vtatur eâ pro diuinis laudibus canendis, ideò nimirùm eſt, quia in Europa communior, aliiſque in partibus, vbi viget orthodoxa, & Romana fides.

SECTIO IV.

An Beati erunt in continuo audiendi exercitio? & an audient concentus muſicos, alioſque ſonos præter vocales?

35 QVoad primam partem Suar. tom.2. in 3.p. diſp.47. ſect. 6. v. *occurrit*, (cui adſtipulantur Salas diſp. & ſect. 14. tr. 2. in 1.2. n.108. Ægidius Luſitanus tom.3. de Beatitud. lib.4. q.7. art.4. n.2. & Felix ſuprà) docet, neceſſe non eſſe, vt Beati audiant ſemper aliquid, loquantur, aut canant, tum quia loquutio, aut cantus ſunt in poteſtate libera ipſorum, tum quia exiſtente adhuc loquutione, aut cantu, liberum etiam ipſis eſt applicare auditum. Vnde inter hunc, & viſum intercedit illud diſcrimē, quòd ſaltem obiecta viſus non dependeant ex aliqua actuali applicatione libera; ſed ſint res permanentes, & ſtabiles.

36 Neque obſtat locus Apoc.4. v.8. vbi de quatuor illis animalibus dicitur, quòd *requiem non habebant dicentia Sanctus, &c.* Nam & 8. eiuſdē Apoc. v.1. narratur, *factum eſſe ſilentium in cœlo quaſi media hora.* Dominicus Sotus in 4. diſt.49. q.4. art.5. ait, primum locum *non tam ad rigorem litteræ intelligi; ſed quòd clamabant ordine quodam, & per vices cantus quandoque pauſando.* Et poteſt intelligi de cantu continuo, non phyſicè ſed moraliter. Quem prægustauit in hac vita Iſembardus Monachus Ciſtercienſis; ſic enim apud Cæſarium, & Manrique in Annalibus Ciſtercienſibus an.1170. c.6. n.7. dixit, *Choris in cœlo pſallentium interfui. Ah quàm concorditer, quàm delectabiliter pſallebant! In noſtro cantu ſolet eſſe diſſonantia, tædium, laſſitudo, ibi longè aliter eſt, in vnam omnes conueniunt melodiam, ſuper omne, quod delectat, dulciorem. Infatigabiles laudare non ceſſant, & quantò plus laudant, tantò plus creſcit amor laudandi, & mirabili, ac ineffabili modo hoc prouenit in vſum grauiſſimæ quietis, quòd nunquam vacant à laude Creatoris.*

37 Neque item obeſt S. Chryſoſtomus in epiſt. ad Theodorum lapſum, inquiens, Beatos *continua fruituros conuerſatione in Chriſto.* S. Ephrem ſerm. in omnes SS. Chriſti Martyres dicens, *Feliciſſimi ſunt omnes Sancti ob hæreditatem illam cæleſtem, qua perfruentur, perpetuáque conuerſatione cum Chriſto.* Nam *conuerſatio*, idem eſt, ac conuictus, aut ac perpetua cogitatio de Chriſto, vti in S. Paulo ad Philip. 3. v.10. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.*

38 Quoad ſecundam partem, mira ſunt, quæ de Muſica in ore Beatorum lego apud Guilielm. Pariſienſem in 1. partis de Vniuerſo p.2. c.42. *Erit* (ita ille) *os vniuſcuiuſque hominis glorificati ſicut Cithara chordarum innumerabilium, & ſicut organum innumerabilium fiſtularum, & erit ſonoritas ex ore vniuſcuiuſque glorificati hominis concentus vocum, ſiue ſonorum innumerabilium, mira, & incogitabili nobis hîc ſuauitate ſibi inuicem conſonantium, & auribus perfectionis illius ſimul audibilium.* Laudantur hæc à Mauburno in Roſeto tit.38. Alphabeto 75. lit. G. & confirmantur à Drexelio p.2. Æternitatis lib.2. de Cœlo cap.5. §.3. exemplo artificioſi horologij, quod muſicis vocibus inſtructum decantat carmen integrum; ſic quodlibet beatorum hominum os ſimphoniam, & concentū poterit edere. Buſtus p.2. Roſarij ſer.19. tit.3. de tertio paradiſi gaudio, refert ex quibuſdam fore, vt queant Sancti ore, manibus, & pedibus formare diuerſos ſonos mellifluos, ac ſuauiſſimos. Salas n.105. exiſtimat, non ſolùm lingua, ſed manuum plauſu, & aliorum organorum vario vſu laudandū Deum à Sanctis in Cœlo. Fortè exercebunt illam partem Muſicæ diſciplinæ, quam, teſte Caſſiodoro in lib.1. variar. epiſt. 20. *Mutam nominauere Maiores, ſcilicet, quæ ore clauſo, manibus loquitur, & quibuſdam geſticulationibus* (has amando à cœlitibus) *facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut ſcripturæ textu poſſit agnoſci.* De hac parte inſignem concinnauit annotationem P. Theophilus Raynaudus lib.6. de virtutibus & vitiis ſect.2. c.10. pag.703. Locupletauitque nuper exculτiſſimus P. Pintus Ramirez tr.1. Spicilegij ſacri c.12. à n.10. vſque ad 15. Guido Panzirolus parte priori rerum memorabilium tit.40. & Henricus Salmuth in notis paucula quædam de eadem arte comportarunt; Iulius etiam Cæſar Bulengerus lib. 1. de theatro cap.52. pag.305. Cerda in Aduerſariis c.178. n.11. nonnulla dederunt præſegmina.

39 Nec deerunt in Empyreo inſtrumenta Muſica, Nam, vt ait Buſtus paulò antè citatus, *Abſurdum non videtur opinari, quòd ſicut Deus fecit incorruptibiles manſiones pro Beatis; ita etiam fecerit diuerſa ſonorum inſtrumenta incorruptibilia ad accidentalem eorum conſolationem, vt ipſe ab eis omni modo poſſibili, ſicut conuenit, laudetur, & magnificetur.* Tann. tom.2. d.1. q.3 dub. 4. n.36. & Roa in c.9. de ſtatu Beatorum contendunt, poſſe ab illis efformari ex materia cœleſti inſtrumenta Muſica, quæ imitentur, & longè ſuperent noſtratia. Quod promouere licet ex Apoc.14. v.2. vbi teſtatur Ioannes, auditam à ſe *vocem ſicut Citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.* c.15. v.2. & 3. vidit triumphantes de magna *beſtia habentes Citharas Dei, & cantantes Canticum Moÿſi ſerui Dei, & canticum agni.* Anteà c.5. v.8. referuntur *quatuor animalia, & vigintiquatuor Seniores cecidiſſe coram agno, habentes ſinguli Citharas.* Vnde Cornelius ad hunc poſtremum locum, Arriaga, tomo 2. in 1. part. diſp.57. n.8. & Anacletus Siccus lib.1. Eccleſiaſticæ hymnodiæ c.11. pronuntiant inſtrumentorum etiam Muſicam denotatam à Ioanne. Si præfata inſtrumenta alicui cum Hierony. Columbo in Angelica, & humana hierarchia l.8. c.21. n.7. diſſonent, non admodùm contendam, niſi

Digitized by Google

niſi & ſonos ex cæleſtis corporis motione locali, vniúſque partis ad aliam colliſione efformatos repudiet; cùm enim Regio media Empyrei ſit ſcinditbilis, facili negotio poterunt Beati efformare ſonos gratiſſimos, qui inſtrumentorum harmonicum æmulentur concentum. *Ipſa etiam Beatorum voces ſuauiſſime erunt, & de concentu Muſico haud parùm habebunt. Si enim nationes aliquæ ſunt, vt de Sinis certiſſimum putatur, quæ in ordinaria loquela habent quendam concentum Muſicum, attollendo, deprimendo, protrahendo ſyllabas, quid ni ſimile aliquid, longè tamen perfectius Beatis concedamus, ratione cuius haud leuiter recreent audientium aures?* Ita Arriaga.

40 Quoad tertiam partem Author Elucidarij ſub nomine S. Anſelmi, & S. Laurentius Iuſtinianus exarati in n. 4. Caſſiodorus etiam adductus in n. 19. & Maluenda infrà allegandus videntur putare, glorificatas aures oblectandas ex harmonia cæleſtium orbium; quæ tam ſuauis creditur à Pythagoricis, teſte S. Ambroſio lib. & cap. 2. in Exameron, vt ideò dictitent, *non peruenire ad terras, ne capti homines per ſuauitatem eius, atque dulcedinem, propria negotia, atque opera derelinquerent, & omnia hîc otioſa remanerent, quodam humana ad cæleſtem ſonum mentis exceſſu.* Ea tamen oblectatio difficilis eſt; tum quia opinatio Pythagorica de concentu cæleſtium orbium eſt impoſtura veteratoria, & ruinoſa carie perflaccida, vt ait S. Baſilius homilia 3. in Exameron: tum quia poſt diem Iudicij ceſſabit cœlorum motus, vt ſtatuunt Richardus Victorinus lib. 3. ſuper Apocalypſim cap. 7. Magiſter ſententiarum, & cum eo Theologi in 4. diſt. 48. permoti ex verbis Apocalypſis cap. 10. v. 6. *Tempus ampliùs non erit.* S. Ephræm ſerm. de pœnit. inquit, *Non ampliùs Sol curſus ſuos alternabit, ortúſque ſuos viciſſim commutabit.* S. Hieronymus in cap. 6. Iſaiæ v. 19. *Ceſſaturum Solis, Lunæque officium.* S. Ambroſius lib. 5. epiſt. 21. *Sol & Luna; & cætera Stellarum lumina requieſcent in gloriam filiorum Dei, quando erit Deus omnia in omnibus.*

41 Sed ad primum reſpondere quis poſſet, opinationem Pythagoricam diſplicuiſſe S. Baſilio, vt & S. Damaſceno lib. 2. de fide orthodoxa cap. 6. & antiquiori S. Dionyſio lib. de Diuinis nominibus cap. & §. 4. placuiſſe verò aliis Patribus, & in primis S. Ambroſio præfatione in Pſalmos vbi ait, *Ipſum axem cœli fert expreſſior ſermo cum quadam perpetui concentus ſuauitate verſari: vt ſonus eius extremis terrarum partibus audiretur, vbi ſunt quadam ſecreta naturæ.* Rurſùs libr. de Iſaac, & anima, c. 7. aſſeuerat, approbari à quibuſdam ex noſtris; addit tamen, *qui* (concentus globorum) *quoniam non venit ad fidem, ſaltem propter gratiam ſuauitatis non videtur alienus.* Et in prællegato libro, ac cap. 2. ſuper Exameron expedit ſe à Pythagorica harmonia miris his verbis, *Sed ea, quæ ſunt aliena ab ſtudio noſtro, & diuinæ lectionis ſerie, iis, qui foris ſunt, relinquamus.* Grata deinde fuit S. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 3. Orig. cap. 17. Boëtio lib. 1. de Muſica cap. 2. S. Sidonio Apollinari in epithalamio Polemij; & Araneolæ, Licentio Poetæ in epiſtola 39. S. Auguſtini ad ipſum, Tertulliano in cap. 2. de Pallio, vt Noſter Mendoza lib. 8. Viridarij n. 195. colligit exinde, quòd *Lunam* dicat *modulationibus menſtruis variare*, Prætereà Baptiſtæ Mantuano lib. 2. Sylla 5. & lib. 3. carmine Panegyrico in Robertum Sanſeuerinatem, Angelo Politiano in Nutriciis v. 149. Danti Aligerio in Paradiſo, Cantu 1. Richardo Bartholino, lib. 8. Auſtriados, vt omittam Philonem Iudæum lib. de ſomniis, Leonem etiam Iudæum Dialogo 2. de Amore, Ciceronem, & Macrobium in ſomnio Scipionis, Achillem Tatium in Iſagoge ad Arati phænomena c. 5. Platonem lib. de Republica, Martianum Capellam lib. 1. ac 9. de Nuptiis Philologiæ, & Mercurij, Plinium lib. 2. hiſtoriæ naturalis c. 3. videtúrque aliquod habere fundamentum in c. 38. Iobi v. 37. vbi rogat, Deus, *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cælorum, quis dormire faciet?*

42 Neque cogitatio hæc damnata eſt inter Marcoſiorum dogmata à SS. Irenæo, & Epiphanio, vt immeritò tradit Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ, annotatione 105. Nam Marcoſij aliud confingebant, nimirùm ſeptem cœlos pronuntiare totidem litteras. Conſtat id ex S. Epiphanio hæreſi 34. quo loci tranſcribit verba S. Irenæi. De cœlorum concentu conſulantur Author librorum de mundi imagine in lib. 1. cap. 80. Albertus Magnus ſerm. 38. S. Hildegardis in ſolutione ad q. 27. Picolomineus de cœlo c. 37. Rhodiginus lib. 1. lectionum antiquarum c. 19. Abaëlardus l. 1. introductionis ad Theologiam n. 17. Richel in elementatione Philoſophica, propoſitione 58. Gerſon tract. de canticis tom. 2. fol. 405. partis 3. Georgius Venetus de Harmonia mundi cantico 1 ton. 8. concentu 19. cantico etiam 3. tono 3. concentu 6. ac 7. Pariſienſis in primæ partis de Vniuerſo part. 2. c. 34. Leo de Caſtro in c. 40. Iſaiæ v. 26. Alexander à Turre p. 1. de fulgenti radio Hierarchiæ Eccleſiæ militantis. lib. 1. radio 5. Alfonſus de Mendoza in quodlibetis q. 3. expoſitiua à n. 6. Pineda, & Bolducius in c. 38. Iob v. 37. Cornelius à Lapide in cap. 8. Prouerb. v. 30. in c. 16. Eccleſiaſtici v. 28. Maluenda lib. 3. de Antichriſto c. 29. Valles de ſacra Philoſophia c. 56. Ioannes Bochius in Pſ. 18. v. 5. Viegas in 6. Apocalypſ. comment. 4. ſect. 12. n. 5. Connimbricenſes 2. de cœlo c. 9. q. 1. Auerſa q. 34. Philoſophiæ ſect. 9. ex quibus compertum ſaltem erit, non adeò abſonare.

43 Ad ſecundum reſpondere poſſet, ceſſaturum quidem cœlorum motum, ſi præcisè attendatur generationi, & corruptioni rerum ſublunarium; quæ quia non erit, neque ex hoc fine erit ille neceſſarius; nihilominùs Deum quandoque indulturum, quòd detur eo fine, vt Beatorum aures conditiſſimo mulceantur ſono, quem cauſet. Si tamen id non approbetur, poſſet vlteriùs reſpondere, Beatorum auribus indendas à Deo ſpecies harmoniæ, quam modo edunt cæleſtes orbes, & mediis illis ſpeciebus audiendã, non ſecùs ac ſi tũc reipſa exiſteret, aptè adtentanda in ſect. 3. exerc. 32. Poſt hęc ſcripta animaduerti præſtitam operã à n. 41. forſan ab aliquo iudicandã ſuperuacaneam; dicet enim SS. Anſelmum, & Laurentiũ Iuſtinianum non loqui de harmonia ex cœlorũ motu, ſed de ea, quæ fiet intra ipſos cœlos iuxta varios modos in pręcedẽtibus declaratos. Quiſquis tamẽ ita interpretetur Patres illos, non negabit, vt reor, ſatis apparẽter à me intellectos in alio ſenſu.

SECTIO V.

Occurritur duplici obiectioni.

44 ERit, qui ex Cantilenis Elyſiis creditis ab Ethnicis, vt viſũ eſt in ſect. 2. ſumat occaſionẽ improbandi Empyreas; obiectabit namq; nos trãſferre ad cœlũ voluptates Gentilicas, imò & paradiſiacas Mahumetanorũ. Et hanc ob cauſã habuit ſuſpectas cãtilenas, & ſaltationes cæleſtes Pariſiẽſis in primę partis de Vniuerſo part. 2. c. 43. Sed immeritò, cùm nos nihil inhoneſtũ, quodq; dedeceat ſtatũ beatificum hominum immortalium, ad Empyreum traducamus.

ducamus. Aſt Mahumetani quas ſpurcitias in ſuo non ſperant paradiſo? Gentiles autem ob præſumptas cantilenas, & choreas in campis Elyſiis reprehenſionem non merentur. Fortè quemadmodùm ex inauditis de paradiſo terreſtri conſinxerūt Elyſia prata, ita ex inauditis gaudiis, & delectationibus Beatorum præſenſerunt concentus, & tripudia.

45 Erit etiam, qui loquutionum vtcumque cum eodem Pariſienſi vocet in dubium: Si enim quilibet Beatus claré cognoſcit aliorum conceptus, & volitiones, inutilis videtur vox ſenſibilis ad eas exprimendas & ſignificandas: Reſpondetur primò, Deo etiam perſpectas eſſe noſtras cogitationes, & libita; vtiliter tamen ad ipſum preces, & orationes vocales fundi. Secundò, loquutos Beatos de pluribus, quæ cunctis non innoteſcunt; non enim cuncti ſciunt omnia futura, neque omnia, quæ geſta ſunt in terris, nec omnes actus internos aliorum: loquuturos item de pluribus, quæ etſi habitualiter ſciantur, non tamen ſemper conſiderantur actualiter, & diſtinctè: inſuper de pluribus, quæ etſi actualiter conſiderentur, tamen non tam perfectè, ac ex collocutione cum alio, qui ea ſubtiliùs, & diligentiùs ponderabit. Tertiò reſpondetur ex Ægidio Romano quodlib. 6. q. 25. *Non ſolùm datus eſt nobis ſermo ad vitandā ignorantiam, & ad ſciendū aliorum conceptus; ſed datus eſt etiam ad ſociale ſolatium. Si enim ſe inuicem diligentes in ſuis collocutionibus delectantur, etſi nihil intenderent ſcire de conceptibus, & nihil intenderent per hoc addiſcere: ſed ipſa collocutio dilecti magnam delectationem facit. Dulcis enim eſt vox dilecti, non ſolùm vt illuminet mentem, ſed etiam quia refocillat auditum, & gaudium generat audienti::: Vt ergo ſit plena ſanctorum lætitia, & perfectè ſit delectabilis illa ſancta ſocietas, erunt in Patria vocales voces.* Quartò, dicimus, Beatos dearticulaturos voces tum proſa, tum verſu in laudem Dei, & gratiarum actiones pro acceptis beneficiis.

46 Et hæc ſola eſſet ſufficiens ratio ad credendam locutionem Beatorum in Patria. Etenim nullum eſt opus internum, vt inquit Leſſius lib. 3. de ſummo bono c. 8. n. 110. quo Deus magis honoretur, aut quod maiorem, honeſtioremque voluptatem contineat, quàm canticum laudis, & gratiarum actionis. *Dulcis cantilena, quæ non corpus effeminat, ſed mentem, animúmque confirmat.* Sic S. Ambroſ. in Pſ. 118. ſerm. 7. Præterea cantibus celebrabunt Chriſti, & ſanctiſſimæ Matris laudes, triumphos Martyrum, Confeſſorum facinora, & Sanctorum omnium contra Diabolum victorias, vt ſibi perſuadet Cardinal. Bellarm. lib. 4. de æterna felicitate Sanctorum c. 6. Et hunc in ſenſum trahit illud Eccleſiaſt. c. 31. v. 11. *Et eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*, intelligens de Eccleſia triumphante, *in qua erit vera gloria*; iuxta S. Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei c. 30. *Et laudantis nec errore quiſquam, nec adulatione laudabitur: in qua erit verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; ſed nec ad eam ambiet vllus indignus, vbi nullus permittitur eſſe, niſi dignus.* De S. quidem Martino canit Eccleſia militans, *Martinus hic pauper, & modicus, diues cælum ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur.*

47 Adiicit Salas n. 105. vſuros Dialogis, metro compoſitis, Beatos, vno interrogante, & alio reſpōdente, etiam quando reſponſionem alter non ignoret, vt non ſolùm mens, ſed lingua in Dei laudibus ſemper verſetur. Non ægrè crediderim carminum in cœlo vſum; *Poeticus enim lepor iis, quæ dicuntur, neſcio quam fidem, & authoritatem conciliat*, ait Hipparchus lib. & c. 1. ad Arati, atque Eudoxi phœnomena; Seneca etiam epiſt. 109. *Eadem negligētius audiuntur, minúſque percutiunt quandiu ſoluta oratione dicuntur; vbi acceſſere numeri, & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur.* S. Ambroſ. in prologo ad Pſ. 118. *Cum ſuauis omnis doctrina moralis ſit, tum maximè ſuauitate carminis, & pſallendi dulcedine delectat aures, animúmque demulcet.* Et hæc ſatis pro præſenti exercitatione, ſi tantùm dicere liceat cum S. Auguſtino c. 25. Meditationum, *Felix ego, & verè in perpetuum felix, ſi audire meruero illa cantica cæleſtis melodiæ, quæ cantātur ad laudem Regis æterni ab illis ſupernæ patriæ ciuibus, Beatorūmq; ſpirituū agminibus. Fortunatus ego, nimiúmq; beatus, ſi meruero cantare ea.*

EXERCITATIO TRIGESIMA.

De Olfactu glorificatorum hominum.

1 OLFACTVS eſt tertius ſerie, & dignitate ſenſus. Idcircò iam de eo. Arnoldus Abbas tract. de opere ſex dierum ſcripſit, *Nec de locis corporalibus, vel odoribus, vel ſaporibus vlla erit vltrà vel cura, vel quæſtio* (poſt glorificationem corporum:) *quia, ſicut diximus, etiāſi localis aliqua tunc erit delectatio, ſpiritualis erit vtiq; non carnalis.* S. etiam Bonauent. in 4 diſt. 49. art. 3. q. 1. n. 42. negauit, futuros olfactionis actus in cœlo. Cenſuit & id non improbabile Abulēſis in c. 17. Matth. q. 116. Reliqui verò Theologi vnanimi firmāt conſenſu, odoratū glorificatum proditurum in ſuos actus. Ægid Luſitan. tom. 3 de Beatitud. lib. 4. q 8. art. vnico §. 2. n. 8. refert complures Theologos; eis alios annumerare prætermitto, vt & Patrum apponere teſtimonia; nam ea dedi in ſect. 1. exercit. proximæ. Sed non tacebo S. Bonauenturam in ſoliloquio c. 4. retractaſſe quæ dixerat in 4. ſententiarum.

2 S. Th. in eundē 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 4. adducit Eccleſiæ canticum quoddam, videlicet,

Odor ſuauiſſimus erunt corpora ſanctorum.

vt probet extituros odores in cœlo. Verumtamen iam non eſt in vſu. S. Antonin. 3. p. ſummæ tit. 30. c. 7. §. 4. aduocat aliud modò vſitatum, nempè; *Sancti tui, Domine, florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.* Et licet quoad primam partem de flore ſicut lilij accipiendum ſit metaphoricè, nihil vetat quoad ſecundam de odore accipi propriè. Ioannes Maior in 4. diſt. 49. q. 14. concluſ. 3. ait, ſignificatam glorificatorum corporum fragantiam in Iacobi odore, qui quaſi agri pleni, Geneſ. 27. v. etiā 27. & olfactionē in benè diſpoſito Iſaac odoratu.

3 Beatorum corporum nonnulla ſpiratura ſuauiſſimum odorem, extra controuerſiam eſt. P. Andreas Pintus Ramirez lib. & cap. 1. in Canticum Canticorum v. 3. num. 38. perſuadet ſibi, Chriſtum, dum mortalem vitam ageret, aliquid odoris de optima corporis complexione immiſiſſe. S. Iuſtus Orgelitanus Canticorum 1. v. 16. vocat Chriſti corpus *ſincerum odoriferum.* Sed vt vt ſit, an in ſenſu litterali, vel myſtico loquatur, tale quid de Deipara Virgine putat Carthuſianus lib. 1. de eius laudibus art. 36. & de Salomone ſuſpicantur Pineda lib. 6. de rebus illius cap. 4. num. 2. Cornelius in Cantica

Cantica cap. 5. v. 15. Vincentius Richardus in cantica etiam cap. 1. v. 3. De Alexandro Magno inquit Plutarchus, *Cute, ore, totoque corpore miram reddidiſſe fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, propter concoctos calore humores in corpore exiſtentes, qui ſunt putredinis materia.* Quòd ſi mortalia hominum corpora quandoque odorata; quidni & immortalia aliqua, & maximè Chriſti Domini? *Cuius odore reuiuiſcunt mortui*, vt aiebat puriſſima Agnes apud S. Ambroſium in ſerm. 90. S. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 16. narrat de B. Virgine Tarſilla, *tunc ſurſum reſpiciens, IESVM venientem vidit, tantáque ſubitò fragrantia miri odoris aſperſa eſt, vt ipſa quoque ſuauitas cunctis oſtenderet, illuc authorem ſuauitatis veniſſe.* Narrat itidem Valgius apud S. Paulinum ep. 36. ad Macharium, *Se ad ipſius pedes nunc Domini, nunc Martyris* (Felicis) *gubernantis, ſibi ſolitum procubare, etiam familiarius ipſo allectante in genibus quoque, ac ſinibus ſacris beatum, & afflatibus diuinis odorum, reclinati capitis puluinar habuiſſe.*

4 Prophani Deos, Deáſque inducunt ſuam exhibere mortalibus præſentiam per exquiſitum odorem, vt Virgilius in 9. Æneidos de Apolline,

———ſimul hæc affatus ab alto
Æthere ſe mittit, ſpirantes dimouet auras.

Et in 1. de Venere,

Dixit, & auertens roſea ceruice refulſit,
Ambroſiæque comæ diuinum vertice odorem
Spirauere.———

Ouidius Faſtorum 5.

Omnia finierat, tenues ſeceſſit in auras,
Manſit odor, poſſes ſcire fuiſſe Deam.

Claudianus de Nuptiis Honorij, & Mariæ

———fundique comarum
Gratus odor: mox vera fides, numenque refulſit.

Vide Cerdam, & Pontanum ad ſuperiora Maronis Carmina, Carolum Neapolitanum ad Ouidij; & ad Claudiani, Barthium, Turnebum in Aduerſariis lib. 30. cap. 28. Poëta Chriſtianus Sannazarus lib. 1. de partu Virginis imitatus eſt veteres Vates, dum de Angelo Gabriele ſalutante Deiparam in Nazareth ludit,

Ac tectis latè inſuetum diffundit odorem.

Non ergo mirum, ſi immortalia aliqua corpora illum ſpiraturum dicamus.

5 Imò omnia fore maximè odorata, crediderim cum Ioanne Maiore ſuprà, Bellouacenſi lib. 31. ſpeculi Hiſtorialis cap. 110. Iacobo de Vitriaco ſerm. 1. Dominicæ 4. in Quadrageſima, Iabello in 8. p. Chriſtianæ Philoſophiæ tract. & cap. 3. Bloſio in ſpeculo Spirituali cap. 14. & in Enchiridio paruulorum lib. 2. cap. 6. Peſantio in 1. 2. q. 4. à. 6. d. 11. Soto in 4. diſt. 49. q. 4. & concluſ. 5. Matulo de Religioſè viuendi inſtitutione per exempla lib. 6. cap. 15. Gregorio Martinez in 1. 2. q. art. & dub. 3. Franciſco Felice cap. 7. de Beatitudine difficult. 3. num. 1. Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 57. num. 9. in fine, Sherlogo volumine 3. in Cantica, veſtigatione 36. num. 35. Auerſa p. 3. q. 53. ſect. 2. Petro Reginaldeto parte 2. finalis retributionis in 9. gloria corporis. Si obiicias ex Ægidio ſuprà num. 16. Bonacina in 3. p. diſp. 3. q. 5. puncto 4. §. 1. propoſit. 3. n. 8. Roa cap. 10. de ſtatu Beatorum, odor reſultat in corporibus ex mixtione, in qua Calidum, & Siccum dominantur. Sed in omnibus glorificatis non erit eadem mixtio, & temperamentum. Ergo non omnia efflabunt odorem. Reſpondeo; etſi omnia non ſint habitura idem temperamentum, tamen ſic calorem, & ſiccitatem adunanda, vt in quolibet ſufficiant ad odoris emiſſionem, inæqualis quidem pro maiori, vel minori gradu illarum qualitatum; non aliter ac per Sotum in 4. diſt. 44. q. vnica art. 4. in ſolutione ad primũ, omnia glorificata corpora erunt alba, ſed cum varietate orta ex propria cuiuſque natura.

6 Si cui hæc grata non ſint, aſſerat cum S. Thoma in 4. diſt. 44. q. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. ad 2. Suario tomo 2. in 3. p. diſp. 43. ſect. 3. & 6. Sala tomo 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. n. 115. Barrada tom. 3. in Euangelia lib. 10. cap. 5. & permultis aliis inteſtina immortalium corporum fore plena humoribus, & aëre affectis optimis odoriferíſq; qualitatibus. Vel aſſerat, imprimendos à Deo corporibus odores ſuauiſſimos; naturales tamen, & eiuſdem ſpeciei cum exiſtentibus.

7 Vno itaque ex tribus modis indicatis efflabunt delicatiſſimum odorem glorificata corpora; vti è contrario damnatorum corpora fœtorem Auernalem, multóque grauiorem eo, quo Antiochus, vt refertur 2. Machabeorum cap. & v. 9. ſuum exercitum grauabat. S. Vincentius Ferrer. in ſermone de Reſurrectione Generali habito Cadoni in Normannia dixit corpora damnatorum fore adeò fœtida, vt adúſque Pariſios peruaderet fœtor grauè olens, ſi vnius damnati corpus poneretur Cadoni. S. Antonius de Padua ſermone feriæ 2. in hebdomada 1. Quadrageſimæ addit, ipſorum damnatorũ odoratum cruciandum ex fœtore ferarum, quas inuſſit ignis conflagrationis; item ex ſulphure horrendo, nec non ex tinea, & vermibus ſcatutientibus in carne; denique ex conſcientia marcida generante fœtorem teterrimum. Loquuntur de peſtilenti, putidóque Inferni odore S. Thereſia c. 32. vitæ ſuæ, Emmanuel Hortigas in flamma æterna l. 2. c. 6. Ruſca l. 2. de Inferno c. 19. Sandæus in Grammatico profano commentatione 16 n. 58.

8 Hæc omnia eo fine collegi, vt conſtaret, non defuturos in Empyreo depuratiſſimos odores; qui cum ibi careant contrario, perpetui erunt, & per liquidam Empyrei regionem mediam tam facilè ſpargentur, quàm nunc per noſtrum aerem. Sed diffundentur tunc abſque euaporatione, ſeu exhalatione corporis alicuius vt poſt S. Thomam ſuprà q. 2. art. 1. quæſtiũc. 4. ad 3. animaduertunt Theologi maximè Leſſius l. 3. de ſummo bono c. 8. n. 102. Tannerus tom. 2. d. 1. q. 3. dub. 4. n. 37. Gregorius Martinez in 1. 2. q. art. dub. 3. concluſ. 4. Ioannes de S. Thoma loco mox citando, & Ægidius Luſitanus ſuprà §. 4. à n. 23. vſque ad 27. Si autem ibi non deerunt odores, ſequitur, olfactum glorificatum placidiſſimè exercendum in eorum perceptione ſiue immediatè, ſiue mediatè per ſpecies ſui concurrentibus ipſis odoribus. Nam in tali exercitio nulla indecentia aut inconueniens apparet. Iam dixi in ſect. 4. Exercit. 15. Empyreum ipſum corpus non fore ex ſe odoriferum; ſed ſolummodò vehiculum odorum; quorum erit commodum medium regio interior, vt pote liquida inſtar aëris, & aquæ; nam ſi eſſet ſolida, & denſa, non poſſent odores tranſmitti naturaliter per ipſam ad olfactum. Dixi etiam in ſect. 1. exerc. 14. beatos homines reſpiraturos corpus liquidum regionis interioris Empyreæ. Et hoc modo meliùs intelligitur eorũ odoratio, ac loquutio; licet Duuallius tract. de quatuor nouiſſimis q. 6. art. 3. pag. 644. & Ioan. de S. Th. in 1. 2. a. 9. nolint admittere reſpirationẽ externi liquidi corporis in beatis hominibus. Nec ego ipſã concederẽ ex fine temperandi calorem cordis; ceſſabit nãque is finis, & reſtaurandi ſpiritus neceſſitas, ſiquidem calore immodico non alterabitur cor, & ſpiritus manebunt incorrupti.

EXERCI

Digitized by Google

EXERCITATIO TRIGESIMAPRIMA.

De Guſtu Glorificatorum Hominum.

QVARTO loco inter ſenſus numeratur Guſtus. Ad eius actus non opus eſt medio externo, vti neque ad actus tactus. Ideóque tractatio de guſtu non pertinet ex iure ſtricto ad nos, qui eatenùs agimus de actibus externis incolarum Empyrei, quatenus hoc vt medium corporeum conducit ad illos. Nihilominùs ne tractatio de externis ſenſibus manca,& mutila maneat, libabimus nonnihil de guſtu,& nonnihil attingemus de tactu. Primum præſtandum eſt in hac Exercitatione; Secundum in vicina.

2 Priuant Beatos exercitio guſtus S.Bonauentura in 4.diſt.49.art.3.q.1.n.42. Ouandus ibidem propoſitione 35.& nonnulli ſine nomine memorati ab Horontio lib. 11. ſuæ Margaritæ c.41.Cenſetur id probabile ab Abulenſi in 17.Mathæi quæſt.116.& ſub dubio relinquitur à Sanct. Thoma in 4. diſt. 44.q.2.art.1. quæſtiuncula 4. Nam in corpore ait, *guſtus non erit in actu, ita quod immutetur ab aliquo cibo,vel potu ſumpto,vt patet ex dictis. Niſi fortè dicatur,quòd erit guſtus in actu per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adiuncta.* Sic S.Thomas,& ſic fermè Valentia tomo 4.diſp.11.q.5. puncto 1.v. *vt enim,* Ioannes Buſæus lib.de ſtatibus cap.8.ſtatus gloriæ æternæ.

3 Sed tamen Gerſon ſermone in ſolemnitate omnium Sanctorum p.2.fol.248. credit neminem auſurum determinare, non reperiri in Patria quoſdam proprios actus guſtus, & tactus,ſecluſa imperfectione.Et Theologi cæteri eos incunctanter admittunt. Citatis de Ægidio Luſitano tomo 3.de Beatitud.lib.4.q.9.§.2.n.5.adiungo Guilielmum Pariſienſem in 1. partis de Vniuerſo parte 2.c.33. Iacobum de Voragine ſerm.3.in Dominica 25.poſt Trinitatem. Raymundum Eremitam vel Lullum, libro Clerici c.7.S.Bernardinum Senenſem tom. 1.ſerm. 38.pag.393.tomo 2.ſerm.65.pag.975. tomo 3. in Quadrageſimali Seraphico ſerm.49.p.2. principali pag.431.& ſerm.14.ex Extraordinariis p.4.pag.502. Mauburnum in Roſeto tit.38. Alphabeto 75.§.1. notula 1. Niderum c.6.in 10. præceptum Decalogi, Georgium Venetum da Harmonia mundi cantico 3.ton.2. concentu 2. Horontium ſuprà, Carthuſianum in 4.diſt.44.q.4.& alibi ſæpè, Ledeſmã in ſecunda quartæ q.86. artic.3. Robertum Holkot lect. 33. in librum Sapientiæ, Benzonium in canticum *Magnificat*, lib.2.c.& dub.4. Bonartium in c.7.Eccleſiaſtici v.19.Marianam lib.2. de morte, & immortalitate c. 1. Bellarminum in concione de Beatitudine Cæleſti, Hieronymum Columbum in Angelica, & humana Hierarchia lib.8.c.9. Maximilianum Sandæum in Theologia Iuridica commentatione 33.Medinam in 1.2.q.& art.3. in fine, Franciſcum Felicem c.7. de Beatitudine, difficult. 3.num.5. Bellarminum lib. 3. de æterna felicitate Sanctorum cap.8. Henriquez lib. vltimo de fine hominis c.27.§.2. Barradam tom.3. in Euangelia lib.10.cap.3.Leſſium lib.3. de ſummo bono cap.8. Roam cap.11.de ſtatu Beatorum,Tannerum tom.2. diſp.1.q.3.dub.4.num.50. Granadum 3.p. controuerſiæ 13.de Nouiſſimis tract.diſp. & ſect.3.n.32. Arriagam tomo 2.in 1.p.diſp.57. n.11. ſileo alios frequenter obuios, ne prolixior ſim. Præiuere S. Anſelmus in Elucidario,& ſub eius nomine Author libri de ſimilitudinibus cap.57. S.Laurentius Iuſtinianus lib.de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap.23 & apud S.Auguſtinum Author libri de ſpiritu,& anima c.58.vbi dicitur, *Nec dici poteſt,quantam habeat in guſtu voluptatem,quãtam in ſapore iucunditatem, quantam in odore ſuauitatem.* Quæ verba eſſent optima pro adſtruendo exercitio guſtus, & odoratus, niſi Author loqueretur potius de Deo habente illas voluptates metaphoricè reſpectu Beatorum.

4 Nullius cibi,& potus erit in cœlo vſus, vt latè probat S.Thomas lib.4. contra Gentes c.83. ſufficiat pro hac Catholica veritate illud Pauli ad Romanos 14.v.17. *Non eſt regnum Dei eſca, & potus,* vt omittam alia ſacræ Scripturæ teſtimonia expenſa à Patribus contra Millenarios aientes, cibo, & potu rediuiuos iuſtos potituros in terris ſimul cum Chriſto per mille annos. Ob id Gennadius de Eccleſiaſticis dogmatibus c.54.admonet, *In diuinis promiſſionibus nihil terrenum, vel tranſitorium expectemus::: non quod ad cibum, & potum pertinet.* S. Hieronymus lib.14.in Ezechielem c.46. *Neque in futuro manducabimus, & bibemus, ſed illo veſcemur pane, qui de cœlo deſcendit,de quo in Pſalterio canitur, Panem Angelorum manducabit homo,& meus cibus eſt,vt faciam voluntatem eius,qui miſit me.* Allegat ibi Doctor Maximus verba Pauli ad Corint.6. v.13.epiſtola priori, *Eſca ventri,& venter eſcis; Deus autem,& hunc,& illas deſtruet.* In quæ verba videndus eſt noſter Iuſtinianus.S.etiam Dionyſius Areopagita c.7. de Eccleſiaſtica Hierarchia parte 1.§.2. cùm ſcripſiſſet, *Alij rurſus neſcio quo pacto ad carnales cogitationes declinantes, dixere præſenti vitæ ſimilem eam,quæ Sanctis promiſſa eſt, ſanctiſſimam & beatiſſimam requiem,ciboſque vitæ variabilis proprios, his qui æquales Angelis ſunt euaſuri,nefariè applicuerunt.* Adiicit, *Sed abſit,vt vnquam ſanctus aliquis vir in iſtiuſmodi errores incidat.*

5 Vnde Rupertum legens hæſi in his eius verbis lib.2.ſuper Geneſim cap.26. *Non ſicut hic,ita ex neceſſitate manducabitur illic. Etenim in hac hominis peregrinatione omnibus eſt mortalitatis ſolatium, illic autem immortalitatis delectamentum. Et hoc ſciendum, quia propter ſolum hominem hunc terrenum paradiſum plantauit Dominus Deus, illum autem paradiſum cæleſtem & Angelis plantauit, & hominibus. Nam Angelus,qui terrenum non habet corpus, vnius ſpiritualis paradiſi delitiis eſt contentus, homo autem qui ex corpore conſtat,& ſpiritu, duplici paradiſo delitiabitur. Illic æterna reſurrectione beatificatus ſecundùm animam ſola cibabitur Diuinitatis fœlici viſione; ſecundùm corpus autem veſcetur omni ligno pulchro,& ſuauiſſimo,non pro neceſſitate,ſed pro magna, & ineffabili voluptate. Nunquid enim ex neceſſitate Dominus noſter poſt reſurrectionem ſuam manducauit coram diſcipulis ſuis? Non vtique;ſed ex poteſtate. Et tunc quidem quia potuit, manducauit immortalis*

Digitized by Google

propter mortalium vtilitatem; Nunc autem, & in æternum poma ſui paradiſi manducare poteſt propter ſuam voluptatem. Attamen quia Sancti Angeli (ſicut alio loco iam dictum eſt) qualiacumque habeant corpora, & ſanctorum hominum hoſpitali charitate interdum adeò delectati ſunt, vt appoſitos cibos manducaſſe legantur, poteſt credi, quod eadem potentia multò magis tunc epulis noſtris ſint condelectandi, vbi viderint nos ſimul congregatos hereditate Patris noſtri cibari, quos cùm viderent in primo parente præiudicatos exulare, amica condoluerint charitate, per ampla ſepta vacui paradiſi. Hactenus Tuitienſis Abbas, benignæ interpretationi aditum præcludens. Et quidem licet ſecundùm ſe nec phyſicè, nec moraliter repugnet glorificato corpori deguſtatio cibi, qui non digeratur, & in eius ſubſtantiam non conuertatur: qua de cauſa dixit S. Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate Dei c. 22. *Non poteſtas, ſed egeſtas edendi, ac bibendi talibus corporibus auferetur:* tamen poſt Reſurrectionem generalem neque intra, neque extra Empyreum permanebunt mixta, quæ in cibum deſeruiant; & Empyreum ipſum, vbi erunt homines ſicut Angeli Dei, non animalem, ſed ſpiritualem vitam agentes, neutiquam decent dapes, & pocula; etiamſi ſine digeſtione, & concoctione, aliena prorſus ſtatui immortalium corporum, dicerentur tranſmitti, vti tranſmiſſa ſunt ex Chriſti Domini corpore, quando ad demonſtrandam ſuæ Reſurrectionis veritatem comedit, & bibit ante Aſcenſionem.

6 Quòd ſi ex S. Hieronymo in epiſtola ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani Henoc, & Elias paradiſi terreſtris coloni, *poſſident Dei conſortio, quod nos imitamur ieiunio, veſcuntur cæleſti pane, & ſaturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum:* & ex S. Auguſtino lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſione ad Marcellinum c. 3. *fortaſſe nec his cibis egent, qui ſui conſumptione reficiunt, etſi non ſint iam in illam ſpiritualem qualitatem corporis commutati, qualis in reſurrectione promittitur:* multò potiùs affirmari id debet de glorificatis hominibus Empyreum incolentibus palatium. Fit non ſemel in ſacris Oraculis mentio cibi, & potus Beatorum. Sed huc ſpectat regula illa S. Auguſtini in lib. de cathechizandis rudibus, *Si quid in ſcripturis audiatur, quòd carnaliter ſonet. Credendum eſt, ſpirituale aliquid ſignificari, quod ad ſanctos mores, futurámque vitam pertineat.* Et quidem eis nominibus ſignificantur ſpirituales delitiæ ex Dei diuiſione, non ſecùs ac Exodi 24. v. 11. dicitur de Moyſe, & Aaron, aliiſque Principibus populi in receſſu ad montem Sina, *Viderúntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* Vbi Aloyſius Lipomanus, *Sic Deus ſe illis videndum præbuit, vt gaudium maximum ex eius viſione perceperint, quas ſpirituales delicias per edere, & bibere circumloquitur.* Huic explicationi præluxit Chaldæus Paraphraſtes inquiens, *Gauiſi ſunt in ſacrificiis ſuis, quaſi comediſſent, & bibiſſent.*

7 Etſi guſtus proprium vſum non habebit per ſaporem extrinſecum cibi, & potus, tenent tamen communiter Theologi cum S. Thoma ſuprà, quibus conſentit S. Bonauentura in Soliloquio cap. 4. Beatorum linguam, & palatum oblectandum ex adiuncto quodam humore ſapido. Sotus in 4. diſt. 49. q. 4. art. 5. in 7. concluſione oriturum tradit ex optima temperie primarum qualitatum, non aliter ac per ipſum orietur odor ex eadem temperie. Et confirmatur à Leſſio in n. 103. quia ſi homo boni temperamenti, & planè ſanus afficitur ſuauiter, etiam ieiunus, lingua, & palato, afficietur multò ſuauius ibi, vbi temperamentum erit perfectiſſimum. Nec valet opponere ex Ægidio in n. 11. omnes Beatos non habituros eandem temperiem, quare nec eundem humorem ſapidum. Nam hæc obiectio eneruata eſt in n. 5. Exercitationis præcedentis in ſimili caſu.

8 Infundetur prætereà diuinitùs linguæ, & palato cæleſtis aliquis liquor ſapidus, vt cenſent Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 5. Iabellus in 8. parte Chriſtianæ Philoſophiæ tract. & c. 3. Viguerius in Inſtitutionibus c. 14. §. 2. v. 3. Peſantius 1. 2. q. 4. a. 6. d. 12. Auerſa 3. p. q. 53. ſect. 2. Laurentius Cuparus de quatuor hominum Nouiſſimis concione 22. Petrus de Alliaco in quadruplici exercitio ſpirituali §. 4. n. etiam 4. Hieronymus Columbus in Angelica, & humana Hierarchia lib. 8. c. 9. n. 6. Drexelius p. 3. æternitatis, lib. & c. 2. § 3. aliique ex præcitatis. Addit Leſſius, cæleſtem hunc liquorem ſpargendum per ſtomachum, reliquaque membra interiora, quia partes iſtæ poſtulant aliquem humorem externum, quo lubricæ, & humidæ conſeruentur. Ioannes Maior in 4. diſt. 49. q. 14. concluſ. 3. agnoſcit in Manna Hebræis dato figuram præfatij ſaporis, atque, vocari Angelorum eſcam, quia linguis eorum, qui Angelicè viuunt, apponetur. Forte nuncupari ſic etiam poteſt, quia non alium ſaporem Angeli deguſtarent, ſi quo illi recreandi forent, vt de Manna notant Lorinus in c. 16. Sapient. v. 20. & 21. Caſtro ibi, Cornelius in c. 16. Exodi, Conimbricenſes tract. 7. in lib. Meteor cap. 11. Trimorchus lib. 1. Meteor. diſp. 5. ſect. 30. num. 228. aliique apud Nouarinum in Agno Euchariſtico. num. 172 Nec longè aberrabit qui Apocalypſis illud cap. 2. v. 17. *Vincenti dabo Manna abſconditum* intelligat de hoc ſapido humore.

9 Qui ſanè talis erit, vt per eum ſentiant, & guſtent Beati ſapores omnes, quos voluerint. Ita Maior, Henriquez, Barradas, Arriaga, Peſantius, & Viguerius ſuprà; haud ſecùs ac de Manna dicitur Sapientiæ 16. v. 21. *Deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur.* Et cùm in Manna varietas ſaporum oſtenderit dulcedinem, quam in filios habebat Deus, vt expenditur ibidem; ſimilique largitate aluerit S. Ruadanum, & diſcipulos liquore guttatim fleti ex arbore Tilia, vt narratur in vita S. Finniani 23. Februarij in 1. Sanctorum Hiberniæ tomo edito à Ioanne Colgano pagin. 395. mirum non erit, ſi in cœlo diuina dulcedo prouideat filiis, & electis ſuis, admiſſis ad cœnam magnam, ſaporum omnium ſuauitatem. Hinc ſicut Deus miraculosè ſapores varios in Manna inducebat, ſiue pro ſolis iuſtis, ſiue pro omnibus Hebræis indiſcriminatim (de quo P. Salianus anno mundi 1244. à numero 304. copiosè, & venuſtè) ita infundet humori huic cæleſti.

10 Si tamen cui videatur cum Franciſco Felice ſuprà, non decere ſiue Beatorum immutabilitatem, ſiue incorruptibilem, & inuariabilem Empyrei ſtatum frequens generatio, & corruptio ſaporum, dicere poterit, indendos ſemel, & ſimul à Deo humori huic, aut linguæ, & palato Beatorum cunctos ſapores delectabiles; & iam hos, iam illos percipiendos ad placitum ipſorum Beatorum; & fortaſſe cunctos vna quandoq; diſcernendos, ſi eſſentialiter incõpoſſibiles non ſint inter ſe, vel reſpectu actuũ.

11 Si cui etiam videatur cum Ægidio n. 12. vnicũ fore ſaporem, erit ſuauiſſimus, & ſuperabit in perfectione eos, quos nunc experimur, nec pariet faſtidium

Digitized by Google

faſtidium. Nam vt fatur S. Proſper vel S. Iulianus Toletan. Antiſtes lib. 1. de vita contemplatiua c. 4. in cœlo erit *ſenſus ſine offenſione, ſaturitas ſine faſtidio, & tota ſanitas ſine morbo.* Atque vt S. Bernardus, ſerm. 33. in cantica, *Nihil ibi faſtiditur, nihil deficit.* Nec neceſſe erit, vt deguſtatio eius humoris ordinetur ad nutritionem, aut ſuſtentationem, ſatis eſt, ſi dirigatur ad decentiſſimam guſtus voluptatem, rependente Deo mortificationem iſtius, & aliorum ſenſuum ſuſceptam à Sanctis, dum inter mortales degerent.

12 Humoris illius tantillum prægustauerat castiſſima virgo Agnes, cùm apud S. Ambroſium in ſerm. 90. cæleſtem ſuum commendans ſponſum aiebat, *Iam mel, & lac ex ore eius ſuſcepi.* Puriſſima etiam Virgo Leocritia, (cuius ſacri cineres coluntur Oueti) eodem nectare fuit delinita Nam teſte Aluaro in vita S. Eulogij, narrauit, *Sibi vna, & alia vice oranti liquore mellis os repletum fuiſſe; quod ſe non auſu temerario expuiſſe, ſed inglutiiſſe craſſi elementi admirando ſpeciem* Sed iuuabit ſcire, quid talia referenti reſponderit S. Eulogius, nimirùm, *hoc eſſe præſagium regni cæleſtis dulcedinem perfruendam.* Vtraque Virgo, & Martyr delibauit, non ebibit, nec deguſtauit plenè in vita mortali Empyreum Nectar, & Manna; quo quantùm ſit refectus Auguſtus puer, miniſter Eccleſiæ S. Eulaliæ Emeritenſis, vt *deinceps aliud nihil præter illum nunquam deſideraret cibum*, noſces ex Paulo Diacono Emeritenſi, l. de vita, & miraculis Patrum Emeritenſium c. 1. Antiquum illud Hebræis donatum Manna non antè fluxit, quàm ex Ægypto diſceſſere, defeceruntque eis viatica, & cibi Ægyptij. *Diſcimus hinc, quòd oporteat, mundos, puróſque animos noſtros facere, ita vt omninò Ægyptiaca vita, vitiorum ſcilicet omnium turba, nos deficiat, & depurato, defecatóque animo cæleſtem cibum eſſe ſuſcipiendum.* Sic S. Gregorius Nyſſenus in Moyſis vita, & quando purior animus, quàm cum reunitus corpori, cæleſtem inhabitet aulam? Tunc Ambroſiam illam, & Nectar ſuſcipiet ex integro Beatus homo. Plura hic occurrebant de Ambroſia, & Nectare Deorum, & illorum etiam, quos ad immortalem ex mortali conditione euexit fabuloſa Gentilitas. Sed his dapibus, & poculis exundant vel puerorum labra.

13 Porrò autem ſicut glorificatorum hominum ſtatus erit omninò oppoſitus infelicitati damnatorum, ſic hos in lingua, & palato cruciandos humore quodam, felle, & abſynthio amariori, coniectant Sotus in 4. diſt. 50. q. vnica art. 4. in 5. concluſione, Valentia tomo 4. diſp. 11. q. 5. puncto 3. v. *item erunt.* Salas tom. 1. in 1. 2. tr. 2. diſp. & ſect. 14. numer. 117. Granadus 3. p. controu. 13. de Nouiſſimis tract. & diſp. 4. num. 2. Duuallius in tract. etiam de Nouiſſimis q. 5. art. 3. v. *vltima damnatorum pœna.* Et hac ratione quantum in delitiis fuere penes illicita oblectamenta guſtus, tantùm tormenti reportabunt. Patientur etiam damnati inextinguibilem ſitim, famémque inſatiabilem, vt cum Authore de triplici habitaculo apud S. Auguſtinum, & cum S. Laurentio Iuſtiniano exprimit Barradas ſuprà cap 5. Et quidem quoad ſitim colligitur ex Parabola ſimul, & hiſtoria Diuitis epulonis apud Lucam 16. v. 24. Voluit enim Chriſtus, adnotante Tirino integra damnari Diuitis ſupplicia, quæ poſt reſumptum corpus habiturus erat, ob oculos ponere.

14 Neque ſimilia in Orco ſupplicia latuerunt Ethnicos dum Tantali pænas confingunt. Itaque quemadmodùm Beati *non eſurient, neque ſitient ampliùs*, ſed *agnus reget, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, ideſt, paſcet Nectare & Manna cæleſti ſecundùm Ioannem in Apocalypſi cap. 7. v. 16. ſic Damnati perſiſtent ſemper è contrario famelici, & ſitibundi, quin nec cibi micam, qua famem deludant, nec aquæ guttulam, qua ſitim temperent, vnquam obtineant: non tamen petent à Sanctis in cœlo exiſtentibus, vt indicare videtur Iulius Firmicus lib. de myſteriis, & erroribus prophanarum religionum cap. 19. Neque enim Sanctos Damnati rogabunt, vt optimè animaduertit noſter Maldonatus ad cap. 16. Lucæ v. 23. & cum eo Poſſeuinus in apparatu ſacro agens de Iulio Firmico.

15 Ex quo huc traham nonnulla præſenti inſtituto non incongrua. Cum enim ſermonem habuiſſet de ſpirituali cibo, & poculo, quibus Chriſtus reficit Iuſtos, addit, *Non ſolùm panis iſte à Deo ſummo ſacrilegis, & impiis denegatur; ſed & pœna promittitur, & acerba mortis decernuntur exitia, vt eſurientibus faucibus diuinæ animaduerſionis exitus ingeratur. Sequuntur etiam hoc idem tricesimi, & tertij Pſalmi veneranda reſponſa: ait enim per Dauid Spiritus Sanctus; Guſtate, & videte, quoniam dulcis eſt Dominus, dulce eſt cæleſte pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in ſe miſera famis triſte tormentum, & de medullis hominum præcedentis veneni virus excludit. Hæc ita eſſe ſequentia Oraculi reſponſa declarãt. Ait enim, Timete Dominum Sancti eius, quia non eſt inopia eis, qui metuunt eum. Diuites eguerunt, & eſurierunt, qui autẽ inquirunt Dominũ, non indigebunt omni bono. Qui ſic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpura, cuius caput aut auro, aut lauro premitur, errorem tuum turpis egeſtas inſequitur.* Tantùm Iulius Firmicus. Et nos huius Exercitationis finem reddamus amœnum illis Ruſtici Helpidij verſibus de Patria cæleſti in carmine pro Chriſti IESV beneficiis,

——— iam non hîc arida febris,
Non ſitis, aut violenta fames, non flamma timoris,
Nec bellum, nec morbus erit, nec iniqua poteſtas
Saniet, aut ferro quiſquam exercebit adempto
Ius ſceleris, raptórve nocens dominabitur vllus
Sancta ſede, pij portabunt præmia. mores,
Et fidus ſplendebit amor, viridiſque iuuentus,
Non reptans tacitos infantia conteret annos,
Curua nec exuſto ſulcabitur ore ſenectus,
Sola quies læta in ſtabili lætabitur æuo.

EXERCI

EXERCITATIO TRIGESIMA SECVNDA

De Tactu Glorificatorum hominum, Et nonnullis difficultatibus communibus ipſi, aliiſque ſenſibus.

TActus eſt infimus ordine ſenſus. Medio non indiget ad ſuos actus, & ideò ad hos non deſeruiet corporeus locus Empyrei. Agam tamen breuiter de illo ob cauſam in limine anterioris Exercitationis aſſignatam. Et fortè ipſum Empyreum erit etiam obiectum glorioſi tactus, vt in prima ſectione diſcutietur; & in ſecunda, ac ſequentibus excitabuntur quædam difficultates communes ipſi, aliiſque ſenſibus immortalitate donatis. Sed antequam pergam vltrà, præmoneo cum Tannero tomo 2. diſput. 1. quæſt. 3. dub. 4. num. 39. etſi rudi, & carnali populo non ſint promiſcuè prædicanda nonnulla, quæ in ſectione 1. proponentur, non tamen ideò vbi de veritate doctrinæ reconditioris agetur, vt Doctorum, ſpiritualiúmque hominum oculos, auréſve ſubeant, diſſimulanda prorſus fuiſſe.

SECTIO I.

Adſtruitur exercitium tactus in Empyreo, & multiplex eius obiectum.

1 NVllum Catholicum, qui glorificatis corporibus actuales tactus operationes manifeſtè negauerit, reperi. Toſtatus in cap. 17. Mathæi q. 114. & 116. ſignificat, aliquos negaſſe. Seraphinus Porrecta in additionibus ad 3. S. Thomæ partem q. 82. art. 3. & 4. refert Hæreticos, nuncupatos *Pauperes de Lugduno*, priuaſſe beatos homines exercitio tactus, cæterorúmque ſenſuũ externorũ quò declinare videtur Otho Friſingẽſis in Chronico li[b].8. c. 35. Audiendi nullatenus ſunt. Lege Ægidium Luſitanum tomo 3. de Beatitudine lib. 4. quæſt. 5. art. vnico, & quæſt. 10. art. 1. Eccleſiæ Patres Anſelmus, & Laurentius Iuſtinianus voluptates honeſtiſſimas tactus meditantur in Beatis. Primus inquit in Elucidario. *Qualis voluptas tactus, vbi omnia aſpera, & dura abeunt; & omnia blanda, & ſuauia arridebunt?* Alia eiuſdem Anſelmi teſtimonia congerit Salas tract. 2. in 1. 2. diſput. & ſect. 14. num. 118. Secundus in lib. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23. ait: *Ipſe demùm tactus ſibi congruis abundabit delitiis; quas experti norunt.*

2 Immediatius obiectum glorificati tactus erit ipſum Beati corpus. Quis enim neget, poſſe manum tangere manum? Præterea vna pars intimè percipiet temperamentum optimum alterius ſibi proximæ: homo quippe perfectè ſanus ipſam corporis bonam conſtitutionem ſuauiter ſentit, vt notat Leſſius lib. 3. de ſummo bono cap. 8. num. 103. adducens verba illa Authoris libri de ſimilitudinibus apud S. Anſelmum. cap. 54. *Incunctanter, vt mea quidem fert opinio, æſtimare licet ſanitatem vitæ futuræ ita vigere, & immutabilem, ac inuariabilẽ fore, vt inceſſabili quadam dulcedine ſuauiatis totum repleat hominem, & omne, quod alicuius in ſe viciſſitudinis, mutabilitatis, ac læſionis ſuſpicionem prætendere queat, procul arceat, ac repellat.* P. Franciſcus Alfonſus diſput. 10. de Anima num. 114. non tenuit admittere omnes partes corporis noſtri eſſe in continua ſenſatione tactus. Quod ſi verum ſit in corpore mortali, multò potiùs in immortali, cuius ſenſus communis diſcernet elicitas omnes à tactu ſenſationes, tumquia hæ perfectiores erunt, quàm quæ modò fiunt, tum quia ille, etſi in plura diſtractus, non erit minor ad ſingula, maximè ſi à Deo ſpecialiter confortetur.

3 Sentiet etiam Beatus in caſtiſſimo, & ſanctiſſimo amplexu temperatas alterius Beati qualitates, vt religioſè conſiderant S. Antoninus 3. p. Summæ Theologicæ tit. 30. cap. 7. §. 4. Nider cap. 6. & 10. in 10. præceptum Decalogi, Mauburnus in Roſeto tit. 38. Alphabeto 75. §. 1. notula 4. Georgius Venetus in harmonia mundi, Cantico 3. tono 2. Concentu 12. Henriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 27. §. 2. Alexander Peſantius in 1. 2. quæſt. 4. a. 6. d. 13. Mendoza in quodlibetis q. 6. ſcholaſtica num. 15. Laurentius Cupætus de quatuor Nouiſſimis hominum, concione 22. pag. 471. Placidus Nigidius explanatione in Cantica cap. 1. v. 4. Arriaga tomo 2. in 1. p. diſput. 57. num. 11. Addit Iabellus in 8. parte Chriſtianæ Philoſophiæ, tract. & cap. 3. *Beati tangent deoſculantes diuiniſſimum Chriſti corpus, in cuius humanitate felicitabuntur corporaliter. Tangent & ſacræ Virgines Virginum Reginam, cuius inæſtimabilis erit odor, & ſuauitas, & pulchritudo.* Aſſentiuntur Salas vbi ſuprà, Cerda in cap. 61. libri Tertullianici de Reſurrectione Carnis, Roa cap. 11. de ſtatu Beatorum, Bonacina in 3. p. diſput. 3. quæſt. 5. puncto 4. §. 1. propoſitione 3. numer. 10. Gregorius Martinez in 1. 2. quæſt. art. & dub. 3. veriſimiléque eſt, Beatos genua flexuri oſcoram Chriſto, vt caſtè etiam contemplantur Raymundus Eremita, (quem puto eſſe Lullum) in lib. Clerici cap. 7. Sotus in 4. diſt. 49. quæſt. 4. art. 7.

&

Digitized by Google

& hac reuerentis animi ſignificatione oſculaturos eius pedes,& vulnera ſacratiſſima. Quòd ſi S.Baſilius homilia 14. obiurgat Chriſtianum hominem, qui *moueat pedes,& inſanus ſaltet,choreas ducat imprudens,cum genua ad Dei & Domini noſtri IESV Chriſti cultum flectere oportebat,*laudaret è regione, vt credo, genuflexiones has, & motus in cœlicolis. Nec tunc recuſabit Chriſtus puriſſima pedum oſcula à Magdalenæ ore: quod videtur indicaſſe, (vt nonnulli interpretantur) dum Ioannis 20. v.17.dixit ipſi, *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum.* Imò,vt inquit Nider,negabit nemini in Patria caſtiſſimos amplexus: ſaltem amantiſſimam Matrem non dedignabitur.

4 Patronum aduoco Bernardum,cuius hæc ſunt mellea verba,in ſerm.1.de Aſſumptione, *Quis cogitare ſufficiat ::: quàm placido vultu,quàm ſerena facie,quàm diuinis amplexibus ſuſcepta à filio? ::: Felicia prorsùs oſcula labiis impreſſa lactentis, cui virgineo Mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non feliciora cenſebimus,quæ ab ore ſedentis in dextera Patris hodie in beata ſalutatione ſuſcepit.* Sic S. Abbas premens veſtigia S.Auguſtini,vel S.Fulberti Carnotenſis in ſerm. 35. de Sanctis,vbi hæc eſt ad Mariam alloquutio, *Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni Regis, téque ipſe Rex regum, vt matrem veram, & decoram ſponſam, præ omnibus diligens amoris amplexu ſibi aſſociat. Nec mirum, ſi dignetur tibi aggaudere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties oſculata es in terris.*Hinc ipſa Deipara apud Guerricum in ſerm.2. de Aſſumptione, inquit: *Cùm paruulum tenebam inter brachia, quoties oſculari ſpecioſum forma præ filiis hominum mihi libebat, ſatis licebat: nunquam faciem auertebat, nunquam Matrem repellebat.* Simeon Metaphraſtes in oratione de vita,& dormitione Deiparæ cogitat piè, *Virginem ſibi data facultate acceſſiſſe ad Chriſtum pendentem in Cruce, & intemeratos quidem eius pedes, & impreſſas eis plagas libenter eſſe deoſculatam, & ſanguine miſcentem lachrymas oculos, & genas attriuiſſe.* S. Gregorius Nazianzenus in Tragædia *Chriſtus Patiens*, inducit Deiparam dicentem Chriſto pendenti è Cruce,

Per hos Sanctos pedes, quos oſculor
Materno amore, te nunc miſereat mei.

Deuotam circa id meditationem exhibet Henricus Harphius in Theologia Myſtica lib.& p.1.cap.29.

5 Et veriſimile etiam eſt, Beatos flexuros genua coram ſanctiſſima hac Domina.Nam, docente Arnoldo in tract. de laudibus B.Mariæ, *conſtituta eſt ſuper omnem Creaturam,& quicumque IESV curuat genu,Matri quoque pronus ſupplicat.* Quippe *Creatoris Matrem omnis creatura magnificet,opus eſt, & eius regiæ Maieſtati ſe inclinent cœli,& terra,& omnes qui habitant in eis*, vt inquit Ekebertus Abbas apud Richardum de S.Laurentio lib.2. de laudibus B.Mariæ particula 3. & vt Rupertus lib.6. in cantica: *Sicut ex te natum Dei filium Solem verum, Solem æternum adoramus, & colimus vt Deum verum; ſic & te honoramus, atque veneramur vt veri Dei genitricem; ſcientes, quia totus honor impenſus Matri, ſine dubio redundat in gloriam Filij.Et quidem naturâ non tu idem es,quod ille Sol; ſed nihilominus tanta es, vt te honores ipſe Sol honore, quo decet filios honorare parentes ſuos. Qui enim dixit,Honora Patrem tuum, & Matrem,non dubium, quin & ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis velis honorari Matrem ſuam.* Prouoluti itaque Beati ad MARIÆ pedes, infigent reuerendiſſima oſcula. Memini S.Ignatium Martyrem in epiſtola 1.ad S.Ioannem referre ipſi, *Sunt & hîc multæ de mulieribus noſtris MARIAM IESV videre cupientes, & quotidie à nobis ad vos diſcurrere volentes,vt eam contingant,& vbera eius tractent,quæ Dominum IESVM aluerunt.* Quid ni cenſeam idem fore in cœlo?

6 Scio P.Suarium tom.2. in 3.p.diſp.49. ſect.3 v.*Sed mihi*,iudicare non admodùm probabilem familiarem hunc tractandi modum, inter Chriſtum maximè,& alios Beatos,*quia etiam in cœlo* (ſic ille) *non erit illa familiaritas, quæ indecentiam quandam præ ſe fert.* Valerius Maximus cap.193. commendat Numidas Reges,*quòd more gentis ſuæ nulli mortalium oſcula ferebant; quicquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt,humili,& trita conſuetudine, quò ſit venerabilius vacuum eſſe conſueuit.* Sed oſcula pedibus ſaltem Chriſti, & Mariæ impreſſa ab aliis Beatis non improbaret Suarius; & amplexus mutui inter alios Beatos, neque contra Maieſtatis grauitatem,& decorum,neque contra decentiam videntur eſſe in eo ſtatu, in quoad prauum finem neutiquam ordinari poterunt, & vllius inhoneſti motus periculum, quod timeatur, non erit; vt neque ex reciproco conſpectu nudorum corporum tam hominum, quàm fœminarum. Fortè S.Cyprianus in epiſt.21. ad Lucianum præfatos meditabatur amplexus, cùm ſcripſit, *Credo, quoniam etſi in hoc mundo nos non viderimus,in futuro tamen nos coronati à Chriſto complectemur.*Liceat huc afferre illa Æneæ ad Venerem matrem,

——Cur dextra iungere dextram
Non datur, & veras audire, ac reddere voces?

Papinius in Epicedio ad Patrem lib.5. Syluarum imitatus eſt Virgilium,

——Fas mihi ſit patrios contingere vultus,
Fas iunxiſſe manus.——————

7 Denique Beati percipient voluptatem ex attactu auræ Empyreæ, & cœleſtium corporum. Si enim hîc magna voluptas percipitur ex aura ſuaui, & aquarum contactu, quanto magis ibi ex auræ Empyreæ,& cœleſtium corporum? Ita ferè Leſſius num. 103. Concordant Iabellus v. *quantùm ad 3.* Sotus art.5. Gregorius Martinez, Bonacina, & Arriaga cum Tannero ſuprà.

8 Diſcordant tamen Vuendelinus in 4. diſt.44. q.& art.2.Henriquez §.2.Ægidius Luſitanus q.10. art.2. n.3. Barradas tom 3. in in Euangelia lib. 10. cap.3.Peſantius 1.2.q.4.art.6.diſp.13.Felix cap.7. de Beatitud.difficult.3.n.9.Balthaſar Tellez part.4. Philoſophiæ diſp.80. ſect.3. num.5. Rubius lib. 2. de Anima, tract de obiectis,atque ſpeciebus ſenſibilibus q.11. in fine,& propendet magis in diſcordem hanc partem Salas n.118.Nec deſunt rationes. Prima, ex S.Gregorio Magno homil.26. in Euang. *corrumpi neceſſe eſt, quod palpatur, & palpari non poteſt, quod non corrumpitur*: Sed cœleſtia corpora ſunt incorruptibilia: Ergo nequeunt palpari. Secunda,primæ quatuor qualitates,& aliæ, quæ ex illis oriuntur, ſunt obiectum adæquatum ſenſitiui tactus. Aſt cœleſtia corpora carent quatuor primis qualitatibus: Ergo ad illa non extenditur ſenſitiui tactus operatio. Hanc ob rationem S.Thomas 3.p. quæſt.54. art.3. ad 2. Caietanus, Granadus,& Suarez ibi; & rursùs hîc lib. 4. de Angelis cap. 35. num.9. Cornelius etiam in cap. 24. Lucæ verſ.39. negant palpari, aut tangi poſſe cœleſtia corpora. Tertia,tactu non percipimus obiecta, quæ ſunt nobis connaturalia, & diuturna. Sic tactus non ſentit calorem debitum ad connaturalem, & propriam temperiem, ſi eo antea non fuit orbatus. cùm ergo Empyreum erit continuò applicatum Beatis, non videtur,

Digitized by Google

videtur, hos percepturos illud per ſenſum tactus. Quarta, aura ſaltem regionis mediæ Empyreæ non ſentietur per tactum, niſi fingatur imprimere impulſum corpori glorificato; vti à nobis non perciperetur aër per ſenſum tactus, dum vi non impelleretur, caſu quo priuaretur caliditate, ac humiditate. Et prætereà ſicut aër, & ignis in ſphæra propria ob nimiam ſuam raritatem non tangerentur, neque palparentur, ſic neque tangetur, neque palpabitur Empyreæ regionis mediæ aura, quæ rariſſima, & ſubtiliſſima eſt.

9 Nihilominus ad primam rationem reſponderi poteſt, exponendo S. Gregorium de corpore, quod palpabile ſit ratione primarum qualitatum; tale enim corpus debet eſſe ex natura rei corruptibile. Qualitates autem primæ non ſunt obiectum adæquatum, aut neceſſarium tactus, vt ex dicendis probabile fiet.

10 Ad ſecundam reſponderi poteſt, eſſe ſatis quantitatem conſiſtentem & ſolidam ad exercendam perceptionem ſenſitiuam tactus. Promouetur reſponſio. Nam ſi corpus conſiſtens & ſolidum, calidum vt quatuor v.gr. & denudatum aliis qualitatibus primis, imponatur viuenti corporeo æquè calido, & carenti ſimiliter cæteris qualitatibus primis; tunc hoc non percipiet calorem neque alias qualitates primas; non calorem, ſiquidem non ſuperet exiſtentem in organo tactus, quæ conditio requiritur communiter ab Animaſticis: non alias primas qualitates, cùm ſupponatur eis denudatum corpus impoſitum: quod tamen nemo aſſeret non ſentiendum (maximè ſi ſit valde ingens, & ponderoſum) à viuente corporeo. Si dicas, ſentiendam eius grauitatem, duritiem, aut mollitiem; aſperitatem, aut læuorem. Iam fateris, obiectum adæquatum, aut neceſſarium tactus non eſſe ſolas primas qualitates. Et rogaberis, cur ſi cœlum aliquod eſſet aſperum, ſeu partibus inæqualibus compactum, non ſentietur aſperitas à Beatis? cur hi per tactum non percipient mollitudinem regionis mediæ Empyreæ, & duritiem pauimenti, ac tecti? mirum eſſet, ſi Beati impediti miraculosè, aut ex arbitratu ſuo ab exercitio ſubtilitatis non perciperent tactu tectum conſiſtens, & ſolidum Empyrei, cùm tamen ad ipſum accedentes viderent ſe retardari, ne vltrà aſcenderent. Vrgebit quis, ſenſibile commune nequit ſine proprio percipi à tactu: at quantitas conſiſtens, & ſolida, eſt tantùm ſenſibile commune. Sed contrà, nam in primis Caietanus, & Auerſa continuò allegandi non cunctantur affirmare, poſſe quandoque à tactu percipi ſenſibile commune ſine proprio. Deinde facile eſt, aſſerere ſoliditatem, & duritiem, aliaſque quantitatis affectiones habendas inter ſenſibilia propria tactus.

11 Ad tertiam dici poteſt, Beatos non habituros immota corporis membra: quare non erit, cur per nouam applicationem manus, aut pedis non immutaretur ſenſitiuè tactus. Addo, Empyreum non eſſe quid pertinens ad connaturalem applicationem glorificati corporis, ideóque non tenere exemplum allatum; quicquid ſit de eius veritate. Nam P. Franciſcus Alfonſus diſput. illa 10. Animaſtica num. 102. affirmat, ſentiri per tactum qualitates pertinentes ad naturale ipſius temperamentum; & licèt à nobis communiter non diſcernantur, ſecùs à Beatis ob indicata in num. 2.

12 Reſponderi ad quartam poteſt, auram regionis mediæ Empyreæ, ſi non accedat impulſus, ſentiendam ſubtiliter per tactum glorificatum, licèt non palpandam. Vt enim aliquod corpus palpetur, neque impulſus ſufficit, ſed vlterius requiritur ſoliditas, & conſiſtentia. Hanc non eſſe neceſſariam ad tactum vtcumque, ſupponunt Sotus, & Ægidius Luſitanus ſuprà, necnon Viguerius cap. 14. Inſtitutionum §. 2. verſ. 6. ideóque primus, & tertius fatentur, tangi à nobis aërem, ignem, & aquam: Secundus autem admittit poſſe glorificatum corpus, ſi ad nos deſcenderet, tangere aërem, & ignem. Exigit quidem in iſto euentu impulſum Ægidius: ſed non apparet neceſſitatis cauſa reſpectu ſubtiliſſimi tactus, qualis eſt glorificatus.

13 Veniunt ex his interpretanda quædam S. Hieronymi verba in epiſtola ad Pammachium aduersùs errores Ioannis Hieroſolymitani, *Alia carnis, alia corporis definitio eſt, omnis caro eſt corpus, non omne corpus eſt caro. Caro eſt propriè, quæ ſanguine, venis, oſſibus, neruiſque conſtringitur. Corpus, quamquam & caro dicatur, interdum tamen æthereum, vel aëreum nominatur, quod tactui, viſuique non ſubiacet, & plerumque viſibile eſt, atque tangibile.* Crediderim namque, ſolummodò velle Doctorem Maximum tactui penes palpationem non ſubiacere corpus æthereum, vel aëreum, ſi vtrumque liquidum ſit, & ſubtile. Valeant hæc de tactu cœleſtium corporum quantùm Vir doctus decreuerit. Nec deſtituta ſunt Patronis. Nam Scotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 13. verſ. *Ad rationes principales.* Tataretus cum ipſo, Maior ibidem quæſt. 14. verſ. *contra ſecundam concluſionem,* Nyſſe in Reſolutione Theologorum tract. 7. parte, & portione 3. q. 2. de beatitudine corporis ad 1. concedunt exercendum tactum erga cœlum, ſi quis applicaret ipſi digitum: neque id improbatur à P. Salas ſuprà, Auerſa quæſt. 34. Philoſophiæ ſect. 3. quæſt. 52. ſect. 4. Franciſco Picolomineo cap. 29. de cœlo, Caietano lib. 2. de Anima cap. 6. Videtúrque conniuere Vaſquez in 1. part. diſp. 184. num. 13. Simplicius lib. 1. de cœlo textu 50. admiſſa malè in cœlo anima ſentiente, ait, partes illius non ſe tangere inuicem inſenſibiliter. Idem Simplicius lib. 2. de cœlo textu 35. citat pro cœli tangibilitate Alexandrum.

14 Et quouis modo dicantur Beati contacturi cœleſtia corpora, ingentem exinde oblectationem comparabunt. Anaxagoras ardenter expetebat Solem contingere, etiam ſi mox moriturus eſſet. Apollonius Thyanæus, vt Solis menſam in Æthiopia conſpiceret, diu peregrinatus eſt, prout referunt Philoſtratus in eius vita, & S. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum. Aſt Beatis hominibus promptum erit vllo ſine periculo, ac labore, & videre, & tractare manibus cœleſtes omnes orbes; imò & calcare pedibus. Vnde in Beatis non procul à vero aberit, quod S. Petrus Chryſologus ſerm. 120. ridet in Perſarum Regibus, *qui ſubiecta nunc pedibus ſuis ſphera, vt polum ſe calcare vices mentiuntur: nunc radiato capite, ne ſint homines, Solis reſident in figura.* Heraclius Imperator, vt narrant Cedrenus in compendio Hiſtoriarum anno 13. eiuſdem Heraclij, & S. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Breuiario Hiſtorico de rebus geſtis ab obitu Mauritij vſque ad Conſtantinum Copronymum, *inuenit in vno oppido ſimulachrum Choſroæ Regis Perſarum diuino habitu conſecratum. Nam in huius tecto tanquam in cœlo ſedentem ſe collocauerat; expreſſæ erant Solis, & Lunæ ſpecies, circumſtante Angelorum turba: præter hoc machina erat, quæ fulmina, ac pluuias mitteret.* Sic in tranſcurſu fas fuerit illuminaſſe Chryſologi verba.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

An Beati inuariatis actibus, & ſimul, ac ſemper percipient omnia ſua obiecta per ſenſus externos?

15 GVilielmus Pariſienſis in primæ partis de Vniuerſo parte 2.c.33.& 34.vult, ſi benè eum percepi, Beatos nunquam ceſſaturos ab actibus, quos ſemel elicuerit potentia viſiua; & præterea nullum nouum obiectum occurſurum ipſi potentiæ; quia verò idem poſſet dici de aliis potentiis; ideò ad viſiuas, & ad alias extendo diſquiſitionem hanc; quam non vidit motam Arriaga, vt aſſeuerat num.4.diſpur.57.præcitatæ. Sed tamen de perpetua viſione humanitatis Chriſti Domini habenda à Beatis tractarunt plures recenſi in S.10. Exercitat.28. De viſione autem inuariabili aliorum obiectorum propoſitum iam eſt Pariſienſis placitum.

16 Aſt quis non miretur illud? Nam ſi Beatus eleuet oculos verſùs tectum Empyrei, quî conſeruabit viſionem inferiorum ſphærarum? Si ſe conuertat in plagam Occidentalem, quî retinebit Orientalis viſionem? Si deſcendat ad Solarem globū, verſa facie in eum, quî cernet alios ſodales retrò relictos? Commentitiè diceretur, cuiuſuis obiecti virtute diuina conſeruari ſpecies, & viſionem ſemel habitas. Ex abundanti do, non occurſura noua obiecta, cur eadem hoc iam modo, iam diuerſo illo non percipientur? Variationem actuum in potentia auditiua nullus ſanæ mentis negabit, cùm ſonus, qui eſt eius obiectum, motulis, & interruptionibus conſtare debeat; ac proinde auditioni vnius ſoni ſuccedere alia alterius, maximè quando inter ſe colloquantur Beati. Quare ſi auditiuam facultatem non dedecet variatio, & viciſſitudo actuum, neque dedecebit viſiuam, aliáſque facultates.

17 Ad hæc; liberum eſt Beatis continuare, vel non continuare actus intellectus, ſi intuitiuus Dei excipiatur: Ergo multò potiùs liberum erit ceſſare ab actibus ſenſuum externorum, niſi fortè excipiendus ſit intuitiuus terminatus ad humanitatem Dominicam. Potior certè apparet perfectio, ſi gaudeant dominio erga maiorem partem actuum externorum, quàm ſi eo careant. Quòd enim in viſionem Dei phyſicè nequeant ſuſpendere influxum, & moraliter nequeant forſitan illum ſuſpendere in viſionem corpoream humanitatis Dominicæ, oritur ex cauſis indicatis ſect.10. Exercitat.28. quæ nullatenus militant circa actus externos reſpicientes alia obiecta.

18 Si Pariſienſis tantùm vellet, plura obiecta videri poſſe clarè, & diſtinctè à Beatis, quàm quæ à nobis poſſunt in hac vita mortali, ſicuti plures harmoniæ auditi ſimul queunt, vt ipſe aduertit benè in fine, libenter aſſentirer, caſu, quo obiectorum pluralitas non eſſet tanta, vt ſuperaret omninò natiuam virtutem facultatis viſiuæ perceptio omnium ſimul clara, & diſtincta, ſiue per vnum, ſiue per plures actus. Dixi, *vt ſuperaret omninò natiuam virtutem*; nam reſpectu obedientialis nequit aſſignari perceptio tot obiectorum, quin plurium. Sed ſine fundamento recurri non debet ad miracula, per quæ obedientialis virtus exerceatur. Et multiplex quidem interueniret miraculum, ſi facultas viſiua, ac reliquæ materiales in omnia ſua obiecta ſimul intenderent, & ſemel habitos actus ſemper ſine variatione continuarent, ſiue in præſentia, ſiue in abſentia obiectorum. Inquies, hanc fore excellentiorē perfectionem glorificatorum ſenſuum. Veruntamen gratis admiſſo, eſſe poſſibilem, non omnis perfectio excogitabilis penes ſubiectionem obedientialem ad abſolutam Dei omnipotentiam tribuenda eſt actu externis Beatorum ſenſibus.

SECTIO III.

An Beati per ſpecies infuſas externis ſenſibus percipient obiecta non exiſtentia?

19 DIſquiſitioni huic occaſionem dedere iſthæc Ioannis Nideri verba c.6. in 10. præceptum Decalogi, *Per ſpecies infuſas* (ſeu inditas à Deo) *de qualicumque ſpecie animalium, plantarum, lapidum, roſarum, violarum, & mineralium videbunt* (Beati) *aliqua, vel de qualicumque ſpecie, & de ſingulis ſpeciebus excellentiſſimum illius ſpeciei, quia talia in ſtatu innocentiæ habuiſſemus.* Hactenus Niderus allegans Ioannem Tambacem, qui, & Bartholomæus Sybilla laudandus n.31. ſimiliter in auditu glorificato excogitant ſpecies infuſas cantus Philomelæ, & aliarum auium; in odoratu, Cinamomi, Balſami, aliorúmque mixtorum ſimilium; in guſtu ſuauiſſimorum ſaporum non exiſtentium; in tactu, qualitatum diſtantium, quin & præteritarum. Placuerunt hæc Ioanni Mauburno in Roſeto tit.38. Alphabeto 75.§.1. notula 4. Martino Garciæ Epiſcopo Barcinonenſi in ſerm.121. Hi forſan ſunt Authores, qui ſuppreſſo nomine indicati ab Horontio lib.11. ſuæ Margaritæ cap.41. ſenſerunt, omnes ſenſus corporis glorificati fore in actu per ſpecies infuſas obiectorum non exiſtentium.

20 Guilielmus Pariſienſis 1. partis de Vniuerſo parte 2.cap.33. quem Salas tract.2. in 1.2. diſput.& ſect.14. num.119. putat indicatum ab Horontio, non adeò clarè loquitur. Dominicus Soto in 4. diſt.49. quæſt.4. art.2. dubius de ſonis realibus futuris in Empyreo, ait *fortaſsè voces illæ per ſpecies ſpirituales, ſeu viſibiles, modo nobis occulto efformantur.* Quæ verba ſic intelliguntur à P. Salas in num. 102. quatenus vocum non exiſtentium ſpecies glorificato auditui infundantur à Deo. Non longè abeſt à Soto Guilielmus de Rubione in 4. diſt.48. quæſt. & art.2. præſertim in 3. concluſione, dum per ſpecies inditas ſonorum exiſtentium explicat, qua ratione Beati poſſint ſe mutuò audire, & ſi ſint valdè diſtantes, loquantúrque ſummiſſa voce. Ledeſma in 2. quartæ quæſt.83. art.3. admittit non ſolùm in olfactu ſpecies odoris, ſed etiam in guſtu ſpecies aquæ. P. Ripalda tomo 1. de Ente ſupernaturali diſput.44. num 64. inquit percipi à Beatorum ſenſibus externis qualitates naturales ſaporis, odoris, & ſoni per ſpecies infuſas ſupernaturales repreſentatiuas ipſarum, vt abſentium, & in num.65. addit, guſtum perceptutum ſimul ſaporem omnium ciborum; odoratum, omnium odorum variam mixtionem; auditum, omnium concentuum ſpecies. Certè iuxta ipſum percipientur per ſpecies ſupernaturales, ſupplentes non ſolùm inhærentiam prædictarum qualitatum in guſtu, odoratu, & auditu; ſed & exiſtentiam in rerum natura. Si enim credibile non eſt iuxta ipſum, ſenſibus immortalibus inhærere ſa-

Digitized by Google

porem, odorem,& ſonum, vbinam realiter exiſtet ſapor omnium ciborum, mixtio omnium odorum? quidquid ſit de ſono omnium concentuum. Species ergo guſtui, & odoratui inditæ repræſentabunt plures odores, & ſapores non exiſtentes in rerum natura. Hæc eſt Ripaldæ mens, niſi noſtra peregrinatur.

21 Veruntamen cogitationem propoſitam reddunt difficilem hæc argumenta. Primum, Species externorum ſenſuum dependent in fieri, & conſeruari ab exiſtentia reali obiectorum, quorum ſunt ſpecies: Ergo ſi color v. g. non exiſtat realiter, neque imprimi, neque conſeruari poterit à Deo ſpecies illius. Secundum, Externis ſenſibus repugnat perceptio abſtractiua: Sed ſi acciperent ſpecies obiectorum realiter non exiſtentium, perciperent abſtractiuè talia obiecta. Ergo &c. Tertium, Si Beatus videret obiectum non exiſtens realiter, deciperetur credens exiſtere. Ea autem deceptio non congruit beatifico ſtatui. *Nam etiam ſi peccatum non ſit, tamen in malis huius vitæ deputanda eſt, quæ ita ſubiecta eſt vanitati, vt approbentur hic falſa pro veris, reſpuantur vera pro falſis, teneantur incerta pro certis. Quamuis enim hæc ab ea fide abſint, per quam ad veram, certámque beatitudinem tendimus, ab ea tamen miſeria non abſunt, in qua adhuc ſumus. Nullo quippè modo falleremur in aliquo vel animi, vel corporis ſenſu, ſi iam vera illa, ac perfecta felicitate frueremur.* Sic S. Auguſtinus cap. 21. Enchiridij. Et lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 36. ait, *Nulla falſitate aliud pro alio approbabitur nec in corporalibus, nec in ſpiritualibus viſis : : : : . Omnia euidentia erunt ſine vlla falſitate, ſine vlla ignorantia.* Facundus etiam Hermianenſis lib. 11. pro defenſione trium capitulorum Concilij Chalcedonenſis, cap. 1. inquit, *In fidelibus nulla ignorantia remanebit* poſt reſurrectionem.

22 Quartum; Digniùs exiſtimatur de Beatis, ſi ſemper efficiant ſenſationes obiectis conformes, itaquidem vt nullus in eorum ſenſibus ſit error reſpectu obiectorum exiſtentium. Et ob id Didacus de Tapia in 3. part. quæſt. 16. art. 4. Medina quæſt. 15. art. 3. Suarez tomo 1. in 3. p. diſput. 24. ſect. 3. verſ. *ad ſecundam confirmationem*, cenſent, oculos Chriſti ſemper diuinitùs ſic confortatos, vt viderent res nec maiores, nec minores, nec alterius figuræ, vel coloris, ac erant. Quam exiſtimationem vt optimè meritam de dignitate Chriſti commendant Granadus controu. 1. de Incarnatione tract. 10. diſput. 3. num. 6. Petrus Vuadingus diſp. 8. de Incarnatione dub. 5. n. 43. Martinon. tom. 4. diſp. 10. ſect. 1. num. 6. diſp. 13. ſect. 2. Ægidius Luſitanus tomo 2. de Beatitudine lib. 11. quæſt. 9. art. 4. §. 2. n. 6. Ergo & pertinebit ad dignitatem Beatorum, vt nullas vnquam efficiant ſenſationes obiectorum non exiſtentium. Quintum; Si ab intellectu Chriſti, & Beatorum amandantur, vel opinatiui actus, ob imperfectionem quam important: rurſus ſi ab Adamo in ſtatu innocentiæ remouentur ſimiles actus ob eandem rationem, quia videlicet, vt ait Suarez lib. 3. de opere ſex dierum, cap. 10. num. 4. ſunt magna imperfectio, & malum quoddam naturæ, potiori iure excludi debent à ſenſibus Beatorum actus re ipſa falſi. Sextum; Delectatio de obiecto non exiſtente à parte rei, non eſſet vera, & ſolida, ſed imaginaria, & phantaſtica: Beatos verò dedecent tales delectationes. Quòd ſi Alarcon 1. p. tract. 6. diſp. 9. cap. 10. n. 20. concedens ſeparatas animas damnatorum cruciari ab igne Tartareo ratione vſtionis falsò apprehenſæ, non audet definire, an in animabus Purgatorij reperiatur ſimilis deceptio? Temerè admittetur delectatio in Beatis capta ex falſa apprehenſione ſenſitiua.

23 Argumenta hæc morari quem poſſent, ne aſſentiatur Ioanni Tambaco, eiúſque aſſeclis. Nihilominus conabor illis ſatisfacere. Ad primum reſpondeo, ſenſuum externorum ſpecies dependere naturaliter in fieri, & conſeruari ab obiectis, à quibus producuntur: poſſe tamen diuinitus ſuppleri à Deo dependentiam illam; poſſe etiam cauſari miraculosè ab ipſo in externis ſenſibus ſpecies obiectorum, quæ neque exiſtant realiter, neque ſint extitura. Quia nimirùm ſpecies in primo fieri dependent ab obiectis per actionem ſuperadditam effectiuam; in conſeruari autem dependent ab eis tanquam à conditione, ſine qua non debeat naturaliter Deus ſuſcipere vices effectiuas eorum. At entitates, quæ alterutro ex his modis dependent ab aliis, poſſunt à Deo miraculosè operante fieri, & conſeruari ſine illis aliis. Et ratio quoad primum eſt, quia tota vis effectiua cauſæ creatæ continetur eminenter in Deo vt potè in cauſa effectiua infinita, & omnipotente: quoad ſecundum verò eſt, quia nihil poteſt Deum ligare, ne, ſi velit, præbeat concurſum conſeruatiuum entitatibus creatis, quibus non debetur iuxta leges naturæ.

24 Vtrumque id adeò verum eſt, vt S. Thomas 1. p. q. 105. art. 2. in corpore pronuntiarit, *erroneum eſſe dicere, Deum non poſſe facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque cauſam creatam.* Conſonant Henricus de Gandauo in Summa art. 35. q. 6. ad 4. Gregorius de Arimino in 1. diſt. 42. q. 1. art. & concluſ. 2. citato articulo Pariſienſis 63. Dionyſius Ciſtercienſis in 2. diſt. & q. 1. art. 2. concluſ. 4. Ioannes de Neapoli quæſt. 1. ex variis puncto 1. Dominicus de Dominicis in addition. ad Tractatum de Sanguine Chriſti à fol. 105. Robertus Holkot in 3. quæſt. 1. art. 8. Ioannes Bokinkan quæſt. 1. in quatuor libros ſententiarum circa principium. Heruæus quodlibeto 4. quæſt. 11. art. 3. Almainus in 3. diſt. 24. concluſ. 6. dub. 5. Gerardus Senenſis in Prologo ſententiarum quæſt. 4. art. 3. Nominalium, & Scotiſtarum Principes, ille quodlibeto, & q. 6. concluſ. 1. hic in 3. diſt. 14. q. 2. num. 2. Qui omnes intelligendi ſunt de effectibus productis à cauſa creata per actionem diſtinctam, & à fortiori de illis, qui dependeant ab alia entitate creata vt pura conditione pertinente ad genus cauſæ efficientis. Cùm itaque ſpecies ſenſuum externorum oriantur immediatè, vel mediatè ab obiectis per actionem diſtinctam, & in conſeruari dependeant ab illis, vt à pura conditione pertinente ad genus cauſæ efficientis, poterunt diuinitùs fieri, & conſeruari à Deo in illorum abſentia, ſeu defectu.

25 Sic in libris Animaſticis Connimbricenſes lib. 2. c. 6. q. 3. art. 1. Suarez lib. 3. c. 12. Rubius lib. 2. cap. 6. Tractatu de obiectis, atque ſpeciebus q. 13. Murcia diſp. 5. q. 1. Arriaga diſput. 5. ſect. 3. n. 33. Ouiedus controu. & puncto 4. Petrus Hurtadus diſput. 17. ſect. 5. §. 38. Franciſcus Alfonſus diſp. 9. ſect. 7. à num. 83. Balthaſar Tellez in 4. parte Philoſophiæ diſp. 84. ſect. 1. n. 7. ſect. 2. n. 15. Aguilonius lib. 1. opticorũ, propoſit. 93. Recupitus de Deo vno lib. 6. q. 10. c. 4. n. 27. Auerſa q. 53. Philoſoph. ſect. 6. qui referunt alios Imò Arriag. diſp. 4. ſect. 1. à n. 27. & Auerſa q. 54. ſect. 6. contendunt, ſpecies ſoni conſeruari naturaliter breui temporis ſpatio in abſentia ſoni. Et quod plus eſt, Vaſquez 1. p. diſp. 38.

c. 2.

Digitized by Google

c.2.à n.9.diſp.etiam 208.c.3.n.9.& c.4.n.15.ac 16. id extendit cum Buridano libr.2. de Anima q.21. & 22. ad ſpecies viſiuas. In quibus ex doctrina S.Thom.3.p.q.76. art.8. conficitur non ſpernenda confirmatio ſententiæ, quam tentamus penes potentiam ſaltem abſolutam Dei. Nam iuxta S.Doctorem, quando in accidentibus ſacramentalibus apparet ad horam puer,& poſtmodum ipſa accidentia,vel quando ſimul vni apparet puer, & aliis ipſa accidentia, tunc diuinitus formatur in oculis ſpecies pueri reuera non exiſtentis ibi. Ergo poſſibile eſt,imprimi à Deo in oculis ſpeciem repræſentatiuam obiecti non exiſtentis re ipſa.

26 Speciatim in oculis glorificatis conſeruari poſſe à Deo ſpeciem viſiuam obiecti non exiſtentis tradunt Baſſolis in 4. diſt. 50. q. vltima art.2. v. *& ideò*, Nyſſe in vltima q. Reſolutionis Theologorum concluſ.5. Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap.27. §.2. qui proinde concederent, poſſe oculos glorificatos percipere obiectum non exiſtens. De tactu vniuerſim, & guſtu ſtatuunt Connimbricenſes ſuprà artic.2. Rubius ſuprà num. 184. Tellez diſput.80. ſect. 3. num.6. Franciſcus Felix cap. & difficultate 1. de viſione num. 5. poſſe diuinitus ſentire ignem v. g. & mel non exiſtentia. Petrus Hurtadus §.illo 38. ſequutus, vt puto, Robertum Holkot cap.16. Sapientiæ verſ.20.ac 21. affert in exemplum perceptionis ſenſitiuæ de obiecto non exiſtente ſapores varios, quos Hebræi in Manna guſtabant.

27 Ad ſecundum reſponderi poteſt primò, ex Alfonſo de Vargas Archiepiſcopo Hiſpalenſi in 1. diſt. 1. quæſt.4. art.2. v. *Contra reſponſionem dicti Prædicatoris*, non repugnare ſenſibus externis perceptionem, qua attingatur obiectum abſtracte, ſeu non exiſtens, neque præſens. Nam licet ex natura rei hi ſenſus debeant percipere obiecta vt exiſtentia,ſeu præſentia, non oſtenderetur facilè repugnantia penes potentiam abſolutam in præfata perceptione, vt obſeruat Arriaga præallegatus in n.32. diſp.illius 5. Sed quia communiter cenſetur oppoſitum, & merito, ſi ſenſus externi nequeant ex natura rei habere talem modum percipiendi, ideo meliùs reſponderi poteſt ſecundò, non repugnare ſenſibus externis perceptionem,qua apprehendant obiectum, vt exiſtens, ſeu præſens, quod tamen reuera exiſtens, ſeu præſens non ſit actu,neque futurum ſit, neque vnquam fuerit. Eam verò perceptionem fore abſtractiuam, quia ad intuitiuam opus eſt tum repræſentatione obiecti, vt exiſtentis.ſeu præſentis;tum coëxiſtentia, ſeu ſimultanea obiecti præſentia vera, & reali, pro aliqua ſaltem temporis differentia. Niſi mauis dicere,fore intuitiuam ſi terminetur ad obiectum verum penes exiſtentiam, quam haberet caſu, quo realiter coexiſteret perceptioni, quia hæc naturaliter exigeret talis obiecti exiſtentiam,& coexiſtentiam, ſaltem pro aliqua temporis differentia; & licèt diuinitùs non ſatisfieret eius exigentiæ, adhuc ſufficienter diſcriminaretur à perceptione abſtractiua, quæ neque debet repræſentare exiſtentiam, neque exigere naturaliter coexiſtentiam obiecti: ſic vitalis qualitas, etſi diuinitus valeat non oriri à principio, in quo intrinſecè maneat, diſcriminatur ſufficienter à non vitali ob exigentiam naturalem ducendi ortum à pincipio,in quo intrinſecè maneat;qua exigentia caret non vitalis. Ex alio etiam capite fore intuitiuam præfatam perceptionem,licebit dicere, quia ſcilicet & eſſet obiecti veri repræſentati vt exiſtentis, eſto reipſa non exiſteret, & haberetur per ſpeciem infuſam à Deo ſimilem illi, quam obiectum tranſmitteret in externum ſenſum, ſi reipſa exiſteret. Vnde differret ab abſtractiua perceptione,quæ vel repræſentat obiectum vt poſſibile,vel ſi vt exiſtens, debet tamen haberi per ſpeciem alienam ab obiecto.

28 Si premas,perceptio lucis non exiſtentis nequit naturaliter fieri ab oculo corporeo. Ergo & diuinitus nequibit, ſiue ea vocanda eſſet abſtractiua,ſiue intuitiua. Reſpondebitur, lucis non exiſtentis perceptionem nequire naturaliter fieri ab oculo corporeo,quia lucis ſpecies, ſine qua naturaliter non poteſt fieri, poſtulat pro ſui exiſtentia, & conſeruatione,exiſtentiam lucis: eà autem ſpeciei exigentiâ ſuperatâ à Deo prodire valet in perceptionem corporeus oculus non minùs naturaliter penes rationem obiecti,& modi tendendi, quàm ſi lux reipſa exiſteret.

29 At replicabis, cur ſimiliter non poterit diuinitus voluntas amare, quin præeat cognitio? Nam ſi quidpiam requiſitum naturaliter ad actum vitalem ſuppleri poteſt per Deum agentem ſupra vires naturæ,quidni & cognitio reſpectu actus voluntatis? Contrà, tum quia Didacus Aluarez de Paz tom.3.de Inquiſitione pacis lib.4. p.3.c.8. Granadus 1.2. contr.2. de Actibus humanis tr.3. diſp.2. ſect.1.n.8. Ouiedus controu.8. de Anima punct.3. Alfonſus diſp.17. ſect.5. cum antiquis aliis apud Suar.diſp.23. Metaphyſicæ ſect.7. tom.2. de Religione lib.2. c.13. & apud Sandæum in Theologia Myſtica commentatione 6.Exerc.24.ac 25.non iudicant impoſſibile, ſpectatâ potentiâ Dei abſolutâ, voluntatem creatam amare non exiſtente realiter cognitione. Tum quia cognitio eſt intrinſecum requiſitum,vt voluntas prodeat in ſuum actum, non ſic exiſtentia lucis vt viſus in huius perceptionem; ex intrinſeco autem requiſito inſuppleoili à Deo non arguitur efficaciter ad extrinſecum. Sed addes, Ergo abſq; ſpecie ſaltem impreſſa,quæ eſt intrinſecum requiſitum in facultate viſiua,non poterit diuinitus fieri viſio lucis,vti abſque cognitione non poteſt fieri actus volũtatis. Contra,quia nec omnia intrinſeca requiſita debent eſſe æqualia,nec in præſenti inconuenit, ſi permittatur, quod dicitur de impreſſa ſpecie.

30 Ad tertium dici poteſt, primò,Beatum videntem obiectum non exiſtens realiter, non iri deceptum,non apprehenderet illud vt exiſtens;ſed abſtractè,ideſt,præcindendo ab exiſtentia,& abſentia. Vnde cùm Beatus non apprehenderet obiectũ aliter,ac eſt, non deciperetur etiam penes viſiuam facultatẽ. Meliùs diceretur ſecundò, non iri deceptum, quia etſi apprehenderet obiectum vt exiſtẽs,non tamen vt coexiſtens perceptioni habitæ de illo:& quia per externũ viſionis actum non affirmaret ſiue exiſtentiam,ſiue coexiſtentiam obiecti:quælibet autem ex his rationibus ſatis eſſet, ne Beatus deciperetur in viſione obiecti non exiſtentis. Adhuc meliùs diceretur tertiò, ſi ad deceptionem, & errorem ſufficiat ſola apprehenſio obiecti vt exiſtentis, quod tamen reipſa non exiſtat,Beatum incurſurum deceptionẽ, & errorẽ penes ſenſus externos. Cæterùm talis error non deturparet ipſos, cùm non ſit diſſonus eis, vt eſſet ille,qui proueniret ex praua diſpoſitione,ob quam dulce,exempli cauſa,apparet amarum guſtui. Quapropter non videtur inficiandum, poſſe Beato rem valdè diſtantem apparere minorem, quàm ſit; prætereà lucẽ apparere,ac ſi eſſet color,& obiectũ in ſpeculo,in quo non eſt. Nã etſi hæc ſit imperfectio comparatiue ad intellectũ,conſequitur tamen con-

naturaliter ſenſus humanos, vt probat optimè Tannerus 3.p.diſp.1.q.5.dub.3.n.83. Neque eſt pœna peccati. Quòd autem viſus Beatorum confortetur, & perficiatur ex glorificatione, vt ſemper videat res prout in ſe ſunt, dicitur quidem ab Ægidio Luſit. ſed abſque conſiderabili vllo fundamento.

31 Inquies, Beatum iudicaturum de rebus, prout eius ſenſibus apparuerint: quod ſine errore intellectus contingere non poterit. Reſpondetur cum Barthol. Sybilla in Speculo quæſtionum peregrinatum Decade 1.c.3.q.8. intellectum Beati corrigendum vel per ſcientiam Beatam, vel per infuſam, vel per virtutem diuinam aſſiſtentem, vel fortè per rationem ſuperiorem. Et vno ex iſtis modis cenſeo, cohibitum intellectũ Chriſti Domini in vita mortali, & Adami in ſtatu innocentiæ (ſi in hoc vltimo excipiatur modus ſciẽtiæ beatæ) ne cùm ſenſus externi repræſentarent obiectum aliter, ac eſſet, iudicarent de illo aliter, ac eſſet. Ita pro Adamo S.Th. 1.p.q.94. art.4. ad 3. & q.18. de cognitione primi hominis art.6. ad 15. Abulenſis in c.13. Geneſ.q.46. Suarez lib.3. de opere ſex dierum, c.10.n.9. diſp.9. Metaphyſ.ſect.1.n.18. Arriag.tom.2.in 1.p.diſp.37. n.18.& 19. Pro Chriſto Theologi communiter, & præter alios, quos ſubticeo, P.Auguſtinus Bernal diſp.42. de Incarnat.ſect 1.n.14. Franciſc. Felix in tract.de Incarnat.c.20.difficult.3. Auerſa 3.p.q.15. ſect.2. Ægid. Conink diſp.17.de Incarnat. dub.5. n.85. Luiſius Turrianus in ſelectis p. 2. diſp. 29. dub.4. S.Auguſt.interpretatio facilis eſt; excludit namque S. Doctor ab ſtatu beatitudinis errorem tum intellectualem, tum ſenſitiuum, qui ſit prauæ diſpoſitionis.

32 Hinc ad quartum reſpõderi valet, Suarij opinationem de Chriſto Domino eſſe quidẽ probabilem; & mihi valdè veriſimile eſt, quòd Chriſtus multoties viderit Solẽ v.g. & turres diſtantes, quantæ magnitudinis erant: ſed tamen neceſſarium non eſſe, quòd Chriſtus ſemper videret res, prout in ſe erant; nam modus aliter videndi, ſcilicet Solem vt minorem, cœlum vt cæruleũ, Irim vt multicolorem eſt connaturalis viſui, (qui in Chriſto ſimilis erat noſtro) Et nullam dicit imperfectionẽ, quæ dedeceat Chriſtum, & quæ aliena ſit ab officio Redẽptoris, vt iterùm attingetur infrà, ibiq; tentabitur ſolutio ad quintum, & cõmodiùs, ſi priùs ad ſextum.

33 Ad ſextum occurri poteſt primò, negando, delectationem Beati de obiecto non exiſtente à parte rei habituram obiectum phantaſticum; procederet enim ex apprehenſione ſenſitiua præcindente ab exiſtentia, & abſentia obiecti: quæ apprehenſio, licèt non eſſet tam perfecta, quàm intuitiua; aſt non eſſet falſa, cùm non tenderet in obiectum, vt exiſtens, quod re vera abſens ſit. Si verò tenderet in obiectum vt exiſtens, non tamen vt coexiſtens ſibi (& ſic ſecundò occurri poteſt) iam delectatio orta ex apprehenſione eo pacto tendente non haberet obiectum phantaſticum, ſed verum; tametſi non coexiſtens ſibi. Occurri poteſt tertiò (& aptiùs) aiendo concipi poſſe veram delectationẽ de obiecto non exiſtenti, quin & de impoſſibili: quemadmodùm concipi poteſt vera triſtitia ex apprehenſione obiecti, quod reuera eſt impoſſibile, ne dum exiſtens. Ex Noſtris P.Albertin.in 4.Corollario Theologico ex 2.Philoſoph. principio, punct.2.n.10. defendit, pœnam, & cruciatum Dæmonũ ab igne conſiſtere in triſtitia ſpirituali de qualitate corporea dolorifera apprehenſa vt nociua; cùm tamen obiectum talis apprehenſionis ſit impoſſibile. Vnde ſicut triſtitia Dæmonum eſt iuxta Albertinum vera, quia ſequitur ex apprehenſione mali, licèt phantaſtici; ita delectatio Beatorũ erit vera, quia ſequetur ex apprehenſione boni, licèt phantaſtici. Neque eſt quid periculi in tali apprehenſione; nam etſi ſtrictè falſam eſſe admitteretur, non tranſiret ad intellectum, vti tranſiret reſpectu animarum Purgatorij: Sed ſiſteret in externis ſenſibus, in quibus non præ ſe fert abſurditatem vllam, aut ſaltem eam, quam in animabus Purgatorij timet Alarcon.

34 Ad illud, quod additur reſpondebitur primò, captam voluptatem ex apprehenſione ſenſitiua præcindente ab exiſtentia, & abſentia obiecti, non eſſe dignam, quæ derideatur ab habente iudicium de non exiſtentia obiecti: nam apprehenſio de obiecto ſecundùm ſe componitur rectè cum iudicio de non exiſtentia illius; atque idcircò non eſt, cur non delectet rationabiliter. Secundò, (& congruentiùs) fore, vt Beatus delectaretur per ſimplicem complacentiam in obiecto apprehenſo vt exiſtente, licet ſimul iudicaret non exiſtere; haud ſecus ac Dæmon delectabatur per ſimplicem complacentiam in æqualitate cum Deo penes naturam, quamuis ſimul iudicaret eſſe ſibi impoſſibilem. De quo Albertinus in num.11. & complures alij Theologi in q.63. 1. p. S.Thomæ. Tertiò, impediendum à Deo in Beato iudicium de non exiſtentia obiecti apprehenſi vt exiſtentis; ſicuti iuxta Albertinum in num. illo 11. & alios, impeditur in Dæmone iudicium de impoſſibilitate qualitatis corporeæ ſibi nociuæ. Quare ſicut Dæmon non ſe deridet ob captam triſtitiam ex apprehenſione ſpirituali qualitatis corporeæ nociuæ: ita nec ſe deridebit Beatus ob captam voluptatem ex apprehenſione materiali obiecti vt exiſtentis. Vtraque hæc reſponſio in ſimili fermè puncto exhibetur ab Arriaga tom.2. in p.1. diſp.26. n.31. & 32. Philippus Presbiter lib.2 in Iob c.24. inquit, *Si Gehenna tantummodò ignis eſt, fortè in ipſa talis ſenſus cruciatuum fiat illis, qui in ea torquebantur, vt nunc quaſi ignem ardentem ſentiant, nunc nimij algoris incendium, & pœnalis commutatio nunc frigus ſentientibus, nunc calorem, quaſi de loco ad locum alium tranſitus æſtimetur.* In quibus verbis Philippus non detrectat cruciatum damnatorum ex frigore non exiſtente, eámque ſimilem cruciatui ex calore exiſtente in Orco. Reſpondebitur quartò, Beatum pro ſigno apprehenſionis illius non habiturum iudicium de non exiſtentia obiecti; ſed pro alio ſigno eiuſdem inſtantis realis. Vnde quemadmodum in Chriſto Domino vera triſtitia de morte, vt ſibi diſconueniente ſtetit rectè cum viſione beata, quæ eſt iudicium de ſummo bono vt maximè conueniente, quia pro ſigno mortis conceptæ vt diſconuenientis non exiſtebat viſio, vt pulchrè explicat Cardinalis Lugus diſp.22. de Incarnatione à n.27. ſic rectè adunantur in Beato delectatio ex obiecto apprehenſo vt exiſtente, & iudicium de non exiſtentia illius.

35 Quòd ſi in Beato detur hoc iudicium, iam actus externi tendentes in obiecta non exiſtentia non præberent occaſionem proximã, vt deciperetur intellectus efformando iudiciũ falſum de obiectorũ præſentia. Quapropter in eis actibus externis nulla relucebit imperfectio poſitiua, etiãſi concederetur eſſe ſtrictè falſos. Debent id fateri quotquot à Chriſto in vita mortali, ab Adamo in ſtatu innocẽtiæ, à Beatis in Patria non excludũt actus ſenſuum externorũ repræſentantes obiecta exiſtentia, aliter ac ſunt, neq; enim minor erit falſitas in repræſentatione ſenſitiua Solis, v.g. vt minoris, quàm in alia lucis,

Digitized by Google

lucis, v. g. vt exiſtentis, quæ re ipſa non exiſtat; quippè per vtramque attingetur obiectum aliter, ac eſt. Imò inneutra reperietur propriè, & rigoroſè falſitas, ſed impropriè, & metaphoricè, ſiquidem neutra habebit diſformitatem affirmatiuam, vel negatiuam cum obiecto, in quod tendet, & vtràq; comitabitur iudicium de obiecto vt eſt in ſe. Negandum tamen non eſt, eſto modus ſic tendendi in externis ſenſibus non ſit falſus, neque imperfectus poſitiuè relatus ad ipſos; eſſe nihilominus falſum, & imperfectum negatiuè, quatenus continet minorem conformitatem cum obiecto, & minorem perfectionem, quàm quæ continetur ab actibus ſenſitiuis repræſentantibus obiectum, ſicut eſt in ſe.

36 Vrgebis; dedecent Christum, & Beatos actus intellectuales opinatiui, & incerti, qui re ipſa veri eſſent, etiam ſi nec formidinem, nec periculum falſitatis importarent. Ergo multò potius dedecebunt actus ſenſuum externorum, repræſentantes obiectum aliter, ac eſt, etiam ſi propriè, & ſtrictè falſi non ſint, & occaſionem proximam non præbeant iudicij falſi in intellectu. Reſpondetur, intellectuales actus opinatiuos, & incertos dedecere Christum, ac Beatos, vel ob ſolum modum tendendi in obiectum, quia ſcilicet ex leui fundamento ſeu non oſtendente, niſi apparenter, veritatem, vel falſitatem obiecti, tendunt in ipſum affirmatiuè, vel negatiuè; qui modus tendendi eſt imperfectus poſitiuè relatus etiam ad intellectum creatum. Quam ob cauſam Angeli boni habentes rectam voluntatem, ita prudenter ſe gerunt circa obiecta, quorum ſpeciebus infuſis non gaudent, vt iuxta S. Thomam 1. p. q. 85. art. 5. in corp. ſuſpendant omne iudicium, ne ex infirmo motiuo ducantur ad affirmandum, vel negandum aliquid de ipſis. Et ex hinc patet ſolutio ad 5. Argumentum.

37 Hæc tentaui pro enodandis ſex argumentis, quæ mihi venere in mentem contra ſpecies obiectorum non exiſtentium infuſas oculis glorificatis, aliiſque externis Beatorum ſenſibus. Et multa audenda fuere, quorum omnium nolim patronus haberi. Si expectes meum in hac re iudicium. Dico breuiter, poſſibilem quidem eſſe percipi à Beatorū externis ſenſibus obiecta non exiſtentia, ſiue per ſpecies extrinſecè infuſas à Deo, ſiue hoc ſupplente defectum obiectorum, & ſpecierum per extrinſecam, intimam tamen, ſuæ omnipotentiæ aſſiſtentiam. Cæterùm, cum tot erunt obiecta exiſtentia, quæ Beatorum occupent, & oblectent ſenſus, crediderim, ſuperaddi ſine neceſſitate perceptiones obiectorum non exiſtentium: dummodò excipiantur perceptiones colorum apparentium, quos videndos à Beatis ſcripſi non ſemel in præcedentibus. Inter quorum colorum, & aliorum obiectorum non exiſtentium perceptiones intercedet illud diſcrimen, quòd colores apparentes cernentur per ſpecies nō infuſas extrinſecè à ſolo Deo, ſed acceptas ex reflexione lucis; ſecùs alia obiecta; quippe ea perciperētur mediis ſpeciebus infuſis extrinſecè à ſolo Deo, vel medio auxilio, & eleuatione extrinſeca diuinæ omnipotentiæ ſupplentis vices obiectorum, & ſpecierum. In viſione autem colorum apparentium non erit aliqua deceptio propriè loquendo, vt colligitur ex ſuperioribus, notátque Granadus 3. p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſp. 8. n. 7. Quòd ſi opponatur ex S. Auguſtino in lib. de diligendo Deo cap. 18. & ex S. Proſpero, vel potius S. Iuliano Archiepiſcopo Toletano lib. 1. de vita contemplatiua cap. 4. *Humana ſubſtantia ad Conditoris ſui ſimilitudinem ſublimata, omnia bona, quę naturaliter accepta corruperat peccando, mutabuntur in melius.* Reſpondeo, accipienda hæc verba de omnibus maiori ex parte, vel de mutatione in alia æquiualentia. Denique addo ſupponi gratis à Niderio & Mauburno ſuprà, fore, vt in cælo habeatur à ſenſibus voluptas ex omnibus obiectis, ex quibus haberetur in ſtatu innocentiæ.

SECTIO IV.

An Beatorum externi ſenſus elicient actus intrinſecè ſupernaturales? vbi de luce glorificatorum corporum.

38 Affirmatiua pars generatim proquinque ſēſibus externis ſuaderi poteſt primò, quia vt tentatum eſt in ſect. proxima, percipient obiecta non exiſtentia. Sed perceptio obiectorum non exiſtentium elicita à ſenſibus externis, debet eſſe intrinſecè ſupernaturalis. Ergo &c. Secundò, in patria eleuabuntur interni ſenſus ad ſenſationes ſupernaturales: Ergo & externi. Tertiò, dotes glorificatorum corporum erunt ſupernaturales: Ergo & ſenſiones externæ, ſiquidem in via magis conduxerūt ad meritum ſenſus externi, quàm facultates aliæ ornatæ dotibus, & in Patria conferent magis ad gloriam accidentalem ſenſiones externæ ſupernaturales, quàm dotes ſupernaturales. Quartò, Actus vitales externi erunt in immortali vita multò iucundiores, quàm qui habentur in hac mortali, vt ſic præmium ſit longè ſuperius delitiis quibus homines, dum hanc agerent, priuarunt ſe propter Deum. Quintò, ſenſus externi in cœlo percipient ſimul plura, vehementioráque ſenſibilia, quàm ferre poſſet natiua ipſorum actiuitas. Et prætereà vnico actu indiuiſibili attingent tot obiecta, quot nequeant naturaliter niſi pluribus actibus. Nam ſi plura obiecta videnda ſunt v. g. ſimul per totam æternitatem, rationi conſonum eſt, vt ea attingantur per indiuiduam viſionem.

39 Speciatim viſum eleuandum ad actus intrinſecè ſupernaturales, multorum eſt ſententia. Et mouētur exinde, quòd per illum percipietur intuitiuè lux glorificatorum corporum, quæ cùm ſit entitatiuè ſupernaturalis, erit & entitatiuè ſupernaturalis viſio intuitiua ipſam percipiens. Et exhinc ſumere licet argumentum pro aliis quatuor ſenſibus. Si enim Deus eleuat viſum glorificatum ad perceptionem ſupernaturalem lucis ſupernaturalis, par eſt credere, fore, vt eleuet alios quatuor ſenſus ad perceptiones ſupernaturales ſonorum, odorum, ſaporum & qualitatum tangibilium ſupernaturalium. Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine lib. 4. q. 8. art. vnico §. 2. n. 16. Salas in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. n. 115. exiſtimant, odorem corporum glorificatorum fore ſupernaturalem. Ipſemet Salas in ſect. 16. num. 133. ad 5. ait, fore etiam ſupernaturalem ſaporem inditum linguæ, & palato. Indicatur id à Richardo in 4. diſt. 49. art. 4. q. 3. ad 5. dum ſaporem ſentiendum à Beatis proponit effluxurum phyſicè ex Beatitudine ſupernaturali animæ, ſi à Deo extrinſecùs non infundatur. Quòd ſi non repugnat, imò & de facto datur lux materialis ſupernaturalis tum pro ornatu corporum glorificatorum, tum pro oblectatione potentiæ viſiuæ ipſorum, neque repugnabunt qualitates materiales ſupernaturales ſpectantes ad alios ſenſus; imò exiſtent de facto, ne in obiecto longè ſuperentur à facultate viſiua.

40 Promoueri tandem poteſt cauſa auditus, olfactus, guſtus, & tactus, quia his ſenſibus deſeruient in Empyreo ſpecies impreſſæ ſupernaturales ad omnes ſuos actus. Neque enim credibile eſt, inhæſurum ſonum, odorem, ſaporem, & qualitates tangibiles ſenſibus glorificatis, vt pote quos deceat immunes eſſe à qualitatibus rudium, & craſſorum elementorum. Eo autem ipſo quòd mediis ſpeciebus impreſſis percipiant, erunt illæ ſupernaturales, quia ſonus, odor, ſapor, & qualitates tangibiles, dum ſunt præſentes, non percipiuntur ex natura rei per ſpecies, ſed per ſe immediatè: quare ſpecies habitæ in præſentia ipſorum, non continebuntur intra vires agentium naturalium. Hæc maiori ex parte ſunt excogitata à P. Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali diſp. 44. ſect. 10. pro ſenſationibus externis ſupernaturalibus in Patria.

41 Sed tamen dico primò, Si Beati externis ſenſibus percepturi ſint qualitates ſenſibiles non exiſtentes in rerum natura, neceſſe non eſſe, vt ſenſationes habitæ de illis ſint ſupernaturales intrinſecè, & quoad ſubſtantiam; ſed tantùm quoad modum. Probatur prima pars, quia ſenſatio lucis v.g. non exiſtentis poteſt fieri conſeruante Deo, vel nouiter producente ſe ſolo eandemmet ſpeciem, quam in præſentia lucis retineret facultas viſiua, vel quam produceret lux, ſi extitiſſet in rerum natura. Sed ſpecies, & ſenſatio lucis elicita à facultate viſiua in eius præſentia eſſet naturalis. Ergo & elicita in eius abſentia poteſt eſſe naturalis quoad ſubſtantiam. Neque enim neceſſe eſt, fieri per ſpeciem diuerſam ab ea, quam produxit lux, dum exiſteret, vel quam produxiſſet, ſi extitiſſet. Probatur ſecunda pars, quia ſpecies deſeruiens externo cuilibet ſenſui, & ſenſatio elicita à quolibet externo ſenſu requirit ex natura rei præſentiam, ſeu coexiſtentiam obiecti, ad quod tendit. Ergo concurſus præſtitus à Deo in conſeruationem, vel primam productionem ſpeciei, & concurſus etiam præſtitus in ſenſationem non poteſt non eſſe ſupra vires, ac exigentiam naturæ; ac proinde ſupernaturalis, quando abeſt obiectum repræſentatum, quippe non ſolùm ipſa ſpecies, ſed etiam ſenſatio vt pote intuitiua creata exigit ex natura rei coexiſtentiam realem obiecti, ad quod fertur. Concluſio hæc quoad vtramque partem traditur conceptis verbis à P. Franciſco Alfonſo diſp. 9. de anima n. 92. Deducitur etiam ex Cardin. Lugo diſp. 20. de Incarnatione n. 33. ex P. Ripalda tom. 1. de ente ſupernaturali diſp. 59. n. 17. & poſſunt in eam trahi plures alij. Extendendáque eſt ad caſum, in quo ſine ſpeciebus impreſſis, ſupplente Deo earum influxum, fierent perceptiones qualitatum ſenſibilium non exiſtentium in rerum natura.

42 Dico ſecundò, credibile eſſe, ſenſus externos eleuandos in Patria ad aliquos actus intrinſecè ſupernaturales, qui tendant in obiecta exiſtentia, & naturalia, ſi actibus vitalibus tendentibus in obiecta omninò naturalia competere queat ſupernaturalitas intrinſeca, & non tantùm penes actionem, quibus producantur. Concluſionem iſtam non leuiter ſuadent argumenta nonnulla adducta in n. 38. Indicátque P. Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 48. ſect. 1. v. *Dices hæc omnia*.

43 Dico tertiò, opus non eſſe, vt omnes actus externi eliciti in Patria circa obiecta exiſtentia, & naturalia ſint aliquatenus ſupernaturales. Probatur, quia glorificatio ſenſuum externorum non deſtruet, ſed potiùs perficiet natiuam actiuitatem ipſorum. Ergo neceſſe non eſt, vt omnes actus, in quos prodeant, ſint ſupernaturales; vti neceſſe non eſt in ſenſibus internis, neque in potentiis ſpiritualibus: alioqui omnes actus, tam materiales interni quàm ſpirituales deberent eſſe ſupernaturales in homine beato. Et idem eſſet de actibus mouendi ſe localiter, & loquendi; de elatione cordis, ac arteriarum, & de reſpiratione. Quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Ob id Suarez vbi ſuprà diſp. 47. ſect. 6. v. *quinto hinc*, ſtatuit, Chriſtum poſt Reſurrectionem exercuiſſe actus complures naturales potentiæ locomotiuæ, etſi præditus eſſet dote agilitatis. De actibus facultatis viſiuæ nemo inficiabitur, multos fuiſſe in Chriſto ante Aſcenſionem naturales, & futuros etiam tam in ipſo, quàm in aliis Beatis.

44 Argumentum appoſitum in n. 40. pro ſupernaturalitate omnium actuum, qui eliciantur à reliquis facultatibus præter viſiuam, nullum eſt, tum quia tam illæ, quàm viſiua indigent ex natura rei ſpeciebus ad ſuos actus in præſentia obiectorum, vt fert complurium, & grauium Authorum ſententia. Tum quia etſi ſpeciebus non indigeant; non ſequitur, ſonum, odorem, ſaporem, & qualitates tangibiles inhæſuras potentiis, quarum ſint obiecta; ſatis eſt, ſi eas phyſicè contingant. Et licet vltrà contactum intercedat frequenter in guſtu, & tactu mortali realis alteratio, & mutatio organorum, ſecus eueniet in tactu, & guſtu, immortali propter dotem impaſſibilitatis, vt obſeruant paſſim Theologi, & præcipuè Suarez, & Salas præcitati, ille in v. *Quarto de guſtu*, hic diſp. & ſect. 14. n. 117. Tum quia ſine inconuenienti vllo inhærebunt olfactui, & guſtui glorificatorum hominum odores aliqui, & ſapores depuratiſſimi. Quòd ſi poſſunt odorum, & ſaporum decentium inhærere ſpecies, cur non ipſi odores, & ſapores? Tum denique, quia adhuc admiſſo miraculoſam eſſe productionem ſpeciei in præſentia odoris v.g. tamen ſpecies, & odoratio erunt naturales ſecundùm entitatem, ſi odor diſtans ſit naturaliter aptus olfieri; producetur namque à Deo in præſentia, ſeu coniunctione odoris ad olfactum eadem ſpecies naturalis, quæ produceretur ab odore diſtante, & ex illa reſultabit eadem odoratio, vel ſimilis illi, quæ reſultat ex odoris indiſtantis ſpecie.

45 Dico quartò, ſenſus externos non eleuandos in Patria, vt percipiant diuinitus obiecta ſupernaturalia: atque ideò ibi non fore actus vitales externos ſupernaturales intrinſecè ex obiectis. Probatur, quia ſenſus externi naturales in entitate (quales erunt ſenſus glorificati) nequeunt ex natura rei vel imperfectè percipere obiecta ſupernaturalia, alioqui vel imperfecta perceptio intuitiua lucis ſupernaturalis v.g. exigeret eam vt ſui principium, connecteretúrque cum eius exiſtentia: entitas verò quæuis ſupernaturalis debet eſſe ſupra exigentiam totius naturæ. Ergo nec diuinitus poterunt eleuari ſenſus externi naturales ad eliciendam perceptionem obiectorum ſupernaturalium. Nulla enim facultas vitalis eleuari poteſt ad percipiendum vitaliter obiectum, quod ipſa non valeat ex natura rei vitaliter percipere aliquo modo. Huic propoſitioni probandæ à priori inſudatum iam eſt à me in ſect. 1. Exercitat. 28. Subiungo nunc rationem à poſteriori. Viſus præſens nequit eleuari ad videndum ſonum, vel rem ſpiritualem; quia neque imperfectè poteſt videre naturaliter ea. Idem eſt de auditu reſpectu coloris, vel rei ſpiritualis. E conuerſo autem Angelicus, & Humanus intellectus valent eleuari ad videndum intuitiuè Deum, quia hic non ſuperat

cognitio

Digitized by Google

cognitionem abſtractiuam naturalem ortam ab ipſis. Rurſus olfactus incapax eſt euehi, vt olfaciat Deum, intellectus, vt amet, voluntas vt intelligat; & quidem non ob aliam cauſam, niſi quia Deus eſt obiectũ extraneum, actibus naturalibus olfactus. Idem de ratione boni reſpectu intellectus, & de ratione veri reſpectu voluntatis, ſi diſtinguantur hæ potentiæ inter ſe & à ſubſtantia rationali viuente. Sed antequam hinc diſcedam, non poſſum non mirari hæc S. Auguſtini verba in lib. de geſtis Pelagij cap.14. *Sunt quædam communia omnibus membris, ſicut ſanitas, ſicut vita: ſunt etiam alia ſingulis propria; vnde nec auris ſentit colores, nec oculus voces, propter quod dicitur, ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus, vbi odoratus? Quod quidem non ita dicitur tanquam impoſſibile Deo ſit & auribus præſtare ſenſum videndi, & oculis audiendi.* Audiui nonnunquam doctum Virum interpretãtem, quatenus præcisè ratione materiæ poſſint aures videre, & oculi audire; ſi in materia aurium forma, organáve viſiua, & reciprocè auditiua in materia oculorum conſtituantur. Sed explicatio viſa eſt aliquantò extorta; & idem dici poſſet de lapide.

46 Ægidius Luſitanus tomo 3. de Beatitudine lib.5.q.4.art.7.§.3.tenet, lucem glorificatorum corporum eſſe ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, viſibilémque diuinitùs; quin tamen concedat videri poſſe vel imperfectè ex natura rei, imò expreſsè negat n. 23. fiſus huic rationi: Deus nec imperfectè videri poteſt naturaliter ab intellectu Angelico, aut humano, & nihilominus hic extolli poteſt ſupernaturaliter ad viſionem intuitiuam illius. Ergo etſi lux glorificatorum corporum nequeat naturaliter videri vel imperfectè ab oculo corporeo, poterit tamen diuinitùs. Idémque erit de aliis ſenſibus externis comparatis ad obiecta ſenſibilia ſupernaturalia. Contra primò, licet Deus intuitiuè videri non poſſit ex natura rei ab intellectu Angelico, aut humano, poteſt tamen abſtractiuè cognoſci. Aſt lux ſupernaturalis non valet ex natura rei percipi aliquatenùs à facultate viſiua naturali; nam neque intuitiuè, neque abſtractiuè valet percipi ex natura rei. Contrà ſecundò, Nec Leo, neque lapis eleuari poſſunt ad cognoſcendum per fidem ſupernaturalem, neque ad videndum intuitiuè Deum, vt docetur à S. Fulgentio in lib. de Incarnatione cap.22. his verbis, *Nec vlli naturæ credendi facultas inſita eſt, quam rationalem non fecit Deus.* Et cap.24. *Animalibus rationalibus datum diuinitus non eſt, habere naturam credulitatis, & fidei capacem.* Cuius doctrinæ non alia apparet congruentior ratio, quàm quia incapaces ſunt naturaliter cognoſcere Deum aliquatenùs. Ergo ſi facultas viſiua naturalis eſt inepta ex natura rei percipere aliquatenùs lucem ſupernaturalem, repugnabit euehi, vt eam videat. Contra tertiò. Non erit, cur lapis ineptus ſit eleuari ad videndam lucem ſupernaturalem, ſi apta ſit facultas viſiua naturalis. Vt enim nullo actu naturali valet hæc attingere lucem ſupernaturalem, ſic neque ille; & aliunde potentia obedientialis eſt communis vtrique.

47 Si reſpondeas, diſparem eſſe rationem; quia in lapide nulla eſt vis perceptiua, ſecùs in facultate viſiua. Contra: Quia ſi vi illa contentus es, ediſſere mihi, cur viſiua facultas præſens non poſſit eleuari ad percipiendum Angelum? Et cur vis motiua lapidis in centrum non ſufficiat, vt valeat euehi ad motum intentionalem in lucem ſupernaturalem? Si reſpondeas iterùm, in lapide nullam eſſe vim perceptiuam vllius lucis; ſecùs in facultate viſiua. Rogo à te, ſi non repugnet lux ſpiritualis, vt indicat Arriaga diſp.5. de Anima, n.9. & iuuari poteſt ex calore ſpirituali, quem poſſibilem cogitat Ioannes Bachonius in 4. diſt.46. q.vnica art. 2. cur ea lux conſpici non poterit à viſu materiali de facto exiſtente, eleuato diuinitus, quin & non eleuato, ſi lux ſpiritualis ſit ſimul naturalis, vti à phantaſmate naturali attingitur effectiuè naturaliter ſpecies ſpiritualis? Præterea conuenientia adhuc in ratione corporeæ lucis non ſat eſt, vt viſus attingens intentionaliter lucem corpoream naturalem efferri queat ad attingendum ſupernaturalem. Nam lux, & ſonus conueniunt in ratione qualitatum ſenſibilium; imò plus conueniunt inter ſe, quàm lux naturalis, & ſupernaturalis, cùm pertineant ad eundem ordinem; & tamen viſus eſt incapax eleuari ad percipiendum ſonum. Subtraho calamum ab vlteriori proſequutione; non enim plus vltra ſcripta ab Arriaga ſuprà à n.5. vſque ad 11. quæ mihi maximoperè placent; non ſic quæ poſteà tomo 2. in 1.p.diſp.56. à n. 36. vſque ad 38. addidit, vt infringeret vim noſtri argumenti. Videatur num. 48. exercit. 28. vbi reieci poſteriora hæc.

48 P. Ripalda ſect. illa 10. n.63. admittit, eſſe ſupernaturalem glorificatorum corporum lucem, quia tamen cernetur ſimul cum colore, qui eſt qualitas naturalis; ideò defendit, non extrahi potentiam viſiuam, vt attingat ex eleuatione obiectum adæquatum, quod aliquatenùs attingere ex natura rei ſit inſufficiens. Contra primò: Quia coniunctio lucis ſupernaturalis ad colorem naturalem non extrahit lucem ad gradum entitatis, quam naturaliter queat aliquatenùs attingere intentionaliter facultas viſiua. Ergo non extrahit ad rationem obiecti attingibilis ab ipſa eleuatione. Contra ſecundò; Quia ſi coniungi lucem ſupernaturalem cum colore naturali ſufficit, vt illa attingatur à viſu, etſi aliàs ex natura rei nequeat vllo modo attingi, ſufficiet coniunctio Angeli cum colore, & luce naturali, vt ille ex eleuatione poſſit videri à potentia materiali, quæ aliàs ſit naturaliter incapax percipiendi illum aliquo modo. Contra tertiò; Quia iam lux ſupernaturalis coniuncta colori ſupernaturali (qui non minùs conceditur à P. Salas ſuprà, & ab Arriaga tomo 2. in 1.p.diſp.57. ſect.3. poſſibilis, quàm illa) excedet vires obedientiales vitales facultatis viſiuæ naturalis. Contra quartò; Quia alioqui nec diuinitùs videri poſſet lux, quæ à corpore glorioſo locato in media aëris regione diffunderetur, cùm in aëre nullus ſit color naturalis, cui aſſociaretur ſparſa lux. Contra denique; Quia ſonus, odor, & ſapor ſupernaturales perciperentur à facultatibus eleuatis, quibus reſpondent, quin eſſent aſſociati aliis qualitatibus naturalibus, in quas ferantur indiuiſibiliter facultates illæ, vti viſiua fertur indiuiſibiliter in lucem, & colorem.

49 Addit Ripalda, lucem ſupernaturalem poſſe attingi intentionaliter à viſu per actum confundentem ipſam cum luce naturali: qui actus erit naturalis. Eodem ferè modo reſpondet Granadus 3.p. controu.13. de Nouiſſimis tract.3. diſp.6. num.7. Non acquieſco primò; Quia licebit etiam dicere, facultatem viſiuam poſſe naturaliter percipere rem ſpiritualem confundendo ipſam cum corporea; ac proinde poſſe eleuari ad perfectam rei ſpiritualis perceptionem. Secundò; Etſi potentiæ intellectiuæ, & volitiuæ non repugnet modus ille tendendi confuſus; ſecùs materialibus; maximè cùm ille modus tendendi eſſet abſtractiuus percipiens lucem ſupernaturalem ad inſtar lucis naturalis, qui prorsùs

Digitized by Google

alienus eſt à potentiis materialibus de facto exiſtentibus; tum ex eo, quòd ſit abſtractiuus, tum etiam ex eo, quòd confuſio lucis ſupernaturalis cum naturali, & è contrario diſcretio illius ab hac, nequit conſiſtere formaliter in actu viſiuæ potentiæ externæ, ſed fundamentaliter tantùm, quatenùs præbeat fundamentum intellectui, vt confundat, vel diſcernat vnam lucem ab alia. Et reuera præbere ſic fundamentum intellectui, vt confunderet vnam lucem cum alia, niſi aliunde vna perciperetur à potentia viſiua ad inſtar alterius, non argueret modum tendendi abſtractiuum in perceptione talis potentiæ. Sic dum eminùs percipitur albedo, & præbetur fundamentum intellectui, vt confundat cum nigredine, perceptio albedinis non habet modum tendendi abſtractiuum, ſed intuitiuum; licet non tam perfectum, quàm dum cominùs percipitur albedo. Tertiò, actus ille confundens percipit vel abſtractiuè, vel intuitiuè lucem ſupernaturalem? Non abſtractiuè, ob proximè dicta. Non intuitiuè, quia alioqui erit ſupernaturalis, non minùs quàm intellectualis actus, qui intuitiuè, etſi non cum omnimoda claritate ex parte modi perciperet eandem lucem: vterque enim exiget ex natura rei exiſtentiam, & coexiſtentiam cum entitate ſupernaturali. Quartò, Perceptio confuſa lucis ſupernaturalis oritur ab ea vel immediatè, vel mediatè? Vtrovis autem modo oriatur, ſequitur, actionem ſaltem, qua fit, eſſe ſupernaturalem, vtpote quæ connectatur eſſentialiter cum exiſtentia principij ſupernaturalis. Ergo potentia viſiua naturalis nequit ex natura rei aſſurgere in eam perceptionem cõfuſam, ſiquidem ea deberet fieri per actionem ſupernaturalem, ortam aut ab ipſa luce immediatè, aut ab ſpecie impreſſa ſupernaturali ipſius lucis, à qua dependeat in fieri, & conſeruari, aut ortam à Deo concurrente non ſolùm titulo cauſæ primæ, ſed & ſupplentis concurſum ſupernaturalem obiectiuum lucis, vel ſpeciei.

50 Occurres inquiés, actionem, qua fieret ea perceptio, prodituram immediatè ab ſpecie naturali lucis ſupernaturalis; ideóque carere eſſentiali exigentia principij ſupernaturalis. Sed impugnaberis, tum quia lux ſupernaturalis eſt indifferens, vt modò terminet actum naturalem cõfundentem ipſam cum luce naturali; modò actum ſupernaturalem diſtinguentem ipſam. Ergo cùm ſpecies non profluant liberè, ſed neceſſariò à luce ſupernaturali, omnes profluentes ab hac vel erunt naturales, vel ſupernaturales; non enim ipſa lux prouidere poteſt, quando producenda ſit ſpecies naturalis, aut ſupernaturalis, vt illa deſeruiat perceptioni confundenti, hæc diſtinguenti. Ergo ſpecies producta à luce ſupernaturali deſeruiénſque perceptioni confuſæ, vel eſt ſupernaturalis; vel naturalis etiam eſt ſpecies deſeruiens perceptioni diſtinguenti. Tum quia ſpecies orta ab obiecto ſupernaturali non poteſt non eſſe ſupernaturalis, vt quæ neceſſariò debet eſſe ſupra exigentiam totius naturæ, cum eius ſit vnicum effectiuum principium obiectum ſupernaturale; ita vt ab alia luce naturali effici nequeat naturaliter. Et ſaltem eſt ineuitabilis ſupernaturalitas actionis, per quam produceretur ſpecies à luce ſupernaturali. Tum quia ſi ſpecies obiecti ſupernaturalis eſſet naturalis, poſſet cognoſci ab Angelo viribus naturæ in medio merè naturali entitas ſupernaturalis. Etenim Angelus viribus naturæ poſſet cognoſcere non ſolùm quidditatiuè, ſed etiam comprehenſiuè ſpeciem illam vt exiſtentem; cùm ſit naturalis entitas, longè imperfectior ipſo; in ſpecie autem obiecti cognita quidditatiuè vt exiſtente, poteſt ſufficienter cognoſci obiectum, cuius eſt ſpecies: imò debet cognoſci, ſi ſpecies cognoſcatur comprehenſiuè. Hinc in ſpecie vel abſtractiua Dei penetrata comprehenſiuè, nequit non cognoſci Deus. Quòd ſi id ita eſt in ſpecie abſtractiua, erit multò potiùs in intuitiua, propria, & immediata obiecti exiſtentis, & ſingularis; qualis debet eſſe ſpecies quæuis deſeruitura externis ſenſibus, ſiquidem ſpecies impropria, & mediata obiecti repræſentans illud ad modum alterius, eſt protsùs aliena à modo percipiendi, quem ſeruant ſenſus de facto exiſtentes; & intellectui ſoli valet attribui.

51 Vrgetur ampliùs vis huius Argumenti: Species intuitiua obiecti exigit ſaltem ex natura rei exiſtantiam veram illius, & eſſentialiter poſſibilitatem veram. Ergo ab Angelo comprehendente ſpeciem naturalem intuitiuam lucis ſupernaturalis non poterit non cognoſci hæc, vt ex natura rei in ſtatu veræ exiſtentiæ præſuppoſita, & vt eſſentialiter in ſtatu veræ poſſibilitatis præſuppoſita. Antecedens tam certum eſſe debet in ſpecie intuitiua, quàm eſt in cognitione intuitiua. Ex qua roboro conſequentiam. Nam ſi comprehenſorem cognitionis intuitiuæ nequit latere obiectum vt præſuppoſitum ex natura rei in ſtatu exiſtentiæ veræ, & vt præſuppoſitum eſſentialiter in ſtatu veræ poſſibilitatis, neceſſe eſt, dici idipſum de comprehenſore ſpeciei intuitiuæ. Vnde deducendum firmiter eſt, tam repugnare ſpeciem intuitiuam naturalem obiecti ſupernaturalis, quàm repugnat cognitio naturalis intuitiua eiuſdem. Quin potiùs deducendum eſt, reperiri maiorem repugnantiam in illa, quam in hac; tum obiectum ſupernaturale concurreret immediatè in ſpeciem intuitiuam non verò in cognitionem. Et certè lux ſupernaturalis non ſic concurreret in ſpeciem tranſmiſſam ad facultatem viſiuam, vt ea ſpecies eſſet indifferens oriri à luce naturali. Si enim ſpecies orta à luce naturali *A*, non eſt indiffeẽs oriri à luce naturali *B* numero tantùm diſtincta; alioqui multiplex, & varia eſſet repræſentatio eiuſdem indiuiduæ ſpeciei; multò minùs ſpecies nunc orta à luce ſupernaturali erit indifferens, vt oriatur à luce naturali non ſolùm numericè, ſed ſpecificè diuerſa.

52 Concluditur ex his omnibus, externos Beatorum ſenſus non eleuandos in Patria, vt eliciant actus intrinſecè ſupernaturales erga ſenſibilia propria, quæ ſint ſupernaturalia. Et hinc ſubinfertur, nulla ſenſibilia fore ſupernaturalia. Vt quid enim Deus ornaret glorificata corpora luce ſupernaturali; ſi hæc nullatenus eſſet videnda materialibus oculis ab hominibus Beatis? Vt quid inderet palato ipſorum ſaporem ſupernaturalem, quem deguſtari eſſet prorſus impoſſibile? Quapropter faceſſat Arriaga, dum diſputatione 5. de Anima numero 16. non reputat inconueniens, ſi Beati ornentur luce, quæ in cœlo videnda non ſit per oculos corporeos, ſed cognoſcenda tantùm per intellectum. Etenim pro hoc fine cauſa produceretur à Deo lux illa cùm tot adſint obiecta alia ſupernaturalia, & naturalia, ex quorum cognitione incredibiliter recreetur intellectus. Et licet ego non inueniam repugnantiam penes potentiam Dei abſolutam in luce ſupernaturali & ſimilibus aliis qualitatibus materialibus, quicquid ſecùs ſentiat Rubius libro 2. de Anima, tract. de obiectis, atque ſpeciebus ſenſibilibus quæſt. 12. num. 158. tamen quandoquidem illæ non poterunt percipi

Digitized by Google

percipi per externos Beatorum ſenſus, ideò excitatas in cœlo nego. Et id tandem negat Arriaga tomo 2. in 1. parte diſputatione 57. ſectione 3. adhuc admiſſo, qualitates illas perceptibiles fore ab externis ſenſibus glorificatis, quia pro illorum oblectatione aderunt multæ aliæ naturales.

53 Erunt itaque naturales qualitates omnes, quæ à Beatorum externis percipiantur ſenſibus. Et de luce immortalium corporum, de qua magis in particulari meminerunt Theologi antiqui, & moderni, concordant nobiſcum Durandus in 3. diſtinctione 16. quæſtione 2. numero 5. Abulenſis citatus ab Ægidio Luſitano ſuprà §. & num.1. Scotus adductus à Suario tomo 3. in 3. parte diſputatione 48. ſectione 2. verſ. *ex quibus*, licet diſputatione 32. ſectione 1. verſ. *ſed poſſunt* adducatur pro oppoſita ſententia, vt ea communiter accipitur. Sed mens Scoti & Suarij conſtabit inferiùs. Fauent etiam Viguerius in Inſtitutionibus capite 14. §. 2. verſ. 3. & 4. Arboreus in cap.17. Mathæi verſ. 2. Martinus de Ledeſma in ſecunda quartæ quæſtione 87. Martinengus in Gloſſa magna litterali ad caput 1. Geneſ. pag.249. Hiquæus in 4. Scoti diſtinctione 49. quæſtione 15. allegans Peſantium. Felix capite 6. de Beatitudine diffic.4. à numero 6. Auerſa quæſtione 53. Philoſophiæ ſect. 2. parte 3. Theologiæ quæſtione 53. ſect.3. Tellez parte 2. Philoſophiæ diſputat.45. ſect. 2. numero 1. Franciſcus de Lugo libro 1. Theologiæ Scholaſticæ diſputatione 8. de Deo vno capite 1. numero 4. Recupitus libro 6. de Deo quæſtione 3. capite 4. numero 51. Thomas Maſſutius in vita ſancti Pauli capite 4. Barradas tomo 3. in Euangelia libro 10. capite 2. Valentia tomo 4. diſputatione 11. quæſtione 5. puncto 1. verſ. *Clara denique*. Tannerus tom.2. diſp.1. quæſt.3. dub.6. numero 62. Thyreus tract. de glorioſa apparitione Chriſti ad Iudicandum cap.4. num.133. Arriaga ſuprà diſt.56. à num.33. diſp.57. num. 17. Montecinos in 1.2. q.5. art.8. diſp.7. q. 2. dub.8. n.48. Ioannes de S.Thoma in 1.2. diſ. 2. art.9.

54 Pro ſupernaturalitate tamen lucis glorioſæ referuntur ab Ægidio ſuprà §.2. num.8. Albertus Magnus, Ægidius Romanus, & Sotus. Verùm hi Authores aut cum formidine loquuntur, aut ſolummodò curant de diſtinctione ſpecifica lucis glorioſæ à Solari, & elementari. Granadus ſuprà num.4 adiungit Salmeronem tom.6. tract.33. & Barradam tom.2. lib.10. c.28. ſed primus pag 277. verſ. *& reſplenduit* vt ſummùm denotat diſtinctionem ſpecificam: Secundus fulgorem Chriſti in Transfiguratione appellat quidem miraculoſum: hinc tamen nihil habetur, vt ex interpretatione adhibenda actutùm S. Thomæ apparebit, & Barradæ mens aperta eſt in præcitato loco tomi 3. Adiungit præterea Suarium & Salas. Hic certus eſt in diſp.4. ſect.14. n 109. ac 115. & latiùs ſect.16. n.132. Ille ambiguus cenſebitur. Nam in diſp.32. ſect.1. verſ. *ſed poſſunt*, videtur docere eſſe ſupernaturalem; in diſp. autem 48. ſect. 2. verſ. *ſed licet*, inquit, eſſe ſimpliciter naturalem, non tamen connaturalem corpori humano. Crediderim, Suarium (idem de Scoto, & aliis) in ea fuiſſe opinione, vt glorioſa lux ſit diuerſæ ſpeciei à Solari, & Elementari, naturalis verò ſimpliciter quoad entitatem graduum, & ſupernaturalis ſecundùm quid quoad intenſionem, eo quòd tanta ſit illius intenſio, vt etſi gradus ſecundùm ſe, & diuiſim poſſent eſſe connaturales entitati alicui naturali, nequeat vlli eſſe connaturalis, & debita tot graduum collectio. Ripalda ſuprà num.61. recenſet Thyræum tract. de Apparitione Chriſti in Thabor cap.1. numero 24. Ait Thyræus vel varius fuit, vel in vltimo hoc loco cenſuit, quod de Suario dixi.

55 Expreſſiùs ſtant pro ſupernaturalitate præfatæ lucis Richardus in 4. diſt. 49. art. 4. quæſt. 6. Argentinas in 3. diſt.16. art. 4. ad 3. Iacobus de Vitriaco in ſerm. feriæ 3. Paſchalis. Henriquez lib. vltim. de fine hominis cap. 27. §. 5. adiunctis iis, quæ adiicit in Gloſſa litt. *K*, & *A*. Hetice in 1 p. diſp.43. cap.2. num.18. & 21. Bonacina in 3.part. diſp. 3. quæſt.2. puncto 5. propoſit.2. n.4. & q.5. puncto 4. & propoſit.2. n. 6. Ægidius Luſitanus, Granadus, & Ripalda ſuprà: Vtrique parti æqualem ferè probabilitatem adiudicant Leſſius libro 3. de ſummo Bono capite quinto & in 1. 2. quæſtione quarto articulo ſexto dubio tertio. Connimbricenſes lib.2. de cœlo cap.7. quæſt.9. art.2. & 3.

56 Doctor Angelicus nullibi tradit, glorificatorum corporum lucem eſſe ſupernaturalem. Innuit quidem in 1.part. quæſt.66. art.3. ad 4. differre ſpecie à Solari, & Elementari, ait enim, non eſſe conformem cum claritate naturali. Et anteà in 3. diſt. 16. quæſt. 2. art. 1. ad 4. affirmaſſe expreſſè differentiam illam videbitur prima à facie in his verbis, *Claritas illa* (ſcilicet, quam habuit Chriſtus Dominus in Transfiguratione) *erat ſimilis glorioſi corporis claritati, quæ viſũ non corrũpit, ſed demulcet::: Et hoc cõtingit quidem, quia eſt alterius generis, quàm iſta claritas naturalis:::: Claritas huius vitæ, ſcilicet naturalis, non eſt proportionabilis claritati patriæ, ſed alterius generis exiſtens.* Hactenùs S.Doctor, qui poſteà in 4.diſt.44.quæſt.2.art.4.quæſtiuncula 2.ad 1. ſic loquitur, *Claritas gloriæ erit alterius generis, quàm claritas naturæ, quantum ad cauſam, ſed non quantùm ad ſpeciem. Vnde ſicut claritas naturæ ratione ſuæ ſpeciei eſt proportionata viſui; ita claritas glorioſa.* Poſteriora hæc verba videntur non cohærere cum prioribus. Et hinc orta eſt diſcordia circa mentem S.Thomæ. De quo aſſeuerat Suarez diſp.32. ſect.1. verſ. *ſed poſſunt* ſupponere tandem in 3.part. q.45. art. 2. in corpore, claritatem glorioſam alterius eſſe rationis. Sed ibi hæc tantùm habet, *Ille fulgor, tunc in corpore Chriſti apparens miraculoſus fuit.* Attamen vt miraculoſus dicatur, non requiritur vt ſit alterius rationis, & multo minùs vt ſit entitatiuè ſupernaturalis, ſufficit namque, quòd affecerit corpus in ſtatu paſſibilis, vel quòd fuerit quoad productionem ſupernaturalis, vel quòd extiterit tranſeunter, & ſine aliis dotibus. Prima interpretatio deſumitur ex Caietano in Commentario articuli. Secunda ex Connimbricenſibus ſuprà. Tertia ex Thyræo ſuprà numero 17. Hinc Sotus, quem forſan non latuerunt iſta ſancti Thomæ verba; dixit in 4. diſtinctione 49. quæſtione 4. articulo 8. *Neque verò ſcio, quid S. Thomas ſenſiſſet ſi in Summa huc vſque perueniſſet.*

57 Ego quidem ex Verbis S.Thomæ 1. p. q.66. art. 3. ad 4. crediderim S.Thomam in Summa ſtare pro naturalitate lucis glorioſæ. Nam ex eo, quòd Empyreum habeat claritatem gloriæ, præbet rationem, cur lux Empyrea non videatur à terricolis. Hanc autem eſſe entitatiuè ſupernaturalem, nemo aſſeret, probabile apparuiſſe S. Thomæ, ſi perpendat rationum momenta, quæ propoſita ſunt à me in ſectione 5. exercitat. 10. contra ſupernaturalitatem lucis Empyreæ. Imò crediderim, S. Thomam non ſtare pro diuerſitate ſpecifica. Etſi enim vt euitet viſionem lucis Empyreę ab hominibus in vita mortali ſcribat de Empyreo, *vel habet*

claritatem

Digitized by Google

claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis claritati naturali; id tamen eatenùs iuxta ipſum valere puto, ne lux Empyrea ſimilis claritati glorioſæ videatur ex terra, quatenùs ſicut claritas glorioſa occultari ex libito Beati poteſt oculo non glorificato; ita lux Empyrea occultetur ex Dei libito exiſtentibus in terra vſque ad finem mundi; licèt vtraque lux ſit ex ſe viſibilis naturaliter ab oculo adhuc non glorificato. Et in hac quaſi arbitraria occultatione diſformis eſt vtraque lux Solari, & elementari; non verò in eo, quòd pertineat ad aliam ſpeciem qualitatis etiam naturalis.

58 Si arrideat hæc interpretatio (quæ ex parte traditur à Ioanne de S. Thoma in opere ſex dierum ad q.66. v. *ſed dices*) conciliantur optimè adducta omnia ex Angelico Præceptore teſtimonia. Promouetúrque exinde, quòd in 4. diſt.48. q. & art.2. in ſolutione ad 3. & ad 4. de noua elementorum, & corporum cœleſtium poſt diem Iudicij claritate, quæ nec erit entitatiuè ſupernaturalis, nec diuerſæ ſpeciei, loquatur eodem ferè modo, ac de luce humanorum corporum; & quòd quæſt.4. de potentia Dei art.1. ad 5. dicat, *Empyreum habere cum noſtro igne communem ſplendorem*, ſeu lucem. Eadem interpretatio adhiberi poteſt S. Antonio Paduano, dum ſermone in ſecunda Dominica Quadrageſimæ inquit de luce glorificatorum corporum, *eſſe omninò alterius rationis à ſplendore Solis.* Non ſic pronum eſt interpretari S. Bernardinum Senenſem tom. 4. ſerm. de Aſſumptione V. Mariæ art. 3. cap. 1. nam diſertè ait, non eſſe eiuſdem ſpeciei vtramque lucem; quod etiam inſinuatur à S. Brigitta lib. 1. Reuelationum cap. 20. & clarè aſſeritur ab Henrico Harphio part. 2. lib. 1. Theologiæ Myſticæ cap. 56. Reginald. in ſpeculo finalis retributionis fol. 106.

59 Cùm ergo, etſi pro ſupernaturalitate lucis glorioſæ ſuffragium ferant plures Authores, non deſint tamen multi alij, qui pro naturalitate, & aliunde niſi naturalis ſit, probetur non inefficaciter, imperceptibilem fore per facultatem viſiuam Beatorum, nos etiam ſuffragium damus pro naturalitate, & inclinamur magis, vt putemus carere diuerſitate ſpecifica à Solari, & Elementari luce. Quod conforme eſt ſcriptis de luce Empyrea in ſect. 6. exercit. 10. Congruum enim eſt, vt eiuſdem ſit ſpeciei lux vtraque. Et ideò S. Thomas ſuprà aiebat, Empyreum habere claritatem gloriæ. Legatur ſectio illa, vbi enodaui rationes, quæ contra vniformitatem ſpecificam lucis Empyreæ cum Solari, & Elementari militabant, & ex ibi dictis facile erit extricare ſimiles alias contra vniformitatem ſpecificam lucis glorioſæ, negatam ſine cauſa à P. Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 46. num. 41. & ab Ioanne Vuigers in 1. 2. q. 4. admiſſa ſemel naturalitate. Potiores non ſunt partes aliquorum, qui lucem glorioſam volunt, eſſe quidem ſimpliciter naturalem, & ſecundùm quid ſupernaturalem, ac diuerſæ ſpeciei à ſolari, atque elementari; naturalem quidem ſimpliciter, quia debita eſt ſubſtantiis naturalibus producibilibus in alio Vniuerſi ordine: ſupernaturalem ſecundùm quid, & diuerſæ ſpeciei, quia indebita eſt ſubſtantiis naturalibus exiſtentibus in hoc Vniuerſi ordine. Potiores, inquam, non ſunt; quia nullum eſt fundamentum, vt glorioſæ lucis quilibet gradus ſecundùm ſe non ſit indeterminatè debitus Soli, aut igni nunc exiſtentibus.

60 Reſtat vna tantùm diſſoluenda ratio, nimirùm lux glorioſa dimanat phyſicè ex Beatitudine animæ. Ergo erit non ſolùm ſpecificè diuerſa à ſolari, & elementari; ſed etiam entitatiuè ſupernaturalis. Sed reſpondeo ex dicendis in ſect. 3. exerc. ſequentis, falſum eſſe antecedens; & eo gratis conceſſo; nullam eſſe conſequentiam. Nam idem ſpecificè effectus poteſt eſſe ex ſe indifferens, vt phyſicè naturaliter producatur, vel dimanet à diuerſis ſpecificè principiis; & effectus omnis abſolutus, qualis eſt lux glorioſa, productus, vel dimanans à principio ſupernaturali, non debet eſſe ſupernaturalis, eſto actio, per quam cauſatur, debeat ſupernaturalis eſſe; quia hæc ex eſſentia ſua nequit non eſſe connexa cum principio ſupernaturali, à quo oriatur; ille verò poteſt eſſe ex ſe indifferens, vt procedat à principio ſupernaturali per actionem ſupernaturalem, vel à principio naturali per actionem naturalem. Concluſio Theologica cenſetur à pluribus naturalis, quantumuis efficienter oriatur à duplici præmiſſa, vel ab vna ſupernaturali. Actus ſupernaturalis in abſentia naturalis efficit habitum adquiſitum naturalem. Conſule Ripaldam tom. 1. de ente ſupernaturali diſp. 55. & 53. Supperúntque alia exempla, quæ breuitatis amans prætermitto. Vnde dimanatio phyſica lucis glorioſæ in corpore immortali à Beatitudine ſupernaturali animæ non eſt ſufficiens fundamentum ad ſupernaturalitatem entitatiuam lucis illius; cuius quilibet gradus poteſt eſſe ex ſe indifferens, vt oriatur à Sole, vel ab igne.

61 An autem aliæ dotes corporum glorificatorum, nempe impaſſibilitas, ſubtilitas, & agilitas conſiſtant in qualitatibus, iiſque ſupernaturalibus entitatiuè? non eſt huius loci examinare, attingam nonnihil in ſect. proxima, & in 3. exerc. venientis; neque ex illarum ſupernaturalitate valeret deductio ad ſupernaturalitatem glorioſæ claritatis. Et huic elucidandæ ideò tam moroſè incubui, quia neceſſarium duxi, vt firmiora ſtarent, quæ de Empyrea luce ſcripſi in exercit. 10. *Fallit enim plerumque audientes, & docentes breuitas verborum, & compendio ſermonum aut non intelligi poteſt, quod requiritur, aut etiam corrumpitur, quod ſignificatum magis, quam enarratum, rationis abſolutione non conſtat*, vt ait S. Hilarius lib. de Synodis in expoſitione Canonis Syrmienſis 27. *Profluens amnis, aut vix, aut nullo modo corrumpitur; concluſa autem aqua facilè: ſic orationis flumine reprehenſionis vitia diluuntur, anguſtia autem concluſa orationis non facilè ſe ipſam tutatur*, iudice Cicerone lib. 2. de natura Deorum.

SECTIO V.

Difficultates conſertæ circa ſenſuum externorum operationes proponuntur, & exarmantur.

62 PRima: Dei viſio, qua fruuntur Beatorum animæ, non poteſt non impedire operationes ſenſuum, cauſaréque extaſim in ipſis. Reſpondeo, nec in corpore mortali viſionem intuitiuam Dei alienaturam connaturaliter à ſenſibus: ita docent Molina in 1. p. quæſt. 12. art. 11. diſp. 2. Suarez lib. 2. de attributis negatiuis cap. 30. à num. 9. tomo, & lib. 2. de Religione cap. 16. Vaſquez in 1. p. diſp. 56. cap. 1. num. 2. Salas in 1. 2. tract. 2. diſp. 10. ſect. 4. num. 40. & 42. Maximilianus Sandæus in Theologia varia lib. 3. comment. 29. exercit. 5. & in Theologia Myſtica lib. 2. comment. 7. exercitat. 4. diſquiſitione 9. contra plures Authores, quos refert,

&

& ſequitur Recupitus lib. 6. de Deo vno quæſt. 13. à num. 8. Et ratio eſt, quia cùm viſio Dei non pendeat à phantaſmatibus, & aliunde fiat ab anima diuinitùs eleuata, & confortata, nihil cauſæ eſt, ne ea non maneat æquè facilis, & prompta ad operationes alias naturales, ac ſi viſioni Dei non vacaret. Sed quamuis in corpore mortali ſequeretur connaturaliter ex viſione Dei abſtractio à ſenſibus, ſecùs eſſet in immortali; nam ſpecialis concurſus, quo Deus reficeret animam, vt non obſtante viſione, exerceret operationes ſenſuum, foret quaſi debitus, ne defectus talium operationum minueret beatitudinem conſlatam integraliter in anima vnita corpori ex functionibus honeſtis, & decentibus ſenſuum. Niſi mauis, in hos ex beatitudine ſtabili animæ deriuandam quandam refluentiam, vt loquitur S. Thomas 1. 2. quæſt. & art. 3. per quam non ſolùm roborentur, ſed etiam perficiantur magis in ſuis operationibus. Idem S. Doctor in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 1. Occurrit aliter difficultati propoſitæ. Adeat ipſum Lector, necnon Toſtatum in cap. 17. Matthæi quæſt. 114. Ægidium Luſitanum tom. 3. de Beatitudine lib. 4. quæſt. 5. art. vnic. §. 3. n. 9. & 10.

63 Secunda: Senſus Beatorum non poſſunt prodire in actus, niſi immutentur ab obiectis. Sed obiecta nullam poterunt habere actionem, ceſſante motu cœli, & aſtrorum poſt vniuerſalis Iudicij diem. Ergo, &c. Reſpondeo primò; licet obiecta ſubcœleſtia ſenſibilia dependerent in omnibus ſuis actionibus à motu cœli, & aſtrorum, non ſic obiecta Empyrea, in quæ non influunt Cœlum, & aſtra. Secundò; quamuis actiones reales obiectorum ſenſibilium quorumcumque dependerent à præfato motu, non tamen (vt in quæſt. 5. de Potentia, art. 8. in corpore aduertit Angelicus Doctor) intentionales, nempe productiones ſpecierum impreſſarum, quæ ſolæ ſufficiunt in plurium ſententia ad immutandos ſenſus Beatorum. Tertiò; actiones etiam reales, vt effectionem caloris ab alio calore, aut ab igne prodire poſſe, quamuis orbes ſyderei immoti maneant. Videantur Granadus part. 3. contr. onerſ. 13. de Nouiſſimis tract. 4. diſputat. 2. Ægidius Luſitanus lib. 5. quæſt. 3. art. 2. §. 2. num. 16. aliique citati in exercitat. 16. num. 17. Vnde diſplicet nobis Duuallius, cùm in tractat. de Quatuor Nouiſſimis quæſt. 5. art. 3. pag. 634. dicit, odoratum damnatorum diſcruciandum quidem intolerabiliter per fœtorem, ſed qui non fiet per emiſſionem ſpecierum, hoc enim arguit motum aliquem, ſeu emanationem quandam, cùm tamen omnis motus ceſſabit, finita circumuolutatione primi Mobilis. Diſplicet, inquam, tum quia emiſſio ſpecierum non eſt actio realis, ſed intentionalis, quæ poſt diem Iudicij negari non poteſt, cùm operationes ſenſuum externorum, & internorum ſint intentionales, quas Beatis hominibus omnino adimere nullus Theologus audebit. Et multi putant, damnatos homines non alio modo torquendos ab igne, quàm vt agente intentionaliter in ipſos. Tum quia, etſi emiſſio ſpecierum eſſet actio, motúſve realis, non idcircò poſt diem Iudicij abeſſet; alioqui nec moueri localiter nec loqui materialiter, ſeu ſenſibiliter beati homines poſſent poſt diem illum, ſiquidem motus localis, & ſenſibilis locutio ſunt actiones reales. Alienum porrò à veritate eſt, beatos homines non poſſe tunc moueri localiter, nec loqui ſenſibiliter; imò & quòd actu aliquando non mouebuntur, nec loquentur. Tum quia ſi odor fœtidus damnatorum corporum per Infernum diffundat ſe realiter, ſeu ſecundùm eſſe reale; ita vt vnus odor producat alium in medio, maior eſt hic motus, magiſque realis, quàm ſi odor emitteret ſpeciem ſui. Tum demum quia ipſe Duuallius quæſt. 4 art. 3. pag. 615. admittit, ceſſante motu primi Mobilis, futuram adhuc ad breuiſſimum aliquod tempus palpitationem cordis, & influentiam cerebri in partes hominis interiores. Si autem omnis motus realis dependeret omnino à motu primi Mobilis, nec per vnum inſtans poſſet perſeuerare palpitatio cordis, aut influētia cerebri, non iam gyrato primo Mobili.

64 Tertia: ſenſuum externorum operationes non congruunt beatorum hominum impaſſibilitati. Nam *ſentire eſt quoddam pati*, vt inquit Philoſophus lib. 2. de Anima. Reſpondetur, paſſionem corruptiuam fore contra impaſſibilitatem Beatorum, non verò paſſionem perfectiuam, qualis erit quæcumque ſenſatio elicita à Beatis. Dices, paſſio etiam perfectiua non poteſt non ſupponere in patiente aliquam imperfectionem. Fateor; ſed talis imperfectio non eſt contra ſenſuum glorificationem: hæc enim attemperatur eſſentiali conditioni ipſorum, qui nequeunt participes fieri perfectionis ſentiendi abſque imperfectione mutationis. Quare Beatos ſentire eſt perfectio admixta imperfectioni, cuius non debent ipſi immunes eſſe; alioqui nec poſſent intelligere, aut amare, ne intelligendo, aut amando paterentur mutationem. Dices ruſsùs, operationes ſaltem tactus, & guſtus, non poterunt eſſe abſque paſſione corruptiua, & immutatione reali eorum ſenſuum. Sed contra; Quia ad operationem tactus ſufficit paſſio perfectiua, & immutatio intentionalis cauſata mediis ſpeciebus qualitatum tangibilium: vel ſi in ſenſu tactus non dentur ſpecies, ſufficit indiſtantia earum qualitatum v. gr. caloris à manu, vt quin calor recipiatur in manu producat immediatè per modum obiecti ſenſationem ſui cum ſenſu per modum potentiæ. Quòd ad guſtum attinet, ſolet aſſeri, eius actum fore etiam mediis ſolis ſpeciebus ſine immutatione reali, & naturali. Verumtamen multi Animaſtici non cognoſcunt ſpecies in ſenſu guſtus. Et cùm aliunde Theologi ponant in lingua, & palato Beatorum humorem quendam ſuauiſſimè ſapidum, non euitatur receptio alterius qualitatis præter ſpecies; neque item immutatio realis proueniens à qualitate Sapida. Et S. Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. articul. 1. quæſtiuncula 4. in corpore non recuſat concedere, ***guſtum fore in actu per immutationem linguæ ab aliqua humiditate adiuncta***, per immutationem ſcilicet realem, vt ex contextu notum eſt; & exinde etiam, quòd non ab ſpecie, ſed ab humiditate ait prouenturam immutationem. Concederem eam immutationem realem, ex qua non ſequatur corruptio alicuius qualitatis afficientis benè linguam, & palatum Beatorum. Talis immutatio non eſt aliena à guſtu glorificati corporis, ſiquidem Chriſtus eam habuerit, quando poſt reſurrectionem comedit, & bibit. Quo exemplo oſtenditur aduerſus Ægid. Luſit. lib. 4. q. 9. art. 1. §. 4. n. 17. non eſſe opus, vt eadem immutatio realis perpetuò maneat à primo inſtanti gloriæ corporis, & Reſurrectionis generalis. Nulla ſanè ratio apparet, cur Beati nequeant humorem illum ſapidum intra os voluere, & reuoluere. Addit Ægidius, perſeueraturam eandem mer tum guſtationem, tum ſpeciem intentionalem, quæ ſemel à principio immutarunt intentionaliter ſenſorium guſtus. Sed id multò minus eſt neceſſariū; nam immutationes variæ intentionales

per

Digitized by Google

per varias ſpecies, & actus ſenſitiuos erunt in Beatis. Replicabis, ſi in guſtu glorificato datur immutatio realis, in eo ipſo illam patietur tactus ſentiendo receptum in ſe præfatum humorem, quà eſt qualitas tangibilis; ac proinde contrauenitur impaſſibilitati Beatorum. Admitto immutationem realem tactus, ſed à qualitate non moleſta, nec noxia, nec diſſoluente temperiem ipſius. Idque ſatis eſt, non tantùm ad incorruptibilitatem, ſed etiam ad impaſſibilitatem Beatorum hominum. Vnde etſi damnari cruciarentur per immutationem realem à calore, vt cenſent graues Theologi apud Granadum 3.p.controu.13. de Nouiſſimis tract.4. diſp.3.n.2. non ideò eſſent paſſibiles quia reciperent qualitatem realem vtcumque, ſed quia nociuam, & diſſentaneam, nempe calorem in gradu valde intenſo.

65 Quarta: *Quandocumque fit ſenſus in actu cum noua receptione, fit nouum iudicium. Sed ibi non erit nouum iudicium, quia non erunt ibi cogitationes volubiles. Ergo non fiet ſenſus in actu.* S. Thomas, qui totidem verbis propoſuit hanc difficultatem in 4. diſt. 44 q.2.art.1. reſpondet in quæſtiunc. 3. ad 3. *Quòd ſicut erit noua receptio ſpeciei, in organo ſentiendi; ita erit nouum iudicium ſenſus communis, non autem nouum iudicium in intellectu de hoc, ſicut fit in eo, qui videt aliquid, quod priùs nouit. Quod autem Auguſtinus dicit, quòd non erunt ibi cogitationes volubiles, intelligitur de cogitationibus intellectiuæ partis: vnde non eſt ad propoſitum.* Sic Angelicus Doctor. Sed replicat Abulenſis q. 114. ſuper cap. 17. Mathæi, *Prædicta reſponſio ſtat, quando aliquis ſæpè ſentit, quod aliàs ſenſerat, quia tunc in ſolo ſenſu eſt mutatio iudicij. Detur tamen, quod beatus videat, aut ſentiat aliquid, quod priùs non ſenſerat; ſicut eſt ibi nouum iudicium ſenſus communis, ita erit & noua indicatio intellectus. Et tunc videtur, quòd neceſſe erit fieri cogitationes volubiles, quia aliud iudicabit intellectus, quod priùs non iudicabat.* Vt nodum hunc diſſoluat Abulenſis ait, viſionem beatam, per quam in eſſentia diuina cognoſcunt beati homines omnia obiecta creata, quæ ad ipſos ſpectant, permanere inuariatam; ideòque ipſorum cogitationes intellectuales non eſſe volubiles, etiam quando ſentiant aliquod obiectum, quod antea non ſenſerint, licèt tùc in ſenſu communi detur nouum iudicium de tali obiecto. Sed quid eueniret, ſi beati homines, vt poſſunt, ſentirent aliquod obiectum, quod anteà in diuina eſſentia non cognouiſſent formaliter. Datetúrne duplex viſio Dei, altera priùs habita, quin attingeret formaliter illud obiectum; altera denuò habita, quæ eſſentiam diuinam, & illud obiectum repræſentaret formaliter? Anne potiùs periret Dei viſio, quæ obiectum illud formaliter non percepit, & produceretur alia, quæ in eſſentia diuina illud repræſentet formaliter? Neutrum certè dici poteſt.

66 Inquies, viſionem eandem inuariatam entitatiuè poſſe repræſentare formaliter obiectum non anteà repræſentatum, ſi accedat noua ſenſatio, proindéque neutrum abſurdum ſequi. Sed contra primò, actio, aut vnio, quæ in inſtanti *A* non produxit, aut non vniuit actualiter aliquem terminum, nequit in inſtanti *B* producere, aut vnire actualiter: Ergo ſimiliter viſio beata, quæ in *A* non repræſentauit formaliter aliquod obiectum, nequibit in *B* illud ſic repræſentare inuariata perſiſtens. Vt enim eſſentia actionis, aut vnionis conſiſtit in exercitio actuali producendi, aut vniendi, ita eſſentia cognitionis creatæ in exercitio actuali repræſentandi. Secundò; impoſſibile eſt, vt cognitio creata, quæ ſemel repræſentauit aliquod obiectum, non repræſentet illud, quandiu eadem entitatiuè permaneat, nam impoſſibile eſt, permanente forma, impedire eius formalem effectum proximum, & immediatum, qualis eſt in cognitione creata repræſentare obiectũ intellectui, & hunc facere, ac denominare percipientem illud. Igitur & impoſſibile erit, vt cognitio creata, quæ in vno inſtanti non repræſentabat obiectum aliquod, repræſentet deinceps in ſequenti manens eadem entitatiuè, cùm impoſſibile etiam ſit reſultare nouum effectum formalem proximum, & immediatum repræſentandi obiectum, quin ponatur noua forma, ſeu cognitio creata repræſentans. Tertiò, cognitioni creatæ non eſt accidentale, & contingens, ſed eſſentiale, ac neceſſarium, repræſẽtare ſuum obiectum: Ergo cognitioni creatæ, quandiu extiterit, competet inuariabiliter, vt repræſentet illud ipſum obiectum, quod ſemel, & non aliud. Quartò, beata viſio, quæ non attigit formaliter aliquod obiectum creatum, non poteſt poſteà, quin attingat de nouo ex parte obiecti, vel modi aliquam formalitatem diuinam, quam anteà ex parte obiecti, vel modi non attigerat. Eo autem ipſo iam viſio beata erit diuerſa entitatiuè. Ne ergo in id incõueniens deueniatur, reprobãda eſt ſolutio præſtita.

67 Inquies deinde, viſioni antiquæ ſuperaddi poſſe nouum modum, ratione cuius repræſentet formaliter obiectum, quod priùs erat occultum. Sed contrarium quia entitas ſuperaddita non magis erit modus, quàm viſio, cui aduenit: nihil enim cauſæ eſt, ne potuiſſet primò produci, aut ne poſſit conſeruari ſine viſione, quæ actu præſupponitur ad ipſam: tum quia vel is modulus repræſentaret ſimul eſſentiam Dei, & nouum obiectum creatum, vel ſolummodò repræſentaret obiectum creatum? Si primum; ergo beatus homo haberet ſimul geminam viſionem Dei. Si ſecundum; ergo non repræſentaret in eſſentia diuina obiectum creatum; ſed extra eſſentiam diuinam, & in proprio genere. Nec talis modulus eſſet eadem numerica repræſentatio cum præcedente viſione Dei; nequit enim non eſſe diuerſa, ea, quæ diuerſum obiectum repræſentat, vt patet in albedinis *B* viſione, que non poteſt eſſe eadem numerica repræſentatio cum viſione ſolius albedinis *A*.

68 Meliùs reſpondetur ad replicam Toſtati, ſi beatus homo ſentiat de nouo obiectum, quòd anteà nec ſenſerit, nec intellectualiter cognouerit habiturum etiam in intellectu nouum iudicium de illo. Imò etſi per ſcientiam beatam, aut aliam infuſam cognitum iam eſſet obiectum adhuc cognoſcetur per nouam ſcientiam experimentalem comparatam miniſterio ſenſus externi, & interni, vt notat Peſantius in 1.2.q.4.ar.6. d. 8. imò quamuis obiectum cognitum iam eſſet per ſcientiam experimentalem, cognoſceretur adhuc magis, ac magis, diuerſiſque actibus, quoties externo ſenſu, & interno percipiatur; nam pro multiplicitate, & diuerſitate actuum in ſenſibus, multiplex eſt, & diuerſum iudicium experimentale in intellectu. S. Auguſtinus non negat mutationes quorumcumque actuum in intellectu Beatorum, nouaque quæcumque iudicia; ſed ea ſolùm, quæ ad ſcientiam beatam ſpectant.

69 Quinta difficultas; ex ſenſationibus externis obiectorum conuenientium oriuntur delectationes corporeæ: quæ in ſenſibus præſertim guſtus, & tactus videntur dedecere beatos homines. Non enim ſunt propter ſe expetibiles honeſtè; & aliunde propter actionem non ſunt neceſſariæ beatis hominibus. Præterea aut delectatio ſenſuum erit in medio, aut in vno extremorum; ſi in vno, iam in altero

Digitized by Google

altero erit dolor. Si in medio, iam etiam in vtroque extremo dolor erit. Vrgetur à S. Thoma in 4. diſt. 44. q. 1. art. 3. quæſtiuncula 4. vbi etſi loquatur de operationibus, ac delectationibus vitæ animalis, & vegetatiuæ; tamen rationes S. Doctoris faciunt æquè contra functiones, & oblectamenta vitæ ſenſitiuæ. Occurrens namque tertio argumento inquit, *Prædicta operationes non ſunt hominis, inquantum eſt homo, vt etiam Philoſophus dicit; & ideò in eis non conſiſtit beatitudo humani corporis: ſed Corpus humanum beatificabitur ex redundantia à ratione, à qua homo eſt homo, inquantùm erit ei ſubditum.* Et in ſolutione ad quartum, *Delectationes corporales, ſicut dicit Philoſophus in 7. & 10. Ethicorum ſunt medicinales quia adhibentur hominis ad tollendum faſtidium: vel etiam ægritudinales, in quantùm homo eis inordinatè delectatur ac ſi eſſent veræ delectationes, ſicut homo habens infirmum guſtum delectatur in quibuſdam, quæ ſanis non ſunt delectabilia, & ideò non oportet, quòd tales delectationes ſint de perfectione beatitudinis, vt Iudæi, & Saraceni, & quidam Hæretici poſuerunt, qui vocantur Chiliarchæ, qui etiam ſecundùm doctrinam Philoſophi non videntur ſanum affectum habere. Solæ enim delectationes ſpirituales ſunt ſimpliciter delectationes, & propter ſe quærendæ; & ideò ipſæ ſolæ ad beatitudinem requiruntur.* Idem S. Doctor lib. 4. contra Gentes cap. 83. latè refutat delectationes Bacchi, ac Cereris in corporibus glorificatis, & argumenta maximè ex. v. *Si quis autem dicat.* videntur procedere contra quaſcumque voluptates guſtus, & tactus.

70 Sed quòd ad S. Thomam attinet, cùm eius mens perſpecta ſit, rationes ipſius limitandæ ſunt ad operationes, voluptatéſque animæ vegetatiuæ. Et quidem lib. 4. contra gentes cap. 86. non tantùm docet, Beatos homines vſuros ſenſibus; ſed etiam *ad delectationem ſecundùm illa, quæ ſtatui incorruptionis non repugnant.* Quæ verba, quia videbantur repugnare ſcriptis in cap. 83. declarantur à ſapientiſſimo, & fidiſſimo S. Thomæ interprete Franciſco Ferrarienſi in hunc modum, *Non intendit S. Thomas in beatis eſſe vſum ſenſuum propter delectationem, quaſi Beati operationem ſenſus ad delectationem ordinent tanquam ad finem, vt illi, quos improbat S. Thomas dicebant de delectationibus tactus; ſed quòd vtuntur ſenſibus propter ipſam cognitionem ſenſus ipſis ſecundùm ſe delectabilem; non autem propter aliquam vtilitatem ad naturæ conſeruationem ordinatam, cùm eorum natura incorruptibilis ſit, non indigeátque extrinſeco conſeruante.* Hactenus Ferrarienſis, qui & aptè exponit S. Thomam, & optimè aſſignat caput, vnde delectationes in ſenſibus externis Beatorum honeſtentur. P. Suarez tomo 2. in 3. p. diſp. 47. ſect. 2. in fine, Salas in 1. 2. tract. 2. diſp. & ſect. 14. num. 118. reducunt honeſtatem delectationum guſtus, & tactus in aliud caput, vt ſcilicet omnibus modis magis glorificetur Deus, ad cuius gloriam præcipuè ordinabuntur, & ob illam expetentur. Gregorius Martinez 1. 3. q. art. & dub. 3. in fine, concedit, eas eſſe propter ſe expetibiles in altera vita, vt perficiant ſenſus proprios, præmiumque ſint mortificationum, quas in hac vita ſubierunt. Videatur Ægidius Luſitanus tomo. 3. de beatitudine lib. 4. cap. 14. art. 4. qui ex eo, quòd delectatio circa obiectum honeſtum ſit actus perfectus, & conueniens naturæ humanæ; ex eo etiam, quòd ad gloriæ corporalis bonum poſſeſſum, atque amatum ſubſequi debeat naturaliter gaudium; & ex eo demum, quòd vel in corpus mortale redundent aliquando à ſuperiori parte animæ oblectationes decentiſſimæ, vt de ſe teſtatur Regius Vates Pſal. 83. v. 3. non incongruè probat appetitum ſenſitiuum Beatorum exercendum, ac recreandum puriſſimis, caſtiſſimiſque voluptatibus. Videatur item Toſtatus ſupra citatus, qui ad 5. reſpondens ſcribit, *Delectabuntur ſenſus quantùm ad ſenſibilia ſibi oblata, & non triſtabuntur de extremis, vel mediis tanquam non conuenientibus; quia ſicut nihil erit, quod poſſit corpus alterare diſpoſitione contraria, propter perfectionem animæ, quæ continet corpus in poteſtate ſua, ita nihil erit, quod poſſit ſenſum contriſtare. Ideò ſenſus, qui in actu manſerit, nunquam habebit aliquod obiectum contriſtans.* Hucuſque Toſtatus; cuius, & aliorum Doctorum verbis vſus ſum in enodatione difficultatis quartæ; nam tractatio de corporeis oblectationibus delicatiſſima eſt, & ſermonis noſtri facultate maior; imò quæ Angelicis linguis (ſi eas imitari nobis concederetur) potiùs quàm humanis, ac terrenis peragenda eſſet.

71 Infertur primò ex dictis, etſi in hac vita deſtinetur principaliter operatio tactus ad conſeruationem animalis, vt fugiat nociua, & amplectatur conſentanea ſibi; tamen in altera vita, vbi nihil poterit nocere, non defuturum exercitium tactus, nec finem honeſtum in eius actibus. Infertur ſecundò, quamuis operatio guſtus nunc præcipuè ordinetur ad animalis alimentum, quo beati homines non indigebunt, nihilominus tunc deſeruiturum decentiſſimè ad iudicium ſaporum, vt inquit S. Thomas in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 4. ad 2. Et nūc etiam vt notat Tannerus tom. 2. diſp. 1. q. 3. dub. 4. num. 38. valet guſtus ad cognoſcendas rerum naturas, Deúmque ex illis collaudandum; ob quam rationem ſæpè nullius alimenti cauſa guſtamus aromata, vt Deum in ſuis creaturis meliùs cognoſcamus, illiusque potentiam, & bonitatem collaudemus. Lege Ægidium q. 9. art. 1. §. 4. num. 18. Infertur tertiò quantumuis odoratus functiones, eò nunc potiſſimè dirigantur, vt animal diſcernat noxia alimenta à ſalutaribus, & vt corroboretur cerebrum, reficiaturque cor; at in beata vita, vbi nihil horum erit neceſſarium, non ideò ab eis vacandum; conducent namque tum ad perfectionem ipſius odoratus, tum ad notitiam odorum, tum ad excitationem animi in Dei laudes Lege eundem Ægidium quæſt. 8. art. vnico §. 4. num. 30.

72 Infertur quartò cum S. Thoma in 4. diſt. 44. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 4. ad 4. Licèt auditus deſeruiat nunc diſciplinæ, & poſt reſurrectionem Beatis neceſſaria non ſit aliqua diſciplina per ſenſibilia, quia diuina ſapientia replebuntur ex ipſius Dei viſione; cæterùm propter perfectionem auditus, & propter decentem delectationem comparandam eius actibus oportere, vt Beati auditum exerceant; ſicut etiam conueniens eſt, vt loquantur ſenſibiliter, tametſi abſque loquutione ſenſibili poſſint ſufficienter manifeſtare internos mentis conceptus. Sed de hoc puncto iam in ſect. 5. Exercit. 29. Infertur quintò, Viſum non fore otioſum in Empyreo; ſed potiori de cauſa, quàm alij ſenſus externi, daturum operam ſuis actibus, tum ob fines honeſtos, ob quos nunc; tum ob alios, de quibus copioſè in exercit. 28. Dubitari ſolùm poſſet de viſu ob defectum medij pleni, per quod deferantur ſpecies obiectorum viſibilium, ſi Beati exiſtant ſupra Empyreum; nam nec vnus alium videre poterit, nec quæ ſub pedibus illorum iacent. Eadem eſt dubitandi ratio de ſenſibus auditus, & olfactus.

Verumtamen in mea ſententia, quæ non admittit Beatorum exiſtentiam ſupra Empyreum, ſed intra, vt conſtat ex ſect. 2. Exercitation. 18. negotium non faceſſit ea dubitatio. Aliqui dicunt, ſpecies diffundi per corpus vnius Beati vſque ad conuexam Empyrei ſuperficiem, & per hanc ad pedes alterius Beati, indéque ad olfactum, auditum, & oculos. Sed quis non miretur talem diffuſionem ſpecierum? Imò quis valdè imperfectum non cenſeat cum Ægidio quæſt. 7. artic. 2. §. 3. num. 11. eum modum olfaciendi, audiendi, & videndi? Vt omittam, corpora glorificata, ſi exiſterent ſupra Empyreum, non debere tangere pedibus eius conuexam ſuperficiem; item ſpecies viſibiles non diffundi niſi per lineam rectam, & ſpecies odoris, ac ſoni, non peruadere medium ſolidum, qualia ſunt ſuperficies conuexa Empyrei, & corpora glorificata. Ego quidem vel ea ſolùm de cauſa, ne Beati functiones ſenſuum exequerentur tam peregrino modo, ſi alius non ſupereſſet, adhærerem firmiùs opinioni, quam approbaui in loco præcitato. Bartholomæus à Medina 3. p. quæſt. 57. art. 4. oppoſitam defendens quoad Christi ſaltem corpus, addit hæc verba: *Cælum Empyreum tenent Authores Eccleſiaſtici, authoritate Strabonis, Baſilij, & Bedæ::: Sed de hac re non digladietur Theologus, dummodò aſſeratur, Chriſtum Dominum ſupra omnes cælos aſcendiſſe, & eſſe conſtitutum in ſuprema parte cæli ſupremi, vbi eſt ſedes, & thronus gloriæ Dei.* Sic Medina, cuius conſilium non amplector; nam ſi Authores Eccleſiaſtici, præeuntibus S. Baſilio, V. Beda, & Strabone, ratam habent poſitionem Empyrei, adeòque certam in exiſtimatione quorumdam, vt ex fide Catholica credi debeat, prout ſcripſit anno 1543. Henricus Hernandez Doctor Salmanticenſis ſect. 5. Philoſophiæ fol. 66. æquiſſimum eſt, vt Theologi pro ea decertent. Quòd enim Caietanus negauerit Empyreum, ſat non eſt, vt ſuſquedeque habeatur à Theologis doctrina trium illorum Patrum, & communis conſenſus Eccleſiaſticorum Authorum; quibus accenſenda eſt B. Maria Magdalena de Pazzis, vt conſtat ex cap. 36. & pag. 126. vitæ ipſius, contextæ à Ioanne Baptiſta de Lezana, & S. Anſelmus Cantuarienſis in lib. decem meditationum, in decima. Nos certè nunquam pœnitebit ſuſceptæ digladiationis in fauorem Empyrei; ſi noſtro qualicumque exemplo excitentur alij ad tractationem, quæ digna ſit tam nobili argumento.

73 Quinta difficultas, ſeu potiùs quæſtio, an ſenſus externi perficiantur in ſuis operationibus per dotes gloriæ? Reſpondeo primò, perfici dote impaſſibilitatis, ne ab obiectis lædantur, & ne nimio conatu defatigentur. Hinc etſi modò vehemens ſenſibile lædat ſenſum, tunc tamen nullum afferet incommodum. Nam corporis glorificati lux verbi gratia quæ Sole intenſior erit, non producet in oculis alterius Beati calorem officientem ipſorum temperiem, neque ob nimiam attentionem attrahentur Spiritus, qui calore ſuo noceant viſui. Vnde S. Laurentius Iuſtinianus cap. 23. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis dixit, *Nimia quoque claritate fulgebit* corpus glorificatum, *ita vt Solis ſepties tranſcendat ſplendorem. Non autem lumine ſuo intuentium ſe reuerberabit aſpectum; ſed ineffabili quodam modo confortabit, clarificabitque.* Conceſſit aliquando Deus Viris ſanctis vel in hac vita intueri apertis, & illæſis oculis Solem clariſſimè fulgentem, vt de Dauide Monacho Ciſtercienſi legitur apud Chryſoſtomum Henriquez in Menologio Ciſtercienſi 11. Decembris. Diſcipuli teſtes Transfigurationis Chriſti Domini viderunt etiam fixo obtutu, & abſque vllo nocumento micantiſſimam lucem, qua facies eius ſicut Sol reſplenduit, ipſaque facies ſeſe diſtinctè illis oſtendit. P. Leſſius lib. 3 de ſummo bono cap. 5. n. 69. reuocat id in diſſimilem conditionem lucis glorioſæ à Solari, & elementari. Sed referendum potiùs eſt in confortationem oculorum ex diuino auxilio.

74 Reſpondeo ſecundò, probabile eſſe, quod aiunt Durandus in 4. diſt. 44. quæſt. 5. & Arriaga tomo 2. in 1. p. diſp. 56. ſect. 2. ſubſect. 3. num. 21. ac 22. nempe dotem ſubtilitatis conſiſtere tum in ſubiectione appetitus inferioris ſub imperio rationis, tum in acumine ſenſuum prouenientе ex perfecta organorum diſpoſitione, & ſpirituum præſtantia, ſi ſupponatur non conſiſtere in virtute penetrandi alia corpora. Nam nihil aliud reliquum eſt, in quo conuenientiùs conſiſtat. Et nomen ipſum ſubtilitatis videtur aptè accomodatum humorum, ſpirituúmque puritati deſeruienti in corporibus glorificatis ad acumen operationum ſenſitiuarum, quæ in non glorificatis propter groſſitiem eorumdem humorum, & ſpirituum, non euadunt adeò tenues. Fortè dum S. Paulus in 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 44. ait, *ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale,* ſignificare voluit nomine *ſpiritualis* corpus liberum ab impuritate & craſſitie illa, non quia corpus fiat aereum, ſicut aër, qui fuit Eutychij Antiſtitis Conſtantinopolitani error; ſed quia in humorum, & ſpirituum puritate, ac ſubtilitate imitabitur munditiem & tenuitatem aëris, & venti dictitati communiter Spiritus.

75 Scripſi, *Si ſupponatur* &c. Abſolutè namq; cenſeo, dotem ſubtilitatis eſſe vel aſſiſtentiam extrinſecam Dei ad eleuandum corpus glorificatum, vt quoties Beato libuerit penetret aliud, ideſt vt producat vbicationem extenſam in loco, vbi aliud extenſè exiſtit; vel eſſe qualitatem intrinſecam ſupernaturalem corpoream, cuius virtute natiua poſſit fieri ad arbitrium Beati penetratio ſupernaturalis quidem reſpectu corporis ſecundùm ſe, ſed connaturalis reſpectu corporis, vt affecti tali qualitate, ſicut intellectui ſecundùm ſe eſt ſupernaturalis viſio beata, ſed ei, vt informato lumine gloriæ eſt connaturalis: & licèt quantitas corporis glorificati reſiſtat in actu primo penetrationi, quatenùs exigit ſuapte natura diuerſum locum à loco alterius corporis, præualet tamen virtus qualitatis, vti præualeret agilitatis glorioſæ virtus, quæ eſſet qualitas, reſiſtenti grauitati eiuſdem corporis glorificati, & inclinanti in actu primo ad locum alium ab eo, ad quem cieretur corpus virtute agilitatis. Vnde manet eneruatum præcipuum argumentum, quo plures Theologi mouentur, ne virtus Beatorum hominum ad penetrationem poſſit in qualitate conſtitui. Nihilominus magis propendeo, vt putem, eam virtutem non conſiſtere in qualitate permanenter afficiente corpus glorificatum: tum quia alioqui attenta vi eius qualitatis tam connaturaliter poſſet corpus glorificatum penetrare aliud glorificatum, & partes ſuimetipſius, quàm connaturaliter poteſt penetrare corpus non glorificatum. Sequela autem eſt abſurda, & contra communem opinionem Theologorum. Tum quia

Digitized by Google

quia corporis glorificati penetratio cum aliis non erit frequens. Empyrei enim regio media, intra quam exiſtet ordinariè, non eſt ſolida: ideóque vt locum in ea habeat aut per eam diſcurrat, non eſt neceſſaria penetratio. Quando autem è terra aſcendat in Empyreum, aut ex hoc inſuetè deſcendat in illam, euehetur à Deo per auxilium extrinſecum ſupernaturale ad penetrandum cœlum ſydereum ſolidum, & concauam Empyrei ſuperficiem, quæ dura etiam eſt, vel eleuabitur ad tranſitum de extremo ad extremum, quin percurrat medium firmum interiacens. Sed quicquid ſit de his, quæ inſignibus gloriantur patronis recenſis ab Ægidio Luſitano tomo 3. libr. 5. per totam quæſtion. 6. & quæ ex ſectione 3. exercitationis noſtræ 32. maiorem lucem accipient.

76. Dos ſubtilitatis glorioſæ debet explicari in ordine ad penetrationem. Nam ſuperiora Pauli verba ex quibus dimanauit ad Theologos notitia huius dotis, declarantur eo in ſenſu à Patribus Eccleſiæ. S. Epiphanius hæreſi 64. ait, *Dominus noſter IESVS Chriſtus reſurrexit ex mortuis non aliud corpus ſuſcitans, ſed ipſum, quod erat, in ſpiritualem ſubtilitatem tranſmutans, & ſpiritale totum counitens, ingreſſus per fores concluſas, quod fieri nequit hic in noſtris corporibus propter craſſitudinem, & quòd nondum in ſpiritalem ſubtilitatem ſint counita. Quòd igitur erat id, quod concluſis foribus ingreſſum eſt? Aliud ab eo, quod crucifixum eſt, an ipſum crucifixum? Omninò equidem non poteris non confiteri ipſum, quod crucifixum eſt. Qumodo igitur ingreſſum eſt foribus clauſis? Vt oſtenderet, quòd corpus quidem eſſet, quod videbatur, & non ſpiritus: verum corpus ſpirituale ſubtilium partium, quod aliquando craſſarum partium fuerat.* S. Ambroſius lib. 10. ad cap. 24. Lucæ, *Non per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis qualitatem imperuia vſu, clauſa penetrauit Dominus. Nam quod tangitur, corpus eſt, quod palpatur corpus eſt. In corpore autem reſurgemus. Seminatur enim corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Sed illud ſubtilius, hoc craſſius, vt potè adhuc terrenæ labis qualitate concretum.* S. Damaſcenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 28. *Seminatur corpus animale, hoc eſt, craſſum, & mortale, reſurget corpus ſpiritale, immutabile, impaſſibile (hoc enim ſignificat Spirituale, quale poſt reſurrectionem corpus Domini erat, cùm per ianuas clauſas tranſiret) infatigabile, nec cibo, aut ſomno, aut potu indigens.* Alios. Patres quære in Ægidio. Nec dicas cum Ioanne de S Thoma 1. 2. diſput. 2. artic. 9. intendi tantùm à Patribus, virtutem penetrandi eſſe indicium dotis ſubtilitatis, & non ipſam ſubtilitatem. Id enim ex verbis Patrum nullatenus colligitur; quin potiùs per virtutem penetratiuam declarant perpetuò ſpiritualitatem, & ſubtilitatem corporis glorificati.

77 Præterquamquòd virtus penetratiua gratis cogitatur manifeſtatio dotis ſubtilitatis, quæ ſit in ſententia Thomaſij purificatio, & defecatio corporis ab omni extranea imperfectione, ex cuius remotione corpus reddatur perfectè ſubiectum animæ. Gratis, inquam, cogitatur, quia virtus penetratiua nihil ſpeciale continet, vt indicet optimam, ac perfectiſſimam corporis complexionem, aut vt ducat magis in cognitionem eius, quàm in notitiam impaſſibilitatis, vel claritatis; quòd enim ſpectat ad decentiam moralem, tam decens eſt, vt virtus penetratiua comitetur corpus impaſſibile, vel lucidum, quàm vt aſſectetur corpus liberum à craſſitudine impuritatis extraneæ: quòd verò pertinet ad phyſicam virtutis penetratiuæ ſequelam ex diſpoſitione benè temperata corporis, nec agnoſcitur à Thomaſio ea ſequela, nec magis ex tali diſpoſitione ſequitur phyſicè virtus penetratiua, quàm ex impaſſibilitate, vel claritate. Deuenit Thomaſius in cogitationem de virtute penetratiua, quæ ſit ſignum dotis ſubtilitatis, & non ipſa dos, quia S. Thomas 3. p. q. 43. art. 1. ad 3. ait, oſtendiſſe Chriſtum in ſe ipſo aliquod *indicium dotis ſubtilitatis, quando de clauſo vtero Virginis exiuit.* Sed Angelicus Doctor ibidem etiam tradit, oſtendiſſe Chriſtum in ſe ipſo indicium dotis agilitatis, cùm ſupra vndas maris ambulauit; nec ideò Thomaſius ſic detorquebit verborum ſenſum, vt voluerit Sanctus Præceptor virtutem corporum glorificatorum ad incedendum ſupra aquas non eſſe formaliter dotem agilitatis, ſed ſignum eius dotis. Mens Sanctæ Thomæ fuit, penetrationem vteri Virginei factam à Chriſti corpore indicaſſe dotem ſubtilitatis glorioſæ, quatenus eo actu præbuit Chriſtus in corpore mortali ſignum ſimilium aliorum, quos tam ipſe in corpore immortali, quàm beati reliqui homines poterunt exercere ratione permanentis dotis ſubtilitatis. Demùm aduerſus Thomaſium inſurgo, Si dos ſubtilitatis conſiſtat in depurgatione corporis ab omni extranea impuritate, iam ea dos conſiſtet in carentia diſpoſitionum malè afficientium; & non in qualitate poſitiua ſuperaddita; quod etſi reapse non ſit abſurdum; at in Thomiſtarum quotidiana ſententia abſonum habetur.

78 Reſpondet tertiò ad eam quintam quæſtionem S. Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſt. 2. art. 3. quæſtiuncula 1. ad 3. *Per dotem agilitatis, corpus glorioſum reddi habile non ſolùm ad motum localem ſed ad ſenſum, & ad omnes alias operationes animæ exequẽdas.* Quæ verba, repetita poſteà circa diſt. 49. quæſt. 4. art. 5. quæſtiuncula 3. ad 2. ſic intelliguntur à Granado 3. part. controu. 13. de Nouiſſimis diſp. 5. ſect. 1. num. 5. & 6. Vt tribuat S. Thomæ, & cum eo ipſe ſentiat, qualitatem agilitatis glorioſæ concurrere efficienter ad omnes ſenſuum operationes. Nam ſicut ob perfectam corporis glorificati ſubiectionem ad animam, afficitur illud qualitate ſupernaturali, quæ ſimul efficiat eum etiam motum localem, quem poſſet ſe ſolo corpus, ſed non cum tanta velocitate, & promptitudine; ita ob eandem ſubiectionem ornari debet corpus qualitate, quæ concurrat cum ſenſibus ad eliciendos eos etiam actus, quos poſſent ſeorſim ſenſus, ſed non adeò facilè, intensè, nec in tanta obiectorum diſtantia. Qualitas autem hæc erit dos agilitatis, diſtinguetúrque à qualitate, in qua conſiſtit dos ſubtilitatis, & quæ ordinatur ad roborandum corpus, vt ſubdatur animæ, quatenus corpus non impediat ſpirituales actiones animæ, nihilque agat, niſi ex conſenſu rationis. Ita Granadus.

79. Sed S. Thomæ verba non denotant agilitatis dotem comprincipium eſſe omnium actuum, quos eliciant glorificati ſenſus, ſed vt ſummùm eſſe diſpoſitionem conducentem ad eos actus. Nec veriſimile eſt, nullam viſionem, verbi gratia, ab oculo glorificato fieri, quæ ſupernaturalis non ſit in ſe, aut in ſui actione productiua, ob dependentiam à qualitate ſupernaturali, agilitatis. Neque item credibile eſt, oculum glorificatum eleuari ſemper per qualitatem ſupernaturalem agilitatis

Digitized by Google

litatis ad videndum obiecta, quæ naturaliter intuebatur, quando in ſtatu glorificationis non erat conſtitutus. Recolantur, quæ dixi in ſect. 4. & conſulantur Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 48. ſect. 1. verſ. *Ad poſteriorem partem.* Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine libr. 5. quæſt. 7. artic. 2. cap. 3. à num. 16. vſque ad 21. Tannerus tomo 2. diſputat. 1. quæſt. 5. dub. 3. numer. 55. Arriaga tomo 2. in 1. parte diſputat. 56. ſect. 2. numer. 4. Si oculus ſupernaturaliter eleuatus conſpiciat obiecta vel faciliùs, vel intenſiùs, vel in maiori diſtantia, quàm naturaliter poſſet, non apparet, cur ſupernaturalis qualitas, quæ ſit agilitas, vendicet ſibi talem eleuationem potiùs quàm qualitas ſupernaturalis, quæ ſit impaſſibilitas, aut ſubtilitas. Nam munus agilitatis eſt in ordine ad motum localem. Et quicquid aliud ei attribuitur, poſſet æquè adſcribi impaſſibilitati, vel ſubtilitati; poſſet etiam maior facilitas, vel intenſio prouenire ex auxilio Dei ſupernaturali extrinſeco; & viſio in maiori diſtantia obiecti poſſet oriri ex ſpeciebus cauſatis à Deo vice obiecti.

80 Sexta difficultas, ſeu potiùs quæſtio, vtrùm ſit in poteſtate Beatorum ſuſpendere operationes ſenſuum, adhuc quando ſenſus ſunt expediti, & obiecta conuenienter applicata? Reſpondeo affirmatiuè cum Suario ſuprà verſ. *Sed inſtabis*, cum Ægidio etiam ſuprà §. 4. cum Sala in 1. 2. tractat. 2. diſputat. 14. ſection. 19. in fine. Probatur, tum quia ea poteſtas maximè decet ſtatum glorificationis animæ, & corporis, tum quia Beati pro ſuo arbitrio poſſunt ſe occultare, ne videantur ab aliis ſaltem qui beati non ſint, & ſimiliter ne terminent actus aliorum ſenſuum: in quo conueniunt omnes Theologi, vt teſtatur Ægidius Luſitanus libr. 4. quæſtion. 11. articul. vnico. Ergo potiori, vel æquali iure poterunt Beati ſuſpendere proprios ſuorum ſenſuum actus, vel quatenus ad voluntatem eorum impediat Deus receptionem ſpecierum impreſſarum in ſenſibus, vel quatenus receptis etiam ſpeciebus maneant liberi Beati ad eliciendos, vel non eliciendos actus.

81 Hinc colligitur primò cum Suario diſputat. 47. ſection. 1. verſ. *Tertiò de odoratu*, Sala diſputat. & ſect. 14. num. 116. Chriſtum poſt reſurrectionem, quandiu verſatus eſt in terris non percepiſſe olfactu tetros, & inſuaues odores. Secundò cum Ægidio Luſitano libr. 4. quæſtion. 8. artic. vnico §. 2. num. 9. Beatos homines ſiue tempore Iudicij vniuerſalis, ſiue poſt, ſi aliquando in Orcum deſcenderint, de quo in ſection. 1. Exercitat. 33. non percepturos fœtorem, quem emittent damnatorum corpora. Tertiò, poſſe Beatos homines immediatè approximari corpori ſolido, quin exerceant tactum ſenſitiuum. Conſentit Ægidius quæſtion. 10. articul. 3. ſi Beati velint penetrare copus, quia tunc nulla dabitur reſiſtentia, quæ quidem requiritur in tangente, & in tangibili ſenſitiuè. Diſſentit verò, ſi Beati velint ſua quantitate reſiſtere corpori, & non penetrare illud: quia tunc corpus naturaliter operabitur, & Beati recipient naturaliter eius ſpecies. Non ſeruat Ægidius conſtantiam conſequentiæ, cùm iuxta dicta ab ipſo in locis præcitatis debuiſſet fateri, liberum eſſe Beatis vel non recipere ſpecies corporis proximè coniuncti, vel receptis ſpeciebus non elicere actum ſenſitiuum tactus. Nos conſequentiùs aſſerimus, Beatos, etſi non penetrent corpus, poſſe non tangere ſenſitiuè illud, licet deberent tunc habere tactum quantitatiuum contiguitatis, vt à multis cogitatur in eo caſu, quo mortalis hominis digitus cœlo ſydereo immediatè adiungeretur. Quartò, ſicut eſt poteſtatis Beatorum non recipere in ſenſibus ſpecies diffuſas ab obiectis, ita etiam fortè eſſe, non permittere per ſua corpora tranſitum ſpecierum, quæ per alia ſolent tranſmitti. Rem explico. Exiſtat beatus homo inter me, & Petrum; ſpecies, quas Petrus emittit, impedientur forſan ex arbitrio interiacentis Beati, ne recipiantur in ipſius Beati corpore, quod ſupponitur eſſe diaphanum, & peruium non ſecus ac Cryſtallus, quæ locata inter me, & Petrum, erit medium aptum, vt ad meos oculos deferantur ſpecies Petri. Ratio illationis eſt quia ſi pertinet ad perfectionem ſtatus beatifici, vt ad nutum hominis glorificati impediatur receptio ſpecierum in oculis, quidni etiam pertinebit, vt arceatur tranſmiſſio ſpecierum per corpus? Vtrobique enim interueniret quædam paſſio ab ſpeciebus, quando non cohiberetur ex voluntate Beati. Quare cùm facultas, vt non patiantur oculi ab ſpeciebus, niſi conſentiente Beato, è perfectione ſit beatifici ſtatus, oportet, ex ea etiam eſſe ſimilem poteſtatem, vt corpus non præbeat aditum ſpeciebus, niſi conniuente Beato. Loquor de ſpeciebus emiſſis ab obiecto non glorificato; nam glorificatum, vt non poteſt pro ſuo arbitrio occultare ſe alteri Beato præſenti; ſic neque is liber erit, ad non recipiendas ſpecies.

82 Pater Suarez diſput. 48. ſect. 2. verſ. *Tertiò*, fauet nobis, ſed alia ratione ductus, quia ſcilicet, etſi interpoſitum corpus glorioſum ſit ſuſceptiuum ſpecierum, tamen illa capacitas non eſt naturalis, ſed miraculoſa, & ſuperioris ordinis; ideóque fieri poteſt, vt obiectum non glorioſum nequeat connaturaliter tranſmittere ſpecies per illud, queat verò glorioſum, vt potè eleuatum, & conſtitutum in ſtatu ſimili beatificationis. Suarium impugnat Salas diſputat. 14. ſect. 16. numer. 130. tum quia S. Auguſtinus libr. 2. de Geneſi contra Manichæos capite 21. & libr. 22. de Ciuitate Dei capite. 3. Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 45. inter eiuſdem Auguſtini opera. S. Gregorius libr. 18. Moralium cap. 31. S. Anſelmus in Elucidario, Sanctus Laurentius Iuſtinianus in libr. de Diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis cap. 23. abſolutè dicunt, corpora glorificata fore perſpicua; S. Gregorius ſpeciatim ait, fore tranſparentia, ſicut vitrum, ac Chryſtallus, quæ viſibilium quorumuis ſpecies ſuſcipiunt; & S. Anſelmus exprimit, viſuros Beatos ita clauſis, ſicut apertis oculis; quare ſi per palpebras glorificatas deferuntur ſpecies obiectorum, eadem eſt ratio de aliis partibus corporum: Tum quia alioqui interiacens corpus glorificatum occultaret alteri in Empyreo obiecta non glorificata; quod dedecere videtur præſtantiam, & commoditatem ſtatus illius: Tum quia id, per quod corpora glorificata fient tranſparentia, diſponet ipſa ad recipiendas, & transfundendas connaturaliter ſpecies cuiuſcumque obiecti. Sed ad hæc reſponderi poſſet de facili pro Suario. Ad primum, eſſe quidem perſpicua corpora glorificata, non tamen poſſe connaturaliter diffundi ab obiectis non glorificatis ſpecies per ea, licet queat à glorificatis, quæ ſola eſt Patrum intentio

Digitized by Google

tio , dum abſolutè dicunt , glorificata corpora fore perſpicua ; & dum comparant vitro , ac Cryſtallo , eſt in ordine ad alia glorificata , vt & dum inquiunt , Beatos viſuros etiam clauſis oculis. Poſſet prætereà reſponderi , Patres loqui caſu, quo Beati velint tranſmitti per ſua corpora ſpecies obiectorum non glorificatorum. Non reprobat Salas hanc explicationem. Ad ſecundum reſpondebitur , nullam apparere indecentiam in occultatione illa ; quam vitare valent Beati, ſi recedant à loco , inter quem , & obiectum mediat corpus glorificatum. Dici etiam poteſt , eſſe in poteſtate Beati interpoſiti , ne occultet obiectum alteri Beato , ideóque occultationem non eſſe indecoram , quando Beatus interpoſitus non conſentit ; imò potiùs eſſe maximè decentem. Tertium diſſoluetur aiendo , id , per quod corpus glorificatum redditur diaphanum, diſponere illud , vt peruium ſit connaturaliter ſpeciebus , quæ emittantur ab obiecto proportionato , quale non eſt niſi glorificatum ; vel diſponere cum ſubiectione ad voluntatem Beati , per cuius corpus tranſituræ fiat ſpecies.

83 Ægidius Luſitanus lib.5.quæſtion. & art.4. §.2.numero 9. & Ludouicus Monteſinus in 1.2. diſputat. 8. quæſt.2. num.38. reiiciunt Suarium, quia obiectum non glorioſum poteſt connaturaliter immittere ſpecies in corpus glorioſum, vt patet exinde quòd ſic eas immittat in oculos Beati. Ergo poterit etiam immittere connaturaliter in corpus glorioſum tanquam in medium , vt deinde immutetur viſus alterius corporis glorioſi poſt ipſum exiſtentis.Hoc argumentum cenſetur ab Ægidio euidens;ſed nec hilum valet aduerſus Suarium. Is enim docet, corpus glorioſum in partibus naturâ ſuâ opacis, non eſſe naturaliter , ſed tantùm ſupernaturaliter tranſmiſſiuum ſpecierum , quæ quando emittuntur ab obiecto non glorificato, non conſtat de eleuatione , vt fiat tranſitus ſpecierum per corpus glorificatum , vti conſtat ex doctrina Patrum , quando ſpecies prodeunt ab obiecto glorificato.Notetur,quod dixi , *in partibus naturâ ſuâ opacis*,nam quæ diaphanæ ſunt,vt pupillæ, gaudent capacitate naturali , vt per eas tranſeant ſpecies, ideóque cuiuſcumque obiecti ſpecies poſſunt connaturaliter per pupillas tranſmitti ad ſenſoria oculorum. Nos , quicquid ſit de impotentia naturali partium naturâ ſuâ opacarum corporis glorificati, vt transfundantur ſpecies per ipſas, dicimus,ſicut requiritur conſenſus Beati ad recipiendas in oculis ſpecies obiecti non glorificati; ita pariter requiri , vt recipiantur & tranſmittantur per ſui corpus glorificatum. Vnde argumentum Ægidij,& Monteſini nec apparenter contra nos inflecti poteſt.

84 Difficultas,ſeu potiùs Quæſtio ſeptima;cuinam perfectioni Beatorum competat formaliter poteſtas ad ſuſpendendas,aut impediendas ſenſuum operationes?Significare videtur aliqui, competere doti ſubtilitatis. Verùm dos ſubtilitatis eò tantùm dirigitur , vt Beatorum corpora glorificata poſſint penetrare alia corpora , vt iam ſuprà probauimus ; & nunc addimus contra Monteſinum in 1.2. diſp.8. quæſt.3. numero 67. ſi dos ſubtilitatis non deſtinetur ad penetrationem, ſed ad hoc , vt per quodcumque paruum ſpatium poſſint moueri homines beati , & vt alia corpora facilè ipſis cedant,ſed ſine penetratione,fruſtrà ipſum diſtinguere dotem ſubtilitatis à dote agilitatis, ſiquidem munus illud à Monteſino aſſignatum doti ſubtilitatis non poteſt non eſſe idem cum functione dotis agilitatis. Et licet Raphael Auerſa 3.p.q.53.ſect.3. doceat , coincidere dotes ſubtilitatis , & agilitatis in eandem numero qualitatem poſitiuam :at huic qualitati diuerſa munia tribuit, videlicet quà eſt ſubtilitas , poteſtatem ad penetrationem , & quà eſt agilitas , facilitatem ad motum. Permittamus tamen , dotem ſubtilitatis non dirigi vnicè ad penetrationem ; adhuc in ea dote non conſiſtet formaliter poteſtas ad ſuſpendendas , aut impediendas ſenſuum operationes , ſi ea dos ſit aliqua qualitas poſitiua , quia non erit virtus actiua libera formaliter vt conſtat;virtus autem actiua, quæ non eſt libera formaliter,nequit habere facultatem ſuſpendendi,aut impediendi actiones, ad quas eſt proximè potens. Si operationes ſenſuum impediantur in Beatis , eo quòd ipſi non recipiant emiſſa ab obiectis ſpecies; manifeſtum videtur, poteſtatem impediendi illas operationes per non admiſſionem ſpecierum non reſidere immediatè in ſubtilitatis qualitate;quippe hæc non ſit exhibitiua actionis in ſpecies , proindeque nequeat excludere eas , quatenùs cohibeat actionem , quam aliàs præſtaret. Ad hæc : excepta claritate, quam nemo aſſeret eſſe immediatè impeditiuam ſenſationum externarum in Beatis , reliquæ dotes corporum glorificatorum non conſiſtunt in qualitatibus poſitiuis , vt mihi probabilius eſt, dixique de ſubtilitate in ſuperioribus , & de agilitate tradam in ſect.3.Exercit.proximæ.Quoad impaſſibilitatem verò;Conſentio Roderico Arriagæ diſp.56.ſect.& ſubſect.2.cum Scoto , & Theologis aliis apud Ægidium Luſitanum lib.5. q.3. exiſtimantibus , non conſiſtere niſi in extrinſeca aſſiſtentia Dei , qui ob exigentiam viſionis beatæ intrinſecæ in anima vnita cum corpore,neget connaturaliter concurſum ad omnem læſionem, & noxiam alterationem corporis, putatque Dominicus Sotus egregius Thomiſta in 4. diſt.49. quæſt.4. art.5.Stare S.Thomam ab hac opinione, qua parte non agnoſcit qualitatem ſuperadditam impaſſibilitatis;& Granadus 3.p.controuerſiæ 13.de Nouiſſimis tract.ac diſput.3.ſect.2.num.10. fatetur, Angelicum Doctorem in ſententiariis ita iudicaſſe, licet 1.p.quæſt.97.art.1. corp.ſenior iam , & ſapientior mutarit ſententiam. Sed Ferrarienſis exercitatiſſimus in operibus S. Thomæ ait ad lib.4. contra Gentes cap.86. inſinuaſſe tantùm , & non expreſſiſſe alicubi qualitatem ſuperadditam impaſſibilitatis. S.Auguſtinus in epiſt.56. & in 146. vtitur verbis,quæ,vt notat Suarez diſp.48.ſect.3.v.*ſexta*, poſſunt facilè in vtramque partem explicari. Quòd ſi SS.Auguſtini , & Thomæ authoritas non fauet indubitanter impaſſibilitatis qualitati , nihil eſt aliud,quod cogat , aut moueat ad eius poſitionem, ſed potiùs multa expenſa à Leſſio lib. 3. cap.4. numero 25. & ab Arriaga ſuprà , quæ valdè difficilem eam oſtendant. Verùm de his alibi.

85 Nunc poteſtas ſuſpendendi, impediendive immediatè operationes ſenſuum, ſi hi iam acceperint ſpecies ab obiectis , reuocatur à nobis in animas Beatorum , quibus ob dignitatem viſionis beatæ conceſſerit Deus,vt non exhibeant, aut non contineant effectiuum concurſum in operationes corporeas,niſi ex libera ipſarum animarum applicatione. Quæ etiam requiretur ad paſſiuam ſuſceptionem ſpecierum:nam etſi in has emiſſas ab obiectis non concurrant actiuè Beatorum animæ , ideóque non admiſſio in ſenſibus nequeat prouenire ex ſubſtractione actionis exhibendæ ab animabus,po-

Digitized by Google

teſt nihilominùs Deus intuitu viſionis beatæ ſtatutum apud ſe habere,non præbere concurſum cauſæ primæ,& vniuerſalis in ſpecies,quæ recipiantur in ſenſibus,niſi conſentientibus Beatis ; quo fiet , vt impediatur ſenſuum ab ſpeciebus paſſio identificata,vel inſeparabilis ab actione eductiuâ ſpecierum. An autem detur aliquod obiectum,ad cuius ſpecies recipiendas , vel ad illius perceptionem ſenſitiuam eliciendam,ſi ſpeciebus ornentur, determinati ſint ſaltem moraliter Beati? Vide in ſect.11.Exercit.28. Mecúmque Deum precare in fine huius ſectionis, vt gaudiorum,ac voluptatum , quæ glorificatorum hominum ſenſus manent in cœlo guſtum aliquem modò nobis largiatur,vel fidem augeat. *Nam ſi de futuris guſtum aliquem haberemus , haud ita præſentibus inhiaremus*,vti ait S.Nilus in lib. Aſcetico.

EXERCITATIO TRIGESIMATERTIA.

De Motu locali Glorificatorum Hominum.

POſt Tractationem de functionibus externis vitalibus externorum quinque ſenſuum , ſequuntur externæ non vitales, ad quas conducit corporeus locus Empyrei. Tales ſunt motus localis , & loquutio. Sed quia de loquutione ſcripſi copioſè in Exercitatione 29. idcircò de ſolo motu locali agere reſtat.

SECTIO I.

An Beati mouebunt ſe localiter intra Empyreum ? An etiam extra?

1 POSSIBILEM eſſe progreſſiuum motum in beatis hominibus,eſt de fide certum;vt docet Suarez tom.2. in 3.p.diſp.48.ſect.4. v. *Principio igitur*.Actu etiam futurum, tradunt S.Thomas in 4.diſt.44.q.& art.2.Albertus Magnus ibidem art.21. & in 3. diſt.22. art.9. Rusbrochius in Regno Deum amantium cap.38.Harphius parte 2.lib.1 Theologiæ Myſticæ,c.58. Robertus de Licio in ſermone de Beatitudine circa finem cōſiderationis 2 S.Antoninus 3.p.ſummæ Theologicæ tit.30.c.7.§.3.S.Vincentius Ferrer. ſerm.1.in Dominica 1. Aduentus. Vincentius Bellouacenſis lib.31.ſpeculi hiſtorialis c.110.Durandus in 4.diſt. 44 q.7 n.10.Paludanus q.4.art.2. Petrus de Aquila diſt.49.q.2.Argẽrinas art.4.q.1.Ouandus propoſit.34.Sotus q.4.art.7.concluſione 2. Nyſſe in Reſolutione Theologorum tract 7.parte,portion e, & q.3.de Beatitud. corp.ad 2.Viguer.in Inſtitutionibus c 14.§.2.v.5.& 6. Carthuſianus lib.4. ſummæ Orthodoxæ fidei art.208. Iabellus in 8. parte Philoſophiæ Chriſtianæ tract. & cap.3.Suarez vbi ſuprà . Valentia tomo 4.diſp.11.q.5.p.1.v. *& quidem*. Salas tomo 1.in 1.2.tract.2.diſp.14.ſect.18.n.148. Leſſius lib.3.de ſummo bono c.6.Tannerus tom.2. diſp.1.q.3.dub.6.n.64.Arriaga tomo 2.in 1.p. diſput.57.n.3. Hieronymus Columbus in Angelica, humana Hierarchia lib.8.c.11.n 2. Bonacina in 3. p.diſp.3.q.5. puncto 4.§. & propoſ.2.n.11. & alij complures paſſim citandi in hac Exercitatione.

2 Non ſine cauſa tot Doctorum catalogus contextus eſt a nobis,vt aliorum,qui beatis hominibus negant motum , poſt obtentas ex generalis Iudicij die Empyreas ſedes obruatur authoritas: Et in primis Autiſiodorenſis lib.4. Summæ titulo de dotibus corporum,incertum ſibi eſſe ait , *Vtrum motus localis ſit futurus in patria?* In eadem incertitudine quoad motum ſaltem progreſſiuum fuiſſe Scotum, & Vuendelinum ſuſpicatur Ægidius Luſitanus tomo 3.de Beatitudine lib.4.q.22.art.3.n.1. meritò,nec ne?diſcutiat alius. Durando tribuere Franciſcus Felix c.6.de Beatitudine difficult.3. n.1. negaſſe localem motum ; aſt qui ab eo negatur in n. 14.& ſequentibus,non eſt progreſſiuus,ſed ſimplex, ratione cuius motum corpus vno veluti impetu æquè primò cieatur.Pariſienſis in 1.partis de Vniuerſo parte 2.c.40.affirmat,non fore in altero ſæculo vllum motum localem.Verùm hic Author multa tentat exercitationis cauſa vt ipſe profitetur cap. 50.& conceptis verbis progreſſiuo motui fauet in cap.23.nec non in 2. partis de Vniuerſo p.2. c.81. ac ſæpe alibi. Denique Doctor Illuminatus Mayro in 4.diſt.48.q.1.art.6.*Creditur*,inquit , *quod Beati ſtabũt immobiles,quia non indigebunt moueri cum ſint perfectè felices , quia motus eſt niſi ex imperfectione.* Mirandum eſt τò *creditur*,cum Theologorum antiquiorum ipſo Mayrone cœtus credat contrarium.

3 Nec ratio,quæ Mayronem mouit, latuit illos, quin potiùs omnes dedita opera ei occurrunt. Præter relatos,licet Mayrone poſterior , excipiatur Incognitus ſuper Pſal.50.v.839.nam breuiter,& doctè ſic reſpondet , *Motus Beatorum non erit propter ſupplementum indigentiæ;ſed ad virtutis declarationem:& ſic in ipſis arguet perfectionem ſine imperfectione.* Et quidem Sapientiæ cap.3.verſ.7. & Iſaiæ cap.40.verſ.31.verba, *Tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Aſſument pennas ſicut Aquilæ, current,& non laborabunt,ambulabunt,& non deficient*: Quibus Patres , & Theologi probant agilitatem glorificatorum hominum, innuunt non ſolam poſſibilitatem motus ; ſed & illius exercitium. Prætereà vt quid donarentur agilitatis dote permanente, ſi in Empyreo immoti extituri ſemper eſſent? Vnde vel de Chriſto inquit Nyſſe ſuprà, *Non ſemper ſtabit in vno loco vt ligatus catena ; ſed poteſt ſe mouere regulariter, ſicut Rex , in cœlo Empyreo.* Conſonat Auerſa 3.parte quæſt.53 ſect.6. in fine. Inſinuatur id à Ioanne in Apocalypſi cap.14. verſ.4. dum pronuntiat Virgines *ſequi Agnum quocumque ierit.* E contrà verò damnati *tanto pœnarum pondere prementur,vt nec pedem quidem, vel manum,vel aliquid*

ſui

Digitized by Google

ui corporis poſſint mouere, quemadmodùm meditatur S. Anſelmus lib. de ſimilitudinibus. cap. 51.

4 Deambulabunt itaque Beati per Empyreum, & cùm illud ſit adeò patulum, habebunt ampla, & immenſa penè ſpatia, quæ, vt libuerit, percurrant. Hac ſpe ſolabatur Paſchaſius Sãctimoniales Sueſſonienſes Monaſterio incluſas, exponens Pſalm. 44. *Quaſo, ne videatur vobis locus iſte anguſtus, vbi vos clauſiſtis, chariſſima, quoniam ingens, & magna domus Dei eſt, ad quam intraſtis; magna, inquam, quia non habet conſummationem. Nemo mortalium, qui eam penitùs, vt eſt, valeat penetrare:::: Idcircò dilatamini corde, ſponſa Chriſti, & nolite cum infidelibus coanguſtari, quia magna eſt domus, & ingens poſſeſſio, quæ vobis ex dote debetur; quæ nec ſpatiis locorum terminatur, nec fine temporum clauditur. Sufficiat vobis cohabitatio ad neceſſitatem naturæ, quæ vos ſuſcepit de mundo, ac ſi columbas volantes ad cælum.* Tantùm Paſchaſius. Narrat de Gerardo Surphanienſi deuotiſſimus Thomas à Kempis, *Capit::: tanquam bonus Eremitanus cellam diligere, & ad interna exercitia ſe dare, tempus ſuum ſtudendo, & ſcribendo expendere; ita vt multi ſtuperent, quia rarò viſus eſt egredi; & ſolatium foris non caperet. Habuit autem pro ſolatio maximo libros ſanctos, & pro ſpatiamento campi quæſiuit ſacra palatia Cæli.* Hieronymus in epiſtola ad Marcellam inter Aſellæ laudes refert, quòd *vnius cellulæ clauſa anguſtiis fruebatur latitudine paradiſi cæleſtis.* Huius etiam amplitudinem permeari mente ſuadebat S. Ambroſius pauperibus, dum eos ſic alloquitur lib. 6. Examer. cap. 8. *Si non eſt domus ampla, non diffuſa poſſeſſio, cælum patet::: Maiorem domum tu habes pauper, in qua clamas, & exandiris. O Iſraël, inquit Propheta, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, magnus, & non habet finem, altus, & immenſus. Domus Dei diuiti eſt communis, & pauperi: difficile eſt tamen, diuitem intrare in regnum Dei.* S. Antonius Abbas, vt in eius vita tradit S. Athanaſius cap. 15. ita Religioſos hortabatur, *Nemo cùm deſpexerit mundum, reliquiſſe ſe arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, breuis, ac parua eſt. Si ergo nec vniuerſo orbi renuntiantes dignum aliquid habitaculis poſſumus cõpenſare cæleſtibus, ſe vnuſquiſq; cõſideret, & ſtatim intelliget paruis aruis, & parietibus, vel modica auri portione contẽpta, nec gloriari ſe debere, quaſi magna dimiſerit, nec tadere, quaſi parua ſit recepturus.*

5 Iure decantat Pſalmographus in v. 5. Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine.* Super quæ verba Auguſtinus, *Poſſident Hieruſalem Cæleſtem ſine anguſtia, ſine preſſura, ſine diuerſitate, ſine diuiſione limitum.* Notetur illud, *ſine diuiſione limitum.* Eſt terra velut punctum, ſi comparetur cum Empyreo: in ea tamen tot limitibus diſcriminantur Regna, Prouinciæ, Ciuitates, Oppida, agri, ædes; & nulli licet acceſſus ad aliena. Aſt Empyreum diuiſione caret terminorum; cunctis incolis liberum ſine diſcrimine erit: illud, quantum, quantum eſt, permeabunt. *Fecit inuidia*, *fecit* iuxta S. Petrum Chryſologum, *vt mundi tota duobus eſſet anguſta fratribus latitudo; namque ipſa Cain iunioris* (nimirùm Abelis) *erexit in mortem, vt eſſe ſolùm zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex naturæ*, ita in ſermone 4. Nulla in Cœlo inuidia; poſſidebunt Cælicolæ cũcti ſine diſſidio amplam eius latitudinem. Diſcat Chriſtianus ab Ethnico Seneca, qui lib. 1. naturalium quæſtionum in præfatione habet aurea hæc verba, *Punctum eſt, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis: Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini! Cùm te in illa verè magna ſuſtuleris; quotiens videbis exercitus ſub rectis ire vexillis,:::: & licebit dicere,*

It nigrum campis agmen————

Formicarum iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantium. Quid illis, & nobis intereſt, niſi exigui menſura corpuſculi?::: ſurſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur:::Cum illa tetigit, alitur, creſcit, ac velut vinculis liberatus in originem redit::: Tunc contemnit domicilij prioris anguſtias. Similia profert Boëtius lib. 2. de conſolat. Philoſophię metro 6. proſa 7. Vnde meritò reprehendit mortales, *quòd in minimo puncti quodam circumſepti, atque concluſi, de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitent.* Et Antonin. Imperator lib. 4. vitæ ſuæ, *ſed forſitan gloriola te ſolicitum tenet? Reſpice, quàm celerrimè omnia obliuione deleantur, quod ſit chaos infiniti vtrinque æui, quàm inanis famæ ſonus, quanta inconſtantia, & incertitudo opinionum humanarum, quàm arcto includantur hæc omnia loco. Quippe punctum eſt terra; Atque huius ipſius quàm perexiguus angulus habitatur? Quot vero ſunt in ea ipſa, aut quales illi, qui te ſunt laudaturi.* S. Ludouico filio Caroli Siciliç Regis exiguum viſum eſt paternum regnum, *dum ingẽtia illa contemplatur ſpatia, quæ ſurſum ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur, ſi ſe homo erexerit ſuper ſe.* Haud equidem miror Sanctiſſimi Principis iudiciũ: *Nam quid poteſt ei videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiúſque mundi* (fas ſit apponere totiúſque Cœli Empyrei) *nota ſit magnitudo?* Vt inquit Tullius in ſomnio Scipionis. Cui ſomnianti ſe in cæleſtibus, & proſpectanti inde cœli, ac terræ ſpatia, attribuit idem Tullius egregia illa verba, *ipſa terra ita mihi parua viſa eſt, vt me Imperij noſtri, quo quaſi punctũ eius attigimus, pæniteret.* Metire animo, ô Chriſtianę, magnitudinẽ Empyrei, quod, ſi rectè vixeris, calcabis pedibus; & per eam, ni tibi placidæ ſint, ſi Religioſus eſto, Monaſterij anguſtiæ; ni carceres, & ergaſtula ſint grata, ſi propter Chriſtum ea ſubis.

6 Sciſcitabitur iam aliquis, an Beati homines percurrent non ſolùm Empyreum, ſed etiam reliquas ſphęras cœleſtes, & elemẽtares? Baſſolis in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. fatetur *ſe neſcire, an Beati aliquando de facto debeant moueri recedendo de cælo Empyreo, vel etiam infra cælum Empyreum, quaſi ſpatiando huc vel illuc?* Guiliel. de Rubione in 4. diſt. 48. q. & concl. 4. reſpõdet, illud dictũ Saluatoris apud Ioan. c. 10. v. 9. *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur*, non eſſe intelligẽdum ſic; *quòd poſt diem Iudicij exeant Beati corporaliter Cælũ Empyreum, & deſcendant in mundum; tantùm enim deſcendent cum Chriſto ad iudicium; & tunc nunquam inde exibunt iuxta illud Apoc. 3. v. 12. qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredientur ampliùs. Non tamen violenter ibi detinebuntur, ſicut quilibet damnatus in Inferno.* Henriquez lib. vltimo Summæ cap. 27. §. 6. ait, Chriſtum poſt Iudicium nunquam ampliùs deſcenſurum de cœlo.

7 In eandem Sententiam poſſunt adduci Caſſiodorus, Ruffinus, S. Bonauent. ac Simon de Caſſia. Nam primus lib. de Anima c. 19. ait. *Domicilia planè eorum* (ſcilicet Beatorum) *vt putamus in ſupernis erunt, & terras non appetent, quarum vſum neceſſarium non habebunt.* Secundus expoſitione in Symbolum, *Reſurrectionis virtus Angelicum hominibus confert ſtatum, vt qui de terra ſurrecturi ſunt, non iterum in terra cum pecudibus, ſed in cælo cum Angelis viuant.* Tertius in 4. diſt. 48. in expoſitione textus, numer. 6. *Sicut gloria eſt Regis habere plurimas*

mas cameras in palatio, & pulchram coquinam, quamuis non ingrediatur, ſic cæleſtis erit gloria, & honor, quòd non ſolùm aula paradiſi, & cælum Empyreum ſit pulchrum, ſed etiam, quòd cœlum Sydereum, & antiquum habitaculum. Quartus lib. 13. de geſtis Saluatoris cap. 66. inquit de Chriſto, *Neque calcabit ampliùs terram.* Sic illi. Præterea trahi huc poſſunt teſtimonia ſacræ Paginæ collecta à Suario tomo 2. in 3. p. diſp. 58. ſect. 1. & 9. quibus oſtenditur, Chriſtum, finito iudicio, rediturum in cælum cum omnibus Electis, ibique perpetuò regnaturum tam ſecundùm diuinitatem, quâ præſens ſemper fuit, & regnauit, quàm ſecundùm humanitatem.

8 Reliqui tamen Theologi clarè exprimunt, aut ſupponunt, Beatos non contenturos ſe intra Empyreum: ſignanter Scotus in 4. diſt. 49 q. 13. ad 3. dicit, *non eſſe verum quòd Chriſtus debet manere immobiliter in eodem Vbi, quia poteſt mouere ſe, ita quòd non ſolum totum cælum Empyreum erit ſibi Vbi, ſed totum Vniuerſum: & tunc poſſunt Beati ſequi eum in ordine ſuo.* Deſunt hæc verba in vetuſtioribus editionibus. Pro communi Theologorum perſuaſione facit inſignis locus apud Authorem ſermonis de Reſurrectione Chriſti ſub nomine S. Cypriani, *Sed & in hoc* (ita ille) *multiplicata ſunt gaudia, quòd ab iis, pro quibus ſe humiliauerat* (Chriſtus) *tanta excellentiæ beneficium dignatus eſſe commune, & partiri nobis ſuæ abundantiam voluit claritatis: vt poſt Reſurrectionem corpus non aggrauet animam, ſed ſit caro ſine mole, & pondere, agilis, & mobilis, nullis clauſa obſtaculis, viſu, & auditu penetrans omnia, & attingens, quocumque voluerit, ſine impedimento diſcurrens.* Obſeruetur hic locus, vt apprimè deſeruiens tum inſtituto præſenti comprobando, tum adſtruendo exercitio viſus, & auditus corporalis in patria.

9 In deſcenſu Chriſti Domini ex Empyreo, poſtquam, cùm hominibus rediuiuis poſtliminio illud adierit, nonnulla poteſt eſſe difficultas. Certè ſi ab illo non abfuit, niſi cauſa generalis Iudicij, de quo in ſect. 4. Exercit. 18. credam, neque abfuturum poſteà. Si tamen aliquando diſcedat, comitabitur eum multorum ciuium cæleſtium turba, vt notat ſuprà Scotus. *Nam ſi Agnus vbique. Ergo & hi, qui cum Agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt*, penes S. Hieronymum in epiſtola aduerſus Vigilantium. Sano intellige modo verba Hieronymi, quatenùs ſcilicet Chriſtus, & Sancti non ſint vbique ſimul, ſed ſucceſſiuè valeant migrare ad quæ loca voluerint. Simili phraſi loquuntur de Angelis S. Gregorius Nazianzenus in oratione 34. & Tertullianus in Apologia contra Gentes cap. 22. Sit id obiter adnotatum contra Brentium Hæreticum abutentem verbis Hieronymianis, vt Chriſto penes humanitatem tribuat exiſtentiam vbique. Sed nos Catholicè cum Vigilio lib. 4. contra Neſtorium, & Euthychetem dicimus, *Verbum, cùm vbique ſit, non tamen vbiq; inuenitur & caro. Nam quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo, & nunc quia in cælo eſt, non eſt vtique in terra:* cum S. Damaſceno in homilia de Transfiguratione, *Corpus illud ſanctum circumſcriptum, & definitum erat, neq; enim cùm in Thabor ſtaret, extra montem pertingebat.*

10 Et vt ad propria redeamus. Si Chriſtum ex Empyreo deſcendentem vt ſanctiſſimæ Matris animam corpore ſolutam deduceret in illud, Angeli omnes, & ſancti aſſectati ſunt, vt nonnulli indicant Patres de quibus in n. 42. Exercitat. 16. improbabile alicui forſan non videbitur ſi Empyreo poſt Iudicium aliquando diſcedat, expeditionem hanc non fore ſine Beatorum omnium ſplendidiſſimo comitatu. Nam *quo loco Chriſtus adeſt, illic omnium Angelorum chorus præſtò eſt*, vt piè meditatur S. Chryſoſtomus laudatione in S. Pelagiam ſecunda deſcripta à Surio ad diem 9. Iunij. Virgines ſaltem ſtipatores erunt, vt qui, teſtante Ioanne, *ſequuntur Agnum, quocumque ierit.* In quibus verbis ſignificari, aduertit optimè Viegas Noſter, *Agnum virginibus præcipuè delectari; ita vt à ſuo latere eos nunquam velit diſcedere, tanquam ſi Regij ſint Citharædi, quos Princeps cæleſtis ſecum ad ſuum, ſuorúmque oblectationem ducat.* Suarius etiam adducit diſp. 11. de Beatitudine ſect. 3. n. 4. ſignificari ſpecialem Virginum coniunctionem localem cum Chriſto ad laudes eius canendas; quem Doctorem etſi non ſequatur Arriaga tomo. 2. in 1. p. diſp. 55. n. 16. quia ea maior coniunctio maiori eſſentiali præmio annexa forſitan eſt, tamen diſp. 57. n. 5. fatetur, inſinuari à Ioanne, virgines ſpecialiter comitaturos Agnum, quocumque ierit; vnde in re non diſcordat: putarim namque, Doctorem Eximium non aliud voluiſſe, quàm quod conceditur ab Arriaga. Claudius Seiſellus Archipiſcopus Taurinenſis infert ex ſuperioribus verbis Ioannis aliquando poſt generalē Reſurrectionem diſceſſurum Chriſtum à ſuo throno, *niſi in eodem corpore, etiam cum alio ſe confert, illic nihilominùs manere dicamus, ſicuti cùm in Hoſtiam per Sacramenti virtutem deſcendit; quod tamen, quomodò fiat, non eſt imbecillitatis noſtræ definire.* Ita in cap. 2. Lucæ tract. 2.

11 Mayro, qui ſuprà excogitat immotos Beatos, non improbat eos, qui dicunt, egreſſuros ex Empyreo, vt cominùs videant damnatos in Inferno. Retuli illos in n. 212. Exerc. 28. Ipſorúmque placitum agnoſcitur ab Adamo Saſtbout in cap. 66. Iſaiæ v. 24. tanquam proprium Scholaſticorum. Quòd ſi Beati deſcendent in Tartaream regionem, multò credibilius eſt, deſcenſuros ad Limbum, vt eius incolas viſitent, & alloquantur. Ita Bonacina Noſtrum Roam allegans diſp. 3. in 3. p. q. 5. puncto 4. §. 2. propoſ. 2. n. 11. puncto iterum 4. propoſ. vnica n. 23. Dubitari conſequenter poteſt, an Chriſtus etiam deſcendet in Infernum damnatorum? Nam ſi ſecūdùm animam deſcendit in triduo mortis, vt opinantur Bellarminus lib. 4. de Chriſti anima cap. 16. Paulus Palatius, Piña, & Bonartius in cap. 24. Eccleſiaſtici v. 45. Gabriel Acoſta in cap. 1. Ionæ tract. 9. §. 4. n. 13. Angelus de la Paz apud Lorinum in cap. 33 Numerorum, v. 8. non apparet ſpecialis ratio negandi deſcenſum penes animam, & corpus.

12 Sed tamen Author ſermonis de Aſcenſione Chriſti, putatus communiter S. Cyprianus, videtur negare; dum ſic de Inferno fatur, *Nullum ibi refrigerium, nullum remedium, ſemel Chriſtus deſcendit ad Inferos, vlteriùs non deſcendet. Non vltra videbunt Deum in tenebris ſigillati.* Præterea vt Chriſtus videat corporalibus oculis incolas Orci; neceſſe non eſt, quòd eò deſcendat: nam hoc ipſi ſingulare erit præ reliquis Beatis, vt cernat quodlibet obiectū ad quācumq; diſtantiam; & aliunde nonnihil indecentiæ præ ſe fert, vt Chriſtus præſentia ſua dignetur terram illam tenebroſam, & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat; nulla quippe eſt conuentio lucis ad tenebras. Verùm hæc vltima ratio valet etiam contra deſcenſum Chriſti penes animam in triduo mortis; nec non contra deſcenſum aliorum beatorum; licet

Digitized by Google

licet in eis non habeat tantum roboris ob minorem ipſorum dignitatem, ſi comparentur cum Chriſto. Cuius animam perueniſſe ad Infernum vſque damnatorum, negauit Bellarminus, re meliùs perſpecta in recognitione ſuorum operum. Et de hac difficultate ſatis. Nam *ſi in aliis rebus occultis melior eſt pia dubitatio, quàm litigioſa contentio*, vt inquit S. Odo Abbas tract. quòd Beatiſſimus Martinus par dicitur Apoſtolis; maximè in præſenti.

13 Si cui placeat diſceſſus Chriſti, & Beatorum ab Empyreo per breue aliquod tempus, interpretari poterit facili negotio authoritates adductas in n.7. ex Scriptura & Patribus. Eò enim illæ tendunt, vt frequentem, & ordinariam Chriſti, ac Beatorum in Empyreo declarent præſentiam; cui non obeſt, ſi rarò, & extraordinariè abſint. Petrus Gregorius Iuriſconſultus in fine tom. 3. Comentariorum ad ſyntaxes Artis mirabilis lib. 6. cap. 59. incertus manet, an Beati habitaturi ſint terram, vel pueri, qui ſine Baptiſmo mortui fuerint, num potiùs infrequentata relinquetur poſt diem Iudicij? At eam non incolendam perpetuò à Beatis, certiſſimum debuit eſſe Petro Gregorio; qui etſi rebus Theologicis non videatur inſuetus omninò, tamen cùm non alienæ, ſed ſuæ artis vnuſquiſque Author, & diſputator optimus ſit, & illi integrè ſcire poſſint, qui ab ipſius artis præceptoribus ſunt inſtituti, detexit in hæſitatione illa ſua circa Beatorum extra cœlum habitationem, quàm difficile ſit diſſerere inoffensè de aliena arte, exactéque cognoſcere dogmata eius facultatis, cuius profeſſoribus in diſciplinam non te tradideris.

SECTIO II.

An Beati agent choreas in Empyreo?

14 QVæſtionem hanc ex profeſſo examinat Guilielmus Pariſienſis in 1. partis de Vniuerſo part.2. cap. 43. & reſpondet negatiuè. Ait tamen, *aggrauare eam ex parte, & difficiliorem facere ſermones ſapientum, qui præceſſerunt in gente Chriſtianorum, qui hoc euidenter ſcripſiſſe inueniuntur*, videlicet partem affirmatiuam. Cui refragatur Hieronymus Columbus in Angelica, & humana Hierarchia lib.8. cap. 21. n. 7. ſed ſuffragantur ex Antiquis S.Bernardinus Senenſis tom.1. ſerm.60. de exercitiis Beatorum art.1. cap.1.& 2.ac 3. Bellouacenſis in conſolatione de morte amici cap. 12. Mauburnus in Roſeto exercitiorum ſpiritualium tit.38.alphabeto 75.lit.*G*.prima. Franciſcus Ximenez ex Seraphico ordine, non quidem ille, qui Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus fuit, ceſſitque fatis anno 1516. ſed qui Patriarcha Hieroſolymitanus, & Epiſcopus Elnenſis in libro inſcripto *currus Dominarum*, p.2. tract 5. art.8. cap. 38. vbi Robertum Epiſcopum Lincolnienſem aduocat in patrocinium ſui. Scribebat Franciſcus Ximenez æra 1392. ſeu anno Chriſti 1354. vt ipſe ait in fine alius libri de Angelica natura; quod vtrumque opus ingentis voluminis, doctrinæque cuſtoditur M.S in Bibliotheca Regalis Collegij Salmaticenſis Societatis IESV; & primum traductum è lingua Catalanica materna Authoris in Caſtellanam, editum eſt Valliſoleti anno 1542. ſed non tam perfectum, ac in Bibliotheca prædicta. Ex Modernis adſtipulantur Salas in 1.2. tract.2. diſput. & ſect.14. n 119. Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine lib.4. quæſt.12. art.4. n.1. Cerda in notis ad cap.62. libri Tertullianici de Reſurrectione carnis, Iacobus Pintus lib.6. de Chriſto crucifixo tit.4. loco 1. n.321. Roa cap. 13. de ſtatu Beatorum. Et hic ſolus per otium promouet eam extensè idiomate vulgari Hiſpano. Ego tum ex apparatura floridiſſimi Viri, tum ex meo pauperculo penu producam nonnulla, fortè non iniucunda.

15 In primis colligitur hæc opinatio ex Malachia cap.4. v. 2. dicente de iuſtis in futuro ſæculo iuxta probatiores Interpretes, *orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis, ſicut vituli de armento.* Quæ verba ſic explicantur à P.Gaſpare Sanchez, *Clauſi quodammodò, atque conſtricti vinculis tenebantur viri timentes Deum, quia vulgò deſpicabiles à potentioribus oppreſſi, & ea ſpecie, vt ſubire non auderent curioſos, & elegantes oculos ſtultæ multitudinis. Ex illa igitur fortuna, & ſtatu egredientur non aliter, quàm vituli, qui noctu in ſtabulis clauſi, vbi primùm illuxerit, apertum nacti campum, diſcurſant læti, & ludibundi vagantur & exultant.* Hactenùs Sanchez, qui videtur habuiſſe præ oculis hæc S. Ambroſij verba in cap.10. ad Roman. *Cùm examen cœperit fieri omnium rerum in Iudicij die, & omnia falſa commenta, vel dogmata in confuſionem deduci, tunc in Chriſtum credentes tripudiabunt, videntes omnibus manifeſtari, quia quod crediderunt, verum eſt, & prudens, quod putabatur ſtultum.*

16 Colligitur ſecundò ex Ioanne cap.14. Apocalypſis v.4. tradente de Virginibus Beatis, *ſequuntur Agnum, quocumque ierit.* Alludit ad hæc verba S.Bernardus alloquens Sororem ſerm.12. de modo viuendi, *Si Chriſtum tota mente ſequuta fueris & eum tota mente dilexeris, abſque vlla dubitatione cum eo in cœleſti patria gaudebis, & eum cum Sanctis Virginibus, quocumque ierit, ſequeris. Si cum omni deuotione Chriſto adhæſeris, & ad eum die, ac nocte ſuſpiraueris in præſenti ſæculo, ſine dubio cum eo exultabis in cœleſti paradiſo, atque inter Virginum choros cantabis illi dulces hymnos, ſicut ſcriptum eſt,*

Qui paſcis inter lilia
Septus choreis virginum
Sponſas decorans gloria,
Sponſiſque reddens præmia.
Quocumque pergis, virgines
Sequuntur, atque laudibus
Poſt te canentes curſitant,
Hymnóſque dulces perſonant.

Vtitur hoc hymno Eccleſia in officio de communi Virginum. Ei adiungo duos verſus ex alio in Sanctorum Innocentium feſto,

Aram ſub ipſam ſimplices
Palma, & corona luditis.

Non abſimiliter Hartmannus hymno de Natali Innocentium apud Henricum Caniſium tom. 5. lectionis antiquæ part.2. pag.731.

Salue lactens exercitus
Florens Sanctorum,
Ad aram ſummi Numinis
Qui læti ſemper luditis.

S.etiam Paulinus epiſt. 42. ad Cyterium modulatur de paruulo quodam mortuo,

Et nunc in aula paruulus ludit Dei.
Et ore lactenti canit.

Rursùs in panegyrico de obitu Celſi pueri,

Aut illum gremio fidei Pater excipit almo,
Et blandus digiti rore Eleazar alit,
Aut cum Bethleis infantibus in paradiſo
Quos malus Herodes perculit inuidiâ,
Inter odoratum ludit nemus, atque coronas

Texit

Digitized by Google

Texit honorandis præmia Martyribus.
Talibus immixtus Regem comitabitur Agnum
Virgineus infans additus agminibus.

17 Colligitur tertiò ex Patribus, S. Hieronymus in c. 3. Eccleſiaſtis, inquit, *Plangendum eſt in præſentiarum, vt poſteà ſaltare valeamus illâ ſaltatione, qua ſaltauit Dauid ante arcam Teſtamenti, & Saulis filiæ diſplicens, magis placuit Deo.* S. Baſilius homiliâ 20. de Quadraginta Martyribus, *Incendatur frigore pes, vt cum Angelis continuò ſaltet.* S. Cyprianus in epiſtola 77. ad Nemeſianum, & alios, loquens etiam cum Martyribus, *O pedes in ſæculo ad præſens ligati, vt ſint ſemper ad Dominum liberi!* S. Epiphanius hæreſi 64. *Qomodò autem non glorioſum, quod reſurgit, & in æternum permanet? & quod in ſpe benignitatis Dei regnum cælorum adipiſcitur? Vbi fulgebunt iuſti velut Sol, vbi erunt æquales Angelis, vbi cùm ſponſo tripudiabunt.* Rursùs hæreſi 78. *Sancti ſunt in honore, quies ipſorum in gloria; profectio ipſorum hinc in perfectione; ſors ipſorum in Beatitudine, in manſionibus ſanctis, tripudium cum Angelis, diæta in cælo, conuerſatio in diuinis Scripturis, gloria in honore incomparabili, ac perpetuo, brauia in Chriſto I E S V.* Meminit eiuſdem cum Angelis tripudij in fine Anacephalæoſis.

18 Conſonat S. Athanaſius, vel quiſquis eſt vetuſtus ille Author ſub eius nomine in q. 33. ad Anthiocum, *Sanctorum animæ à ſancto Spiritu incitatæ cum Angelis in regione viuorum Deum laudant, & tripudiant.* Iterùm in lib. de Virginitate, *Beatus qui per totum hoc tempus ieiunarit, quoniam poſtquam paululùm laborauerit, multa recipiet munera in te. Beatus, qui per totum hoc tempus ieiunauerit, quoniam in æterna Hieroſolyma habitabit, cúmque Angelis choreas ducet, cúmque Sanctis, Prophetis, & Apoſtolis requiem habebit.* S. Gregorius Nyſſenus apud Cypariſſiorum decade 6. c. 7. *In communi generis humani reſurrectione, cùm nos in ea ipſa natura immortales facti, ſtatum Chriſti ſimilem, & beatiſſimum cum Chriſto aſſequemur, cum Chriſto choream ducentes.* S. Gregorius Nazianzenus oratione 10. in laudem Cæſarij fratris defuncti. *At tu diuinum, & ſacrum caput vtinam cælos penetres, atque in Abrahæ ſinu, quicumque tandem ille eſt, conquieſcas, & Angelorum Choream, ac Beatorum Virorum gloriam, & ſplendorem ſpectes, vel potius vnà tripudies & exultes.* Philippus Solitarius lib. 3. Dioptræ c. 1. *Anima carneis exoluta vinculis, & ad Dominum ſuum egreſſa ſine vllo fine cum Angelis tripudiat, diuináſque laudes modulatur vocibus, non quæ foras proferuntur, ſed intus tantùm concipiuntur quoad Iudicij dies aduenerit. Anima inquam, quæ vitam hanc innocenter degit, iſta beatitas contingit.* Thalaſius Monachus Hecatontade 3. deprecatur ſic Deum, *Libera nos à Tyrannide Dæmonum, vt tibi æterno lumini ſeruiámus ſoli, vt cùm ex mortuis reſurrexerimus, cum Angelis beatam, ac æternam, & indiſſolubilem choream tripudiemus.* Andreas Cretenſis oratione 2. in Exaltationem Crucis ait, *Nos verò, qui in lumine eius ambulauimus, cum ipſa glorificabimur, & regnabimus ſimul cum Deo circa Trinitatem cum Angelis choreas ducentes.* S Theodorus Studites in ſermone Catechetico 56. *Igitur in Deo mens defigitur in cæleſtibus viſis, in paradiſi pulchritudine, in æternis manſionibus, in Angelorum tripudiis, in ſuperna vita.*

19 Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus demonſtratione 4. capitis contenti in ſynodo Florẽtina ſect. 5. teſtatur, haberi in Idiomelis S. Simeonis Stylitæ apud Eccleſiam Græcam, *Cum incorporeis in cælo tripudians.* Similia alia proponit de S. Oneſymo, & Eumenio. Daniel Monachus in vita S. Ioannis Climaci, *Cæleſtis regni hæreditate potitus, iã in æternum cum Angelis tripudiat.* Anonymus quidã in vita S. Vuillibaldi apud Henric. Caniſium tom. 4. lectionis antiquæ, *Ipſe nunc, & ſemper cum Angelis in cælo tripudians cunctorum ore laudatur.* Prætereo alia plura ex S. Damaſceno in homilia de Sabbatho Sancto, ex S. Bonauentura in ſoliloquio c. 4. & in diæta ſaluris, titulo 10. c. 6. ex S. Auguſtino in ſermone 35. de Sanctis, vbi Deiparam ductantem Beatorum choreas meditatur.

20 Et licet non dubitem, multa ex his teſtimonia ſignificare metaphoricè gaudium ſpirituale Beatorum ſiue ante, ſiue poſt aſſumptionem corporum, tamen non credam, vſurpandas tam frequenter appoſitas metaphoras, ſi in ipſa exequutione vera poſt Reſurrectionem eſſet aliquid indecori. Scio, eorũdem Beatorum ſatietatẽ declarari in ſacris Litteris ſub metaphora menſæ, cibi, & potus, vt Lucæ c. 12. v. 37. c. 14. v. 15. c. 22. v. 29. & in Apocalypſi ſæpè, cùm tamen in Empyreo nullius cibi, & potus, qualis apud nos, & apud Elyſiorum confictos ab Ethnicis accolas (de quibus Virgilius l. 6. Æneidos v. 656 &. Cerda ibi) futura ſit deguſtatio. Scio equidẽ; ſed ratione ipſa, & Patrũ monitis docemur, ne materiales epulas in cœlo fore exiſtimemus: aſt veris choreis in illo, nec ratio, nec Patrum refragatur authoritas, quin potiùs vtraque ſatis fauet. Et vt probationi ab authoritate clauſulam imponam, adiicio S. Thomam vel potiùs (vt perſuadet Lorinus præfatione in Epiſtolam Iacobi Catholicam c. 11.) Thomam Anglicum in 1. Petri c. 4. vbi expendens v. 13. verba, *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*, ſic ſcribit, *Gaudeatis mente exultantes corpore.* Habebũt enim Sancti gaudium interius, & exterius, ſpirituale, & corporale; non quòd gaudium ſit in corpore, tanquam ſubiecto, ſed tantùm erit gaudium in anima, quod per tripidium manifeſtabitur, & apparebit in corpore.

21 Deuenio iam ad rationes. Prima iuxta S. Auguſtinum lib. 22. de Ciuitate Dei c. 30. *Omnia mẽbra, & viſcera incorruptibilis corporis ::: proficient in laudibus Dei.* Et iuxta S. Laurentium Iuſtinianum lib. de diſciplina, & perfectione Monaſticæ conuerſationis c. 23. *Fas non eſt, vt in illa cæleſti gloria quicquam vacet à Dei laude, quin potiùs iuſtum, vt cuncta corporis membra ſuum proprio modo efferant conditorem.* Ergo ſiquidem omnia glorificati corporis mẽbra proficient in laudibus Dei, & omnia ſuo modo efferent conditorem; Veriſimile eſt, Beatos pedibus choreas decentiſſimas agendo laudaturos, honoraturóſque Deum. Traho huc illud Seruij in Eclogam 5. Virgilianam, *vt in religionibus ſaltaretur, hæc ratio eſt, quod nullam Maiores noſtri partem corporis eſſe voluerunt, quæ non ſentiret religionem.*

22 Secunda deſumitur ex S. Anſelmo c. 57. de ſimilitudinibus, vbi ait, *In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & ineſtimabili dulcedine ſui totos eos inenarrabili abundatia ſatiabit. Quid dixi, totos, oculi, aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, oſſa, medullæ, exta etiam ipſa, & cuncta ſigillatim, ſinguláque membra eorum in communi tam mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.* Ergo & pedes mirabili illo delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur. Et rogo, quo melius pacto, quàm honeſtiſſimis ſaltationibus, ac tripudiis? Sic enim *Dei præſentia omnes animæ, & corporis implebit appetitus,*

Digitized by Google

appetitus, vt inquit Author ſub nomine S. Cypriani in ſermone de Aſcenſione Chriſti.

23 Tertia originem trahit ex his verbis S. Gregorij Nazianzeni oratione 11. in laudem Cæſarij, *Pulchra omnis anima, & Deo chara :::: cùm cognatam carnem à terra, quæ & dederat, & in fidem acceperat, receperit :::: tunc demum eam quoque ad gloriæ cæleſtis hæreditatem admittet, & quemadmodum ob naturæ coniunctionem ærumnarum ipſius particeps fuerat, ſic etiam iucunditates ſuas cum ea communicabit.* Ergo anima beata communicabit corpori ſuas iucunditates, quatenùs hoc exultet, & ſaliat modeſtiſſimè præ gaudio. Confirmatur primò, refundentur ex anima in corpus exultationes, & motus caſtiſſimi interni. Si enim de ſe in ſtatu adhuc mortali cecinit Regius Pſaltes Pſalm. 83. v. 3. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, potiori iure id de Beatis dicitur. Ergo & refundentur externi. Confirmatur ſecundò, Beati ex interno affectu lætitiæ mouebuntur ad riſum, vt infertur ex S. Hieronymo in cap. 3. Eccleſiaſtis v. 4. & ex Didymo ibi adducto à catena Græca; docétque S. Thom. quodlib. 11. q. & art. 6. afferens illud Iobi 8. v. 21. *Donec impleatur riſu os tuum, & labia tua iubilo.* Angelicum Doctorem ſequitur Bartholom. Sybilla in ſpeculo quæſtionum peregrinarum decade 1. c. 3. q. 8.

24 Quamuis verò S. Gregorius Magnus lib. 8. Moralium cap. 39. dicat, *Non autem tunc riſus erit corporis, ſed riſus cordis; riſus enim nunc corporis de laſciuia diſſolutionis: nam riſus cordis tunc de lætitia naſcetur ſecuritatis.* Et ob tanti Patris authoritatem cenſeant Ægidius Luſitanus tom. 3. de Beatitudine lib. 4. q. 17. art. 2. Franciſcus Felix cap. 8. de beatitudine difficult. vnic. n. 10. non fore riſum in beatis hominibus: poſſumus tamen interpretari S. Gregorium, quatenùs neget ſolummodò riſum corporis immoderatum, & diſſolutum, ſeu talem, qualis eſt, qui nunc de laſciuia veniat diſſolutionis, & qui deſcribitur ab Ouidio in his verſibus,

Eſt quæ peruerſo diſtorqueat ora cachinno,
Cum riſu læta eſt altera, flere putes.
Illa ſonat raucum quiddam, atque inamabile ridet,
Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola,

non autem temperatum, & compoſitum oris rictum in ſignum hilaritatis internæ, aut beneuolentiæ erga alios. Priorem riſum vocat Eccleſiaſtes cap. & v. 2. errorem, propriúmque eſſe fatui reputat Eccleſiaſticus cap. 21. v. 23. quo loci de poſteriori ait, *Vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.* Et anteà in c. 13. v. 14. agnouerat eum vt prudentiæ ſymbolum. Vſus eſt Iob hoc riſu, vt ipſe narrat cap. 29. v. 24. Abraham etiam, vt habetur cap. & v. 17. Geneſis. Quare lapſus eſt memoriâ S. Chryſoſtomus, dum homil. 6. in Matthæum dixit, non legi de Paulo, vel quolibet alio Sancto in Scriptura, quòd riſerit. S. Gregorius Nyſſenus oratione in funere Magni Meletij *Iucundum, ac lepidum eius in labiis riſum*, de prædicat S. Hieronymus epiſt. 3. ſcribit de Nepotiano, *Grauitatem morum hilaritate frontis temperabat; gaudium in riſu, non cachinnum intelligeres.* S. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis reſponſione ad q. 17. *Modicè rictum diducere, eóque modo animi ſui diffuſionem leniter ſignificare, non eſt contra decorum, quatenùs illud tantùm indicetur, quod ſcriptum eſt, cor gaudens exhilarat faciem.* Philo lib. de præmiis, & pœnis, Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedagogi cap. 5. commendat riſum moderatũ, ac tempeſtiuum; nec Ioue indignum putauit Poëtarum Princeps Latinorum,

Olli ſubriſit Diuûm Pater, atque hominum Rex.

Nec Græcorum Coryphæus alienum à Diis cenſuit,

Inextinguibilis riſus Diis concitatus eſt.

Plutarchus in opere de ſera vindicta, riſum attribuit Elyſiorum incolis, *Circa eum locum in orbem erat bacchatio, riſus, omniſque cantantium, & ſe ſe oblectantium muſa.* Vulgare eſt illud Martialis lib. 7. epigram. 24. laudantis riſum, vt qui venuſtet faciem, quando non eſt excuſſus,

Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.

Illud item Naſonis,

Sint modici rictus, ſint paruæ vtrinque lacunæ,
Et ſummos dentes ima labella tegant.
Nec ſua perpetuo contendant ilia riſu,
Sed leue neſcio quid, fœmineúmque ſonent.

Plura de modico riſu ſubminiſtrant Iulius Nigronius in Aſceticis tract. 5. à n. 65. vſque ad finem, Ludouicus Creſollius lib. 2. vacationum Authumnalium c. 7. à ſect. 8. vſque ad 12. Honoratus Nicquetius lib. 4. Phyſiognomiæ cap. 12. Maximilianus Sandæus in Pædia Academici Chriſtiani commentatione 17. & 18. Georgius Draudius in cap. 3. Memorabilium Solini, Lorinus in Eccleſiaſten. cap. 2. v. 2. cap. 3. v. 4. cap. 7. v. 7.

25 Sed nihilominus reclamabis exemplo Chriſti, qui nunquam riſit in vita mortali, vt affirmant S. Baſilius ſuprà, S. Chryſoſt. hom. 15. in epiſtolam ad Hebr. hom. 6. in Matth. S. Auguſt. (vel S. Fulbertus) ſerm. 35. de Sanctis, & 31. ad fratres in Eremo, Saluianus Maſſilienſis lib. 6. de prouidentia, S. Bernardus ſerm. 4. de Aduentu, Hugo de S. Charo in cap. 21. Eccleſiaſtici v. 23. Lentulus in epiſt. ad Senatum Romanum. De Elia inquit etiam S. Gregor. Nyſſ. orat. in laudem fratris ſui Baſilij, habuiſſe vultum riſus penitus expertem. S. Chryſoſt. lib. de virg. n. 63. parem ſeueritatem cupiebat in virgine, quam inſtituit, *Os aſſiduè moderatur, ne ſolutior riſus erumpat; imò verò ne leniter arrideat, quin graue ſemper, & auſterum oſtendit ſupercilium: atque ita comparata eſt, vt lachrymas ſemper effundere, riſum nunquã effundere poſſit.* S. Greg. Theolog. in 20. Teſtratico canit,

Riſus ſagaci quiſque riſu ducitur
Dignus viro.

S. Baſilius in Regulis breuioribus reſponſione ad q. 31. inquit, *Cum Dominus eos damnet, qui in hac vita rident: admodùm perſpicuum eſt, nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat, & maximè in tam magno numero eorum, qui per tranſgreſſionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti ſe dant, quorum vicem mœrere, ac gemere conuenit.* S. Ephræm in homilia de luctu, & S. Bernard. in lib. de modo bene viuendi ad ſororem non minus videntur reprehendere riſum. Reſpondeo, Partes non intelligendos tam ſtrictè, vt omnem, & vbique, & in quacumque perſona riſum condemnent; ſed *effuſum præter modum quandoquidem non abeſſe à ſe intemperantiam ſignificat it, qui profuſo nimis, petulantique riſu teneatur, ſeſeque animi ſui motus nequaquam ſedatos, eiúſque mollitiem, ac veluti laxitatem, nequaquam ratione ſeuera habere compreſſam declarat :::: In immanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem ſuſultare, nequaquam eſt eius, qui animo cõpoſito ſit, aut planè probo, & compote ſui ipſius*, prout loquitur S. Baſil in reſp. illa ad q. 17. Habẽda eſt etiã ratio loci, occaſionis, & perſonæ, nam vt Catullus,

——— *Riſu inepto res ineptior nulla eſt.*

Et vt Græcus Poëta,

Non in loco ridere, pergraue eſt malum.

Atque vt alius,

Cum cauſa nulla, morio ridet tamen.

Eccleſiaſtes etiam c. 3. v. 4. expoſcit tempus, & opportunitatem ad riſum.

Hinc

Digitized by Google

Hinc eſto Chriſtus nunquam riſiſſet, argumentum id leue foret contra decorum riſus temperati, ſiquidem huius defectus reuocandus eſſet in ſeueritatem, ſeu aſperitatem vitæ ſeruatæ à Chriſto, quia ſic expediret muneri Redemptoris, ne putaretur gaudiis, & non potiùs laboribus natus, & aſſuetus.

26 Antonius Laurentius lib. 2. de Riſu, & Vincentius Moles in Philoſophia naturali corporis Chriſti cap. 7. dub. 1. excludunt à Chriſto riſum, tum quia cùm eſſet ſumma lætitia, nihil fuit in mundo, quod vlteriorem lætitiam præter eam, quam in ſe ferebat, poſſet cauſare: tum quia cum triſtitia, quâ eius animus in corpore mortali ſemper ſubiit, coniungi naturaliter nequibat affectus internæ lætitiæ requiſitus ad ridendum. Ni fallor, prima ratio pugnat cum ſecunda. Et Chriſtus eatenus erat ſumma lætitia, quatenus in Deitate viſa proponebatur ipſi ſummum obiectum gaudij beatifici: quo quidem gaudio non impediebatur lætitia de aliis obiectis. Secunda ratio parui eſt momenti; nam triſtitia de vno obiecto non eſt incompoſſibilis naturaliter cum gaudio de aliis, maximè in gradibus remiſſis. Gregorius Cippulus 3. p. q. 9. art. 4. dub. vnico, §. 5. num. 18. non improbat in Seruatore moderatum riſum. Paulus Palatius in cap. 21. Eccleſiaſtici v. 23. autumat, Chriſtum ſemel ſaltem riſiſſe, colligitque ex illo Lucæ 10. v. 21. *In ipſa hora exultauit ſpiritu.* Cæterùm non omnis exultatio etiam externa conſiſtit in riſu; neque in eum prodit omnis interna, de qua præcipuè ſermo eſt apud Lucam. Ideóque Maldonatus interpretatur ibi, *Exultauit animo lætabundus, gratulabundus &c.* Satius eſt fateri, non legi in ſacris Litteris Chriſtum vnquam riſiſſe. Inde tamen non infertur, quòd nunquam riſerit; potuit ab Euangeliſtis taceri; nam *multa tam de verbis, quàm de factis Dominicis inuenimus ab Euangeliſtis omiſſa*, vt ait Innocentius III. in cap. cum Marthæ 6. de celebratione Miſſarum. Patres citati non tam negant factum, quàm ſilentium Euangeliſtarum obſeruant. Opinetur itaque quiſque, vt placuerit, de riſu Chriſti. Nos verò reuertamur ad ſaltationes. Pro quibus ſit

27 Quarta ratio, Ex magna lætitia excitantur homines, experientia teſte, ad cantandum, & ſaliendum. Vnde notauit Salonius explicatione Myſtica in Eccleſiaſtem cap. 3. v. 4. *In motu ſaltationis homo ſuæ mentis gaudium, & animi demonſtrat affectum.* Ergo cùm Beati homines maximo afficiantur gaudio orto à Dei viſione, incitabuntur ad Dei laudes cantibus, & ſaltationibus concelebrandas. Quòd ſi ad præſentiam Dei deſcendentis in Sinà, *Montes exultauerunt, vt arietes, & colles ſicut agni ouium*, vt in Pſalm. 113. v. 4. decantat Vates ſacer, quem de vero, & reali motu in ſignum quaſi lætitiæ, & gratulabundæ admirationis intelligi ſine incommodo poſſe, atque ideò debere, obſeruant Lorinus ibi, Cornelius in cap. 19. Sapientiæ v. 9. & Coſmas Magallanes in canticum Moſis ſect. 11. annotat. 6. num. 9. cum multis aliis, mirum haud quaquam erit, ſi cælicolæ, quibus Deus ſe præſentem oſtendet, exultent corporaliter præ gaudio. Fingit Virgilius in Ecloga 5. ob neſcio cuius fabuloſæ Deitatis præſentiam.

Ipſi lætitiâ voces ad ſydera iactant.
Intonſi montes, ipſa iam carmina rupes,
Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille ———

Oratorum etiam Apex blandiens Cæſari per figuram Proſopopæiæ aiebat in oratione pro M. Marcello, *Parietes, Medius fidius, C. Cæſar, vt mihi videntur, huius Curiæ tibi gratias agere geſtiunt.* Et nobis non licebit ſine fictione excogitare effuſuros ſe cælites in cantica & ſaltationes, tum vt internam ex Numinis oſtenſione lætitiam indicent, tum vt pro innumeris acceptis beneficiis gratias referant ipſi Numini? Confirmatur, Beati audient in Empyreo melodas, & conſonantiſſimas Cantilenas. Aſt cùm aliquis *eas libentiùs auribus, atque animo capit, ad illud etiam non ſponte conuertitur, vt motum quoque aliquem ſimilem auditis cantilenis in corpore effingat*; Quæ ſunt verba Boëtij lib. & cap. 1. de Muſica.

28 Quinta, Cæleſtis ſponſus cap. 7. v. 1. canticorum inquit: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum? Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!* Laudent nimirùm in ſponſa numeroſos inceſſus, ſaltúſque compoſitos, non quidem molles, & fractos, quales apud Petronium in Satyrico,

——— *Fractíque enerui corpore greſſus.*

ſed conſtantes, & ſtrenuos, quales militaris ordinis, qui, vt Gaſpar Sanctius expendit, *Et terribilis eſt, quia armis inſtruitur, & pulcher, quia eo ordine incedit, & ad militarem ſonitum ita numeroſè, vt terrori, quem hoſtibus intentat, ſpeciem addat venuſtatis eximia.*

29 Sexta, Mos fuit apud Hebræos Numini non ingratus agere choreas ad ipſi habendas gratias ob inſignem aliquam victoriam, Exodi 15. v. 20. narratur, *Sumpſit ergo Maria Propheteſſa ſoror Aaron tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat.* Et tunc *enormi ſatis admiratione accidit dignum miraculum*, ſi fides ſit Authori de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 1. cap. 21. *vt cuncti pariter ſenes cum pueris, & omnes ætates, eodem ſpirante Flamine, vno quaſi ex ore nulla præmonitione edocti, eaſdẽ continenter laudes decantarent in vnum.* Quod ſi verum eſt, indicat ſatis quantùm Deo placuerint cantus, & choreæ illæ. Iudicum 11. v. 34. ſpoliis opimis ex Ammonitis onuſtus cùm rediret *Iephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis, & choris*, 1. Regum 18. v. 6. *Cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo David, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael cantantes, choróſque ducentes in occurſum Saül Regis in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris.* Quò loci Noſter Sopranes excuſatam affert obſeruationem de feſtis exceptionibus magnorum virorum cum cantibus, & ſolemnibus laudantium choris. Iudith. 15. v. 15. decollato Holoferne, *Omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis & citharis.* cap. 16. v. 1. *Tunc cantauit canticum hoc Domino Iudith dicens.* Ita Vulgatus. Plura in textu Græco, *Et concurrit omnis mulier Iſrael ad videndum eam, & benedixerunt eam, & fecerunt ei chorum ex ſe, Et ſumpſit thyrſos in manibus ſuis, & dedit mulieribus, quæ ſecum, & coronatæ ſunt oliua, & ipſa, & quæ cum ipſa* (ſcilicet Iudithæ Abra) *& præiuit omnem populum in chorea, ducens omnes mulieres; & ſequebatur omnis vir Iſrael aromati cum coronis, & hymnis in ore ſuo. Et inchoauit Iudith confeſſionem hanc in omni Iſrael, & ſuccinebat omnis populus laudem hanc.* Ergo gratum etiam erit Chriſto, glorificatos homines agere choreas in cœlo, dicentes, *dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula eius* &c. Hoc quippe canticum nouum audiuit S. Ioannes Apocalypſis 5. v. 9. & 10. Profligato, & extincto Licinio à Conſtantino Magno *Celebrarunt* Chriſtiani, in quos ille immaniſſimè ſæuierat, *illuſtria*

Digitized by Google

illuſtria, & panegyrica feſta:::choreiſque & hymnis per ciuitates pariter, & agros ſummum Regem ante omnia::: deinde & Pium Imperatorem vnà cum Deo dilectis filiis honorarunt, vt refert Euſebius Cæſarienſis lib. 10. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 9. Credam potiori iure Cælites choreis, atque hymnis honoraturos Deum O. & M. Filiúmque chariſſimum ob detriumphatũ Dæmonem humani generis hoſtem.

30 Septima, In dedicatione templi Salomonici adeò placuere Deo Cantica ſacra, & choreæ, vt ſi fides detur Ioſepho lib. 8. Antiquitatum n. 4. cap. 2. *Neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſſitudo ſit oborta, dum ad templum peruenirent.* Non ergo auerſabitur Empyreas ſaltationes. S. Iuſtinus Martyr in Apologia ad Antoninum aſſeueranter affirmat, Chriſticolas ſe gratos Deo exhibere, *dum rationales pompas, & hymnos celebrant, atque decantant.* Idem nobis fas ſit præſumere de pompis cœleſtibus. Tabernaculorum feſtum celebrabatur quotannis ab Hebræis cum ſacro tripudio, & ſaltatione coram Domino ex eiuſdem iuſſu, vt ex Abulenſi Coſmas Magallanes in cap. 5. Ioſuë ſect. 2. annotat. 6. n. 7. animaduertit, & Cornelius ad v. 4. c. 23. Leuitici; quidni cælites in ſuis feſtis, choreas exercebunt?

31 Octaua, Cùm veteris Teſtamenti deportaretur arca in Bethleem, *Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum::: & Dauid, & omnis Iſraël ducebant arcam Teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ; cúmque intraſſet arca Domini in Ciuitatem Dauid, Michol filia Saül proſpiciens per feneſtram vidit Regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.* Ita 2. Regum cap. 6. à verſ. 14. De hac Dauidis Saltatione loquens S. Gregorius Magnus lib. 27. Moralium cap. 26. inquit. *Ego plus ſtupeo Dauidem ſaltantem, quàm contra hoſtem pugnantem. Pugnando quidem hoſtes ſubdidit, ſaltando ſeipſum.* Et S. Bern. epiſt. 87. *Bonus ludus, quo Michol iraſcitur, & Deus delectatur. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, ſed Angelis pulcherrimum præbet ſpectaculum.* Ad hæc S. Ambroſius libro 2. de pœnitentia capite 6. ait, *Totum decet quicquid defertur religioni, vt nullum obſequium, quod proficiat ad cultum, & obſeruantiam Chriſti, erubeſcamus. Non ergo illa delitiarum comes, atque luxuriæ prædicatur ſaltatio; ſed qua vnuſquiſque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis ſinat torpere veſtigiis.*

32 Cohibere non poſſum calamum, ne exararet alia eiuſdem Doctoris verba de ſaltatione Dauidis ante arcam ob figuratam Deiparam in ipſa. *Solent* (ita Ambroſius ſerm. 89.) *homines, ſicut mos eſt, in ſuis votis, hoc eſt, nuptiis, præcipuè ſaltare vel canere. Vnde & nos habemus votiuas nuptias, in quibus ſaltare, & canere debeamus. Vota enim noſtra celebrantur, quando Chriſto Eccleſia copulatur, ſicut ait Ioannes, qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Propter has ergo nuptias ſaltare nos conuenit. Siquidem Dauid Rex, pariter, & Propheta, dum multa cecinerat ante arcam Teſtamenti, etiam ſaltaſſe dicitur; elatus enim gaudio in ſaltationem prorupit. Præuidebat enim in ſpiritu MARIAM de germine ſuo Chriſti thalamo ſociandam:::. Ergo ſaltauit Propheta Dauid ante Arcam: Arcam autem quid, niſi ſanctam MARIAM dixerimus?* Hactenùs ille. Fallor, niſi emulatione Dauidis ſaltaturi ſint incolæ Empyrei ante Mariam.

33 Commendat in eodem Dauide S. Ioannes Chryſoſtomus proœmio in Pſalmos, *quòd librum centum & quinquaginta Pſalmorum diuino ſpiritu motus, ex propriis propriæ linguæ modis compoſuerit concinnè cum numero, & diuerſis inſtrumentis, & ſaltationibus, & canticis eos canens, ipſe enim tenebat Citharam. Habebat autem etiam ſub ſe diuerſos choros paruorum Prophetarum (ita enim eos vocabat, qui manebant apud Prophetas; ſæpe autem eos etiam filios Prophetarum nominabat) qui habebant diuerſa inſtrumenta; hic quidem cymbala, ille verò tibias, alius autem tympana, alius verò tubas, alius autem Pſalterium, & Citharam, alius verò ea, quæ dicuntur bubulcorum Cantica. Vnuſquiſque autem Chorus habebat principem, quorum alius quidem dicebatur Aſaph, alius autem, Idithum, alius, filij core, alius, Ethan, Iſraelita, alius Moſis hominis Dei. Quando ergo à ſpiritu incitabatur ad prædicendum vel de captiuitate populi, vel de eorum reditu, vel de doctrina morum, vel de prouidentia, vel de Chriſto Domino, vnumquemque Pſalmum numeroſè componebat, tendentem ad vnum argumentum (propterea enim ſunt parui, & magni Pſalmi) & eum vni choro tradebat. Quòd ſi ei rurſus viſum eſſet in medio Pſalmi id, quod Pſalmi reliquum erat, alij choro tradere, tunc ipſa Pſalmi ſucceſſio vocabatur diapſalma. Quare quando etiam volebat iis, qui dicuntur Cantores, ſeu bubulci in medio Pſalmi tradere, tunc vocabatur Canticum diapſalmatis, quoniam Cantores per ſucceſſionem, quod reliquum erat Pſalmi, canendum ſuſcipiebant. Id autem qui velit ſcire, poteſt ex eo, quòd ſic ſcriptum ſit in libris Paralipomenon, ſeu eorum, quæ in libris Regum prætermiſſa fuerant. Et cecinit hoc canticum in manu Aſaph Prophetæ. Poſtquam autem ipſe primus Pſalmum tradidiſſet, deinceps vnuſquiſque chorus & per ſe, & concorditer in eundem, & numeroſè, hi quidem in his inſtrumentis, illi verò in illis ſibi inuicem reſpondentes in Dei gloriam, & laudem ſaltando Pſalmum canebant.* Huc vſque S. Chryſoſtomus; cui accedat Procopius Gazæus in lib. 1. Regum cap. 16. ſcribens, *Cultus Dei, qui per inſtrumenta muſica exercetur, non quidem à Deo traditus, ſed à Dauide admodum religioſè excogitatus eſt. Diuino enim ardore inflammatus, ea, quæ homines ad libidinem, & laſciuiam accendunt, ad pietatem traduxit, tantum articulata vocis hymnis diuinis temperans: vt melos ſenſum, intellectus verò vna, eademque opera diuinum ardorem exſuſcitaret.* Ex quo liquet, Regium Vatem ſacris canticis admiſcuiſſe ſaltationes. Canent ſimiliter & cœlicolæ. Nec eis deerunt inſtrumenta, vt retuli ex quibuſdam in exercit. 29. num. 39. Primi etiam Chriſtiani pſallebant in templis cum ſaltatione, & tripudio. De quo Bolducius cap. 14. de Eccleſia poſt legem, & ad verſ. 24. Iudæ Apoſtoli.

34 Nona, & vltima ratio, Saltationes, & choreæ pudicæ non improbantur ab Eccleſia; imò in celebrioribus feſtiuitatibus eas approbat, & in ſacris ædibus fieri permittit, adeò vt ex S. Ambroſio lib. 4. epiſtola 30. ad Sabinum, *In laqueos reprehenſionis animas ſuas inducant, qui reprehendunt iſta, quæ ſacroſanctæ religionis contemplatione veneranda ſunt.* Legantur Suarez tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 6. num. 4. Raphaël à Turre in 2. 2. quæſt. 99. art. 7. diſputatione ſeptima pag. 621. adnotantes prohibita non eſſe in Templis tripudia, & repræſentationes, quæ poſſunt ad pietatem mouere. Nec de eis intelligendus eſt Odo Epiſcopus Pariſienſis in conſtitutionibus numero 36. Quapropter caueat quiſquis damnarit ſaltationes cęlicolas in cultum obſeruantiamque Chriſti, ne & ipſe obiurgetur. Conſtat ex S. Paulino in Natali 3. S. Felicis feſta Martyrum Choreis fuiſſe celebrata. Sic enim inuitat,

Ferte Deo pueri laudem, pia ſoluite vota,
Et pariter caſtis date carmina feſta choreis.

Balſamon

Digitized by Google

Balſamon in ſcholio ad Canonem 20. Synodi Gangrenſis tradit, cantica, & choreas, quæ in ſolemnibus Martyrum feſtis fiunt, quia in Dei honorem, non reprobari à Patribus eius Synodi. Licet autem in aliis Conciliis apud Ioannem Sauaronem ſuper epiſtolam 15. Sidonianam lib.4. & Torreblancam lib.11. Practicabilium iuris ſpiritualis cap.8. n.19. ac 20. videantur reprehendi, intelligenda vtique ſunt de immodeſtis ſaltationibus; quales Gaditanæ antiquæ; quæ, iam antiquatæ, reuixere noſtro ſæculo in Hiſpaniæ theatris, non abſque ingenti honeſtatis detrimento. Choreas tamen ex ſe non damnandas inter mares etiam, & fœminas tradit Azor part.3.Inſtit. Moral. lib.3.cap.26. Franciſcus de Amaya lib.3.obſeruationum Iuris cap.52.n.62. & quæ in Regum palatiis aguntur, licitas ex ſe eſſe, admittit P.Petrus Hurtadus volumine de ſpe, & Charitate diſp.173. ſect. 27. aliàs meritò infenſus theatralibus ſect. 28. ſubſect. 4. quia illæ graues, & verecundæ, hæ plerumque leues, & inhoneſtæ. Non eſt ergo, cur à Dei Regia arceantur choreæ glorificatorum hominum, qui, vt ſtatus beatificus exigit, eas agent maximo cum decoro, & pudiciſſimis motibus. Eos laudat in tripudiante Scipione Annæus Seneca lib.de tranquillitate animi.cap.15. his verbis, *Triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros, non molliter ſe infringens, vt nunc mos eſt, etiam inceſſu ipſo vltra muliebrem mollitiem fluentibus; ſed vt illi antiqui Viri ſolebant inter luſum, ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamſi ab hoſtibus ſpectarentur.* Laudemus, & nos in Beatis tripudia; quæ dubio procul erunt decentiora, & magis in virilem modum.

35 Aſt aliquis placidis oculis iſta non perlegerit, conſcius eorum, quæ contra choreas, & ſaltationes congerunt ex Patribus Eccleſiæ Petrus Guzman lib.de honeſto labore diſcurſu 6. §. 8. Ioannes de Torres in Philoſophia Morali Principum lib. 20. cap.6. Nouarinus lib. 2. Sacrorum electorum excurſu 49. Petrus Gregorius in Syntax. artis mirabilis tom.2. lib.12. cap. 19. 20. & 21. Franciſcus Petrarcha de remediis vtriuſque fortunæ lib.1. Dialogo 24. Octauianus Tuſus in Eccleſiaſticum c.9. v.4. Ioannes Piña ibidem, Et hologia 107. Theophilus Raynaudus lib. 6. de virtutibus, & vitiis ſect.2. cap 10. à pag.679. vſque ad 681. Pineda in cap.21. Iobi verſ.11. n.5. Hurtadus ſuprà ſect.27. §.320. & ſect.28. ſubſect.4. Spero tamen, gratum ſcriptis ſe exhibiturum, ſi aduertat, Patres inuehi in theatrales, & ſcenicas, laſciuas, & impudicas. Has etiam damnarunt moderatiores Gentiles; nec non domeſticas, quæ tamen vitij aliquid continerent. Hinc illud Macrobij lib.3. Saturnalium c.14. *Taceo, quòd Matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant; ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodò non curioſa vſque ad artis perfectionem. Quid enim, ait Salluſtius, pſallere, ſaltare elegantiùs, quàm neceſſe eſt probæ? Adeò & ipſe Semproniam reprehendit, non quòd ſaltare, ſed quòd optimè ſcierit.*

36 Fuere ſancta, & religioſa ſaltationis initia: illam adinuenit bellica neceſſitas, & multarum gentium mos fuit cum cantu, & ſaltatione bellum inire, vt ſcitè probant Ioſephus Stephanus in lib.1. Machabæorum cap.3. verſ.2. Roa lib.3. Singularium cap 16. lib. etiam 4. Singularium Scripturæ ſacræ c. 8. Shetlogus volumine 3. in Cantica veſtig.35. n. 1. Pintus Ramirez in cap.7. Canticorum n.426. & 427. Choreis priſci honorabant Deos, & hac arte ad bellum expediebant corpora. Exinde ortum Socratis dictum, *Qui rectè ſciuere choreis honorare Deos, hi optimè & in bello.* De ipſo Socrate memorat Diogenes lib.2. ſæpe ſaltitaſſe. Plutarchus lib.7. Quæſtionum conuiualium quæſt.8. ſcribit, Socratem peregiſſe laudationes de ſaltationibus. Plato lib.2. de legibus, putat, Deos laborioſam hominum vitam miseratos inter alias laborum remiſſiones conſtituiſſe tripudia, ac ſaltationes. Quarum alia encomia reperies in Dione Pruſæo oratione 2. Athenæo lib. 1. Deinoſophiſtarum cap.18. lib.14. cap.6. Ariſtide tom.3. Oratione contra proditores Myſteriorum pag. (mihi) 713. Franciſco Ferdinandio de Cordoua cap. 29. Didaſcaliæ multiplicis, Iulio Cæſare Scaligero lib.1. Poëtices cap.18. Bulengero lib.1. de theatro cap. 52. Roſino libro 5. Romanarum antiquitatum cap. 10. Rangolio ad lib.1. Regum capite 18. verſ.6. Alexandro lib.2. Dierum Genialium cap.25. Lorino in Eccleſiaſten cap.3. verſ.4. Mercuriali lib.2. de Arte gymnaſtica à cap. 3. vſque ad 7. Ludouico Dorleans ad lib.2. Annal. Cornelij Taciti pag.309 Pantoja de aleator. lib.2. à fol.44. Biſciola lib.7. horar. ſubc. cap. 21. Pet.fab. in agoniſt. lib.1. cap 12.

37 Non ibo inficias, Patres quandoque videri choreas quaſuis, & tripudia inculcare. Cæterùm ob periculum ex eis non raro imminens caſtitati, ac pudori, ſi mares, fœminæque permixtim conueniant. Et quidem non ſolùm actus, ſed vel *euſmodi conſpectus ſæpe numero, illum etiam, qui temperanter gerere ſe voluerit, ſenſim ad turpitudinem impellit*, vt S.Chryſoſtomus oratione in S.Iulianum admonet, docétque experientia. In Beatis autem nullum eſt periculum. Obiicies ex S.Ambroſio lib.6. in Lucam cap.7. *Non congruunt reſurrectionis reuelata myſteria & opprobria ſaltationis exacta.* Sed tamen S.Doctor loquitur ibi de ſaltatione hiſtrionica. Dixerat namque anteà ad illud Ezechielis 21. verſ. 13. & 14. *Plaude ſuper famur::: & percute manu ad manum. Non hiſtrionicos fluxu corporis motus Deus morum cenſor exigeret, aut indecoros ſtrepitus viris, plauſúſque fœmineos imperaret, vt tantum Prophetam deduceret ad ludibria ſcenicorum, & mollia fœminarum.* Hinc cùm idem S.Doctor lib.3. de Virginibus ait, *ibi intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, vbi comes delitiarum eſt extrema ſaltatio. Ab hac Virgines Dei procul eſſe deſidero. Nemo enim, vt dixit quidam ſæcularium Doctor* (nempe Cicero in oratione pro Murena) *ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit. Quod ſi iuxta ſapientiam ſæcularem, ſaltationis, aut temulentia author eſt, aut dementia; quid diuinarum Scripturarum cautum putamus exemplis? Cùm Ioannes prænuntius Chriſti ſaltatricis optione iugulatus exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris dementiam.* Intelligendus eſt non de omni ſaltatione, ſed de impudica, & inhoneſta; neque enim omnis eſt aut temulentiæ, aut inſaniæ nota, vt patet ex Ioanne Baptiſta, qui Lucæ 1. v.44. *exultauit in gaudio::: in vtero materno, vt facta eſt vox ſalutationis* Marianæ; vt etiam patet ex Claudo illo Actorum 3. verſ.8. qui ſanatus ab Apoſtolorum Principe: *Exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Sed & ipſe S. Ambroſius in Pſalm. 118. ſerm.7. inquit, *Corporis ſaltatio in honorem Dei laudabilis habetur.*

38 Oppones iterùm ex S.Ioanne Chryſoſtomo in capite 19. Mathæi homilia 49. *Non ad tripudia pedes nobis tribuit Deus; ſed vt modeſtè incedamus; non vt impudenter Camelorum modo ſaliamus;*

nec

nec enim ſolum fœminæ, ſed & cameli turpiter ſaliunt. Veruntamen Chryſoſtomo ſermonem eſſe de turpi ſaltatione perſpicuum eſt; imò ſi addas quæ ſequuntur, videlicet, *ſed vt in Angelorum choreis conſiſtamus*, comperies, illum potiùs fauere choreis cæleſtibus ex Angelis & hominibus. A quo ſenſu non diſtat S. Ephræm, dum in lib. de locis beatis ſic fatur, *Choros cum Angelis iungunt, qui in ſolitudinibus, montibus, ſpeluncis, terraque foraminibus, ieiunando, orando, vigilando, ac lachrymando ſe ipſi confecerunt.* Neque item S. Baſilius, dum homilia de gratiis Deo agendis ait, *Filium amiſiſti. Habes Angelos, quibuſcum ante Chriſti thronum choreas ducas.*

39 Excogitata à Guilielmo Pariſienſi ſuprà contra choreas Cæleſtes mouere neminem debent; alia eſt enim conditio exultationum corporalium, quibus nos ſuadendis incubuimus, à geſticulationibus, & motibus inordinatis, in quos multus eſt, & meritò Pariſienſis. Quòd autem affirmat, non eſſe vera gaudia, quæ redundant in corpora, falſum eſt, vt ex ſuperioribus liquet. Et quamuis pro ſtatu vitæ mortalis continendus ſit communiter lætabundus animus, ne prodeat in motus, & numeros corporeos; ſecùs eſt de ſtatu vitæ immortalis. *Hic enim opus habet auertere ſe à carnalibus ſenſibus ad intelligibilia capienda, quia infirmus eſt, & minùs idoneus vtriſque ſimul adhibere intentionem ſuam. Et in his corporalibus nunc illecebra cauenda eſt, quandiu illici ad delectationem turpem poteſt. Tunc autem tam firmus erit, atque perfectus, vt numeris corporalibus non auertatur a contemplatione ſapientiæ, & ita ſentiat eos, vt non illiciatur ab eis, nec eis carendo fiat melior; ſed ita ſit bonus, ac rectus vt nec latere poſſint eum, nec occupare.* Mutuatus ſum hæc ex S Auguſtino lib. 1. Retractationum cap. 11. qui aptè percipi poteſt de numeris corporalibus conſiſtentibus tum in motu compoſito glorificatorum corporum, tum in muſicis concentibus percipiendis à Beatis. S. Anſelmus tranſcriptis verbis videtur inſtitiſſe, cùm lib de ſimilitudinibus cap. 48. narratis partibus corporalis beatitudinis in cæleſti patria addit, *ſi autem in his aliqua ſunt, quæ aliquando ſerui Dei non modò non appetunt, ſed etiam magnopere in hac vita curare ſubterfugiunt, vt ſunt v. g. pulchritudo corporis atque voluptas, vtique idcircò non ea fugiunt, quòd hæc naturaliter nolint, ſed ne Deum in his quoquo modò poſſint offendere. Nam ſi per ea nihil offenſionis in Deum contrahi poſſe certè ſentirent, vel ſe ab æternorum amore bonorum impediri, non pertimeſcerent, profectò iucundius in ipſis, quàm in eorum contrariis ſe deducerent.* Hactenus S. Anſelmus.

SECTIO III.

Breuiaria rationes quæſtionum de motu locali Beatorum hominum in Empyreo.

40 DE his quæſtionibus fusè agunt antiqui Sententiarij in 4. diſt. 44. vel 49. & moderniores Theologi in 1. 2. quæſt. 4. Toſtatus in cap. 17. Mathæi à quæſt. 123. vſque 126. incluſiuè, Suarez tomo 2. in 3. p. diſput. 48. ſect. 4. Leſſius lib. 3. de ſummo bono cap. 6. Salas in 1. 2. tract. 2. diſput. 14. ſect 18. Ægidius Luſitanus tomo 3. de Beatitudine lib. 5. quæſt. 5. & nonnullas ex eis diſcutiunt prolixè iidem Theologi, dum de locali Angelorum motu ſermonem habent. Nos breuiùs, ſed non ieiunè aliquas; & longiùs alias, ſed non ad faſtidium tractare curabimus.

41 Prima itaque quæſtio ſit; *Num Beati homines poterunt ſe mouere ſimplici motu, ſeu vno impetu in omnes partes Empyrei, & mundi?* Reſpondeo poſſe. Primò, quia Sapientiæ 3. v. 7. dicuntur *Diſcurſuri tanquam ſcintillæ in arundineto.* Et Iſaiæ 4. v 31. *aſſumpturi pennas, ſicut aquilæ.* Scintillarum autem diſcurſus, & aquilarum volatus non eſt motus progreſſiuus. Secundò, quia S. Auguſtinus lib. 13. de ciuitate Dei cap. 18. arguit, Si Angeli poſſunt ſine labore rapere corpora animalium, & conſtituere, vbi voluerint, *Cur Sanctorum perfectos, atque beatos diuino munere ſpiritus ſine vlla difficultate poſſe ferre, quò voluerint, & ſiſtere, vbi voluerint, corpora ſua, non credamus?* In quibus verbis innuitur, animas Sanctorum poſſe vno impetu mouere ſua corpora, ſicut angeli poſſunt aliena. Idem S. Doctor lib. 22. cap. vltimo ſcribit, *Certè vbi volet ſpiritus, protinus erit & corpus.* Conſonat S. Laurentius Iuſtiuianus cap. 23. de perfectione conuerſationis Monaſticæ dicens, *Tanta agilitate erit prædita* caro glorificata, *vt in momento in omnibus obtemperet imperio ſpiritus præſidentis; ſine vlla grauedine, & abſque retardatione eos diuertet, quo impetus ſpiritus diriget* ſe. Tanta verò celeritas ægrè intelligitur, ſi motus corporis debeat eſſe progreſſiuus. S. Anſelmus cap. 25. Proſolog. & de ſimilitudinibus cap. 51. nec non ſermone de beatitudine cap. 2. ait, *In illa beata vita velocitas tanta nos comitabitur, vt ipſis Angelis Dei æquè celeres ſimus futuri, qui à cœlo ad terram, & è conuerſo dicto citius dilabuntur.* At ſi beati homines debeant in motu vti alternatione pedum, erunt comparatione Angelorum ſe mouentium velut teſtudines reſpectu aquilarum. *Nam Angeli loca omnia peragrant, omnibuſque impigrè adſunt, tum ob miniſterij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem,* vt tradit S. Gregorius Nazianzenus oratione 2. de Theologia, & vt Tertullianus in Apologetico cap. 22. *Momento vbique ſunt. Totus orbis illis vnus locus eſt.* Videantur alij Patres apud Tannerum tomo 1. diſputat. 5. quæſt. 2. dub. 6. numer. 4. Hæc ratio inſſicax videtur Salæ, nam motus progreſſiuus beatorum hominum diuinitùs poteſt eſſe velocior, & velocior in infinitum: Sed contra, quia adhuc ſuperari poſſet ab Angelorum motu, cui maior, & maior celeritas in infinitum competeret naturaliter, vel diuinitùs, licèt excedi non poſſet ab alio motu progreſſiuo. Tertiò, nam Chriſtum Dominum aſcendiſſe in cœlum motu ſimplici, colligitur ex Actorum cap. 1. verſ. 9. Lucæ cap. 24. verſ. 51. verbis illis, *Eleuatus eſt. Ferebatur in cœlum*; nec poteſt alius motus commodè excogitari ſiue cùm Chriſtus aſcendit, ſiue cùm deſcendet, rurſuſque aſcendet ſtipatus beatis hominibus, de quorum motu ad cœlum, & de damnatorum ad Infernum præcipitatione, qualiter accipi debeant Chriſti verba Mathæi 25. verſ. 46. *ibunt iuſti in vitam æternam*; damnati *in ſupplicium æternum*, expendit diligenter Duuallius quæſt. 6. art. 5. tractatus de Nouiſſimis. Quartò, quia motus ſimplex beatorum hominum conducit ad maiorem ipſorum gloriam, ac perfectionem, & aliunde non eſt impoſſibilis; quicquid refragetur Durandus in 4. diſtinct. 47. quæſtion. 7. Cuius argumentis ſatisfaciunt prælaudati Authores. Inter quos Leſſius impugnat motum progreſſiuum, quando

dd 2 beati

Digitized by Google

beati homines aſcenderent, aut deſcenderent per aëra: tunc enim non poſſent figere pedem in corpore fluido. Nos tamen in Exercit. 14. ſect. 1. iam notauimus, ſolidam non eſſe hanc impugnationem; notúmque erit legenti Authorem de cognitione veræ vitæ cap. 45. inter opera S. Auguſtini. Suarez ægrè intelligit motum progreſſiuum per ſphæras cæleſtes, quibúſcum abſque diuiſione penetrentur beati homines. Sed me latet ratio maioris difficultatis, quā ſi non penetrarentur.

42 Secunda quæſtio; *An beati homines poſſint mouere ſe diſcretè, ideſt, adquirendo ſimul totum locum nouum, & ſimul relinquendo totum antiquum?* Reſpondeo affirmatiuè, quia ſic poſſunt mouere ſe Angeli, & animæ rationales ſeparatæ. Erunt autem homines in Reſurrectione ſicut Angeli Dei. Et anima ob vnionem ad corpus non priuabitur perfectione aliqua ſpirituali; ſed Deus præſto aderit concurſu ſuo ſupernaturali, ſi neceſſarius ſit ad ea, quæ alioqui poſſet anima naturaliter in ſtatu ſeparationis. Huc faciunt Patres memorati in præcedenti numero, & præcipuè Sanctus Anſelmus cap. 25. Proſologij, inquiens, corpora glorificata fore ſpiritualia poteſtate, id eſt, habitura ſupernaturaliter proprietates ſpirituum. Quo ſenſu ſcripſit in Tract. de Sacramento altaris parte 2. cap. 4. corpus Chriſti glorificatum *ſubtilius, & efficacius eſſe, quàm aliqui non ſolùm inferiores ſpiritus ſint, ſed & omnes illi, qui cælorum nomine meruerunt appellari*; quicquid Petauius tomo 1. Theologicorum Dogmatum l. 7. cap. 2. num. 7. hæſitet in his verbis, quaſi Sanctus Anſelmus innueret, Chriſti corpus conuerſum iam eſſe in Spiritum. Nec gratis à nobis ſupponitur in Angelis, & animabus rationalibus naturalis facultas mouendi ſe diſcretè. Nam cùm Angelus ſit indiuiſibilis, & exiſtat totus in toto, in qualibetque parte ſpatij adæquati, nihil vetat, ne vnum totum deſerat, & totum alium comparet, eo quidem modo, quo in quolibet permanere poteſt naturaliter. Exemplum animæ rationalis amittentis vnionem, & vbicationem ad totam ſimul aliquam partem corporis humani, & adquirentis nouam vnionem, & vbicationem, ad totam ſimul aliam partem, nonnihil iuuat. Ægidius Luſitanus diſcordat à nobis quoad beatos homines, quia motus diſcretus eſt ſuprà corporis naturam, quam non tollit gloria, ſed perficit; & quia vix percipit, quî poſſit corpus conſtans partibus, nec exiſtens totum in qualibet parte ſpatij relinquere totum priorem locum ſimul, & in poſteriori totum ſimul poni. Verumtamen prima ratio debilis eſt, ni velit Ægidius, beatos homines non poſſe penetrari cum corporibus, quia id etiam eſt ſupra illorum naturam; quæ non tollitur per penetrationem, neque per motum diſcretum, ſed perficitur, & eleuatur ad aliquid ſuperius ſuis viribus. In ſecunda ratione miror Ægidij tam anguſtam intelligentiam circa potentiam Dei abſolutam, & obedientialem corporis, nam à naturali alienum eſſe motum diſcretum non negamus, ne ſequatur, partes aliquas corporis tranſire de loco ad locum diſſitum, quin percurrant medium, quod inter illas iacet, quippe id ſit impoſſibile naturaliter, ſiue medium participet, ſiue non ex vtriuſque loci extremis, vt inferius conſtabit.

43 Quæſtio tertia, *Vtrum beati homines valeant moueri de extremo ad extremum, quin moueantur per medium?* Reſpondeo primò, non poſſe naturaliter de extremo ad extremum diſtans v. g. de Empyreo ad terras, quin pertranſeant ſphæras alias intermedias. Probatio, quia Angeli naturaliter non poſſunt. Ergo à fortiori, nec beati homines. Antecedens ſuadetur primò authoritate S. Thomæ 1. p. quæſt. 53. art. 2. qui cùm propoſuiſſet ſecundo loco hoc argumentum, *Angelus eſt ſimplicioris ſubſtantiæ, quàm anima noſtra. Sed anima noſtra ſua agitatione poteſt tranſire de vno extremo ad aliud non pertranſeundo medium; poſſum enim cogitare Galliam, & poſteà Syriam, nihil cogitando de Italia, quæ eſt in medio. Ergo multò magis Angelus poteſt de vno extremo tranſire ad aliud non per medium.* Occurrit ſic, *Angelus dum mouetur, localiter applicatur eius eſſentia diuerſis locis; anima autem eſſentia non applicatur rebus, quas cogitat, ſed potiùs res cogitatæ ſunt in ipſa; & ideò non eſt ſimile.* Hæc S. Thomas quibus nihil clarius dici potuit. Suadetur ſecundò, quia difficilius eſt, Angelum moueri de extremo ad extremum diſtans, & non per medium, quàm, dum non eſt in medio, exiſtere ſimul in duobus locis diſſitis non excedentibus amplitudinem loci adæquati naturalis. Sed Angelus non poteſt naturaliter hoc poſterius. Ergo nec prius. Huius ſyllogiſmi niſi Minor vera eſſet, ſequeretur in primis contra Patres Eccleſiæ, Angelos naturaliter exiſtere poſſe ſimul in partibus cœli, & terræ non ſuperantibus eam loci quantitatem continuam, aut contiguam, cui Angeli queunt eſſe naturaliter præſentes; imò ſequeretur, poſſe Angelos exiſtere naturaliter in pluribus, & pluribus infinities diſſitis locis inadæquatis, in quæ iuxta Peripateticos diuiſibilis eſt locus adæquatus. Nam ſi intermedius locus non debet quaſi occupari ab Angelis, & loci vnitas non eſt neceſſaria, nihil intereſt minor diſtantia locorum inadæquatorum præ maiori: quemadmodum ſi agentia creata poſſent naturaliter operari in diſtans, quin in medio, tam poſſent ad diſtantiam mille leucarum, quàm vnius; quemadmodùm etiam non eſt maius miraculum exiſtere Chriſtum ſacramentaliter in duobus hoſtiis proximis, quàm in valdè remotis. Deinde ſequeretur, animum rationalem poſſe naturaliter eſſe præſentem localiter, & informatiuè partibus diſtantibus corporis humani, quin ſic præſens ſit intermediis. Poſtremò ſequeretur, Angelum penetratum corpori, quod exiſteret definitiuè in loco, poſſe connaturaliter, ſuppoſito miraculo exiſtentiæ definitiuæ communicatæ corpori, transferre ſecum iſtud de de extremo ad extremum diſtans ſine tranſitu per medium. Nec dicas, Angelum poſſe operari in extremis, & non in medio, ideóque illis eſſe præſentem, & non huic, ſiquidem formalis ratio præſentiæ Angelicæ ſit operatio, aut connexa cum operatione. Contra enim eſt, quia alioqui poſſet Angelus exiſtens in terra gyrare cœlum, cui etiam præſens eſſet, vel fieret in inſtanti, ſed ſuſpenſa operatione in ſpatiis intermediis. Quod nulli nō abſurdum videbitur, & ſupra virtutem naturalem agentium creatorū, quæ exiſtētia in vno loco nequeunt operari in aliū diſſitum non operando per medium, aut non ſupponendo in medio effectū proportionatum cauſatū à ſimili agente. Quamuis verò anima valeat moueri in pede, & in capite, quin in medio, aliquā tamen in hoc poteſt exercere operationem, debéique ſaltē in hoc eſſe præſēs localiter, atque informatiuè. Ad hęc: vbicatio Angelica nullatenùs requirit operationem tranſeuntem, vt in ſect. 10. Exercit. 20. copioſè pertractaui. Sed inquies, licet vbicatio Angelica non requirat operationem tranſeuntem, pendet tamen à libera voluntate Angeli. Ergo is poterit pro

ſuo

ſuo libito exiſtere in extremis, & non in medio, tranſireque ex vno ad aliud, abſque productione vbicationis in medio. Contra, quia ex ſuppoſitione exiſtentiæ Angeli in extremis, & tranſitus ex vno ad aliud, non eſt liberum Angelo non producere vbicationem in medio, vt vt ſit de libertate abſoluta nullam efficiendi vbicationem. Poſſem redarguere præſentiam Angeli in locis remotis abſque vbicatione in medio, quia alioqui Angelus diſtaret à ſe ipſo, vti Angelus, qui exiſteret tantùm in vno extremo, diſtaret ab exiſtente tantùm in alio. Verùm hæc ratio, etſi valida eſſet aduerſus Thomiſtas, qui ob eam dicunt, nec diuinitùs poſſe idem corpus exiſtere circumſcriptiuè duobus in locis, nihilominùs ex ſuis meritis æſtimabilem non eſſe oſtendi n. 80. & 98. exercit. 18.

44 Reſponſionis præſtitæ altera probatio, quia medium poſitum inter duo extrema eſt prius ordine ſituali, quàm vnum ex illis. Ergo vt corpus conſtituatur in poſteriori extremo debet naturaliter percurrere anteà medium. Hæc ratio eſt etiam mihi in vſu ad probandum idipſum de Angelo, nam quòd debeat naturaliter corpus ratione quantitatis habere partes extra partes, non conducit ſpecialiter ad impediendum tranſitum de extremo ad extremum, ſine peruaſione medij; ſed ad impediendum ne extremum adquiratur ſine extenſione partium corporis. Vltima probatio, quia experimur, corpus non poſſe progredi ad vlterius ſpatium ſi in medio interponatur aliud, quod nequeat permeari, quódque non cedat.

45 Reſpondeo ſecundò, non poſſe etiam diuinitùs beatos homines motu continuo, id eſt, relinquendo ſucceſſiuè, ac ſenſim partem poſt partem loci, & adquirendo partem poſt partem tranſire ad locum continuum, aut contiguum, niſi pertranſeant medium participans ex locis deperdito & comparato; neque item poſſe tranſire ad locum diſtantem, quin peruadant medium non participans. Vtraque pars reſponſionis manifeſta eſt, ſi benè calleantur termini; nam moueri modo propoſito ſiue corpus, ſiue ſpiritum nihil aliud eſt, quàm permeare medium communicans ex vtroque loco. Num verò poſſit ex Dei eleuatione corpus glorificatum deſerere ſimul totum vnum locum, & non percurſo medio incommunicante comparare motu continuo alium locum ſeiunctum? Vocaretur non ineptè in diſputationem ſi corpus glorificatum non maneret extenſum, quando inciperet adquirere locum. Aſſereremque ipſe, nullam in tali motu reperiri implicantiam contradictionis. Cur enim repugnaret, vt totum corpus modò conſtitueretur in vna parte loci, & poſteà in alia? Quoad Angelos quidem aſſerunt aliqui id non repugnare; eadémque videtur eſſe ratio de corpore, cuius partes penetrarentur, careréntque extenſione.

46 Reſpondeo tertiò, non poſſe naturaliter beatos homines tranſire de loco ad locum continuum, aut contiguum abſque peruaſione medij participantis. Nam vt naturaliter poſſent, deberet illis eſſe naturalis motus diſcretus, quo totus vnus relinquitur locus, & totus alius adquiritur. Sed motus diſcretus non eſt naturalis beatis hominibus, vtpote quorum corpora retineant extenſionem, & diuiſibilitatem. Ergo &c. Patet ex his diſparitas ad Angelos, de quibus, & de corporibus ait Sanctus Thomas 1. part. quæſt. 52. art. 2. in corpore. *Moueri de extremo in extremum, & non per medium poteſt conuenire Angelo, ſed non corpori, quia corpus menſuratur, & continetur ſub loco, vnde oportet, quòd ſequatur leges loci in ſuo motu. Sed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco vt contenta, ſed eſt ſuperior eo, vt continens. Vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco prout vult, vel per medium, vel ſine medio.* Sic Angelicus Doctor loquens de medio, cuius partes ſint infinitæ in potentia, proindéque de medio participante; & de motu continuo, quando medium pertranſitur ab Angelo; de diſcreto, quando ſecùs fit. Hunc eſſe S. Præceptoris ſenſum in citato articulo, & in 1. diſt. 37. quæſt. 4. art. 2. ad Anibaldum quæſt. 2. circa eandem diſt. art. 1. Quodlib. 1. artic. 5. animaduertunt Molina, Valentia, Turrianus, Arrubal, Albertinus, Tannerus, Meratius, Franciſcus Amicus, Auerſa, aliique; & quò ſæpius lego S. Doctoris verba, eò magis ad eius mentem à me cẽſetur.

47 Reſpondeo quartò, poſſe diuinitùs beatos homines tranſire de loco ad locum diſtantem, & ad locum continuum, aut contiguum, quin percurrant medium quodcumque. Probant aliqui, tum quia agentia creata poſſunt diuinitùs operari in diſtans, quin in medio. Tum quia entitati creatæ non repugnat exiſtere in inſtantibus *A* & *D*, non autem in *B* & *C*, vt ſi poſt exiſtentiam in *A* deſtruatur, & in *D* reproducatur, aut in *B*, ac *C*, conſeruetur ſine duratione, quam tamen habeat in *A* & *D*. Ergo ſimiliter non repugnabit tranſire de vno extremo ad aliud, quin percurrat medium. Duæ hæ rationes parùm conducunt, prior quidem quia actio non tranſiret ab agente in paſſum, ſeu à loco, in quo eſſet agens, ad locum, in quo paſſum, ſed ab agente exiſtente in loco *A*, verbi gratia, produceretur in paſſo occupante locum *D*, alioqui non poſſet dari actio inſtantanea orta ab agente diſtante, ſiquidem actio, verbi gratia, productiua metalli in viſceribus terræ orta à Sole nequiret in vno inſtanti peruadere ſpatium interceptum. Omitto, agens creatum poſſe naturaliter operari in diſtans, ſi priùs circa medium, aut ſi in hoc ſupponatur effectus proportionatus cauſatus à ſimili agente: nec ideò ſine pertranſitione medij, mobile creatum poſſe naturaliter tranſire ad extremum diſtans, etiamſi in medio ſupponatur aliud mobile, aut etiam ſi mobile tranſiens operaretur in medio quidpiam diſtinctum à ſui motu. Poſterior ratio, caſu, quo entitas creata deſtruatur, eſt omninò impertinens ad inferendum rei exiſtentis tranſitum ex vno extremo ad aliud ſine peruaſione medij; & alter caſus maiorem ſimilitudinem præ ſe fert; ſed admittetur à paucis etiam ex iis, qui durationem diſtinguunt à re creata, & tempore præterlabente.

48 Aliter, & ſecuriùs ſtabilitur reſponſio exemplo corporis Chriſti Domini, quod ex Empyreo transfertur ad altare per quandam ſimplicem mutationem non pertranſito medio. Si dicas, corpus Chriſti manere in Empyreo. Hinc potiùs addes argumento robur; nam longè difficilius eſt, vt in Empyreo manens transferatur ad altare non tranſeundo per medium, quàm ſi amittens præſentiam circumſcriptiuam cæleſtem conſtitueretur in altari. Et prætereà potuit à Deo ſic inſtitui Sacramentum Euchariſtiæ, vt adquiſita à corpore præſentia Sacramentali, amitteretur cæleſtis nam ab hac non dependet eſſentialiter illa. Si rurſùs dicas, corpus Chriſti adquirere in altari præſentiam non commenſuratam loco. Ita quidem eſt, Sed cur repugnaret, vt ſicut accipit præſentiam definitiuam, acciperet circumſcriptiuam? Minus miraculoſa hæc eſſet, quam illa.

Digitized by Google

49 Poſſumus item argumentari exẽplo Angelorũ, & animarum rationalium, quibus non eſt impoſſibilis tranſitus ab extremo ad extremum diſtans non percurſo medio. Nullaque ſe offert peculiaris ratio impoſſibilitatis reſpectu corporis, quod in vno extremo amittat, & in alio obtineat circumſcriptiuam præſentiam. Et quamuis corpori repugnaret habere ſimul duas præſentias circumſcriptiuas in locis diſtantibus, tamen deperdere vnam, & abſque occupatione medij comparare aliam, non ideò repugnabit. Sed reuera neque illud repugnat, vt contra Thomiſtas diſſerui in ſect. 5. Exercit. 18. Tandem Patres Eccleſiaſtici fauent noſtræ reſponſioni: Et vltra relatos n. 41. Author libri de cognitione veræ vitæ cap. 45. ait de corporibus glorificatis, *Erunt illa corpora vt animus agilia :::: Quàm citò enim nunc animus ab Oriente in Occidentem peruenit cogitatione, tam citò tunc illud corpus illuc peruenire poterit.* Circumferuntur vulgò ſimilia alia verba ex cap. 90. Enchiridij; ſed ibi ea non inuenio, neque in toto opere, quod eſt certum S. Auguſtini, non verò illud de cognitione veræ vitæ. S. Bernardus ſerm: 4. in feſto omnium Sanctorum aſſeuerat, *tantam futuram eſſe corporum agilitatem beatorum, vt poſſint, ſi velint abſque omni mora, ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem.* Atqui nos naturaliter poſſumus non cogitando de medio tranſire mentaliter de vno obiectiuo extremo ad aliud remotum. Ergo beati homines poterunt diuinitùs tranſire localiter &c. Ita Suarez, Salas cum Guilielmo Pariſienſi, & Kelliſonus citatus ab Auerſa 3. p. quæſt. 53. ſect. 3. Tena lib. 3. in Iſagoge ſacræ Scripturæ, difficultate 4. Columbus lib 8. de Hierarchiis c. 11. Ludouicus Caſpenſis tract. de Angelis d. & ſect. 5. n. 33. Molina in 1. p. quæſt. 53. art. 2. Franciſcus de Lugo diſt. 6. de Angelis c. 5. n. 8. ex quibus aliqui non ſolùm dicunt cum Richardo, & Paludano nullam eſſe implicantiam contradictionis in tranſitu glorificatorum hominum de extremo ad extremum ſeiunctum non permeando medium, ſed addunt etiam, huiuſmodi tranſitus conferendam facultatem de facto; & à fortiori gaudere iam nunc ea Chriſtum, de quo exiſtimat Abulenſis Paradoxo 5. cap. 13. perueniſſe ad Empyreum præfato tranſitu poſtquàm nubes ſuſcepit ipſum ab oculis diſcipulorum. Concordat Durandus in 4. diſt. 44. q. 6. Si vt Chriſtus aſcenderit, non ſint diuiſi cæleſtes orbes. Sed diſcordat & meritò Suarez diſp. 51. ſect. 1. Auerſa ſect. 6. aliique agentes de Chriſti Aſcenſione, quia decebat, vt hanc Chriſtus proſequeretur, ſicut inchoauerat, & vt omnium cœlorum poſſeſſionem caperet, eóſque ſua præſentia quodammodò ſanctificaret.

50 Angelicus Doctor in 4. diſt. 44. q. 2. art. & quæſtiuncula 3. Sotus diſt. 49. q. 4. art. 7. Peſantius 1. p. q. 53. a. 2. d. 1. rursùs 1. 2. q. 4. a. 6. d. 6. Cornelius à Lapide in 1. ad Corinth. 15. v. 44. Yſambertus 1. p. q. 53. d. atque art. 2. & Leſſius in ea ſunt opinione, vt implicatorium contradictionis habeant tranſitum corporis extenſi ex vno loco ad alium diſſitum ſine peragratione medij. Si S. Thomas loquatur de tranſitu inſtantaneo, qui ſit motus localis ſtrictè acceptus, veriſſima erit eius doctrina; nam localis motus ſtrictus exigit eſſentialiter, quando eſt continuus, ſucceſſionem multorum, quorum vnum exiſtat poſt aliud; & quando eſt diſcretus, duas ſaltem mutationes, quarum ab vna totus antiquus locus deſeratur ſimul, & ab altera adquiratur ſimul totus nouus; nequeunt autem dari in inſtanti duæ, quantominùs multæ aliæ mutationes locales, cum inſtans indiuiſibile ſit totum ſimul. Veriſſima etiam erit eadem doctrina ſi de mutatione locali continua deſerente, & adquirente partem poſt partem loci incidat ſermo S. Doctori, ad talem namque mutationem requiritur tempus, & ſucceſſio durationum realium, nec poteſt dari, quin mobile pertranſeat medium, & per illud accedat ad vlterius ſpatium; ita vt exiſtentia in termino, locóve ad quem importet neceſſariò negationem exiſtentiæ in termino, locóve à quo, & vice verſa. Vnde tam in corpore, quàm in ſpiritu repugnat motus localis ſtrictus, & mutatio localis continua, quæ fiat inſtantaneè. Poſtremò, ſi S. Doctor ſermonem habeat de motu locali latè ſumpto, & de mutatione locali diſcreta, nimiùm videtur Auerſæ ſect. 3. negare, quòd diuinitùs queat corpus abſque medio tranſire inſtantaneè de vno loco ad alium diſtantem; & aliquis putabit non eſſe conforme S. Anſelmo, qui in Elucidario cap. 76. in ſermone de beatitudine, & in lib. de ſimilitudinibus cap. 51. explicat velocitatem beatorum hominum his exemplis, & verbis, *Huius quoque velocitatis exemplum in radio Solis licet intueri, qui ſtatim orto Sole in plaga Orientali pertingit vſque ad vltimam plagã Occidentalis: vt in eo perpendamus non eſſe impoſſibile, quod de noſtra dicimus futura velocitate; præſertim cùm rebus animatis ſoleat ineſſe maior velocitas, quàm inanimatis. Huic etiam radio Solis ſimile exemplum velocitatis habemus in nobis; radius quippe oculorum noſtrorum in ſubleuatione palpebrarum vſque ad cœlum pertingit, & ictu earum totus in ſemet, ac integer redit.* Quæ vltima verba accepta videbuntur ex epiſt. 49. S. Auguſtini quæſt. 1. vbi legimus, *vt radius oculi noſtri citiùs non peruenit ad propinquiora, ſed vtraque interualla parili celeritate contingit, ita cùm in ictu oculi, ſicut Apoſtolus dicit, ſit reſurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei, & ineffabili nutui tam facile eſt quæque recentia, quam diuturno tempore dilapſa cadauera ſuſcitare.* Cæterùm S. Auguſtinus non fatur de mutatione locali Beatorum hominum, ſed de reſurrectione mortuorum exequenda in inſtanti; etſi in priori ſenſu referatur à S. Thoma, Toſtato, Paludano, Gregorio Ariminenſi, & aliis. S. Anſelmus vtitur exemplis, quæ magis indicant mutationem localem cum permeatione medij peractam in inſtanti; nam productio luminis fit per totum hemiſphærium in inſtanti, & viſus momento temporis protenditur à terra vſque ad cœlum. Vnde cùm Theologi communiter contra paucos alios ſtatuant, impoſſibilem eſſe prædictam mutationem ſiue corporum, ſiue ſpirituum, idque proximè à nobis ſit etiam præſuppoſitum, explicandus eſt S. Anſelmus, quatenùs eis exemplis voluerit ſignificare miram corporum glorificatorum celeritatem in tempore, ſed imperceptibili à nobis propter breuitatem, non ſecùs ac Sanctus Auguſtinus, inquiens, *vbi volet ſpiritus, protinus ibi erit & corpus.* Exponitur à S. Thoma ſic, *Illud, quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur, vt dicitur in 2. Phyſicorum: & ideò dicimus ſtatim facio, quod poſt modicum tempus fiet.* Et ipſe S. Thomas 1. part. quæſtion. 113. artic. 3. ad 6. eodem in ſenſu dixit, Angelum, quamuis in cœlo ſit, poſſe adeſſe nobis in terra ſine mora, id eſt, ſine tempore à nobis perceptibili. Si ad homines inſurgas, quid ni intelligamus in hunc modum verba Patrum exarata in numero 49.

Reſpon

Reſpondebimus, intelligi à nobis, vt ſonant, interim dum in tranſitu de extremo ad extremum ſine medio non demonſtratur contradictio, qualis in motu locali, & mutatione inſtantanea per medium.

51 Et verò vt ad S.Thomam reuertar, interpretatur ipſum Ægidius Luſitanus de impoſſibili diuinitus motu continuo beatorum hominum ex vno extremo ad aliud diſtans ſine tranſitu medij, itavt pars poſt partem loci deperdatur, & adquiratur, idque ſolummodò conuinci ratione S. Thomæ. Sed dubius valdè ſum circa ſinceritatem huius interpretamenti. Nam talis motus eſt impoſſibilis omninò vel ipſis Angelis, vt ex mente S.Thomæ, & ex propria fatetur Ægidius. At S.Thomas negat poſſibilem eſſe diuinitùs corporibus eum motum, quem naturaliter, vel ſaltem ſupernaturaliter admittit poſſibilem in ſpiritibus, cùm enim propoſuiſſet rationem quoad corpora, ſubiungit, *Nec eſt ſimile de motu Angeli, quia eſſe in loco æquiuocè dicitur de corpore, & de Angelo.* Sic in 4. Adiiciet quis verba ex 1. part. quæſt.53. artic.2. in corpore, *Moueri de extremo in extremum, & non per medium poteſt conuenire Angelo, ſed non corpori, quia corpus commenſuratur, & continetur ſub loco; vnde oportet, quòd ſequatur leges loci in ſuo motu. Sed ſubſtantia Angeli non eſt ſubdita loco, & contenta, ſed eſt ſuperior eo vt continens; vnde in poteſtate eius eſt applicare ſe loco prout vult per medium, vel ſine illo.* In his tamen verbis non excludit à corpore niſi mutationem localem, quam admittit in Angelis, nempe, quæ ſine medio fiat naturaliter, & quæ ſit de loco ad locum coniunctum ſine tranſitu medij participantis. Quare nec loquitur in ordine ad potentiam Dei abſolutam, nec de mutatione continua, ſed diſcreta.

52 Illud mihi certum eſt circa mentem S.Doctoris, videlicet cenſuiſſe diuinitus etiam impoſſibilem mutationem localem corporum inſtantaneam. Nam cùm ſcripſiſſet, *Nullo modo poteſt eſſe, quòd aliquod corpus perueniat de vno loco ad alium, niſi tranſeat omnia media.* Subiicit: *Et ideò hoc alij concedunt, ſed tamen dicunt, quòd corpus glorioſum in eodem inſtanti ſit in duobus locis, vel pluribus, ſcilicet in termino vltimo, & in omnibus locis mediis; quod non poteſt eſſe. Sed ad hoc dicunt, quòd quamuis ſit idem inſtans ſecundùm rem, tamen differt ratione, ſicut punctus, ad quem terminantur diuerſæ lineæ. Sed hoc non ſufficit, quia inſtans menſurat hoc, quod eſt in inſtanti ſecundum rem, non ſecundùm hoc, quod conſideratur. Vnde diuerſa conſideratio inſtantis non facit, quòd inſtans poſſit menſurare illa, quæ non ſunt ſimul tempore; ſicut nec diuerſa conſideratio puncti poteſt facere, quòd ſub vno puncto loci contineantur, quæ ſunt diſtantia ſitu.* Ita in 4. Et ſequela deducta ex mutatione locali inſtantanea corporis glorioſi abſurditatem continet ſecundùm potentiam etiam Dei abſolutam in via S.Thomæ putantis repugnare corporis in duobus, vel pluribus locis extenſionem. Inſuper 3.parte quæſt 57. art.3.ad 3. ait, *Etſi virtus diuina ſit infinita, & infinitè operetur, quantùm eſt ex parte operantis, tamen effectus virtutis eius recipitur in rebus ſecundùm earum capacitatem, & ſecundùm Dei diſpoſitionem. Corpus autem non eſt capax, vt in inſtanti localiter moueatur, quia oportet, quòd commetiatur ſe ſpatio, ſecundùm cuius diuiſionem diuiditur tempus, vt dicitur 6. Phyſicorum, & ideò non oportet, quòd corpus motum à Deo moueatur in inſtanti, ſed moueatur ea velocitate, qua Deus diſponit.* Hactenus ille, qui vel Angelis competere non poſſe mutationem localem inſtantaneam, docuit 1.p. q.53. art.3.

53 Eſt & illud mihi conſtans circa mentem S.Thomæ, nempe iudicaſſe alienum omninò à mobilitate corporum tranſitum, mutationémque localem diſcretam de extremo ad extremum ſine medio. Demonſtrant id verba relata initio numeri anterioris, & reliqua, quæ præeunt in corpore quæſtiunculæ 3. Quare reſtat dubitabile, an implicatorium contradictionis habeat tranſitum, qui ſine medio ſit de extremo ad extremum coniunctum, vel tantùm ad diſtans, vel qui ad vnum, & alterum ſit? Omnibus penſatis videtur loquutus de vtroque, & præcipuè de diſtanti, vt potè quod conceptis verbis exprimatur ab ipſo, licet, quando diſcriminat ſpiritum à corpore quantùm ad tranſitum de extremo ad extremum ſine medio, intelligendus ſit de tranſitu ſpiritus diuinitus poſſibili ad extremum diſtans, & de naturali poſſibili ad coniunctum.

54 Ratio S.Thomæ eſt, quia corpus non mouetur localiter, quandiu totum eſt in termino à quo, vt patet, neque quandiù totum eſt in termino ad quem, quia tunc iam eſt motum. Ergo mouetur, quandiu eſt in medio. Ergo debet moueri per medium, ne ſequatur peruenire de vno loco ad alium, quin moueatur; quæ conſequutio inuoluit contradictionem, ſiquidem ſucceſſio locorum eſt motus localis. Sed hæc ratio patitur inſtantiam in Angelo, & in corpore non exiſtente quantitatiuè, quæ ſaltem diuinitus moueri poſſunt diſcretè de loco ad locum diſtantem non pertranſito medio. Et abſolutè occurro inquiens cum Suario, corpus moueri, quandiu totum eſt in termino ad quem; tunc enim aliter ſe habet, quàm priùs, coincidúntque mutari, & mutatum eſſe in mutationibus inſtantaneis, qualis poterit ea eſſe, quam ſine permeatione medij ſubeat corpus tranſlatum ex vno loco ad alium diſtantem, neque enim eſt, cur nequeat fieri in inſtanti mutatio localis diuiſibilis diſcreta, quâ totum corpus deſerat ſimul totum terminum à quo, adquiratque ſimul totum terminum ad quem, & quâ pars partem deſerat, atque adquirat, non ſecùs ac productio luminis in aëre poteſt momento temporis fieri, & poſſet à Deo eadem portio luminis vnico inſtanti produci in octo partibus cœli, aliiſque in octo terræ. Dixi, mutationem localem diuiſibilem diſcretam poſſe fieri in inſtanti, ſed non debere; nam poteſt etiam fieri immediatè poſt inſtans, vt de indiuiſibili, qua Angelus deperdat ſimul totum terminum à quo, & comparet ſimul totum coniunctum, aut diſtantem terminum ad quem, tradit S.Thomas, confirmatúrque benè à Meratio exinde, quòd tam facilè fieri poteſt, vt localis mutatio Angelica, quæ ſimul tota exiſtit, incipiat immediatè poſt inſtans, atque poſt illud conſeruari incipit Angelus. Hinc ſi corpus moueatur diſcretè poſt inſtans de loco ad locum diſtantem non percurſo medio tunc moti, aut mutati denominatio conſtituetur ex inſtanti immediatè præcedenti, quod erit vltimum non eſſe illius, & ex inſtanti ſubſequenti, quod erit illius primum eſſe, incipiétque extrinſecè exiſtere in priori inſtanti, & intrinſecè in poſteriori, ſeu in tempore, vt Thomiſtis ſolitum eſt dicere, dum tractant de motu Angelorum.

55 In quæſtionis fine, ne litibus de nomine motus localis, aut mutationis teratur inutiliter tempus, operæ pretium erit, aduertat Lector,

quartæ noſtræ reſponſioni ſufficere ſi corpus glorificatum amittere poſſit præſentiam vnam, & obtinere diuinitus aliam ad locum coniunctum, aut diſſitum, quin neceſſe ſit, vbicari in medio, ſiue communicante, ſiue incommunicante, vt deperdita vna adquiratur alia. Rurſùs, ne exiſtimet, Thomiſtas omnes nobis eſſe contrarios, notet Ioannem de S. Thoma diſtinct. 20. de Angelis articul. 4. numer. 13. & quem ad manus nunc non habeo, Nauarretum tomo 3. controuerſiarum in 47. pronuntiare, concedendum neceſſariò eſſe, quòd ſecundùm potentiam Dei abſolutam poſſit vnum corpus transferri de loco ad locum abſque ſpatij medij attingentia. Sic refert, & approbat Auctor Curſus Theologici pro Carmelitanis Diſcalceatis 1. parte tractat. 7. diſputat. 3. dubio 5. numer. 119. qui num. 109. admittens, Angelum mouentem ſe naturaliter de extremo ad extremum impertranſito medio poſſe portare ſecum lapidem, neutiquam inficiaretur, poſſe multò potiùs à Deo immoto traduci naturaliter lapidem de terra ad cœlum; quin lapis permearet aëris, ignìſque elementa. Diſplicet vehementer id, quod præfatus Auctor admittit, alioqui Angelus locatus in ſpatio inadæquato, & tenens ibi lapidem, ſi (vt poteſt naturaliter iuxta eum Authorem) dilatet ſe ad alium locum inadæquatum intra ſphæram localem Angelicam, quin exiſtat in intermedio ſpatio, poterit naturaliter ferre lapidem in hunc alium locum; ac proinde lapis virtute Angelica manebit cum præſentia circumſcriptiua geminata ad loca diſſita, quod in omnium ſententia eſt impoſſibile naturaliter, & in Thomiſtica etiam diuinitùs. Diſplicet etiam naturalis tranſitus lapidis de extremo ad extremum ſine medio factus, ſiue ab Angelo, ſiue à Deo ſolo; ſed meminimus eorum dictorum, qua parte nobis conſonant, etſi ſupra modum, & vota. Succedat iam

56 Quæſtio quarta; *Vtrùm beatis hominibus conuenire poſſet per qualitatem aliquam ſupernaturalem facultas admiſſa in præcedenti quæſtione?* Pater Suarez reſpondet negatiuè, quia repugnat qualitas, quæ ſuapte natura habeat vim ad mouendum corpus de loco ad locum abſque tranſitu medij. Nos affirmatiuè reſpondebimus, vſquedum afferatur aperta repugnantia talis qualitatis. Pater Salas, qui dotem agilitatis conſtituit in qualitate ſupernaturali diſponente corpus ad ſuſcipiendum motum, non autem eum efficiente, ait, mutationem localem corporis de extremo ad extremum ſine medio poſſe æquè, ac alios motus fieri diſpoſitiuè ab agilitatis glorioſæ dote, vnde ex parte nobis patrocinatur: nec non Arriaga tom. 2. in 1. p. diſp. 17. num. 15. quatenus docet, non repugnare alicui creaturæ diuinitùs producibili poteſtatem innatam ſe mouendi in inſtanti ad locum diſtantem.

57 Quæſtio quinta; *An in facultate exequendæ mutationis localis de extremo ad extremum remotum, impertranſito medio, ſint æquales omnes beati homines?* Reſpondeo, ſi ea mutatio debet fieri in inſtanti, erunt æquales, quatenùs vnus nequeat eam efficere celeriùs, aut lentiùs, quàm alius, quia inſtans non ſuſcipit magis, aut minus, vt in hac ipſa quæſtione ait Suarez. Si verò queat in tempore fieri, nihil vetat inæquales eſſe.

58 Quæſtio ſexta; *Vtrùm de vno extremo ad aliud æquè diſtans poſſint tranſire omnes beati homines medio non percurſo?* Reſpondeo poſſe, tum quia Patres citati numer. 59. loquuntur vniuerſim de cunctis beatis, quin in extremi diſtantia limitem deſignent. Tum quia Thomiſtæ, qui Angelis arrogant facultatem naturalem tranſeundi de extremo ad extremum diſtans ſine medio, non coarctant Angelum minùs perfectum ad extremum minùs diſſitum: tum quia ſi medij intercapedo non percurritur, parùm intereſt ad tranſitum in extremum ſeparatum, quòd interuallum ſit maius, aut minus. Dices, inconueniens eſſe, quòd beati omnes ſint æquales in dote agilitatis. Contrà, quia ſicut in dotibus impaſſibilitatis, & ſubtilitatis æquales ſunt, poterunt etiam eſſe in dote agilitatis; & quamuis quoad comparandum extremum ſeiunctum nulla inter ipſos ſit diuerſitas; at quoad alias agilitatis functiones poteſt eſſe. Dices rurſus cum Ægidio Luſitano, virtus locomotiua creata debet eſſe determinata ad certam diſtantiam; nam ſicut maior velocitas requiritur, vt mobile in eodem tempore moueatur per medium ad locum diſtantiorem, quàm propinquiorem, ita maiori perfectione opus eſt, vt in eodem inſtanti abſque medio moueatur ad locum magis diſtantem, quàm ad minùs diſtantem. Contra, quia ſi ſemel virtus creata locomotiua poſſit in inſtanti eſſe ad locum diſtantem, non opus eſt maiori perfectione ad locum diſtantiorem, tunc enim perinde eſt, quòd terminus, ad quem diſtet viginti leucis à termino à quo, ac ſi diſtet decem, & erga terminum quemcumque ad quem non aliter ſe habet mobile, quàm ſi exiſteret in coniuncto termino à quo. Vnde poterit pergere ad terminum remotiorem, & remotiorem in infinitum ſyncategorematicè; ita vt nullus tam ſeiunctus queat aſſignari, quo ſeiunctior alius non ſupereſſit adquiſibilis æquè facilè. Si beati homines nequeant ex lege Dei prætergredi fines Vniuerſi, præfixa etiam erit ex eodem Dei decreto diſtantia termini ad quem, ne vltra Empyreum ſit; ſed intra huius ambitum quilibet Beatus poterit in quocumque termino inſtantaneè ſe conſtituere diſcedens ex quouis alio.

59 Quæſtio ſeptima; *Num quilibet beatus homo poſſit mouere ſe continuè motu progreſſiuo, vel ſimplici per quodlibet ſpatium breuiori, ac breuiori tempore in infinitum, ac ſine termino?* Patribus Suarezio, & Salæ probabile eſt, Beatum non eſſe determinatum ad certam velocitatem, ſed quacumque aſſignata poſſe cum maiori agi duplici illo motu prouenienti ſiue effectiuè, ſiue diſpoſitiuè à qualitate ſupernaturali. Suaderi poteſt primò ex Patribus ſuprà allegatis, qui indicant id. Secundò ex ſimilitudine Angelorum, qui in ſententia Suarij libr. 4. de ipſis capite 24. Albertini Corollario 16. ex principio 1. dub. 4. Arrubalis 1. parte diſputat. 162. cap. 2. poſt Alenſem, Gregorium, Capreolum, & Maiorem non habent terminum quoad velocitatem motus continui. Tertiò, quia beatus homo mouetur continuè ſine vlla reſiſtentia ex parte ſiue ſuæ ſubſtantiæ, ſiue ſpatij medij, ſiue diſtantiæ. Ergo moueri poteſt continuè celeriùs, & celeriùs in infinitum. Quartò, Beatus poteſt moueri continuè ſine interpoſita quiete. Tum quia ſi poteſt moueri diſcretè ex polo ad ſolum, quin quieſcat in aliqua temporis particula, quidni continuè? Cum mutatio localis continua non arguat tantam virtutem motiuam, quantam diſcreta ab vno loco adæquato ad alium facta in inſtanti. Et quidem ſpatium, quod percurri poteſt in duratione minori, poteſt in maiori: quælibet autem noſtri temporis

Digitized by Google

poris pars , licèt breuior , & breuior , eſt maior duratio, quàm vnicum inſtans. Ergo ſi in vnico inſtanti poteſt Beatus per mutationem diſcretam tranſire ab ſpatio *A B C* ad ſpatium *D E F* poterit etiam per diſcretam factam in parte noſtri temporis breuiori , & breuiori ſine termino. Tum quia Beatus , etſi poſſit, non debet vel à voluntate diuina vel à ſua determinari ad quieſcendum in hac particula temporis potiùs , quàm in alia. Non à diuina , nam recurſus neceſſarius ad hanc , niſi ex parte Beati detur aliqua exigentia , eſt arbitrarius , & parùm philoſophicus. Non à ſua. An ne , quia alioqui fatigaretur Beatus ? Anne , quia motui continuo interrupto reſiſteret vel ipſa ſubſtantia Beati , vel ſpatium medium , vel diſtantia ? Anne, quia determinata aliqua temporis particula cogeret Beatum ad quieſcendum in ea? Igitur ſi Beatus poteſt moueri continuè ſine interpoſita quietè, poterit etiam moueri citiùs,& citiùs in infinitum.

60 Si obiiciatur primò , facultas motrix Beati debet eſſe finita ſimpliciter; non eſſet verò , ſi poſſet eius continuus motus eſſe celerior, & celerior. Dicetur , poteſtatem mouendi ſe continuè celeriùs , & celeriùs , non eſſe magis contra finitudinem , quàm poteſtatem mouenuendi ſe diſcretè per quantumlibet magnum ſpatium in quantalibet parua mora temporis. Hæc autem poteſtas congruit Beato , nam poſito quòd inter cœlum , & terram dentur mille ſpatia adæquata v. g. poſſunt motu diſcreto tranſiri in mille inſtantibus à Beato , qui cum non defatigetur , non debet quieſcere poſt motum in vno , aut pluribus inſtantibus, poſſuntque tranſiri proinde ea mille ſpatia adæquata in quauis modica temporis mora , cum nulla ſit adeò exigua , quæ non conſtet iuxta Peripateticos infinitis inſtantibus , & à fortiori mille. Vnde ſicut hæc poteſtas non eſt indidicium infinitudinis ſimpliciter , ſic neque altera. Licebit vocare poteſtatem vtramque infinitam ſecundùm quid , & in potentia , ac ſyncategorematicè , qualis eſt , quam habet noſter Intellectus ad percipienda plura , & plura ſine termino. Et videtur difficilior poteſtas mouendi ſe diſcretè per quodcumque ſpatium in breuiori , & breuiori tempore , quàm poteſtas mouendi ſe continuè. Etenim mutatio diſcreta Beati hominis , etſi comparata ſimul , & ſemel ad ſpatium adæquatum , erit tamen diuiſibilis pro ſpatij diuiſibilitate , & partes eius non conſtituent vnam numero mutationem , ſiquidem id ſit proprium partium mutationis continuæ.

61 Si opponatur ſecundò , repugnat claritas glorioſa , quæ poſſit efficere lucem intenſiorem, & intenſiorem. Ergo & agilitas , quæ motum velociorem , ac velociorem. Permiſſo Antecedente , in promptu eſt diſparitas ; nam poteſtas ad eandem lucem intenſiorem , & intenſiorem ſine termino , eſſet poteſtas ad partes infinitas qualitatis ſimul exiſtentes. Cæterùm poteſtas ad motum velociorem , & velociorem , non eſt ad partes infinitas mutationum ſimul exiſtentes ; ſed ad partes, quarũ quælibet non coexiſtat ſimul cũ alia.

62 Si tertiò obiiciatur , fore conſequens , tum vt homo beatior non poſſit moueri continuè maiori pernicitate , quàm qui eſt minùs beatus; tum vt non poſſet vnquam aſſequi curſu continuo ille hunc , ſi eodem tempore incipiant mouere ſe ſe,& hic antecedat illum tantillo ſpatio:tum vt ille nequiret vnquam motu continuo præcedere hunc, ſi ſimul eodem tempore,ab eodemque ſpatio exordiantur motum : tum vt à Deo nulla ratione poſſet continuè cieri Beatus magis velociter:nam non eſt poſſibilis maior continui motus velocitas, quàm quæ fit tempore in infinitum breuiori. Admittentur hæ illationes ſine nota abſurditatis. Nec abſonum dicere ,dotem agilitatis æqualem eſſe in omnibus beatis , vt Sotus , Suarez , & Salas notant apud Ægidium Luſitanum. Quòd ſi S.Thom.in 4.diſt.44.q.2. art.3.quæſtiunc. 3.in fine corp. ſcribit , *Alij probabilius dicunt , quòd corpus glorioſum mouetur in tempore,ſed imperceptibili propter breuitatem,& quòd tamen vnum corpus glorioſum poteſt in minori tempore idem ſpatium pertranſire , quàm aliud, quia tempus , quantumcumque paruum accipiatur , in infinitum eſt diuiſibile* , non ideò contrarius eſt , aliud namque eſt poſſe , aliud debere ; illud aſſeritur à S. Thoma , non hoc ; præterquàmquod in vtramque iſtarum quæſtionum partem diſcurritur non tam ſcientificè , quàm probabiliter indicante ipſo S. Thoma in verbis illis , *Alij probabiliùs* ; & dum Angelicus Doctor inter probabilia quidpiam relinquit , cenſendum eſt non omnino reiectaneum ex eius etiam mente. Si inæqualitas Beatorum in agilitate magis placeat, poterunt illi quoad alios motus eſſe diſpares, vt ſi vnus Beatus habeat poteſtatem tranſeundi de extremo ad extremum diſtans ſine medio, & tali poteſtate careat alius , aut ſi vnus queat conſtituere ſe inſtantaneè in duobus locis adæquatis , & non alius;hæc enim omnia ſunt opinabilia ſine periculo.

63 Si quartò opponatur ; cœlum poterit moueri continuè ſumma velocitate ab Angelo; nam ſi beatus homo valet ſic ſe mouere ob carentiam reſiſtentiæ , cum in cœlo detur etiam carentia reſiſtentiæ, poterit gyrari ab Angelo ea celeritate,quâ maior alia non ſit poſſibilis. Conceditur conſequutio , quæ Suario lib. 4. de Angelis c.32. n.3. non videtur improbabilis. Neſcio, quo iure Tannerus tom.1. diſp. & q.5.dub.2.n. 16. neget , cœlum poſſe ab Angelo ita rotari , cùm ibidem concedat , nihil obſtare , quominus aliud cælum maius etiam in infinitum ſyncategorematicè poſſet ab Angelo moueri ob defectum reſiſtentiæ. Nam ſi virtus motiua Angeli, etiamſi finita , non eſt limitata ad determinatam aliquam quantitatem corporis mobilis, ſi hoc ſit expers grauitatis reſiſtentis , cur debeat eſſe adſtricta ad determinatam volocitatem efficiendam ? Sed aduertendum eſt , Angelum de facto moderari virtutem ſuam motricem , ne circumuoluat , cælum , quanta celeritate ex ſe poteſt , ſed quanta eſt opus ad rectam ſublunarium gubernationem , ſicut etſi ex ſe queat ſiſtere motum cæli , aut præter ordinem flectere, nempe ab Occidente in Oriens , aut inducere vacuum in ſubcæleſtibus , hanc enim virtutem plures ipſi tribuunt , vt Suarius , Raynaudus , Gonſalius , Martinius , Caberus ; tamen præſcriptam de facto à Deo legem exactiſſimè ſeruat. Inquies , quamuis cælum à ſe ipſo, ſeu à ſua forma intrinſeca moueretur , non ideò ſumma velocitate. Ergo ad hanc non ſufficit defectus reſiſtentiæ ; ſed neceſſaria eſt virtus motiua infinita ſimpliciter. Contra, quia ea inter alias de cauſa,ne ſcilicet ſumma velocitas ſequatur, motus cœli non eſt à forma intrinſeca , ſed à Deo ſolo immediatè, vel ab Angelo ſimul cum Deo,vt cauſa vniuer

Digitized by Google

vniuerſali. Sed etſi eſſet à forma intrinſeca, temperaretur à Deo ſolo, vel ab Angelo velocitas, cæteroquin poſſibilis naturaliter fieri à forma, quantùm ex ſe eſt.

64 Si quintò opponatur, poſſet in inſtanti fieri localis mutatio continua Beati tranſeuntis de vno loco per medium ad alium diſtantem, ſi poſſit in tempore breuiori, & breuiori, fieri ob defectum reſiſtentiæ ex parte ſiue ipſius Beati, ſiue medij. Atqui repugnat mutatio localis continua inſtantanea, qua per medium procedatur de extremo ad extremum diſtans. Ergo defectus reſiſtentiæ non ſatis eſt, vt in Beato inferatur poteſtas ad mutationem localem continuam ſummè celerem. Ariſtoteles, qui lib. 4. Phyſicorum à textu 61. videtur cenſuiſſe, non poſſe dari motum in Vacuo, ne deficiente Pleno ſcindendo, quod reſiſteret, ſequeretur eum motum eſſe inſtantaneum, forſan concederet, fore, vt Beatus nequiret moueri per Plenum, quando nollet vti dote ſubtilitatis neque item per Vacuum. Ariſtotelem ſequuntur multi Peripatetici antiqui, & ex Modernis Benedictus Pereyra lib. 11. Philoſophiæ c. 12. Sfortia Pallauicinus lib. 2. de vniuerſa Philoſophia cap. 8. à n. 512. quia motus eò eſt velocior, quò medium ſcindendum à mobili reſiſtit minus. Ergo ſi nulla ſit reſiſtentia medij, vt contingeret in Vacuo, motus eſſet velociſſimus ſine vlla limitatione, & non in tempore. Nec proderit reſpondere celeritatem, aut tarditatem mobilis non referendam ad ſolam reſiſtentiam medij; ſed ad virtutem etiam mobilis, cùm per idem medium, quò grauius eſt corpus, eo celeriùs deſcendat; & quò leuius, eò velociùs aſcendat. Non proderit, inquit Sfortia quia licèt celeritas; aut tarditas motus non ſit præciſè ex reſiſtentia medij, eſt tamen ab ea tanquam ab vltimo determinante; ſicut enim virtus motiua mobilis data eſt mobili, vt ſimpliciter moueatur in Pleno, ita etiam in ordine ad idem Plenum eſt datum illi, vt tanta vel tanta velocitate moueatur. Quare virtus motiua mobilis non poteſt dare determinationem motui niſi in ordine ad tantam, vel tantam reſiſtentiam medij; quaſi ex vtroque principio habeatur adæquata, & cauſa ſufficiens determinatæ ſucceſſionis motus. Ita verbo tenus Sfortia, iuuenis tunc magnæ expectationis, cùm Philoſophicas, & Theologicas aſſertiones edidit, nunc abſolutiſſimus Theologiæ magiſter in noſtro Collegio Romano.

65 Sed ſanè motus quincumque per Vacuum non debet negari poſſibilis, alioqui negandus fuiſſet ab Ariſtotele motus primi Mobilis, ſupra quod non agnouit aliud cælum; ſed Inane & Vacuum negatiuum, aut interminatum de quo quoad motum per ipſum eadem eſt ratio, ac de priuatiuo, aut terminato. Præterea Angeli, & animæ rationales moueri poſſent continuè per Vacuum. Glorificatorum corporum in Vacuo interminato vltra Empyreum exiſtentia recepta eſt à non paucis Theologis, qui non inficientur poſſe moueri, quaſi ſurſum, dextrorſùm, & ſiniſtrorſùm, niſi illi, qui ſentiunt, repugnare motum localem corporis non directum, ad comparandum locum realem extrinſecum circũſcribentẽ, aut definientem: nam hi tenentur dicere, corpora glorificata non poſſe moueri ſurſùm. Atenim incredibile eſt, beatos homines non poſſe leuare manus ſupra caput, neque erigere oculorum palpebras, neque quaſi ſurſùm proijcere ſagittam, ſi ea ad conuexam Empyrei transferretur miraculosè. Similiter in Vacuo priuatiuo poſſent progreſſiuè verſùs quamlibet partem moueri corpora glorificata, quin indigerent firmo aliquo pauimento. Nam, vt ait S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſ. 18. *Reſurget hoc corpus, ſed non tale manebit, verum erit æternum, & non ampliùs cibis opus habebit, neque ſcalis ad aſcenſum, fiet enim ſpirituale,* ſubintellige quoad effectum non grauitandi, quoties Beatus voluerit. Vnde ſi in ſpatio pleno non requiruntur ſcalæ, vt Beatus aſcendat, deſiderandæ non eſſent vt ex ſolo ad polum perueniret, caſu quo ſpatium iacens inter vtrumque fieret vacuum. Omitto, motum grauium, & leuium natiua vi per Vacuum, vel priuatiuum vel negatiuum, quia de eo controuertunt Phhiloſophi, non quia ſequeretur debere eſſe inſtantaneum, ſed ob alias difficultates, quæ huius loci, & temporis non ſunt.

66 Ratio Sfortiæ eleuatur dicendo, neceſſitatem temporis ad motum ex vno extremo ad remotum aliud per medium, non fundari tantùm in reſiſtentia medij, & virtute motiua, qua fruitur mobile, ſed etiam in diſtantia extremorum impediente æquè in Vacuo, ac in Pleno motum inſtantaneum, ne ſequatur mobile exiſtere ſimul, quaſi raptim in extremis ſeiunctis, & in medio, adquireréque ſimul duas, aut plures præſentias adæquatas ſubitarias; quod quidem tam naturaliter eſt impoſſibile, quàm habere permanenter, & quietè exiſtentiam in extremis remotis, atque in medio, vbicationeſque alias ſtatarias præter vnam adæquatam. Et licèt diuinitùs fieri poſſit, vt corpus in eodem inſtanti præſens ſit multis locis adæquatis, & vt per mutationem localem diſcretam comparet locum adæquatum coniunctum; non tamen vt ex vno migret ad alium tranſiens per medium non communicans, quia alioqui exiſteret ſimul in termino à quo, & in termino ad quem; proindeque exiſteret in vtroque, & in neutro exiſteret. Si quis contendat, motus velocitatem impediri ſaltem ex medio pleno? inde ſolummodò deduceretur, motum corporis in Vacuo fore concitatiorem, non verò fore inſtantaneum. Et quandoque medium plenum ſi ſit à corpore permeabile, vti eſt aër, conducit ad celeritatem motus in ſententia eorum, qui putant, proiecta cieri non tam velociter in principio, quàm in progreſſu ob agitationem aëris eiuſque continuum accurſum ad tergum corporis proiecti. Videantur Auerſa q. 27. Philoſophiæ ſect. 8. Bartholomæus Amicus tract. 21. Phyſicorum q. 4. dub. 2. Vbi motum localem in Vacuo ſcientiſſimè promouent.

67 Sed quid de Ariſtotele? Multi dicunt, eum loquutum ad homines contra aliquos Philoſophos antiquos, qui ſucceſſionem motus localis reuocabant vnicè in medij pleni reſiſtentiam, quæ cùm deficeret, ſi daretur Vacuum, motus per id foret inſtantaneus. Alij, quia Ariſtoteles vltra rationem confectam aduersùs illos antiquos proponit alias, quibus videtur abſolutè probare impoſſibilitatem motus per Vacuum, non verentur recedere apertè ab Ariſtotele, qui vt homo errare potuit; nam in *nullo ſapere aliter, quàm res ſe habet, Angelica perfectio eſt*, vt agnoſcit S. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5. Alij interpretantur Philoſophum de ſolo motu grauium, ac leuium per Vacuum, fatentur tamen eius rationes ex æquo procedere in motu quarumcumque aliarum rerum. Vnde Ariſtotelis authoritatem, quam in Concluſione zelant, oſtendunt in rationibus.

68 Conſtat

Digitized by Google

68 Conſtat ex his omnibus, corpora glorificata non debere, nec poſſe moueri inſtantaneè de extremo ad extremum diſtans, percurrendo medium, ſiue plenum, ſiue vacuum, quamuis poſſent celeriùs, ac celeriùs ſucceſſiuè moueri, quia extremorum diſtantia, quæ poſitiuè, quando medium eſt plenum, & negatiuè, quando eſt vacuum, reſiſtit omninò motui inſtantaneo, neutiquam obluctatur ſucceſſiuo, qui ſit determinatæ velocitatis, vel maioris, & maioris in infinitum. Vnde S. Thomas in loco ſæpè citato reſpondens ad 2. ſic finit longum diſcurſum non ſenſu, ſed verbis diſſimilem ſuperiori, *Patet ergo, quòd quamuis medium non reſiſtat corporibus glorioſis ſecundum hoc quòd poſſunt eſſe cum alio corpore in eodem loco, nihilominus motus eorum non erit in inſtanti, quia ipſum corpus mobile reſiſtet virtuti mouenti ex hoc ipſo, quòd habet determinatum ſitum.*

69 Replicat quis, ſi diſtantia extremorum impedit motum inſtantaneum, cur non motum ſucceſſiuum, quo in ictu oculi v.gr. & breuiori, ac breuiori tempore corpus glorioſum ſe transferat ex Empyrei regione media ad centrum terræ, & ad quoduis aliud extremum magis, & magis diſtans. Reſpondebitur, diſtantiam extremorum non obſtare maiori, & maiori celeritati in contractiori, & contractiori tempore, alioqui ſicut motus inſtantaneus impeditur etiam de abſoluta potentia Dei ratione diſtantiæ, ita impediretur ſucceſſiuus maioris, & maioris velocitatis in breuiori, ac breuiori tempore; repugnat autem iuxta replicantem motus adeò celer in ictu oculi de Empyrei regione media ad centrum terræ, vt nequeat diuinitus dari alius pernicior, non tantùm in ictu oculi, ſed etiam in breuiori tempore, non tantùm ad centrum terræ, ſed etiam ad aliud extremum magis remotum.

70 Hactenus experiri voluimus probabilitatem motus continui ſummè velocis in corporibus glorificatis vi qualitatis ſupernaturalis. Abſolutè cenſeo, repugnare motum continuum progreſſiuum, aut ſimplicem corporum glorificatorum factum in tempore adeò velociter, vt diuinitus nequeat fieri magis celeriter, non ſecùs ac impoſsibilis eſt qualitas tam intenſa, vt diuinitus non poſsit intendi ampliùs, & numerus ſic ingens, vt maior alius adiici non valeat, creaturáque tantæ perfectionis ſubſtantialis, aut accidentalis, vt perfectior alia ſubſtantialis, aut accidentalis non contineatur intra potentiam Dei abſolutam, vti non perfunctoriè probaui in ſect. 9. exercitat. 10. Sanè cùm in præſentiarum ſupponatur Peripatetica opinio de inſtantibus, & partibus indeterminatis pluribus, ac pluribus in infinitum componentibus Continuum ſucceſsiuum, ſeu quamlibet partem determinatam temporis; aſsignabilis non eſt motus adeò velox, quo velocior alius contradictionis implicationem importet. Et ita infert Arriaga tom. 2. in 1. part. diſp. 17. ſect. 5. num. 28. Licet poſteà in num. 30. addat, ſe non docuiſſe, nullum motum diuinitus, ſed naturaliter ita poſſe eſſe velocem, vt diuinitus alter velocior eſſe nequeat. Fauet nobis, qua parte ait, quolibet motu quantumcumque naturaliter celeri poſſe diuinitus dari alium celeriorem. Sed declarare debuiſſet, cur etiam naturaliter non poſſit dari, ſiquidem ex Peripatetica opinione non magis vnum, quàm aliud deducatur. Si dicat, ideò non poſſe dari naturaliter, quia alioqui, vt anteà propoſuerat, ſequeretur, poſſe Angelum naturaliter in ictu oculi millies; & infinities totum orbem circuire. Iſtud tamen inconueniens repetitur poſteà ab ipſo in num. 34. vt probet, reſpectu Dei eſſe repugnantiam, vt millies, & infinities in ictu oculi circùm totum mundum agat Angelum: Ergo ſi repugnat ob præfatum inconueniens naturaliter motus ſummè velox, repugnabit etiam diuinitus: cuius oppoſitum fuerat aſſertum ab Arriaga: Qui nobis aduerſus eſt, qua parte tradit, poſſe dari motum ſummè diuinitùs velocem, ſicut poteſt dari creatura ſummè perfecta. Nos verò, quia hæc repugnat, cenſemus & illum repugnantem.

71 Quod denuò confirmamus ratione mutuata ex Arriaga. Is enim vt oſtendat, poteſtatem Angeli ad motum diſcretum, & inſtantaneum, quo adquiratur totum aliquod ſpatium adæquatum non eſſe indicium poteſtatis ad motum continuum, & ſucceſſiuum ſummè velocem, quo comparetur idem ſpatium; arguit ſic: Poteſt Deus vno inſtanti producere ſimul infinitos homines, & tamen nequit eos omnes efficere ſucceſſiuè minori, & minori tempore in infinitum: Igitur etſi queat Angelus in vno inſtanti mouere ſe per ſpatium adæquatum, non inde probatur, poſſe mouere ſe per idem ſpatium continuè breuiori, ac breuiori in infinitum tempore. Sic Arriaga, contra quem nos in hunc modum argumentamur. Etſi Deus non poſſit efficere ſucceſſiuè in tempore arctiori, & arctiori infinitos actu homines, poteſt nihilominùs non tot efficere quin plures in infinitum ſyncategorematicè. Ergo quamuis nequeat in minori, & minori tempore mouere ſucceſſiuè Angelum motu conſtante partibus actu infinitis, neque per ſpatium actu infinitum, itavt totum hoc pertranſeatur, valebit tamen motu, qui pluribus, & pluribus partibus in infinitum ſyncategorematicè conſtetur, nec non per ſpatium, quod queat eſſe diffuſius, & diffuſius in infinitum ſyncategorematicè. Cur autem non poſſit Deus producere ſucceſſiuè infinitos actu homines, nec cauſare ſucceſſiuè in Angelo infinitas actu partes motus, nec mouere per infinitum actu ſpatium, itavt ad huius vltimum perueniatur, is ſolus ignorabit, qui peregrinus fuerit in Philoſophia. Et hinc dum Arriaga ex poteſtate Angeli admouendum ſe ſucceſſiuè velociùs ſine termino conatur inferri poteſtatem ad peragrandas infinitas actu leucas in ictu oculi, fruſtrà laborare cenſendus eſt, non minus, quàm ſi ego contenderem, Deum, qui poteſt plures, & plures in infinitum homines condere in ictu oculi, debere etiam poſſe in ictu oculi creare infinitos actu homines.

72 Inquiet aliquis, ſi non repugnet infinitum in actu, poterit Deus imprimere corpori glorificato impulſum infinitè intenſum: Ergo mouebitur corpus continuè in ictu oculi per quantumcumque ſpatium ea velocitate, qua non ſit poſſibilis maior alia. Sed contra; licèt motus proueniens ex impulſu infinitè intenſo eſſet citiſſimus eorum omnium, qui oriri poſſit ab impulſu finito, non tamen omnium poſſibilium; nam vltra quemlibet impulſum etiam infinitum poſſibilis eſt in infinitum alius, & alius, intenſior. Quapropter etſi qualitas agilitatis glorioſæ gratis admitteretur infinitè intenſa, aut finitè quidem intenſa, ſed potens efficere motum adeò celerem, vt ab alia entitate creata diſſimili celerior nequiret fieri, adhuc diuinitus poſſibilis eſſet motus alius velocior, quia ipſa agilitas etiam infinitè intenſa poſſet magis, magiſque intendi, & quia

Deus

Digitized by Google

Deus ſine interuentu agilitatis glorioſæ & cuiuſuis creaturæ poſſet mouere corpus continuè maiori,& maiori celeritate. Et ratio à priori eſt, quia potentiæ Dei abſolutæ in ordine ad efficiendam velocitatem motus continui nullus eſt præfixus terminus, eo quòd ſit ſimpliciter, & vnicè infinita talis potentia. Non ideò tamen poterit per eam fieri continui motus velocitas actu infinita, quia id manifeſtè implicat in terminis, ſequeretur enim motum eſſe, & non eſſe continuum;eſſe ſucceſſiuum, & ſimul inſtantaneum, vt ex ſuperioribus liquet; item eſſe actu infinitum, vt ſupponitur,& non actu infinitum, quandoquidem vno in inſtanti finiretur.

73 Nec opponas, debere eſſe producibilem à virtute motiua ſimpliciter infinita motum continuum actu infinitum, ſeu velocitatem actu infinitam. Non,inquam,opponas,nam virtus motiua infinita ſimpliciter non debet eſſe ad quidpiam Chimæricum, nempe ad velocitatem actu infinitam motus continui, ſicut nec debet eſſe ad mouendum corpus, quod extenderetur infinitè, vt inter alios agentes de infinito demonſtrat dilucidè Franciſcus Alfonſus diſput. 21. Phyſicorum ſect.2. num. 10. poſt Ariſtotelem 3. Phyſicorum cap. 5. textu 48.

Dicet rurſùs aliquis, non repugnat motus continuus adeò tardus, quo tardior alius nullatenus ſit poſſibilis: ergo nec motus continuus adeò velox, quo velocior alius ſit prorſus impoſſibilis. In primis nego Antecedens, quia motus continuus, & ſpatium diuiſibile poſſunt ſemper diuidi in minores, & minores partes proportionales in infinitum, non minus quàm in maiores. Deinde omiſſo Antecedenti inficior conſequentiam; quia infima omninò tarditas motus non eſt contra perfectionem omnipotentiæ diuinæ, ſicuti eſſet maxima omninò velocitas. Quo fere modo ſolent reſpondere qui exiſtimant repugnare ſubſtantiam creatam perfectiſſimam, non verò imperfectiſſimam vt viſum eſt in ſect.1. exercit.5.

74 Cenſeo deinde in propoſita quæſtione, non repugnare corporum glorificatorum motum continuum progreſſiuum, vel ſimplicem vi qualitatis glorioſæ adeò velocem,vt connaturaliter non poſſit dari velocior alius in alia creatura, ſeu qui ſit maximus ſecundùm potentiam ordinariam Dei. Aſſentietur facilè (niſi ego fallor) quiſquis legerit præcedentia, & conſentire videntur Suarez, Salas, ac Ægidius Luſitanus, quorum poſtremus inquit, *Velocitas data minimo Beato longè eſſe maiorem quacumque velocitate naturali etiam primi Mobilis, vt aduertit Pariſienſis, quem refert, & probat Salas.* Sic Ægidius. Sed Salas non refert Guilielmum Pariſienſem, niſi vt eius authoritate confirmet, Beatos homines poſſe moueri inſtantaneè transiréque de extremo ad extremum diſtans. Pariſienſis enim in 1.partis de Vniuerſo part. 2. cap.24. ſcribit, *Quantumcumque velocem motum imperarent anima in ſtatu illo corporibus ſuis, & quantumcumque veloci motu mouerent ea, dummodò motus illi eſſent in tempore, non eſſent illi motus gloria,cùm vel æquales,vel ſaltem comparabiles inueniantur motus naturales, vel ad minus, qui non ſunt gloriæ, qualis eſt motus primi cæli, cuius tranſitus eſt in ictu oculi plus quàm mille millia milliarium, quod apparet ex ipſa magnitudine cæli illius. Motus enim ipſius eſt in ſpatio vigintiquatuor horarum æqualium, & eſt iter ſexaginta millium annorum ferè, ita vt annus ſit trecentorum ſexaginta dierum, iter verò diei quadraginta milliaria.* Huc vſque Pariſienſis,cuius verba libuit tranſcribere,tum vt conſtaret allegari ab Ægidio extra inſtitutum, tum vt velocitas glorificatis hominibus connaturaliter poſſibilis dignoſcatur,ſi proxima noſtra cenſura de exceſſu ipſius ſupra celeritatem primi Mobilis Lectori arrideat. Et tunc adeat Principem Matheſis noſtro ſæculo Chriſtophorum Clauium, qui in fine commentarij ad cap. 1. ſphæræ Ioannis de Sacroboſco demonſtrat punctum quoduis Firmamenti in Æquatore poſitum peragere ſuo curſu ſingulis horis milliaria 42398437.

75 Reſtabat agere de hominum beatorum velocitate conuenienter ad ſententiam Zenonis componentem Continuum tam permanens ſpatij,quàm ſucceſſiuum motus localis ex ſolis indiuiſibilibus finitis: ſed ne in labyrinthum Continui me iniiciam, dicam perſtrictè eum motum fore ſummè celerem,quo in ſingulis inſtantibus ſingula indiuiſibilia corporum popararent indiuiſibile ſpatij, & fore, vt corpora glorificata poſſent continuè ſic pertranſire ſpatium, dummodò non repugnet motus tam velox in opinione etiam Zenonis, vt velocior alius non debeat eſſe poſſibilis ſaltem diuinitùs. Si beati homines ſint inæquales in agilitate glorioſa interrumpetur motus vnius, qui ſit magis agilis, paucioribus morulis, quàm motus alterius, qui ſit minùs agilis;vel expediat ſe quiſque,ſi poteſt, commodiori via, quam in Philoſophia elegerit, ab inſuperabili ferè difficultate velocioris, & tardioris motus, Ariſtotelicos æquè, ac Zenoniſtas diuexante.

76 Quæſtio octaua; *Si beati homines præditi erunt facultate ſe mouendi tam celeriter, & facilè verſus quamcumque partem, & per quodcumque medium,cur dicitur à Paulo in epiſt.1.ad Theſſalonicenſes cap.4. v. 16. Nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra. vbi Gloſſa addit, fore, vt raptus fiat ab Angelis.* Reſpondet S.Thomas in ſolutione ad 1.quæſtiuncul. 1. *Corpora glorioſa dicuntur ferri baiulis Angelis, & etiam in nubibus, non quaſi eis indigeatur, ſed ad reuerentiam deſignandam, quæ corporibus glorioſis & ab Angelis, & ab omnibus creaturis deferetur.* Abulenſis ſimiliter reſpondet ſic: *Corpora glorioſa propter ſuam agilitatem non egebunt deferente aliquo, neque ſupportantur. Verum eſt tamen, quod ab Angelis portabuntur,& in nubibus, non quidem tanquam nubes ſuſtinere poſſet corpus beatum, ſi illud maneret ſecundùm conditionem grauitatis,quam nunc habet; ſed tam Angeli, quàm nubes erunt ad reuerentiam; vult enim Deus, quòd hac honorificentia exhibeatur corporibus beatorum,quòd ab Angelis, & nubibus deferantur.Sic enim fuit de Chriſto aſcendente; nam manifeſtum eſt, quòd non indiguit nube, in qua ferretur, nam etiam manente corpore ſuo in grauitate,quam habuit mortale exiſtens, poterat virtute propria, id eſt diuina, aſcendere non motum ab aliquo,& tamen in nube aſcendit,& Angelis comitantibus, quia omnia hæc fuerunt ad reuerentiam eius.* Hactenus Abulenſis. Sed Barradas tom.3.in Euangelia lib.9. cap. 13. notat ſicut verbum *Rapientur* non denotat deductionem inuoluntariam, ita neque deductionem ab agente externo. Et Thyræus in tract. de glorioſa Chriſti apparitione in Iudicio, cap.16.num.131. voluit ſignificari tantùm eo verbo ſummam celeritatem, vel quòd ad modum eorum,qui rapiuntur, ſe habebunt, quando etiam per ſe ſupera loca petent. Addi poteſt ex Granado 3.p. controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 3. diſput.5. ſect.2.n.7.indicari præcisè comitatum Angelorum, ſic

Digitized by Google

ſic enim Hiſpana phraſi dici ſolet, *llebamos al Rey àtal parte*, non quia illum mouerint Curiæ habitatores, ſed quia illum honoris ergo comitati ſunt. Fortè beati homines rediuiui, cùm è terra aſcendant, vt compareant coram Chriſto iudicaturo in aëris regione, mouebuntur tum à ſe, tum ab Angelis, diſponente Deo, vt beati homines temperent conatum ad motum, vel tam ipſi, quàm Angeli concurrant adæquatè actiuè ad eundem motum, ſic enim magis eluceſcet obſequium, & comitas Angelorum erga ipſos.

77 Quæſtio nona; *Siquidem tempus non erit peracto vniuerſali iudicio, vt ſcribitur Apocalypſis* 10. *v. 6. quo pacto poterunt tunc beati homines moueri in tempore?* Occurrit S. Thomas in ſolutione ad 3. quæſtiunc. 3. *Quamuis poſt reſurrectionem non ſit tempus, quod eſt numerus motus cœli, tamen erit tempus conſurgens ex numero prioris, & poſterioris in quolibet motu.*

78 Quæſtio decima, *cum à motu locali cæli dependeant omnes alij motus, qui fiet, vt beati homines moueantur poſt diem Iudicij extrêmi, quando cœlum iam non mouebitur?* Reſpondeo, corpora glorificata in ſuis actionibus, & motibus eſſe omninò independentia ab influxu, & motu cœli ſyderei, quicquid ſit de aliis corporibus. Vnde audiendus non eſt Duuallius, dum tract. de quatuor nouiſſimis q. 6. art. 3. pag. 644. aſſeuerat, corpora glorificata ideò non reſpiratura poſt diem Iudicij poſtremi, quia tunc deficiet generalis motus primi Mobilis, à quo dependet quilibet motus particularis. Nec videtur negari poſſe in beatis hominibus loquutio materialis; hæc autem ſine reſpiratione, ſeu attractione aëris, vel quaſi aëris externi non fiet, vel ſaltem abſque attractione interni, & emiſſione vſque ad arteriam vocalem. Ipſe Duuallius paſſim admittit in beatis hominibus motum ex vno loco ad alium, poſtquam ceſſarit motus primi Mobilis. Quo iure ergo negat motum reſpirationis? Anne hic maiorem habet dependentiam, quàm ille à motu cœli?

79 Quæſtio vndecima, *Num per dotem agilitatis glorioſæ beati homines non ſolùm ſua corpora valeant mouere localiter celeriùs, quàm cum erant viatores, ſed etiam alia valdè ingentia, ſuperantia ipſorum vires in ſtatu vitæ mortalis?* Circa hanc quæſtionem auſcultandus eſt S. Anſelmus lib. de Similitudinibus cap. 52. inquiens, *Præſtabunt viribus, quicumque ſupernis meruerint ciuibus aſſociari, in tantùm, vt nullatenus illis quiſquam obſiſtere valeat, vel ſi mouendo quid aut euertendo voluerint à ſuo ſtatu, quin illicò cedat.* S. Anſelmo adſtipulantur Tanner. tom. 2. diſput. 1. quæſt. 3. dub. 5. num. 52. & Leonardus Leſſius, qui ponderat tum Iſaiæ verba cap. 40. v. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, &c.* Vbi robur, & agilitas beatorum hominum commendantur. Tum Pauli 1. ad Corinth. 15. v. 43. *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* Vbi virtus idem eſt, ac potentia.

80 S. Anſelmus vtitur exemplo Angelorum, quibus beati homines erunt ſimiles. At Angeli poſſunt mouere corpora à ſe diuerſa ſiue aſſumpta, ſiue non aſſumpta, vt legimus in ſacris Litteris, præcipuè Danielis c. 14. v. 35. quò loci dicitur, *Apprehendit eum* (ſcilicet Habacuc) *in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſuprà lacum in impetu ſpiritus ſui.* Notentur poſtrema verba, *In impetu ſpiritus ſui*, quibus ſignificatur naturalis vis Angeli ad mouenda corpora. Eam ad cœleſtia torquenda tribuit Angelis communis Philoſophorum, & Theologorum opinio. Et quidem cùm Angeli ſint ſuprà corpora, habeantque formaliter vim motiuam ſpiritualem reſpectu ſui, poterunt vtique efficere localem ſaltem motum in corporibus; vt ſic ſeruetur horum ad illos ſubiectio, continebúntque eminenter vim motiuam corporalem, ſeu eam vim, quam habet formaliter vnum corpus admouendum aliud. Sunt præterea Angeli potentes mouere loco magnas moles. Quid ni beati homines?

91 Leſſius vtitur exemplo Dæmonum, qui naturaliter ſunt robuſtiſſimi, iuxta illud Iobi cap. 41. verſ. 24. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei.* Notum eſt experientiâ, Dæmones mouere corpora obſeſſa, ſæpéque transferunt verè, ac realiter ſagas ex vno loco ad alium. Matthæi 4. refertur Diabolum traduxiſſe Chriſtum Dominum ex deſerto in templi pinnaculum; & hinc in montem excelſum. Fecitque id naturali virtute, ne ſi ſupernaturali, cooperaretur Deus ſpeciali quaſi influxu ad malum; ſed permiſit Chriſtus ſe ferri, noluítque reſiſtere, vt de facili poterat. Inſuper in poteſtate naturali Dæmonum eſt tranſportare de loco ad locum maxima pondera, turréſque diſturbare, & nonnunquam à Deo non prohibentur. At quis credat, inquit Leſſius, Beatos fore imbecilliores Dæmonibus? Sanè niſi Dæmonibus longè ſint fortiores, poſſent ab illis detineri etiam inuiti, deberéntque illos fugere, ne capiantur. Ita Leſſius. Sed hoc inconueniens timendum non eſt; nam etſi Dæmones fortiores eſſent beatis hominibus, impedientur à Deo, ne quid intentent aduerſus Beatos, & à die Iudicij generalis extra Inferni carceres non exibunt perduelles Angeli.

92 Poſſumus nos addere aliud exemplum animarum rationalium ſeparatarum. Nam ſi hæ non carent virtute naturali mouendi corpora extranea, quibus informatiuè non ſint vnitæ, poterunt multò potiùs, cùm beatæ fuerint, ſimúlque vnitæ corporibus glorificatis. Quòd verò animæ in ſtatu ſeparationis queant naturaliter mouere corpora, probatur, tum quia externorum corporum motricem facultatem retinent non minùs quàm intellectum, & voluntatem, & ſicut in eo ſtatu intelligunt independenter à corpore, ita etiam poterunt mouere corpora, licèt quando corpori ſunt coniunctæ, nequeant niſi eo mediante quemadmodùm nec ſe mouere, nec intelligere. Tum quia accidentalis, forma, quæ magis ordinatur ad ſubiectum, magiſque dependens ab illo eſt in ſuis operationibus, quàm anima rationalis à corpore, poteſt, ſi extra ſubiectum diuinitus conſeruetur, exercere ſine nouo miraculo ſuas operationes in ſubiecto extraneo: Ergo multò meliùs poterit connaturaliter anima rationalis, quæ abſque miraculo conſeruatur extra corpus, operari erga corpora extranea. Tum quia Angeli præditi ſunt virtute mouendi non ſolùm ſe, & alios Angelos, ſed etiam corpora. Ergo idem putandum eſt de animabus ſeparatis, quarum virtus motiua non eſt, cur limitetur ad ſe ipſas, & alias animas ſeparatas mouendas. Tum quia animæ ſeparatæ poſſunt apparere in corpore aſſumpto aëreo, vel igneo, vel ſimili alio, ſicque apparuit in Chriſti Transfiguratione anima Moyſis, de qua S. Thomas ait, 3. part. quæſt. 45. art. 3. ad 2. *apparuit per aliquod corpus aſſumptum, ſicut Angeli apparent.* At hi naturaliter apparent in corporibus aſſumptis, mouéntque ea. Animam etiam Samuelis Saüli Regi apparuiſſe in corpore aſſumpto,

Digitized by Google

ſi Eccleſiaſtici authoritas recipiatur (vti nunc, & iamdiù debuit recipi tanquam Canonica) aſſerunt S.Thomas 1.p.q.89.art.8.ad 2. eſtque communis ſententia fere omnium Recentiorum, quorum plures congeſſit Leo Allatius Syntagmate de Engaſtrimytho cap.22. & vltrà eos legantur inſignes Interpretes ad lib.1. Regum cap.28. Nicolaus Serarius, Gaſpar Sanctius, Cornelius à Lapide, Ioannes Hieronymus Sopranes, Claudius Rangolius, Ioannéſque Rodulphus à Corduba alibi laudatus, cuius commentaria breui fient publici iuris. Conſulantur rurſus idem Cornelius, Oliuerius Bonartius,& Octauianus Tuſus ad cap.46. Eccleſiaſtici. Multæ aliæ animarum fide dignæ apparitiones in corporibus aſſumptis narrantur à S.Gregorio Magno lib.4. Dialogorum,& ab Eccleſiaſtiacis Hiſtoriographis, Martinoque del Rio tom.1. diſquiſitionum Magicarum lib.2. quæſt.26. ſect.5.Alfonſo de Mendoza in quæſtionibus, quodlibeticis, quæſt.5. Scholaſtica numer. 13. Petro Gregorio, tom.4. commentariorum in ſyntaxes artis mirabilis, parte poſteriori l.8. cap.17. Quæ omnes apparitiones, conceſſa ſemel à Deo, aut permiſſa animabus egreſſione ad tempus è receptaculis ſuis, ſic fiunt, vt virtute naturali ſua efforment, aſſumántque corpora,proindéque moueant. Et ita ſentiunt Henricus, Ægidius, Scotus, Aureolus, Baſſolis, Maior,Toſtatus,Alfonſus Mendozanus, Connimbricenſes, apud Franciſcum Amicum tom. de Angelis diſp.& ſect.4. Auerſam, quæſt.59. Philoſophiæ ſect.2. Franciſcum de Mendoza in viridario lib.4. Problemate 29. qui citatos ſequuntur, vt & Arriaga tom.2. in 1.part.diſp.18. ſect.2. Maldonatus in cap 16. Lucæ verſ. 22. Ioannes Thomaſius modernus Thomiſta quæſt.12. de Anima artic.7. licèt in contrarium videatur ſtare S.Thomas 1.p. quæſt.110. art.3. ad 3. quæſt.117. art.4. quæſt.16. de Malo, artic 10.ad 2. & poſt ipſum expreſsè Durandus, Capreolus,Mayro, Caietanus, Sotus,Suarez,& Vaſquez. Flectit S.Thomam in noſtram opinionem Thomaſius,ſed violentè nimis.

83 Quæſtio duodecima; *Cur tanta vis tribuatur beatis hominibus ad mouenda corpora extranea,quando nullus eius vſus erit, & quando ſingulis tam conuenienter, vt conuenientius nequeant, vbique diſpoſitis, nihil immutandum, nihil euertendum, nihil ſtatuendum ſit?* Reſpondet S. Anſelmus in loco citato, *Qui hac dicit, paucis nobiſcum, quid in huiuſmodi habeat vſus humanus attendat, & videbit, quia non ſemper omnibus, quæ habemus, & quæ nos habere non parum gaudemus actu vtimur, ſicut v.g. ipſo viſu poteſtate aliqua nonnullarum ſcientia rerum, & multis in hunc modum, ſic & tunc de qua agitur fortitudine erit. Sola namque poſſeſſio eius nobis grata erit, & exultatio grandis, licet in actu nequaquam ſit neceſſaria nobis, cunctis, vt dictum eſt, in ſuo ſtatu conuenienter locatis. Hæc eadem quæſtio, ſi aut de velocitate, aut de aliqua partium beatitudinis mouetur, hac ſolutione, ſi non aptiorem Lector inuenerit, ſoluatur. In futuro igitur, vt iam prælibauimus, ſic iuſtus fortis erit, vt etiam (ſi velit) terram commouere poſſit, & è conuerſo iniuſtus imbecillis, vt nec etiam vermes amouere queat ab oculis ſuis.* Hactenus S.Anſelmus, cuius reſponſio iuuari poteſt ſimili alia S.Hieronymi circa glorificatorum corporum membra aliqua, quæ non exercebunt munus ad quod nunc ſunt deſtinata. Nam ad Pammachium ſcribens Doctor Maximus hæc habet, *Nec ſtatim ſuperflua videbitur membrorum reſurrectio, quæ caritura ſint officio ſuo, cum adhuc in hac vita poſiti nitamur opera non implere membrorum.*

84 Sed antequam hinc abeam, moneo cum Leſſio cap. 5. Tanneto tom.2. diſputat.1. quæſt.3. dub.5. numer. 52. Videri exceſſiſſe S. Anſelmum in illis verbis, *Sic iuſtus fortis erit, vt etiam, ſi velit, terram commouere poſſit.* Nam facultas proxima immutandi vniuerſalem, & quaſi ſubſtantialem naturæ ordinem, atque ſtatum reſeruata eſt Deo. Is enim, *quem conſtituit alium ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt?* Vt Iobi 34. verſ.13. ait Eliu, & vt Paulus ad Hebræos 2. v.5. *Non ſubiecit Angelis Deus orbem terræ futurum*; indéque infertur, nec hominibus beatis. Interpretari quis poterit S.Anſelmum quatenus loquatur,ſpectatis ſecundùm ſe viribus beatorum hominum, voluntatéque eorum in actu primo, licet ex lege, & ordinatione Dei nequeant totam commouere terram, nec velint; vt qui ſint valdè conformes diſpoſitioni diuinæ. Repetat Lector oculis, quæ ſcripſimus Exercit. 11. circa finem ſect. 3.

85 Quæſtio decimatertia; *Vtrùm beati homines poſſint mouere corpora extranea immediatè abſque impulſu, quin ea manibus apprehendant phyſicè?* Leſſius reſpondet affirmatiuè, quia non ſolùm Angeli, ſed etiam animæ ſeparatæ queunt ſic mouere corpora; imò multi negant, aut dubitant cum Suario lib.4. de Angelis cap.31. à num.9. Tanneto tom.1. diſp.5. dub.2. à num.14. an poſſint aliter mouere, nimirùm imprimendo impulſum. Cur ergo animæ informanti corpus & iam beatæ non competeret virtus mouendi lapidem v.g. eo modo, quo poſſunt Angeli, & quo poſſet ipſa ſi non eſſet vnita corpori humano, cur inquam ſcilicet non competeret virtus trahendi ſecum immediatè lapidem ex vno loco ad alium, & idcircò producendi immediatè vbicationes in ipſo præter illam, quam lapis præcedat pro priori naturæ in diſtans poſitiuè à beato homine? Nullam in tali virtute repugnantiam inuenio. Nec opus erit, (quicquid ſecus indicet Leſſius) beatum hominem vniri cum lapide phyſicè, etiamſi non informatiuè, vti opus non eſt, vt ſimili modo Angelus moueat, ſufficit namque indiſtantia. Videtur tamen penetrationem cum lapide neceſſariam fore in beato homine, alioqui iam hic moueret mediante ſuo corpore, & proinde per impulſum, quem corpus humanum imprimeret lapidi; niſi cogitetur corpus eleuari diuinitus ad producendas immediatè vbicationes in lapide, cùm alias naturaliter non poſſit efficere niſi impulſum, eáque eleuatio declarari poſſet, vt à Cardinali Lugo diſp.6. de Euchariſtia ſect.2.eleuatio Specierum Sacramentalium ad trahendum ſecum corpus Chriſti producendo in eo vbicationes.

86 Quæſtio decimaquarta; *An vnus beatus homo valeat mouere alium?* Reſpondeo, nullum Beatum renitentem poſſe moueri ab alio, tum quia aſſiſtentia extrinſeca Dei impediet omnem vim ab extrinſeco, *& ibi erit quicquid voles, non erit quicquid noles*, vt inquit Sanctus Auguſtinus libr. de Cantico nouo cap.10. tum quia Beati ſummam inter ſe concordiam animorum habebunt, & vnus nihil aget contra voluntatem alterius. Sed etſi fingeremus conatum vnius ad mouendum alterum inuitum, adhuc qui ſuperior eſſet viribus poſſet producere accidens, quo ſe obfirmaret in loco vel repellere inferiorem per impetum impreſſum ipſi, vel mouere ſe in partem

oppoſi

Digitized by Google

oppoſitam. Si Beatus non reluctaretur, poſſet moueri ab alio.

87 Quæſtio decimaquinta; *Num beatorum hominum corpora ratione agilitatis glorioſæ grauia non erunt?* S. Auguſtinus affirmantem partem ſignificat. Nam libro 13. de Ciuitate Dei capite 18. ea de cauſa corpora glorificata poſſe eſſe in cœlo, & deorſum non ruere vult, quia *Deus poteſt molibus preſtare terrenis, vt nullo in ima pondere detrahantur.* Et infrà, *Concedendum Deo, vt de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figuræ, membrorúmque detineat, detrahat ponderis tarditatem.* capite 20. docet, ideò corpus glorificatum dici ſpirituale, *quia ſpiritui ſumma, & admirabili obtemperandi facilitate ſubdetur, vſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem, omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta.* libro 22. capite 21. Platonicos contendentes, terrenum corpus ratione ſui ponderis exiſtere non poſſe in cœlo, refellit ſic, *Itane Deus omnipotens, qui ipſa creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non poterit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans ſpiritus.* Serm. 139. de tempore c. 3. ſcribit, *caro reſurget incorruptibilis, ſine vitio, ſine deformitate, ſine onere, ſine pondere, itaut ſit animæ ornamentum, non tormentum.* S. etiam Cyprianus de Reſurrectione Chriſti, inquit, *Corpus poſt reſurrectionem non aggrauare animam, ſed eſſe carnem ſine mole, & pondere, agilem, & mobilem.* S. Gregorius Nyſſenus oratione de Mortuis, *Nunc quæ craſſa, & ſolida ſunt, natura deorſum feruntur, tunc autem ſic immutabuntur, vt ſurſum tendant. Nos enim, vt ſcriptum eſt poſteaquam natura per reſurrectionem in omnibus in vitam reuocatis fuerit commutata; rapiemur in nubibus obuiam Domino in aëra, atque ita ſemper cum Domino erimus. Si igitur qui commutantur, corporis pondus non retinent, ſed diuiniorem in ſtatum tranſlati ſimul cum natura incorporea in ſublimi verſantur; planè conſentaneum eſt, vt color, figura, circumſcriptio, & reliqua corporis proprietates aliqua ratione diuinitùs commutentur.* Ex Theologis antiquis aliqui expreſsè detrahunt glorificatis corporibus grauitatem, aliqui pronuntiant poſſe detrahi probabiliter. Sed communi Theologorum ſententiæ, & rationi conformius eſt, eam, vtpote proprietatem naturalem humani corporis manſuram in gradu quidem valdè remiſſo ob depurationem temperamenti primarum qualitatum, & aliarum ſecundarum, in quibus conſiſtit humani corporis grauitas, vel ex quibus reſultat. Ita cum multis tam veteribus, quàm recentibus Ægidius Luſitanus tum libro 4. quæſtione 1. articulo 2. tum libro 5. quæſtione 5. articulo 7. à §. 3.

88 Iam ſæpè diximus, corpora glorificata, tametſi retineant grauitatem, non grauitatura etiam connaturaliter quandiù exiſtant in Empyreo, vel in alio loco vltra concauam globi Lunaris ſuperficiem. Et hinc infertur, ea ob grauitatem non fore violenter ſimpliciter in Empyreo, vt Baſſolis aſſeruit, ſiue ſecundùm quid, vt Scotus, & Toſtatus affirmarunt, ducti exinde, quòd inclinationi grauitatis ad motum, vel quietem deorſum, prævaleat poteſtas animæ beatæ ad motum, vel quietem ſurſùm; ideóque licet ratione eius inclinationis exiſtant violenter ſecundùm quid in Empyreo, tamen ratione poteſtatis animæ ſunt ibi connaturaliter ſimpliciter.

89 Si verò ſit ſermo de glorificatis corporibus, quandiù non exiſtant vltra concauam globi Lunaris ſuperficiem, tunc naturaliter grauitabunt, quantùm ex ſe eſt. Eaque grauitatio conducet, vt celeriùs deſcendere poſſint ex ſphæra ignea ad inferiores alias, ambulare in ſolido, & veſtigia figere. Sed ad nutum Beati erit impedibilis à Deo per ſubtractionem concurſus in ipſam. Ægidius tradit, eſſe impedibilem ab anima dote agilitatis prædita. Explodendus tamen eſt, nam cùm anima non influat efficienter in grauitationem, quæ iuxta Ægidium eſt qualitas deorſum impellens, immeritò reuocatur huius defectus in ſuſpenſionem, aut defectum influxus præſtiti, aut exhibendi ab anima. Quamuis autem non cohiberetur à Deo ad Beati arbitrium grauitatio, poſſet facilè vinci per dotem agilitatis ab eodem Beato reſiſtentia grauitationis. Cæterùm digniùs cogitatur de dominio animæ glorioſæ in corpus, ſi nulla detur reſiſtentia, quæ ſuperetur, & abſque vlla violentia facta corpori moueatur iſtud ab anima, cui quia ſeruit abſque renitentia dicitur ſpirituale à S. Auguſtino in ſerm. 147. de Tempore cap. 8. in Enchiridio cap. 91. & à Gloſſa ordinaria ſuper 1. ad Corinthios 15. verſ. 44. Defectus reſiſtentiæ in corpore ad motum erit in cauſa, ne Beatus ſentiat laborem, & laſſitudinem, dum moueatur; nec cum dote impaſſibilitatis congrueret defatigatio. Audiatur S. Thomas in ſolutione ad 2. quæſtiunculæ 1. *Quantò virtus animæ mouentis dominatur magis ſupra corpus, tantò minor eſt labor in motu, qui etiam fit contra naturam corporis. Vnde illi, in quibus virtus motiua eſt fortior, vel qui habent ex exercitio corpus magis habilitatum ad obediendum ſpiritui mouenti, minùs laborant in motu. Et quia poſt reſurrectionem anima perfectè dominabitur, tum propter perfectionem propriæ virtutis, tum propter habilitatem corporis glorioſi ex redundantia gloriæ ab anima in ipſum, non erit aliquis labor in motu Sanctorum, & ſic dici poſſunt corpora Sanctorum agilia.*

90 Suarez, Salas, Ægidius, & alij addunt, ablationem grauitatis à corpore humano, non fore ſatis ad agilitatem, qualis in Beatis agnoſci debet, nam animæ virtus naturalis effectiua motus eſt ex ſe determinata ad minorem velocitatem, quàm quæ in Beatis reperietur, & anima non moueret tam expeditè ſe vnà cum corpore ſibi vnito, etſi non graui, quàm ſe ſolam. Verumtamen ſi corpus non grauet animam, poterit hæc vna cum illo ſe mouere naturaliter non minùs facilè, quàm dum naturaliter ſola ipſa moueretur, nam vnio ad corpus non graue perinde ſe haberet in ordine ad non retardandum motum, ac ſi eſſet vnio ad aliam animam, aut ad Angelum non reſiſtentem motui, ſed patientem ſe ferri. Quare ſicut in hoc caſu anima vnita phyſicè accidentaliter Angelo tam velociter ſe moueret, ac quando non eſſet vnita; ita in illo alio caſu de vnione animæ ad corpus non graue. Procedit hæc doctrina in motu, qui quoad entitatem, & quoad modum naturaliter fit poſſibilis corpori humano extenſo, vt in motu progreſſiuo, etſi quis eſt alius, nam ad reliquos motus ſupra declaratos, aut ad eorum modos non ſufficeret ablatio grauitatis, nimirùm non ſufficeret exempli gratia ad tranſitum de extremo ad extremum diſtans ſine medio. Quapropter ſi poteſtas ad hos motus concedenda ſit Beatis, vt probabiliter induximus in præcedentibus, opus eſt aliquo alio præter grauitatis ablationem. SS. Cyprianus, Nyſſenus, & Auguſtinus exponendi ſunt conuenienter ad proximè dicta, quatenùs ſcilicet corpora glorificata non grauitabunt

Digitized by Google

uitabunt ſuapte natura vltra concauam globi Lunaris ſuperficiem,& quatenùs in inferioribus etiam ſphæris impediet Deus grauitationem, quoties Beatis libuerit.

91 Quæſtio decimaſexta; *An agilitatis glorioſa dos conſiſtat in aliqua qualitate poſitiua?* S. Auguſtinus ita videtur docere, cùm lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 11. ait, *Omitto dicere, quam multa grauia terrena ſint corpora, ſicut plumbum,& for n tamen accipiant ab artifice, qua natare valeant ſuper aquam, & vt accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cœlum, & poſſit eſſe in cœlo, omnipotenti artifici contradicitur?* Sed etſi S. Auguſtinus vſurpet nomen *Qualitas*, tamen non opus eſt intelligi de qualitate Philoſophica, & prædicamentali; ſufficit, ſi accipiatur ita, vt nomine *Qualitas* ſignificet ibi conditionem,& ſtatum, vt cùm S. Ambroſius lib. 10. ad cap. 24. Lucæ ſcribit, *Non per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis corporea qualitatem impernia, vſu clauſa* Dominus *penetrauit*, vt interpretantur qui glorificatorum corporum virtutem ad penetrationem cum aliis corporibus aſſerunt non conſiſtere formaliter in qualitate phyſica, quæ ſit dos ſubtilitatis glorioſæ. Minùs conducunt ad probandam qualitatem poſitiuam agilitatis glorioſæ verba illa Scripturæ, *Mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut aquilæ.* Iſaiæ 40. verſ. 31. *Surget in virtute.* 1. Corinth. 15. verſ. 43. Nam etſi denotent virtutem actiuam motus, & maiorem, quàm anteà in ſtatu vitæ corruptibilis, at non virtutem actiuam, quæ ſit qualitas indita de nouo beatis hominibus. Quòd verò prætereà dicatur, Chriſtus aſcendiſſe in cœlum propria virtute, non probat ipſius corpus ornatum fuiſſe qualitate ſuperaddita agilitatis. Ideò enim ſic dicitur aſcendiſſe, quia virtute debita Chriſto ob rationem diuinæ perſonæ, quæ ipſi erat intrinſeca, & ſubſtantialis. Et qui hinc argumentantur, debuiſſent animaduertere, dici ſpecialiter de Chriſto aſcendiſſe propria virtute; vnde ex ipſis fieret alios Beatos non aſcenſuros virtute, quæ ſit qualitas, cùm tamen eam afferant rationem, vt vniuerſim in Beatis adſtruant qualitatem agilitatis.

92 Inſuper, quòd agilitas vocetur dos corporum glorificatorum, parùm ad rem facit, tum quia virtus penetrandi alia corpora dos eſt glorificatorum, quin in plurium Theologorum ſententia qualitas aliqua ſit ea virtus; tum quia connaturalis exigentia concurſus diuini ad motum quemcumque pro arbitrio Beati fundata in beatitudine animæ, & corporis, ſatis, ſupérque eſſet, vt agilitas glorioſa nuncuparetur dos. Sic in ſimili puncto Durandus in 4. diſtinctione 44. quæſtione 5. Tannerus tomo 2. diſputatione 1. quæſtione 3. dubio 5. numero 58. Arriaga tomo 2. in 1. parte diſputatione 56. numero 12. 16. & 19. tum demum, quia quilibet motus & quælibet velocitas, quæ Beatis conueniat, reduci ſufficienter poteſt ad virtutem intrinſecam animæ, & corporis, ſed indiſtinctam ab ipſis vt glorificatis, aut ab earum potentiis; ideóque erit magis intrinſeca dos, quàm ſi partialiter reuocaretur ad qualitatem acceſſoriam. Maioris momenti non eſt, quòd facultas, quà mouetur progreſſiuè corpus corruptibile, conſiſtat in qualitate diſtincta à voluntate, & appetitu, actibúſque vtriuſque, & facultates, quibus mouentur grauia, & leuia in qualitatibus etiam, quæ ſunt grauitas, & leuitas: quare virtus corporis glorioſi ad ſe mouendum conſiſtet pariter in qualitate, vt ratiocinatur Granadus 3. parte contr. 13. de Nouiſſimis diſputatione 5. ſection. 1. numero 3. Sed maioris, inquam, momenti non eſt, ſiquidem non diſputemus, an facultas animati corporis ad motum progreſſiuum efficiendum diſtinguatur tanquam qualitas, vel non diſtinguatur à voluntate & appetitu, actibúſque vtriuſque; ſed an præter facultatem, quam in ſtatu corruptibili habet corpus humanum animatum, addatur noua alia qualitas in ſtatu glorificationis. Et addenda non videtur, ſi eadem ipſa, quæ in vita mortali datur, ſufficiat in immortali, ablato, aut temperato ad Beati nutum impedimento grauitationis, vel leuitationis, ſubtractis humoribus craſſis, & additis vitalibus ſpiritibus, paratóque Dei concurſu ad penetrationem indulgendam. Sic enim fiet, vt beati homines poſſint abſque iuuamine alterius qualitatis mouere ſe quàm celerrimè ſiue progreſſiuo, ſiue ſimplici motu per quemcumque locum, & quoquouerſum.

93 Arriaga proximè citatus numero 25. Auerſa 3. parte quæſtione 53. ſect. 3. & alij probant qualitatem ſuperadditam, quia quando aliqua potentia eleuatur ordinariè ad aliquos actus; connaturalius eſt, vt eleuetur per comprincipium intrinſecum, quàm per extrinſecum. Ergo cùm potentiæ locomotiuæ beatorum hominum familiaris ſit, & frequens eleuatio ad motum, tribuenda erit qualitati intrinſecæ ſupernaturali, non autem extrinſeco Dei auxilio. Sed in primis non conſtat omninò de crebro motu Beatorum hominum intra, aut extra Empyreum. Deinde non conſtat, motus, quos efficiunt, ſuperare vim naturalem animæ rationalis, ita vt opus ſit eleuatione ſupernaturali.

94 Leſſius infert quatuor inconuenientia, niſi beatis hominibus accreſcat virtus locomotiua. Primum: Non poſſet beatus homo mouere ſurſum aliquod pondus æquans in grauitate ſuum corpus, cùm hoc nequeat per vires animæ attolli in altum. Secundum: Non forent homines beati fortiores, quàm dùm erant viatores, nec valerent mouere maiores moles, aut diſturbare. Tertium: Quantumque beati homines firmarent ſe in loco, facile eſſet, inde eos diuellere humana vi. Quartum: Angeli longiſſimè anteirent celeritate beatos homines. Verumtamen hæc abſurda minimè ſequuntur. Non quartum; nam ſi impediatur grauitatio corporis, & reſiſtentia medij pleni, poterit eſſe æqualis celeritas hominum, & Angelorum in motu continuo; vel ſaltem etſi ſuperent Angeli, at non magis, quàm animas ſeparatas. Non tertium; Quia magna ſpirituum vitalium copia in beatis hominibus conferret ad ſic ſe firmiter ſiſtendum in loco, vt nulla mortalium vi poſſent inde dimoueri. Non ſecundùm; nam optima corporis diſpoſitio, ſpirituum prædictorum maior abundantia, & craſſorum humorum minor in vita immortali, quàm mortali, ſufficerent, vt fortiores eſſent homines in illa, quàm in hac, & vt ingentiores moles poſſent leuare, aut diſpellere. Non primum; Quia quòd modò non valeamus in altum attollere noſtrum corpus, non prouenit ex iſtius grauitate, vt excedente vires animæ, multi enim ſuſtinent humeris pondera grauiora ſuis corporibus, ſed prouenit ex indigentia loci, in quo figamus pedes.

95 Idem Leſſius contendit, neceſſariam ſaltem eſſe nouam ſpecialem virtutem ad motum ſimplicem beatorum hominum, quia anima ex ſe non poteſt mouere corpus informatum niſi interuentu

ſpirituum

Digitized by Google

ſpirituum, ac neruorum, & niſi mouendo vnam partem mediante alia, ad quem ſolum motum ſunt ipſa membra accommodata ſecundùm ſuam naturam Sed dici poteſt cum ſcala verum id eſſe de anima reſpectu corporis corruptibilis, non autem reſpectu glorificati. Nam ſi cadauer humanum, cui anima aſſiſteret, vt motor mobili, poſſet motu ſimplici moueri ab ipſa naturaliter, vti poteſt ab Angelo, cur ſimili modo nequiret moueri corpus animatum, quod ratione glorificationis careret impedimentis, quæ nunc obſtant motui ſimplici? Ad hæc; etſi ad motum iſtum neceſſaria eſſet ſpecialis virtus, nihil vrget fateri, eam debere eſſe intrinſecam, & non ſufficere extrinſecam omnipotentiæ diuinæ applicatæ ad concurrendum ſuprà vires naturales animæ, & corporis; præfatus namque motus non erit frequens, ſed extraordiarius. Hunc modum explicandi conſentaneum eſſe S. Auguſtino in verbis exaratis n. 101. aduertit P. Suarez. Et mihi quidem probabile eſt cum Soto in 4. diſp. 49. quæſt. 14. non eſſe opus virtute noua, eâque ſupernaturali ad agilitatem conuenientem beatis hominibus in motu continuo quantumcumque celeri ſiue progreſſiuo, ſiue ſimplici; probabiliúſque multò eſt, ſufficere auxilium extrinſecum ſupernaturale, quin neceſſaria ſit qualitas permanens ſupernaturalis ad vtrumque illum motum. Ita plures apud Ægidium lib. 5. quæſtion. 5. artic. 9. §. 1. Vnde non laudo Theologum quendam nuperùm ſcribentem, vix poſſe eſſe rationem dubitandi circa qualitates poſitiuas ſuperadditas agilitatis, & ſubtilitatis glorioſæ. Euoluantur Authores diuerſarum ſcholarum, examinentúrque argumenta ſincero animo inueniendæ vbiuis veritatis, & occurrent ambigendi rationes, nec habebuntur, publicantúrve vt certa, quæ maximè ſunt dubitabilia. Sed *obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, authoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident.* Sic Tullius in lib. 1. de natura deorum; vbi addit, *Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoricis accepimus; quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe autem erat Pythagoras. Tantùm opinio praiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret authoritas.*

96 Quæſtio decima ſeptima; *Si agilitatis glorioſæ dos conſiſtat in qualitate poſitiua, quodnam ipſi ſubiectum aſſignandum?* S. Auguſtinus tum in verbis tranſcriptis num. 101. tum in his eiuſdem capitis, *Poteſt Deus præſtare animis perfectiſſimè beatis, vt quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora, vbi volunt, ponant, & quò volunt, agant motum ſitúque facillimo.* Innuere videtur vim ad beatorum motum non in corpore, ſed in anima ponendam, quare ſi ſit intrinſeca, & permanens qualitas, afficiet immediatè ſolam animam. Sic expreſsè docent Tannerus tom. 2. diſp. 1. quæſt. 3. dub. 6. num. 63. & Leſſius; qui argumentatur in hunc modum, ſi ea vis eſſet qualitas corporalis, & non ſpiritualis, impelleret ſolùm in vnam partem, & impelleret etiam, quando corpus quieſceret extra naturalem ſuum locum, vti impellunt qualitates grauium, & leuium propendentium ſemper in ſua loca; prætereà motus Beatorum hominum non eſſet vitalis, vtpote qui non oriretur ex vi facultatis viuentis: nec ea qualitas operaretur naturaliter ad imperium animæ, quandoquidem hæc non habeat imperium in operationes qualitatum corporalium: demùm non eſt proprium corporis humani mouere ſe ipſum, ſed animæ eſt mouere ſe, & corpus, itaut anima moueatur per ſe, & corpus per accidens ad motum illius; vti contingeret, quando Angelus moueretur in corpore aſſumpto. Loquitur Leſſius de beatorum hominum vi ad motum ſimplicem corporis ſui; addit namque poſteà, animam in motu progreſſiuo moueri per accidens, quatenùs primò imprimit motum in ſpiritus, ſpiritus in muſculos, muſculi in pedem, qui transfertur ex vno in alium locum, animáque ſimul cum illo, licet primaria vis motiua reſideat in anima, imò & totalis, nàm in ſpiritibus, maſculis, & pede non datur vis motiua, ſed diſpoſitio competens ad recipiendum impetum impreſſum ab anima. Sic ferè Leſſius, qui conſequenter debet fateri, qualitatem poſitiuam agilitatis glorioſæ ad motum etiam progreſſiuum habere ſedem ſuam in anima.

97 S. Thomas in 4. diſtinct. 44. quæſtion. 2. articul. 3. quæſtiuncula 1. in corpore, innuit exiſtere in corpore eam qualitatem. Ait namque, *Corpus glorioſum erit omninò ſubiectum animæ glorificatæ, non ſolum, vt nihil in eo ſit, quod reſiſtat voluntati ſpiritus, quia hoc fuit etiam in corpore Adæ, ſed etiam vt ſit in eo aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile reddatur ad prædictam ſubiectionem, quæ quidem perfectio dos glorificati corporis dicitur.* Et in ſolutione ad 4. addit, *ſicut natura dat velocioribus animalibus inſtrumenta diuerſæ diſpoſitionis in figura, & quantitate; ita Deus dabit corporibus Sanctorum aliam diſpoſitionem, quàm nunc habeant non quidem in figura, & quantitate, ſed in proprietate gloriæ, quæ dicitur agilitas.* Ita S. Thomas. Defendunt expreſsè Granadus, & alij etſi pauci ſint, qui ex profeſſo diſcuſſerint hanc difficultatem. Granadi, & aliorum fundamentum eſt, quia agilitas numeratur inter glorificati corporis dotes. Ægidius Luſitanus dotem agilitatis glorioſæ trifariam diuidens, nempe in qualitates, quarum vna efficiat motum progreſſiuum, alia ſimplicem, & altera diſponat membra corporis, vt facilè moueantur, tradit, primam, quæ eſt actiua, & tertiam, quæ eſt merè paſſiua, & vtraque corporea, recipi in corpore; ſecundam verò, quæ eſt actiua, & ſpiritualis, recipi in anima. Fundamenta Ægidij colligentur ex iudicio proximè ſequenti.

98 Et quidem ſi potentia hominis ad motum progreſſiuum nunc efficiendum diſtincta ſit ab appetitu, reſideatque in muſculis, congruum videtur, vt in iiſdem poſt reſurrectionem glorioſam ponatur qualitas agilitatis ad talem motum. Rursùs, congruum etiam videtur, vt in anima beata vnita corpori detur qualitas actiua ſimplicis motus, quo moueatur corpus; & hæc qualitas, ſi diſtincta ſit ab alia ad motum progreſſiuum hominis glorificati, exiſtet in ſola anima; nam reſpectu motus ſimplicis, corpus vnitum ſubſtantialiter animæ rationali, nihil ſpeciale habet præ corpore, quod aſſumeretur præcisè ab ipſa anima, aut ab Angelo; tale autem corpus careret virtute actiua motus ſimplicis. Deinceps qualitas, quæ tantùm paſſiuè diſponat membra ad motum progreſſiuum, &

Digitized by Google

& ſimplicem, nullo ex capite apparet neceſſaria, præſertim quando membra ipſa aliunde erunt poſt glorificationem benè diſpoſita, & valentia, deturque in ipſis qualitas actiua motionis localis.

99 In mea ſententia naturalis facultas hominis, & animalis cuiuſcumque ad motum progreſſiuum eſt indiſtincta ab anima non minùs, quàm intellectus, & voluntas, atque appetitus, potentiæque aliæ; reſpondent tamen in corpore diſpoſitiones deſeruientes, vt anima motum efficiat, non ſecùs ac in oculo diſpoſitiones, & organa, vt eliciat anima immediatè, & proximè viſionem. Vnde qualitas eleuans ad motum progreſſiuum conuenientem ſupernaturaliter beatis hominis, conſtituenda erit in ſola anima; hanc enim ſolam eleuabit. Poteritque eademmet qualitas eleuare ad motum ſimplicem corporis, quia non repugnat, vnicam qualitatem habere vim eleuandi ad vtrumque motum, & ſic euitatur multitudo qualitum. Imò etſi potentia locomotiua nobis nunc communicata coaleſceret ex qualitatibus, tum actiua, tum paſſiua reſidentibus in corpore, vel ex qualitate actiua exiſtente in anima, & ex paſſiua exiſtente in corpore, poſſet vnica ſupernaturalis qualitas præſtare eleuationem, eſſetque corporea, etſi ſubiectaretur in anima, ſi ſimul dependeret in fieri & conſeruari à corpore; è contra verò eſſet ſpiritualis, ſi in corpore reciperetur merè, quin ab eo ſuſtentaretur; ſed à ſola anima. Nec repugnat, quòd vnica qualitas ageret cum anima eleuata motum, & ad iſtum patiendum diſponeret corpus. Argumenta Leſſij nobis fauent. Ratio verò Granadi parùm incommodat, nam agilitas vocabitur dos corporis, quatenus motus ſiue progreſſiuus, ſiue ſimplex corporis erit effectus qualitatis reſidentis in anima.

100 Quæſtio decimaoctaua; *An agilitas glorioſa, ſi in qualitate conſiſtat, oriatur phyſicè ab anima beatitudine?* Excitari ſolet hæc quæſtio vniuerſim de dotibus glorioſis. Et pro ortu earum phyſico à viſione beata, vel à lumine gloriæ, adducitur frequenter Sanctus Auguſtinus inquiens in epiſtola 56. *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum Sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis naturæ eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt, incorruptionis vigor.* Inſtitit phraſi Auguſtinianæ de redundantia, deriuatione, atque effluentia gloriæ, quæ eſt in anima ad corpus Sanctus Thomas l.4. contra Gentes capite 86. 1. 2. quæſtion. 4. articul. 6. in corp. 3. parte quæſtion. 14. articul. 1. ad 2. quæſtion. 45. articul. 2. in corpore, ſuper 4. diſputat. 44. quæſt. 2. articul. 3. quæſtiuncula 1. in corp. & alibi bis, aut ter. Idem Sanctus Auguſtinus libr. 12. de Geneſi ad litteram capite 35. ait, *Cùm hoc corpus, iam non animale, ſed per futuram commutationem ſpiritale receperit anima Angelis coæquata perfectum habebit naturæ ſuæ modum, imperans, & viuificans tam ineffabili felicitate, vt ſit ei gloria, quod ſarcina fuit.* Verbum *viuificans* denotare videtur vim effectricem animæ in gloriam corporis. Sanctus Chryſoſtomus homilia 41. in priorem epiſtolam ad Corinthios explicans Apoſtoli illud *ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale,* Scribit, *Conſtanter ſpiritus Beatorum carni aſſiſtit, eritque penes hunc imperium, etiam anima præſente atque hoc per Spiritale ſignificauit.* Ita Sanctus Chryſoſtomus, qui per imperium animæ beatæ in corpus innuit vim phyſicam, qua anima producens in corpore dotem ſubtilitatis ſubiicit ſibi perfectè illud. Stant pro hac ſententia de ortu phyſico gloriæ corporalis ab ſpirituali Granadus 3. parte controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tractat. 5. diſput. 1. Monteſinus in 1. 2. diſput. 7. quæſt. 2. à num. 45. Ioannes de S. Thoma in 1. 2. diſput. 2. articul. 9. niſi is aliique Thomiſtæ accipiendi ſint, quatenus gloria corporis emanat à gloria animæ per naturalem reſultantiam ſine propria, & noua actione, efficiaturque verè, ac propriè à ſolo Deo, ſicut dicere ſolent de rerum proprietatibus, fieri nimirum à generante res, & ab his emanare abſque intermedia actione phyſica.

101 Arguit Granadus primò, quia gloria corporis, eſt proprietas gloriæ animæ; proprietates autem efficiuntur ab ea entitate, cuius proprietates ſunt. Secundò; Quia beatitudo animæ eſt perfectiſſima operatio ſuperans communem curſum, & ordinem, transferenſque mentem ad ſublimem ſtatum. Sed quoties in anima excitatur operatio aliqua extraordinaria, deriuatur in corpus mutatio, aut alteratio propter phyſicam connexionem inter animam, & corpus. Tertiò, quia miraculum fuit, quòd ad Chriſti corpus ex permanenti gloria animæ in ſtatu vitæ mortalis non redundarit corporis gloria. At ſi hæc non deberet connaturaliter effluere phyſicè ex illa, ſed tantùm morali quadam congruentia concederetur à Deo ex ſuppoſitione illius, non fuiſſet miraculum, & ſupra naturæ vires. Ergo, &c. Quartò, arguit Monteſinus; quia anima beata eſt naturâ ſuâ actus corporis glorioſi.

102 Oppoſitam ſententiam, ſcilicet dotes gloriæ corporalis non produci efficienter à beatitudine animæ, tenent cum Argentinenſi, Richardo, & Durando, Sotus, Suarez, Valentia, Salas citati à Granado ſuprà numer. 2. Angles in Floribus de Beatitudine, articul. 5. difficultate 6. dubio 3. in concluſ. Horontius apud Salam, Barradas tomo 3. in Euangel. l. 10. cap. 2. in fine, Peſantius in 1. 2. quæſt. 4. articul. 6. d. 3. numer. 4. Leſſius lib. & cap. 3. de Summo bono numer. 21. Tannerus tom. 2. diſput. 1. quæſtion. 3. dubio 6. num. 68. Auerſa 1. 2. quæſt. 4. ſection. 8. 3. parte quæſt. 53. ſection. 3. Arriaga tom. 2. in 1. parte diſput. 56. ſect. 2. ſubſect. 6. à num. 40. Et ſuadetur primò ex ſancto Auguſtino, qui in verbis adductis num. 101. & in epiſtola 146. non in beatitudinem animæ, ſed in Deum authorem refert glorioſas corporis dotes. Secundò, quia nec lumen gloriæ, nec beatifica viſio efficiunt eas dotes, non lumen, ſiquidem ad illud non ſpectat, niſi productio viſionis; non viſio; nam cùm hæc ſit actus in intellectu immanens, non eſt operatiua extra ipſum. Videtur etiam à ratione alienum, vt habitus ſpiritualis, quale eſt lumen, & actus ſpiritualis, qualis eſt viſio, producant efficienter aliquid corporale, præſertim cùm in Angelis, quibus communis eſt beatitudo ſpiritualis, nihil tale cauſent phyſicè. Tertiò, quia S. Thomas in 4. diſt. 49. quæſt. 5. art. 4. quæſtiunc. 3. loquens de aureolis hæc habet, *Aureola propriè eſt in mente, eſt enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur. Sed ſicut ex gaudio eſſentialis præmij,*

Digitized by Google

præmij, quod eſt aurea, redundat quidem decor in corpore, qui eſt gloria corporis; ita ex gaudio aureolæ reſultat aliquis decor in corpore, vt ſic aureola principaliter ſit in mente, ſed per quandam redundantiam fulgeat etiam in carne. Hactenùs S.Thomas. Tunc ſic, non minùs ſecundùm rei veritatem, & Angelici Doctoris ſenſum redundat aureola corporis ex gaudio præmij accidentalis, quàm dos claritatis ex gaudio præmij eſſentialis. Atqui aureolam corporis non producit efficienter gaudium præmij accidentalis. Ergo nec dotem claritatis ſic producet gaudium præmij eſſentialis. Conatur Granadus diſputat. 8. præallegati tractatus ſect.1. numero 9. Aureolam corporis tribuere gaudio præmij accidentalis, tanquam cauſæ efficienti; ſed non aſſequitur, cùm tandem dicat, refractionem luminis recepti in partibus Empyrei contiguis capitibus beatorum hominum requiſitam ad aureolam fieri non à gaudio, ſed à dote agilitatis comprimente partes Empyrei propinquas capitibus. Nec probandum eſt, quod inquit de effectione luminis in eis partibus à gaudio, huius enim actiuitas nimis extenditur, ſi extra beati hominis corpus efficiat lucem materialem. Quartò denique; Quia nullum eſt ſine ab authoritate, ſiue à ratione ſufficiens fundamentum, vt beatitudo animæ ſit cauſa efficiens dotium corporalium.

103 Non ab authoritate. Quòd enim SS.Auguſtinus, & Thomas dicant, redundare ex gloria animæ ſaluatur aptè, ſi animæ beatæ coniunctæ ad corpus debeatur, vt proprietas moralis gloria ipſius corporis, vti in ſtatu ſeparationis debetur beatitudo animæ iuſtæ, & omninò puræ à reatu culpæ, & pœnæ temporalis poſt Chriſti Domini mortem, qui n lumen gloriæ, & viſio beata efficiantur à gratia habituali; & vti huic debentur ſupernaturales habitus virtutum, quos tamen non efficit, prout fert communis opinio. S.Thomas 3.p. quæſt.7.a.13.in corp. habet hæc verba, *Gratia cauſatur in homine ex præſentia diuinitatis, ſicut lumen in aëre ex præſentia Solis::: Præſentia autem Dei in Chriſto intelligitur ſecundùm vnionem humanæ naturæ ad diuinam perſonam. Vnde gratia habitualis Chriſti intelligitur vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor Solem.* Et ad 2. *Gratia habitualis non intelligitur vt præcedens vnionem, ſed vt conſequens eam, ſicut quædam proprietas naturalis. Vnde & Auguſtinus dicit in Enchiridio, quòd gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis.* Sic cum S. Auguſtino Angelicus Doctor; & tamen ex his verbis, quæ multò ſignificantiora ſunt efficientiæ, aut emanationis gratiæ habitualis à gratia vnionis Hypoſtaticæ, quàm quæ pro efficientia, aut emanatione dotium gloriæ corporalis à gloria animæ allegant Thomiſtæ, non mouentur ipſi, vt videre eſt in Cippulo dub. 1. §.2. & 3. ad concedendum ortum phyſicum, aut reſultantiam gratiæ habitualis à gratia vnionis. Quòd verò Sanctus Auguſtinus rurſus dicat; animam beatam *viuificare* corpus *tam ineffabili felicitate, vt ſit ei gloria, quod ſarcina fuit*, declarat quidem modum perfectiſſimum viuificandi, ſed non quòd ab anima efficiantur perfectiones corporis viuificati, vti neque quòd efficiatur ipſum corpus viuificatum. Demum quòd Sanctus Chryſoſtomus dicat; ſpiritum beatorum hominum habere imperium in corpus horum ad arbitrium illius, ſubiectionem ſignificat, & nullo modo productionem agilitatis factam vi phyſica ſpiritus beati.

104 Non à ratione. Reſpondetur namque ad primam, gloriæ corporalis dotes eſſe proprietates, non phyſicas, ſed morales gloriæ ſpiritualis, ſeu quæ comparantur ad gloriam ſpiritualem, non vt calor ad ignem, ſed vt habitus ſupernaturalis virtutum ad gratiam habitualem, & vt gratia habitualis ad vnionem hypoſtaticam Verbi cum natura humana. Quid Thomiſtæ reſpondere poſſint, indicatum eſt in numero 100. Sed ſi admittant, gloriam corporalem emanare à gloria ſpirituali inſtar caloris ab igne; impugnandi erunt ab eis, qui nobiſcum putent, emanationem caloris ab igne eſſe propriam actionem phyſicam, diſtinctàmque ab actione, qua ignis cauſatur à generante. Ad ſecundam reſpondetur, affectiones, qualitatéſque corporales, quas experimur in corporibus noſtris, quando vehemens aliquis actus ſpiritualis occupat animum, non fieri ab actu ſpirituali, ſed à corpore, eiúſque ſenſibus ob ſympathiam cum animo. Ad tertiam, fuiſſe miraculum, attenta beatitudine permanenti animæ Chriſti, quòd eius corpori, dum inter homines verſabatur, non communicarentur permanenter dotes gloriæ, quia debitæ erant connaturaliter tanquam proprietates morales; nam denegatio alicuius, quod ſic debetur, miraculoſa eſt. Dixi, *attenta beatitudine permanente animæ*, nam attento ſtatu vitæ mortalis non fuit miraculum, vt declarat Suarez in Commentario ad art.2. quæſtion.45. Reſpondetur ad quartam, nihil inferri exinde, quòd anima beata ſit actus corporis glorioſi; vt enim eſſe animam ſecundùm ſe actum corporis, non arguit in anima vim efficientem corporis, ſic eam vt beatam eſſe actum corporis glorioſi, non arguit in ipſa vt beata virtutem productiuam gloriæ corporis. Amplector poſteriorem iſtam ſententiam, cui ſuffragantur etiam Noſter Petrus Thyreus, tract. de apparitione glorioſa Chriſti in Thabor cap.1.numero 30. & 31. Ægidius Auguſtinianus l.5.de Beatitudine in tomo 3. quæſt.4. a.6.§.2. numero 4.vbi ait, opinionem S.Thomæ (ſeu potiùs Thomiſtarum) *non videri ſatis probabilem.* Sed cenſuram hanc indignans Ioannes Thomaſius inquit, probabiliſſimam omnium eſſe Thomiſticam cauſam. Ego à cenſuris abſtinere conſueui in rebus vltrò, citróque controuerſis inter Theologos, abſque vllo ſanæ, Catholicæque fidei diſpenſio, ne, vt ferè euenit pronis ad cenſuras modum non teneam.

105 Quæſtio decimanona; *An ab humanitate Chriſti fiat in aliis beatis hominibus dos glorioſa agilitatis, ſi in qualitate conſiſtat?* Eximio Doctori Franciſco Suarez tomo 2.in 3.p. diſput.48. ſect.2. ſermonem habenti de claritate glorioſa credibile eſt, eam fieri in aliis beatis hominibus ab humanitate Chriſti eleuata tanquam inſtrumento diuinæ omnipotentiæ, vel à claritate eiuſdem humanitatis. Nam Paulus ad Philippenſes 3. verſ.21. ait de Chriſto, *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundùm operationem, qua etiam poſſit ſubiicere ſibi omnia* In quibus verbis videtur commendari à S. Paulo actiuitas phyſica Chriſti, vt hominis erga claritatem glorioſam, qua fulgebunt beati alij homines. Arriaga ſuprà numer. 41. reſpondet, Apoſtolum non loqui de phyſica cauſalitate: alioqui deberet etiam Chriſtus cauſare phyſicè reſurrectionem corporum, quod nullus dicit. Sed Arriagæ pace, innumeri Theologi, quos referunt, & ſequuntur Ægidius Luſitanus tomo 3. de Beatitudine lib.1.

Digitized by Google

quæſt.5. art.5. Granadus 2.p.controuerſiæ 13. de Nouiſſimis tract. 2. diſputat.4. id dicunt, & inter eos Suarez tomo 2.in 3.p. diſputat.50. ſect.4. vbi probat, Chriſtum effecturum noſtram reſurrectionem, quoad corporis diſpoſitionem, animæ ſubſtantialem vnionem, & proprietates omnes, ac perfectiones inde conſequentes, *quia humanitas Chriſti eſt inſtrumentum coniunctum diuinitatis ad operandam ſalutem noſtram omnibus modis, quibus conuenienter poteſt: hic autem modus eſt poſſibilis, & maximè decens dignitatem, & merita eius.* Quæ Suarij ratio adaptari poteſt cauſalitati phyſicæ erga claritatem beatorum reliquorum. Nec affertur ab Arriaga vllum impedimentum, quod vinci nequeat, ſi operetur humanitas, aut eius lux eleuata diuinitùs, vt facilè mecum ſentiet, qui Arriagam legerit. Vnde opinatio Suarij ſatis verò propria à me cenſetur, & valdè decens Chriſti humanitatem, quæ in Empyreo erit velut Sol, & Luminare maius, ex quo cæteri homines cœlicolæ velut luminaria minora participabunt lucem. Fateor tamen, locum Apoſtoli cõmodè intelligi, ſi Chriſtus ſit meritoria, & exemplaris cauſa claritatis ornantis beatos alios. quin ſimul ſit cauſa phyſica. Iam autem cùm probabile videatur, claritatem Chriſti, vt inſtrumentum eleuatum efficere eam, qua micant beati alij, non apparet repugnantia, aut abſurdum in eo, quòd qualitatis impaſſibilitates, & agilitatis Chriſti cauſent in eodem genere cauſæ inſtrumentalis ſimiles dotes conceſſas reliquis beatis hominibus.

106 Idem Suarez 3.p.in Commentario ad art.2. quæſtion.45.& diſputat.48.ſect.2.tradit claritatem glorioſam fieri in corpore Chriſti ab anima, vel viſione beata ipſius per virtutem obedientialem eleuatam. Id quod etiam mihi valdè ; perſuaſibile videtur; vt & Tyræo ſuprà numero. 32. Et *in commendando Chriſtum, malo* cum ſubtiliſſimo, piiſſimóque Scoto in 3.diſt.13.quæſt.4.*excedere*, *quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Poteſt ad impaſſibilitatem, & agilitatem ampliari eadem cogitatio. Etſi autem implicantiam contradictionis nõn inuoluat, vt aliæ beatæ animę euehantur ad producendas tres dotes glorioſas in corporibus à ſe informatis, & improbabile non ſit ex cenſura Suarij in poſteriori loco, quòd actu euehantur ad effectionem claritatis; at in priori aſſerit, *voluntarium eſſe concedere hanc actionem inſtrumentariam omnibus beatis, ſeu viſionibus beatificis.* Sic Suarez, & Nos cum illo. Nam ſuprema excellentia, & dignitas vnionis ad Verbum diuinum, qua fruitur humanitas Chriſti, & ob quam ipſi conceditur ea actio, non competit aliis beatis hominibus. Et iã ſit finis. Quæſtionum de motu locali beatorũ hominũ in Empyreo.

107 Imponamúſque ſimul coronidem diſcuſſioni de externis eorum ibidem actionibus. Scripſimus quidem multa, quoad honeſtiſſimas voluptates à Beatis captas externis ſenſibus, ſed pauciora, quàm quæ Empyrei incolas ipſa docebit experientia. Præuidens quaſi per rimulas cæleſtia gaudia B. Angela Fulginas cap.61. ſuæ vitæ dicebat, *ſi mille millibus annorum, aut longiſſimorum ſæculorum amore tanti regni* (cæleſtis) *tolerare hic aſperrima, & pœnoſiſſima oporteret, verè cum immenſo gaudio, & deſiderio, & gratiarum actionibus vtique acceptandum iunctis manibus erat.* S. Ermundus Archiepiſcopus Cantuarienſis veriſſimè etiam aiebat, in ſpeculo Eccleſiæ cap.18. *tantum ibi eſſe gaudium, & tantam dulcedinem, quod ſi poſſemus viuere à principio mundi vſque ad futurum, & habere omnes delitias ad noſtram voluntatem, adhuc de iure omnes illas dimitteremus, & relinqueremus, vt eſſemus vno die in gaudio cæleſti.* Non minus verè Sanctus Auguſtinus lib.3. de libero arbitrio cap.25. *Tanta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc eſt, incommutabilis veritatis, atque ſapientiæ, vt etiam ſi non liceret ampliùs in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitiis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritóque contemnerentur. Non enim falſo, aut paruo affectu dictum eſt, quoniam melior eſt dies vnus in atriis tuis, ſuper millia.* S. Hieronymus ſic fermè ediſſerit poſtrema hæc verba v.11. Pſalmi 83. Concedat propitium Numen, vt non tantùm vno die, ſed interminabili æuo eis voluptatibus perfruamur in Empyreo!

EXERCITA

Digitized by Google

EXERCITATIO TRIGESIMAQVARTA.

De internis actionibus materialibus glorificatorum hominum

NEmpe de operationibus ſenſuum internorum, appetitúſque ſenſitiui. Conducit ad illas mediatè Empyreum, quatenus conſequuntur naturaliter ex materialibus ſenſuum externorum, ad quas quantùm, quámque immediatè deſeruiat hoc cœlum, oſtendi ſatis in præcedentibus libri huius Exercitationibus. P. Suarez tomo 2. in 3. p. diſput. 47. ſect. 6. verſ. *Quartò igitur* tractauit breuiter de operationibus beatorum hominum internis in ſenſibus, & in appetitu ſenſitiuo; ſed copioſè quidem, ſi comparetur cum Theologis ipſo antiquioribus, qui vno, altero verbo eas inſinuarunt. Poſt Eximium Doctorem Ægidius Luſitanus tomo 3. de Beatitudine l. 4. à quæſt. 12. vſque ad 22. incluſiuè proſequutus eſt diffuſiſſimè tractationem iſtam. Nos medium tenebimus, ne noſtro muneri deſimus, & alienis ab ſcopo propoſito difficultatibus, quæ alibi ſedem habent, paginas magis, quàm cauſam impleamus. Et quidem ex Horatij laudato conſilio, cui Scriptor parere debeat,

Ordinis hæc virtus erit, & venus (aut ego fallor)
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.

SECTIO I.

Beatorum hominum interni ſenſus non manebunt otioſi.

1 PRimò, quia cùm in via fuerit inſtrumentum virtutis, & meriti, æquum eſt, vt remunerationem, præmiúmque obtineant in patria, vbi & ipſi perennabunt valdè perfecti, atque integri, & obiecta decentiſſima non ſunt defutura. Secundò ſenſus interni perficiuntur ſuis actibus, qui non importent malum aliquod, aut carentiam boni conuenientis. Ergo in glorificationis ſtatu, qui perfectiſſimus eſt, tam reſpectu animæ, quàm corporis, non carebunt complemento, quod per actus cōparare poſſunt. Tertiò, beatitudo, cuius capaces ſunt ſenſus interni, conſiſtit in decentibus & honeſtis eorum operationibus, & oblectamentis circa commoda obiecta. Ne ergo felicitate illa ſua priuentur, delitiiſque ſuis, quo tempore anima tam proſperè beabitur, tamque affluenter ſatiabitur gloria Domini, oportet, intentos etiam eſſe illis operationibus. Quartò, niſi rationalis animus beatus delectabilem vſum ſenſuum externorum, atque internorum haberet poſt reſumptum corpus, inutilis eſſet iterata ad corpus glorificatum vnio. Quintò, ad actiones externorum ſenſuum ſubſequuntur connaturaliter actiones internorum. At externi ſenſus beatorum hominum inerti otio non langueſcent, vt toto libro præcedente oſtendimus: Ergo neque interni ſenſus perſiſtent ſoluti omni operatione; imò quia ſunt nobiliores externis, fruentur ſuis actibus, ex quibus deſumunt ſuam perfectionem. Hæc vniuerſim de internis ſenſibus; ex quibus communis non communicabit de nouo externis ſenſibus ſpiritus animales ad ſingulas operationes; ſed conſeruabit præſtitos in primo reſurrectionis inſtanti; permanebunt namque incorrupti tam ipſi, quàm vitales, & per diuerſas corporis partes virtute animæ vltrò, citróque diſcurrent abſque vlla propria corporis alteratione, vt aduertit Suarez loco citato, & verſ. finali eiuſdem ſectionis.

2 Circa actus ſenſuum internorum in particulari nulla ſpecialis difficultas pulſat animum; ſi ſe contineant intra ſpharam obiectorum ſenſibilium. De inſenſibilibus vocatur in controuerſiam; an Deus, & quoduis aliud ſpirituale obiectum aliquo modo attingetur à Beatis hominibus per phantaſiam? Reſpondent affirmatiuè Leſſius lib. 3. de ſummo bono cap. 8. numero 105. Tannerus tomo 2. diſputat. 1. quæſt. 3. dub. 4. numero 31. Ægidius Luſitanus quæſt. 12. articl. 6. numero 7. cum Franciſco Victoria, & Connimbricenſibus, Gregorius Martinez 1. 2. q. etiam 3. dub. 2. concluſ. 3. cum Dominico Soto in 4. diſt. 49. quæſt. art. & concluſ. 2. Et licèt Ægidius vertat obliuioni in Soto, quòd quæſt. à concluſ. 2. contrarium tradiderat; poterit tamen quis redimere Sotum facilè ab Ægidij inſimulatione, ſi vtrumque locum conferat. Sequor Authores præcitatos, quatenus per notitiam connotatiuam concipiatur Deus inſtar rei corporeæ tanquam immenſa lux v. g. aut veluti infinita

infinita dulcedo animæ, aut vt potentiſſimus Rex ſedens ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, qua ſub imagine non externa, vt innotat Antonius Fernandez præludio 5. in viſiones propheticas, ſed interna, formatáque in phantaſia viſus eſt Deus ab Iſaia. Modus is apprehendendi Deum non eſt alienus nunc à noſtra phantaſia, neque dedecet vitæ immortalis ſtatum; orietúrque in appetitu ſenſitiuo ingens delectatio ex Deo ſic apprehenſo; cuius idolum conficietur in phantaſia, vel præcedente ſenſatione externa lucis v. g. vel etiam non præcedente; ſed ſola cognitione intellectiua lucis eiuſdem, & Dei. Etſi enim nunc ad res ſpirituales inſtar ſenſibilium percipiendas antecedere debeat ſenſuum externorum exercitium erga ſenſibilia, ad quorum ſimilitudinem apprehenduntur; at, poſt reſurrectionem, cùm res ſpirituales, & ſenſibiles cognoſcentur immediatè in ſeipſis, ſufficiet cognitio intellectiua.

3 Quæſtionis etiam hîc eſt, num phantaſia miniſtratura ſit ſpecies intellectui poſſibili beatorum hominum abſtractas à phantaſmatibus per intellectum agentem? Reſpondeo, miniſtraturam, quia hæc eſt intellectus humani conditio conſequuta in nobis naturaliter ad actus externorum, & internorum ſenſuum; nullamque importat imperfectionem, quæ dehoneſtet naturam hominis. Vnde Theologi communiter docent, Chriſti Domini humanitatem, dum viatrix erat, adquiſijſſe in intellectu ſpecies nouas obiectorum, quæ incurrebant ſenſus decurſu temporis. Et quamuis quiſpiam poſſet id reuocare ad ſtatum paſſibilem humanitatis Chriſti, non apparet quid incommodans impaſſibili ſtatui, quem nunc poſſidet eadem humanitas; & quem habebunt reliquæ beatæ, ſi vtantur intellectu agente. Iidem Theologi non minùs frequenter ſtatuunt, Adamum in ſtatu innocentiæ non fuiſſe omninò expertem abſtractionis ſpecierum à phantaſmatibus? quia huiuſmodi exercitium intellectus agentis non eſt pœna peccati originalis, ſed proprietas animæ rationalis informantis corpus aptè organizatum, & diſpoſitum ad functiones ſenſuum. Dices, Beatis hominibus infundet Deus ſpecies ſimiles iis, quas nos comparamus per ſenſus. Fruſtra igitur adquirendis aliis incumbet intellectus agens. Sed contra, tum quia, ſi in ſola phantaſia imprimantur à Deo, inutilis non erit opera intellectus agentis eò procedens, vt producat ſpecies intelligibiles dependenter à phantaſmatibus: tum quia etſi phantaſiæ, & intellectui indat Deus ſpecies, adhuc ſenſus externi accipient ex obiectis alias, & interni ſenſus ab externis, intellectúſque agens mediis ſpeciebus internorum ſenſuum efficiet ſpecies intelligibiles deſeruientes cognitioni experimentali. Ita de Chriſto viatore, & de Adamo ante peccatum diſcurrere ſolent Doctores; nos verò ne excurramus in Tractatus de ſcientia Chriſti, & Adami, leuiter hæc attingimus.

4 Demùm dubitatur, an beati homines, vt intelligant, debeant ſpeculari phantaſmata, & ad ea conuerti? Certum in primis eſt, non debere, vt per ſcientiam beatam intelligant obiecta creata, & per infuſam referentem eam, qua potiuntur Angeli, & felices animæ ſeparatæ. Addo, nec poſſe. De infuſa videtur dicere S. Thomas 3. p. q. 11. art. 4. potuiſſe eſſe in Chriſto, proindéque & in aliis Beatis cum ea conuerſione. Sed S. Thomæ mentem interpretatur ſuauiter Cardinalis Lugus diſputat. 20. de Incarnatione ſection. 6. numer. 75. Ratio addiramenti eſt, quia principia, & ſpecies vtriuſque illius ſcientiæ, moduſque cognoſcendi ab vtraque ſeruatus, nequeunt dependere à corpore, cuius ad animam vnio eſt omninò per accidens reſpectu vtriuſque illius ſcientiæ. Certum deinde eſt ſcientiam experimentalem, & adquiſitam ſenſibus poſſe eſſe cum præfata conuerſione, quicquid ſit, an debeat, vel non, de quo poſteà. Porrò de ſcientia per accidens infuſa, quæ ſit ex ſe comparabilis per ſenſus, dicendum eſt, ſi phantaſiæ ſoli infuſæ ſint ſpecies, poſſe, & debere intellectum conuertere ſe ad phantaſmata, vt abſtrahat ſpecies intelligibiles reſpondentes ſpeciebus phantaſiæ inditis. Si autem intellectui ſint infuſæ; nec debere, nec poſſe conuertere ſe eo fine, ceſſat enim finis abſtrahendi ſpecies, quando intellectus aliunde illis iam eſt inſtructus. Idque confirmatur, nam anima, quæ in ſtatu ſeparationis conſeruat ſpecies adquiſitas in via, eáſque retinebit, quando corpori glorioſo coniungatur, nec debebit, nec poterit ſpeculari phantaſmata, vt eaſdem abſtrahat. Dicendum rurſus eſt, actus prouenientes ab ſpeciebus infuſis per accidens intellectui, & ſuapte natura parabilibus per ſenſus poſſe connaturaliter fieri ſimul cum actibus phantaſiæ, quia etſi miraculosè imprimantur intellectui abſque ope ſenſuum tales ſpecies, nihilominus earum vſus vnà cum exercitio phantaſiæ eſt valdè conformis tum intellectui vt informanti corpus, tum ipſis ſpeciebus. Tertiò dicendum eſt, non debere beatos homines quoties vtuntur declaratis ſpeciebus, dare operam actibus phantaſiæ, quia anima ratione beatitudinis eleuatur ad ſtatum tam perfectum, vt de neceſſitate non ſubijciatur corpori in exercitio ſpecierum, quibus eſt prædita independenter à miniſterio ſenſuum. Extendi poteſt hæc concluſio ad actus intellectuales repetitos ortos ab ſpeciebus experimentalibus, adquiſitiſque per ſenſus, Quòd enim oriantur ab ſpeciebus miniſtratis per ſenſus, ſat non eſt, vt debeant actus ipſos repræſentantes rem aliquam vniuerſalem aut particularem comitari ſemper alij actus phantaſiæ verſantes circa rem ſingularem; in quo propriè conſiſtit ſpeculatio, & conuerſio ad phantaſmata. Quare dummodò prima adquiſitio ſpecierum intellectualium fiat ab intellectu agente, & abſtrahente à phantaſmatibus, poterunt poſtea repeti actus intellectuales ſeorſim ab actibus phantaſiæ non conſeruantis intellectuales ſpecies, quas primò produxit eleuata ab intellectu. Lege Connimbricenſes in 3. de Anima cap. & quæſt. 8. artic. 3. Salam in 1. 2. tractat 2. diſputat. 6. ſect. 8.

SECTIO

SECTIO II.

Beati homines non carebunt appetitu ſenſitiuo: explicantur eius actus.

5 RESurgent Beati homines cum appetitu ſenſitiuo, eſt enim vna ex potentiis materialibus internis pertinens ad integritatem humanæ naturæ. Non fraudabitur omnibus ſuis actibus, quia actus materiales percepti à ſenſibus externis, & internis inferent alios appetitiuos materiales ſibi proportionatos, & quia ſicut intellectus operabitur ſimul cum phantaſia, ita voluntas ſimul cum appetitu ſenſitiuo. Prætereà motus localis, locutio ſenſibilis, & riſus moderatus ſupponent imperium appetitus ſenſitiui. Nullus actus fiet ab ipſo cum alteratione reali corporis, huius namque impaſſibilitas excludet alterationem illam. Verumtamen motio localis ſpirituum vitalium, vel humorum poterit vtique dari, vt quæ non ſit contra impaſſibilitatem.

6 Appetitus ſenſitiuus proſequitur bonum vtile, ac delectabile naturæ ſenſitiuæ, & refugit à malo diſconueniente eidem naturæ. Habet circa bonum actus amoris, deſiderij, ac gaudij, & circa malum alios tres, ſcilicet odium, fugam, & triſtitiam. Dicitur concupiſcibilis, quatenus tendit in bonum vtile, ac delectabile ſecundùm ſe, receditque à malo, vt oppoſito cum tali bono. Dicitur verò iraſcibilis quatenus verſatur per ſpem & deſperationem proſequendo bonum vt arduum, & per timorem, iram, & audaciam recedendo à malo etiam vt arduo. Non vacat tractare de ſingulis actibus recenſis, & minutatim expendere, quinam conueniant appetitui ſenſitiuo Beatorum, quinam ab eo exulent. Proprius locus erit, cùm incidat ſermo de Beatorum appetitu rationali, cui, reſpondent ſimiles actus. Illud vniuersè fixum animo tenere debet Theologus, non fore in appetitu ſenſitiuo Beatorum niſi eos actus, qui conſentanei ſint ſtatui decentium bonorum omnium ſenſibilium aggregatione perfecto, qualis eſt ſtatus beatitudinis corporalis.

7 Scripſi *decentium, &c.* quia ſi bonum ſenſibile ſit ſimul malum morale graue, aut leue, diſtabit longiſſimè ab illo appetitus Beatorum; qui non ſolum non præueniet rationem permittentem actus conſentaneos; ſed fortè nunquam operabitur niſi præcedente conſenſu poſitiuo voluntatis rectiſſimè ordinantis illos ad Deum, vt probabile eſt Ægidio Luſitano, quæſtion. 18. articul. 1. Hinc infertur, fomitem peccati fore ligatum in Beatis, imò, & extinctum totaliter; nam appetitus ſenſitiuus non præueniet voluntatem rebellans contra rectam rationem, rapiénſque ad bonum ſenſibile, quod ſit leue etiam malum morale, nec reſiſtet imperio voluntatis inclinans in partem oppoſitam; ſed potiùs erit omninò conformis voluntati, & hæc perfectè dominabitur illi, cuius actus proinde verſabuntur, præeunte voluntate, erga ſolum bonum ſenſibile ordinatum. Iſta appetitus ad rationem ſubiectio partim prouenict ex corporis, & humorum temperamento optimo, partim ex habitibus naturalibus virtuoſis, & vitioſorum carentia; partim ex Dei aſſiſtentia extrinſeca debita viſioni beatæ, quin neceſſe ſit, imprimi à Deo formam aliquam ſenſitiuo appetitui. Et quidem ſubiectionem appetituum Adami in ſtatu innocentiæ, & Deiparæ Virginis in ſtatu vitæ paſſibilis fuiſſe abſque formis inditis vtrique appetitui, defenſant multi, grauiſſimíque Theologi, tuerentúrque à fortiori de ſubiectione appetitus Beatorum ob viſionem Dei.

8 Si in via apetitus afficiatur habitibus tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, ſiue ſint perfectæ virtutes morales, ſiue non, aderunt etiam in patria, infundentúrque alij, ſi qui in via defuerint. Hactenus de appetitu ſenſitiuo, eiúſque actibus remiſſiuè potiùs, quàm dedita opera.

Clauſula Empyreologiæ.

SIt iam ſatis de libro octauo, & de tota Empyreologia. Confecimus enim, diuino aſpirante Numine, tractationem omnium, quæ in Empyreo ſiue vt eſt in ſe, ſiue vt ad alia confert tanquam corporeus locus, conſiderari poſſunt à Philoſopho Chriſtiano, & Scholaſtico Theologo. Quamuis verò in iſto opere deſiderabit nonnemo ſpirituales Incolarum Empyrei operationes, inter quas eminet Dei viſio, & beatitudo perfecta, ſciat is ex Sanct. Thoma prima ſecundæ quæſtione quarta articulo ſeptimo ad tertiam, *locum corporeum, ſcilicet cœlum Empyreum, non adeſſe Beatis propter neceſſitatem beatitudinis, ſed ſecundùm quandam congruentiam, & decorem.* Nec alieni ſumus ab ea mente, vt, ſi Empyreologicæ noſtræ elucubrationes placuerint viris doctis, vitáque nobis ſuppeditet, & litterarium otium, paremus ad lucem, quæ in Tractatu de viſione Dei, prælegimus diſcipulis, & quæ de Beatitudine congeſſimus in Aduerſariis noſtris. Interim Deum Optim. & Maxim. Empyrei Monarcham ardentiſſimè deprecor ex Pſalmo vigeſimo quinto verſ. octauo & nono, *vt quoniam dilexi decorem domus ſuæ, & locum habitationis gloriæ ſuæ, ne perdat cum impiis : : : animam meam*; ſed eam gratia, & meritis dilectiſſimi Filij Chriſti IESV (cuius me immeritum ſacratiſſimæ Societati dignatus eſt adſciſcere in terris) necnon Deiparæ Virginis ſine labe originalis peccati conceptæ, & Sanctiſſimi Patriarchæ Ignatij de Loyola, Franciciſque Xauerij Indiarum Apoſtoli benigno patrocinio donet Empyrei ſedibus

Digitized by Google

ſedibus poſt mortalis vitæ curſum, & paracto magno, generalique Iudicio rediuiuum corpus ad earumdem ſedium admittat poſſeſſionem. Et quia *naturâ comparatum eſt* (iudice Sanct. Sidonio lib. 7. epiſtol. 2.) *vt quibus impendimus ſtudium*, *præſtemus affectum*, facias, ô Potentiſſime, & Clementiſſimè Empyreæ Regiæ Dominator, vt omnis mea cogitatio, & affectio in te, atque in cœleſtia feratur, ac inardeſcat.

Si quid in hoc opere diſſonum, minúſve conſonum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutis, totum iam nunc reuoco, indictúmque volo.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
Sacræ Scripturæ.

Littera E, *ducit ad Exercitationem*; *littera* N, *ad Numerum ipſius marginalem.*

Geneſis.

*Cap.*1. *v.* 26. FACIAMVS hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, exerc. 28. num.127

2. 4. Ceſſauerat ab omni opere ſuo. ex. 16. n.12. & 27

3.19. Et in puluerẽ reuerteris. ex.19.n.29

5.24. Ambulauítque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. ex. 18. n.133

13.6. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul. ex.23.n.70

37.31. Deſcendam ad filium meum lugens in Infernum, ex.18. n.125

49.32. Obiit, appoſitúſque eſt ad populum ſuum, ex.18. n.158

Exodus.

*C.*15. *v.*20. SVmpſit ergo Maria Prophetiſſa ſoror Aaron tympanũ.ex.33.v.29

20.11. Sex diebus fecit Deus cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. ex. 10. n.44.

24.11. Viderúntque Deum, & comederunt, ac biberunt, ex.31. n. 6

Iudic.

*Cap.*11. *v.* 34. REuertente autem Iephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis, & choris, ex 33. n.29

Reg.

*L.*1.*C.*18 *v.* 6. CVm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, chorósque ducentes in occurſum Saül Regis cum tympanis lætitiæ, & in ſiſtris, ex.33. n.29

2.6.4. Dauid autem ſaltabat totis viribus ante Dominum, ex. 33. n. 31

4.2.11. Aſcendit Elias per turbinem in cœlum, ex.18. n.133

Iudith.

*Cap.*15. *v.* 5. OMnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & citharis, ex. 33. n. 29

16.1. Tunc cantauit canticum hoc Domino Iudith, ex. 33. n.29

Eſther.

*C.*13. *v.*10. TV feciſti cœlum, & terram, & quicquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es.ex.10.n 44

Iob.

*C.*1.*v.*6. VEnerunt filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. ex. 20. n. 32

4.24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, ex.33. n. 81

8.21. Donec impleatur riſu os tuum, ex. 33.n. 23

19.17. Et oculi mei conſpecturi ſunt, ex. 28 n.35.n.116. & n.121

19.25. Et in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, ex.22. n.27

34.13. Quẽ conſtituit aliũ ſuper terram, aut quem poſuit ſuper orbem, quem fabricatus eſt? exerc. 33. num. 84.

38.37. Quis enarrabit cœlorũ rationẽ, & cõcentũ cœlorũ dormire faciet? ex.24.n.41

Pſalmi.

*Pſ.*18. *v.*6. IN ſole poſuit tabernaculum ſuum, ex.18. num. 3.

67.5. Iter facite, ei, qui aſcendit ſuper occaſum. ex.23. n.76

67.33. Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlũ cœli ad Orientẽ, ex.18.n.7.e.23. n.73

83.3. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum, ex.32.n.70.e.33.n.23

Digitized by Google

83. v. 5. Beati, qui habitant in domo tua. ex. 33. n. 5
113. 4. Montes exultauerunt vt arietes, ex. 33. n. 27
149. 6. Exultabunt Sãcti in gloria. ex. 29. n. 8

Eccleſiaſtes.

C. 3. v. 21. QVis nouit, ſi ſpiritus filiorum Adã aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorũ deſcendat deorsũ? e. 18. n. 156
12. 1. & 7. Memento Creatoris tui in die iuuentutis tuæ ::: antequam reuertatur puluis in terrã ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, ex. 18. n. 156
21. 23. Vir autem ſapiens vix tacitè ridebit, ex. 33. n. 24

Canticum Canticorum.

C. 5. v. 1. QVid videbitis in Sulamite niſi choros caſtrorum? ex. 33. n. 28

Sapient.

C. 3. v. 7. TAnquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, ex. 33. n. 3
4. 10. Placens Deo factus dilectus, & viuẽs inter peccatores, trãſlatus eſt, e. 31. n. 9
10. 28. Reddidit Deus iuſtis mercedem laborum ſuorum. ex. 18. n. 162
16. 14. Homo autem occidit quidẽ per maliciã, & cũ exierit ſpiritus &c. e. 18. n. 155
16. 21. Deſeruiens vniuſcuiuſq; voluntati ad quod quiſq; volebat conuertebatur, ex. 31. num. 9

Eccleſiaſticus.

C. 11. v. 28. FAcile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundùm vias ſuas, ex. 18. n. 162
44. 16. Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ex. 18. n. 133

Iſaias.

C. 11. v. 4. SPiritu labiorum ſuorum interficiet impium, ex. 18. n. 57.
14. 12. Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? ex. 20. n. 16
33. 17. Regem in decore ſuo videbũt oculi eius, ex. 28. n. 121
40. 31. Aſſument pennas ſicut aquilæ, exercit. 33. n. 3. & 79

Ieremias.

C. 18. v. 17. DOrſum, & non faciẽ oſtendã eis in die perditionis eorũ, e. 23. n. 76

Ezechiel.

C. 28. v. 13. & 14. IN delitiis paradiſi Dei fuiſti. Poſui te in mõte ſancto Dei. ex. 20. n. 16

Daniel.

C. 7. v. 18. SVſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi. ex. 18. n. 164
14. 35. Apprehendit eum in vertice eius. ex. 33. num. 80

Michæas.

C. 2. v. 13. AScendet enim pandens iter ante eos, ex. 21. n. 4

Sophonias.

C. 3. v. 9. TVnc reddam populis labium electum. ex. 29. n. 31

Malachias.

C. 4. v. 2. ORietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius, & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento, ex. 33. n. 15

Machabei.

L. & c. 1. v. 6. DEcidit in lectum, & cognouit, vt moreretur, ex. 23. n. 53
L. 1. 2. 58. Elias, dum zelat zelum legis, receptus eſt in cœlum, ex. 18. n. 133
L. & c. 2. v. 7. Donec congreget Deus congregationem populi ſui. ex. 24. n. 20

Matthæus.

C. 10. VIdebam ſatanam, &c. ex. 20. n. 61
10. 21. In ipſa hora exultauit ſpiritu, ex. 33. n. 26
16. 25. Nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris. ex. 18. n. 162
18. 10. Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris. ex. 20. n. 1. ex. 20. n. 30
22. 30. Erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. ex. 20. n. 1
23. 43. Hodie mecum eris in paradiſo ex. 18. n. 103
24. 30. Signum filij hominis in cœlo. exercit. 25. in limine.
27. à v. 52. Monumenta aperta ſunt, &c. ex. 22. n. 1
28. 20. Ecce ego vobiſcum ſum. ex. 24. n. 7

Lucas.

C. 11. v. 3. PAnem noſtrum quotidianum da nobis hodie. ex. 24. n. 21
24. 30. Accepit panem, & benedixit. e. 24. n. 5

Ioannes.

C. 14. v. 2. & 3. IN domo Patris mei manſiones multæ ſunt, ex. 18. n. 121
20. 27. Noli me tangere, ex 32. n. 3

Acta.

C. 3. v. 21. QVem oportet cœlum ſuſcipere. ex. 18. n. 18
7. 56. Ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei, exercit. 21. n. 9

Monitio ad Lectorem.

Reliqua locorum ſacrorum ex Epiſtolis & Apocalypſi, tot ſunt ſparſim propoſita, & explicata, vt facilè hîc deſcribi non poſſint. Nec omnia Teſtamenti veteris, Euangeliorum, & Actorum expreſſimus in Indice; ſed pauca aliqua ſelegimus. Communibus apud Patres Eccleſiæ, & Biblicos Expoſitores vtimur interpretationibus; ideóque non hîc deſiderabitur longior Index locorum Scripturæ diuinæ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX THEOLOGICVS

Difficultatum, quæ iuxta S. Thomæ in Summa methodum tractantur, vel attinguntur in ſecunda parte Empyreologiæ.

Littera *E.* indicat Exercitationem, littera *S.* Sectionem, & littera *N.* Numerum marginalem eiuſdem Exercitationis.

In 1. p. S.Thomæ.

Pro q. 8. & 4. eius articulis, *AN cælum ſit præcipuum Dei domicilium. Ex.17. ſect.1. Qua ratione ſit Deus peculiariter incola cæli Empyrei? ſect.2. An Deus ex tam peculiari titulo ſit præſens Empyreo, vt ſi fingeretur, non eſſe immenſum, neque intimè adſtare telluri v.g. deberet tamen Empyreo non abeſſe? ſ.4. An Deus ſit in loco ratione operationis? exerc.20. ſect.10.num.93 An corpus poſſit diuinitus conſtitui vbique extenſiuè? ex.18.n.79*

12. a.1. *An intellectus creatus naturalis poſſit eleuari ad videndum Deum? ex.28.n.9.*

eadem, a.2. *An implicet contradictionem ſpecies impreſſa materialis ad videndum Deum ſenſu corporeo.ex.28. num.66*

ead. a.3. *An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum à glorificato viſu, ſi hic ſit futurus idem omninò, ac modò? ex.28. ſect.1. An Deus in ſe ipſo percipietur vt obiectum à glorificato viſu per ſpiritualem perceptionem? ſect.2. An Deus in ſe ipſo erit obiectum glorificati viſus, ſi hic futurus ſit diuerſus à mortali? ſect.3. vſque ad 8. incluſiuè.*

ead.a 11. *An in ſtatu vitæ mortalis alij præter Chriſtum viderint Deum? exerc.18. n.145. & ſeqq. ex.22.n.71*

23.a.7. *Quotus ſit numerus Angelorum prædeſtinatorum. exercit. 20. ſect. 12. Quotus ſit numerus hominum prædeſtinatorum? exerc.21. ſect.19.*

32.a.1. *An naturaliter poſſimus aſſentiri Myſterio Trinitatis. ex.24.n.14.*

50.a.3. *Qanta ſit multitudo Angelorum. ex.20.ſ.12. ex 23.n.83. & 84*

51.a.2. *An beati Angeli in Empyreo aſſument quandoque corpora; & ex qua materia. ex.26. ſ.1. & 2.*

52.a.1. *An Angeli beati ſint in cælo vt in loco. ex.20. ſ.1. an habitent intra regionem mediam Empyrei, vel ſupra eius conuexam ſuperficiem? ſ.6. an Angeli, qui ſunt motores cæleſtiũ Sphærarum, habitent intra, vel infra Empyreum. ſ.8. an Angeli exiſtant aliquando abſoluti ab omni loco extrinſeco imaginario? An ipſi, quantùm ex ſe eſt, poſſent naturaliter ſe abſoluere? Vel an ſaltem Deus poſſet miraculosè id præſtare. ſ.7. an cōmorantes in Empyreo operentur aliquid erga illud. ſ.10. In qua latè agitur de ratione præſentiæ Angelorum ad locum corporeum.*

ead.a.2. *An Angelus poſſit exiſtere ſimul in cælo, & in terra? ex.20 num.86. an queat exiſtere naturaliter in duobus locis adæquatis. n.116. an queat diuinitus. ex.18.n.72.*

ead.a.3. *An plures Angeli poſſint naturaliter exiſtere in eodem loco. ex.23. n.82. an Angeli beati habeant diſtincta loca in Empyreo? An occupent ſpatium magnæ amplitudinis? ex.23. ſect.10. à num.82.*

53.a.1. *An beati Angeli diſcedant aliquando ab Empyreo? ex.20. n.85. 86. n.122. & 123. an aliquando deſcenderint*

Digitized by Google

omnes ab Empyreo. ex.16.n.42.ex.33. n.10. an aſſumentes corpora agent choreas in Empyreo cum glorificatis hominibus ex.26.n.4. ex.33.ſ.2.

ead. a.2. An anima omninò pura ſine motu ſucceſſiuo, & tranſitu per ſpatium medium ſiſtant ſe in Empyreo, cùm primùm ſeiunguntur à corpore. ex.21. n.75. an Angeli poſsint naturaliter mouere ſe de extremo ad extremum, quin pertranſeant medium? ex.33. ſ.3. in qua examinantur omnia ferè quæ ad motum Angelicum ſpectant, & ad eius velocitatem, pro ead.q.a.3.

57.a.5. An Angeli valeant naturaliter cognoſcere aliquatenus Myſteria gratiæ. ex.28.n.13.

58.a.6.& 7. Quænam ſit Angelorum cognitio matutina. ex.20.n.31

61.a.4. An Angeli fuerint creati in Empyreo. ex.20.ſ.2.& 3.

62 a.5. An Angeli, qui non peccarunt, fuerint beati paulò poſt ſuam creationem. ex.18.n.172.& 185. ex.20.ſ.4. ex.21.n.32.117.

ead.a.9. An Angeli poſt adeptionem gloriæ poſſint proficere. ex.21.n.117.

63. Agitantur multa in ex.20.ſ.2.& 3. Vbi an Angeli peccarint in Empyreo?

ead.a.9. An tot Angeli remanſerint, quot ceciderant. ex.20.ſ.12.

64.a.3. Quanam ratione Dæmones torqueantur ab igne. ex.20.ſ.11. an in Dæmonibus exeuntibus Inferno intermittatur pœna ignis. ex 20. n.104. Vbi an circumferant ſecum ignem.

ead.a.4. An Dæmones ſtatim, ac peccarunt, detruſi ſint in Infernum. ex.21 n.38. an patuerit aliquando aditus ad Empyreum. ex.20.ſ.5. an aſſumant in Inferno corpora deformia? ex.26. num.3. Plura de Inferno tractantur paſsim.

65.a.5. An præter motum poſsint Angeli producere in corporibus formam aliquam accidentalem. ex.20.à n.95.

66.a.3. Facit integra ferè pars ſecunda, & præcipuè. ex.16. quæ eſt de influentiis Empyrei in alia corpora cœleſtia, ac ſublunaria.

67.a.1. An repugnet lux ſpiritualis. ex.32. n.47. in ſ.4. ex.32. diſcutiuntur de luce plura deſeruientia ad 4. artic. q.67. legatur etiam ex.78 à n.15

68.a.2. An beatorum hominum corpora commorabuntur intra aquas ſupercœleſtes. E.23. Cuinam fini conducāt aquæ ſupercœleſtes. ex.28.n.179. Vbi de earum luce, & coloribus apparentibus.

ead.a.4. Conferunt quæ de Empyreo traduntur tertio quoque verbo.

73.a.2. Quî intelligantur verba illa Geneſeos 2.v.4. Ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret? ex.16.n.12.& 26.

67. vſque ad 73. incluſiuè, Vtilia ſunt quæ habentur in ex.28.ſ.14.& 15.

76.a.7. An Empyreum influat in diſpoſitiones ad animam rationalem? ex.16.n 36.

78.a.3. Inutilia forſan non erunt quæ de ſenſibus externis beatorum hominum proponuntur per totum lib.8.

ead. a.4. Conueniens erit ex.34. Item pro q.80.& 81.

84.a.2. An beati homines per ſpecies infuſas externis ſenſibus percipient obiecta non exiſtentia. ex.32.ſ.3.

ead.a.7. An beati homines vt intelligant, debeant ſpeculari phantaſmata, & ad ea conuerti? ex.34.n.4

85.a.1. An phantaſia miniſtratura ſit ſpecies intellectui poſsibili beatorum hominem abſtractas à phantaſmatibus per intellectum agentem. ex.34.n.3.

89.a.7. An cognitio animæ ſeparatæ promoueatur, aut retardetur ex obiecti viciniâ, aut diſtantia? ex.28 n.224.

90.a.2.& 3. An Empyreum medio lumine influat in diſpoſitiones ad animam rationalem, itémq; in animales, & vitales ſpiritus hominis ex.16.n.36.

91.a.2. An primi hominis corpus efformatum ſit à Deo aſſumente figuram humanam. ex.28 n.117.

ead.a.3. Qualis fuerit pulchritudo Adami? Ibidem. Quo fine homini Deus conceſſerit rectam figuram, ſeu ſtaturam. n.181. an Adamus fuerit pulchrior, quàm Chriſtus. n.128.

94.a.1. An Adamus in ſtatu innocentiæ viderit Deum per eſſentiam? ex.18. num.145.

ead.a.4. An homo in ſtatu innocentiæ pateretur deceptionem penes ſenſus externos. ex.32.n.31

q.102. Et quatuor eius articulis, An homo fuerit factus in paradiſo. ex 20. n.12. Multa alia explicantur ſparſim de paradiſo Adamico in toto opere.

108.a.8. Quanam ratione homines beati implebunt in cœlo ruinas Angelorum? ex 20. num.16. & 21. ex.19. ſect.12. ex.20.ſ.19

q.110. Et tribus eius articulis, An Angeli efficiant lucem in Empyreo. ex.20.n.95. & ſeqq. Vbi abundè excluditur virtus tranſeunter effectiua Angelorum in corpora, excepto motu locali.

q.111.

Digitized by Google

q.112.a.2. *Sintne aliqui Angeli, qui ex Empyreo nunquam in miniſterium mittantur? ex.18.n.64. ex.20.n.85*
ead.a.3. *Reuiſe difficultates ad q.53.a.1.*
131.a.1. *An Empyreum habeat Angelum cuſtodem? ex 20.ſ.9*
ead.a.4. *An cuſtodia hominum per Angelos maneat in patria? Ibidem.n.88. Pro reliquis articulis eiuſdem q. facit ſ.12.ex.20.*
115.a.3. *Reperies non contemnenda in ex 16.*
117.a.4. *An anima ſeparata queant exercere tranſeuntem aliquam actionem in corporibus? exercit. 20. num. 100. ex.33.n.82*

In 1. 2. S.Thomæ.

Pro q.1.a.7. *AN eiuſdem effectus poſſint dari duæ cauſæ finales adæquatæ? ex.16.à n.56*
q.3.& 4. *Congruit tum lib.8. qui eſt de externis, & internis actionibus materialibus beatorum hominum: tum ex.21. quæ eſt de beatitudine animarum ante generalem corporum reſurrectionem. In n.134. An animæ reunitæ corporibus eleuabuntur ad maiorem beatitudinem eſſentialem? De dotibus corporum glorificatorum, & præcipuè de agilitate agitur in ſect. 3. exerc.33*
q.31. *vſque ad 34. Incluſiuè vtilis erit lib.8.& præſertim ſ.5.ex.32*
35.a.3. *An triſtitia in Dæmonibus excludat omne gaudium? ex.20.à n.193*
81. a.3. *An Deipara Virgo contraxerit peccatum originale? ex.18.n.178. an Deipara fuerit libera à debito proximo incurrendi peccatum originale? Ibidem n.181. an ſi Deipara contraxiſſet peccatum originale, & obiiſſet ante Chriſtum, pergeret ad Sinum Abrahæ? ex.18.ſ.15*
87.a.3. *Vbinam poſt reſurrectionem manebunt pueri decedentes cum peccato originali? ex.28.à n.197*

In 2.2. S.Thomæ.

Pro q.13.a.4. *AN poſt reſurrectionem erit in Orco vocalis blaſphemia contra Deum? ex.29.n.14*
83.a.11. *Cur in lege veteri oratio facta ſit ad Angelos, & non ad SS. PP. exerc.20. num.31*
ead.a.11. *An Sancti, qui nunc cum corporibus glorificatis ſunt in cælo, orent pro nobis vocaliter? ex.29.n.9*

175.a.3. *An S.Paulus in raptu viderit eſſen- Dei? ex.22.n.68.*
ead. a.4. *An viſio Dei alienet à ſenſibus? ex.32.n.62*
ead.a.5. *An S.Pauli anima in raptu fuerit à corpore ſeparata? Et an mortale S.Pauli corpus fuerit inuectu in ſtationem Beatorum? exercitat. 22. à num.66*
176. a.1. & 2. *An beati homines in Empyreo habebunt linguarum donum? ex.19. num.21*

In 3.p. S.Thomæ.

Pro q.4.a.1 *AN natura irrationalis poſſit aſſumi à Verbo diuino? ex.28. num. 54.*
11.a.2. *An vſus ſcientiæ infuſæ in beatis hominibus poſſit eſſe cum conuerſione ad phantaſmata. ex.34.n.4.*
14.a.4. *An Chriſtus Dominus ſemper effecerit ſenſationes externas obiectis conformes? ex.32. n.22. & 32. Quanta fuerit pulchritudo corporis Chriſti? ex.28.à n.124*
21.a.1. *An nunc in cælo Chriſtus oret vocaliter ad Patrem? ex.29.n 9*
25.a.4. *Deſeruit ex.25. Quæ eſt de Chriſti Cruce conſeruanda in Empyreo poſt diem extremi Iudicij.*
27.a.1. *Infructuoſa non eſt ex.19. De Deipara Virgine vt Empyrei incola.*
ead.a.2. *An ſi ante Chriſtum obiiſſet Deipara, pergeret huius anima ad ſinum Abrahæ? Et aliæ difficultates notatæ ad 1.2.q 81.a.3*
28.a 3. *An S.Ioſeph ſponſam Mariam fixo obtutu aſpicere aliquando nequiuerit?*
29.a.2. *An S.Ioſeph ſponſus Deiparæ reſurrexerit cum Chriſto? ex.22.n.43. Vbi alia de S.Ioſeph.ex 28.n.150*
30.a.3. *Qualis fuerit viſio qua Angelum annuntiantem conſpexerit Deipara? ex.28.n.37*
36. a.5. *An nocte Natiuitatis Chriſti omnes Angeli deſcenderint è cælo? ex.16. n.42. an Angeli egerint choreas ad præſepe Chriſti nati? e.26.n.4*
37.a.1. *An Chriſti præputium maneat in terra inanime, & ſimul in cælo animatum. ex.22.n.45*
39.a.5. *Quidnam ſignificet apertio cælorum in baptiſmate Chriſti.e.21.n.12*
40.a.2. *An Chriſtus in vita mortali riſerit. ex 33.n.25*
45.a.2. *An claritas Chriſti in Transfiguratione fuerit ſupernaturalis. ex.32.ſ.4.*
ead.a.3. *An Moyſis anima in aliquo corpore*

aſſumpto adfuerit Transfigurationi Chriſti? ex.18.n.152.ex.22. à n.29. Vnde aduenerit Elias, vt adeſſet eidem Transfigurationi? ex.18.n.139. & in anterioribus, atque poſterioribus. An Apoſtoli in Transfiguratione Chriſti viderint corporeis oculis animam Eliæ, ex. 28. n. 37. An Apoſtoli in Transfiguratione Chriſti eiſdem oculis conſpexerint eſſentiam diuinam? ex. 32. num. 45

46. a.10. *An Adamus ſepultus fuerit, vbi Chriſtus eſt crucifixus? ex.22. à n.26*

ead.a.11. *Examinantur plura de Bono Latrone. ex.18. ſect.7. ex.22. n.47. ex.28. num.116*

49.a.5. *Fuerítne Chriſtus ex hominibus primus Empyrei incola? ex.18. à ſect.9. vſque ad 15. incluſiuè.*

51.a.2. *An, & vbi extet ſudarium, quod fuit ſuper caput IESV in ſepulchro? ex.22. à num.35*

52.a.2. *An damnatorum in Infernum deſcenderit Chriſti anima? An illuc deſcendet Chriſtus poſt diem generalis Iudicij? ex. 33. à n.11. An anima Chriſti deſcenderit verè ad Inferos? exerc. 20. num.93. & 125*

ead.a.4. *An Chriſtus ante ſolemnem Aſcenſionem in Empyreum aſcenderit priuatim in ipſum ſimul cum Bono Latrone? ex.18. ſect.7. An anima Chriſti paradiſum terreſtrem inuiſerit in triduo ſeparationis? ex.18. n.112*

ead.a.5. *An Chriſti anima deſcendens ad ſinum Abrahæ liberauerit inde Sanctos Patres? ex.18.n.126.ex.21.à n.6. Quo inſtanti viderint Deum animæ Sanctæ exiſtentes in ſinu Abrahæ? exerc. 18. n.108.ex.21.n.75. An in ſinu illo perpeſſæ ſint aliquam triſtitiam? ex. 18. n.183. An ad præſentiam animæ Chriſti reſplenduerit ille ſinus? exerc. 20. n. 100. Quónam Sanctorum animæ exiſtentes in illo ſinu deductæ ſint, vſquedum Chriſtus aſcenderit in cælum ex.18. n.112. 118. & 119*

ead.a.6. & 7. *Facit ex. 23. à num.23. ex. 28. num.204*

53.a.3. *An Chriſtus primò reſurrexerit ad vitam immortalem? ex.18. à num. 130. ex.22. n.49*

54.a.1. *An vultus Chriſti pulchritudo aucta ſit in reſurrectione? ex.28. n. 128. & n. 169. An lineamenta vultus Chriſti mutata ſint ad tempus poſt reſurrectionem? ibid.*

ead.a.3. *An cæleſte corpus ſit tangibile? ex. 32. à num.7*

ead.a.4. *An corpus Chriſti debuerit reſurgere cum cicatricibus? ex.24.num.2. & 16*

55.a.3. *An Chriſtus poſt reſurrectionem, quando cum Diſcipulis non conuerſabatur, commoratus fuerit in paradiſo terreſtri, antequam cæleſtem adierit? exerc.18. num. 118*

ead.a.6. *Quiſnam ſit ſenſus illorum verborum apud Ioannem 20.v.17.* Noli me tangere? *ex.32.n.3*

57.&.6. eius articulis *competens eſt ex.18. quæ eſt de Chriſto vt Empyrei incola. Videatur etiam exercitat.23. ſection.9. & 10. an Sancti Patres, qui Chriſto reſurgente reſurrexerunt, aſcenderint ad Empyreum cum ipſo in corporibus glorioſis? exerc. 22. ſect. 1. Legantur item exercit. 18. num. 126. & 127. exercit.21. num. 6. & 7. Quinam fuerint SS. PP. animæ, & corpore glorioſo comitati Chriſtum in Empyreum? exercit.22. ſect.2. An omnes Angeli è cælo deſcenderint, vt IESVM aſcendentem comitarentur? ex.16. num.42. An Angeli aſſumpſerint corpora in triumpho Chriſti aſcendentis. ex.22. num.50. Quodnam miniſterium præſtiterint Angeli Chriſto aſcendenti? exerc. 19. n. 56. An Chriſtus poſtquàm aſcendens diſparuit ab oculis Diſcipulorum, peruenerit ad Empyreum non percurrendo medium ſpatium? ex. 33. num. 49. Et vniuerſim ad* quæſt.57. *commoda erit. ſect.3. exerc.33*

58.a.1. *An Chriſtus ſtet, vel ſedeat corporaliter in Empyreo? ex.23. ſect.8.*

ead.a.4. *An Deiparæ Virgini conueniat ſedere ad dexteram Dei? exercitat. 19 num. 75*

59.a.5. *Opportuna erit ex. 21. De animabus vt Empyrei incolis ante diem vniuerſalis Iudicij.*

61.a.4. *An in cælo erunt aliqua Sacramenta? ex.24. num. 13. Quæ in ex. diſputatur copioſè, an permanebit in cælo Sacramentum Euchariſtiæ?*

68.a.2. *An infantes qui ſine aqua luſtrali decedunt, ſaluentur? ex.28. n.204. Conſulatur etiam ex.23. à n.28.*

69.a.3. *An adulti differentes ſuſceptionem Baptiſmi vſque ad mortem, ſaluentur? ex.23. ſect.5*

ead.a.7. *An per Baptiſmum aperiatur baptizatis ianua Regni cæleſtis? ex.21. n. 12. an qui obeunt ſtatim poſt ritè, & fructuoſè ſuſceptum Baptiſmum, pergant rectà ad cælum? ibid. à n.34. Vbi etiam an qui Martyrium patiuntur?*

71.& 4. eius articulis, *quænam de cauſa Catechumeni conuertebantur ad Orientem, poſtquam ad Occidentem reſpicientes*

Digitized by Google

cientes renuntiabant Sathanæ? ex.23.n.74
75.a.1. *An idem corpus poſſit diuinitus conſtitui circumſcriptiuè in multis locis? ex.18.ſ.5*
76.a.7. *An corpus Chriſti exiſtens ſub ſpeciebus ſacramentalibus videri queat per oculos noſtros eleuatos? ex.28. à n.15. An Chriſtus vt exiſtens in Euchariſtia videat corporaliter ſe ipſum. An Deipara Virgo viderit corporaliter Chriſtum vt exiſtentem in Euchariſtia? Ibid.n.23*
ead.a.8. *An verum Chriſti corpus remaneat in Sacramento Euchariſtiæ, cùm miraculosè apparet ſub figura pueri? ex.32.n.25*
80.a.2. *Quanam ratione Angeli, & animæ beatæ dicantur in cœlo manducare ſpiritualiter Chriſtum? ex.24.n.19*
ead.a.3. *Quidnam fiat de ſpeciebus Sacramentalibus, quando à brutis corroduntur, aut deuorantur? An transferantur in Empyreum? exerc.22. n.75.& 76*
81.a.1. *An Chriſtus poſt reſurrectionem ſumpſerit Euchariſtiam, porrexerítque eam Diſcipulis apud Emmauntinum caſtellum? ex.24.n.5.& 19*
82.a.1. *An poſt generalem reſurrectionem poterunt ſacerdotes conſecrare Euchariſtiam? ex.24.n.12*

In ſupplementum 3.p. S.Thomæ.

Pro q.2.a.2. *An pueri, qui cum originali deceſſerunt ante Chriſtum, crediderint ipſi prædicanti, cum deſcendit ad inferos, & pœnitentiam egerint? ex.28.n.104*
69.a.1.& 2. *Conducit ex.21. De animabus vt Empyrei incolis ante diem extremi Iudicij. Legatur etiam ſ.6. ex.20.*
ead.a.4. *An locus Beatorum aliquando vocetur ſinus Abrahæ? ex.18. n.166. Complura de ſinu Abrahæ tractantur frequenter.*
ead.a.7. *Faciunt cuncta propè quæ de Empyreo expenduntur.*
70.a.1.& 2. *An in anima ſeparata maneant potentiæ ſenſitiuæ? ex. 20. n.187. an anima ſeparata poſſit elicere actus ſenſitiuos? ibid.*
ead.a.3. *Quomodo ſeiunctæ animæ damnatæ torqueantur ab igne? ex. 20. ſ.11. & præſertim in n.187*
71.a.5. *An damnatæ animæ ſubleuentur pœnis per ſuffragia viuorum? ex.19.ſ.6*
72.a.1. *An Sancti videntes Deum cognoſcant orationes noſtras? ex.20. n.31. an Chriſtus, & Sanctiſſima Mater, & ſi qui ſunt alij cum corporibus glorificatis in cœlo, orent vocaliter pro nobis ad Deum? ex.29.n.9*
73.a.1. *An Crucis in cœlo apparitio erit ſignum præcedens aduentum Chriſti ad Iudicium generale? ex.25*
74.a.1.4.5.& 6. *Conueniens eſt ex.28.ſ.14. & 15. An faces elementorum deiicientur in Infernum? ex.28.n.194.*
76.a.2. *An voce emiſſa à Chriſti ore excitabuntur mortui? ex.29.n.9*
77.a.1. *Conducens eſt tum ex.19. tum ex.22. a.23*
78.a.1. *An aliqui homines nunquam morientur? ex.18.n.132*
79.a.2. *An homines reſurgent cum iiſdem potentiis ſenſitiuis? exerc.28.num.34. & 35*
80.a.1. *An inteſtina hominum glorificatorum plena erunt humoribus ſuauè olentibus, vel vacua? ex.30.n.6*
ead.a.2. *An beatorum hominum capilli deſluent per humeros? ex.27.n.13.*
81.a.3. *An omnes reſurgent in ſexu virili? ex.21.n.146*
ead.a.4. *An in cœlo erit ciborum vſus? ex.31. à n.4. Et vniuerſim pro q.80.& 81. luſtretur oculis ſ.13.ex.28*
q.82. *Facit lib.8.de externis, & internis actionibus materialibus beatorum hominum. An impaſſibilitatis dos conſiſtat in qualitate poſitiua? ex.32 n.84*
83.a.1. *An dos ſubtilitatis conſiſtat in qualitate poſitiua? exerc.32. num.74. Quiſnam ſit effectus dotis ſubtilitatis? ex.32. à n.76*
ead.a.4. *An glorificata corpora erunt penetrata in eodem loco? ex.23.n.56. An locorum ordinem habebunt glorificata corpora in Empyreo. Quiſnam ſit particularis locorum ordo ſeruandus à glorificatis corporibus? ex.23.ſ.9.10.& 11.*
ead.a.5. *An partes corporis glorificati penetrari poterunt inter ſe ſe ratione qualitatis, quæ ſit dos ſubtilitatis? ex.32.n.75.*
ead.a.6. *An corpus glorioſum ſit impalpabile. ex.32.ſ.1.*
q.84. *Deſeruit tota ex.33. Quæ eſt de motu locali beatorum hominum in Empyreo.*
q.85. *Habentur multa de luce corporum glorificatorum. ex.28.n.12.& 138. ac 143. necnon 172.ex.32.ſect.4. exercit.33. à n.110.*
86.a.1. *An damnatorum corpora reſurgent ſine ſuis deformitatibus? ex.28.n.171*

Digitized by Google

88.a.2. *An in Iudicio generali Chriſtus proferet vocaliter ſententiam? ex.23. n.61. ex.29.n.9*

ead.a.4. *Quales erunt nubes, in quibus Chriſtus veniet iudicaturus mundum, & in quibus rapientur electi obuiam Chriſto? ex.28. n.203. Qualis erit diſpoſitio localis iudicandorum in Valle Ioſaphat. ex.23. num.60. an Chriſtus ibi iudicaturus ſedebit? ex.23.n.47.ex.18.n.53.*

90.a.2. *An Chriſti Domini Crux, & alia Paſſionis inſtrumenta apparebunt in Iudicio. ex 25.ſ.1. & 3. An veteris Teſtamenti Arca? ex. 24. n.6. & 20. ac 21.*

91.a.1. *Quiſnam ſit finis innouationis mundi poſt Iudicium? ex.28.n.191*

ead.a.2. *An poſt Iudicium ceſſabit motus corporum cæleſtium? ex.29. à n.40. an cælum ſydereum aget poſt diem Iudicij? ex.16.n.4 & 16. ex.32.n.63. an tunc manebunt Planetæ, & Aſtra, & in quo hemiſphærio Sol; ac Luna? ex.28.n.188. & 189*

ead.a.3. *An in corporibus ſydereis augebitur claritas? ex.28. à n.186.*

ead.a.4. *An Elementa manebunt poſt Iudicium? ex.28. à n.192. an innouabuntur per receptionem alicuius claritatis? An terra fiet plana? An omninò operietur aquis? ibid.*

ead.a.5. *An poſt Iudicium floribus, & plantis ornabitur terra? ex.28. à n.195.*

92.a.1. & 2. *Perſpice difficultates ad q.12. p.1.*

ead.a.3. *An beati cognoſcant per eandem viſionem, qua Deum intuentur, ea, quæ ipſis de nouo reuelantur? ex.32. à num.65.*

93.a.1. *An Sanctorum beatitudo augeatur poſt Iudicium? ex.21.n.134. & 135*

94.a.1. *An beati homines videbunt corporaliter ex Empyreo damnatos exiſtentes in Inferno? ex.28.ſ.16. an cognoſcent intellectualiter pœnas damnatorum? ex.28.n.209*

95.a.1. *An id, quod dicitur dos corporum glorificatorum, debeat eſſe qualitas poſitiua intrinſeca? ex.33.n.92.*

96.a.10. *Quales futuræ ſint Aureolæ in corporibus beatorum hominum? ex. 19. n.76.ex.27.n.13.ex.33.n.102. an Deipara Virgo Regio velut diademate inſigniatur in cælo? ex.19.ſ.8. An dignè ſumentes Euchariſtiam gaudebunt in cælo ornatu ſpeciali externo? ex.19.n.78*

97.a.1. *An damnati homines ſitient, & eſurient? ex.31.n.14 & 15. an humore quodam amaro cruciabuntur in lingua, & palato? ibid n.13. an efflabunt graue olentem fœtorem? ex.30. n.7 an videbunt Dæmones in corporibus aſſumptis deformiſſimis? ex 26.n.3*

ead. a.2. *An in Inferno erunt vermes corporales incorrupti? ex.28.n.203*

ead.a.4. *An ignis Tartareus careat omni luce? ex.28.n.117. an damnatorum corpora erunt in Inferno velut commaſſata? ex.23.n.99*

ead.a.7. *An extra mundum exiſtant damnati? ex.18. num.12. & 38. Quantæ amplitudinis ſit Orcus? exerc.23. num.99*

98. a.9. *An damnati videant nunc, & an videbunt, tranſacto Iudicio, gloriam Beatorum? exercitat.28. à num.213*

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM,

Et Verborum.

Littera E. *monſtrat Exercitationem* ; *littera* N. *Numerum ſeu materiæ ſedem.*

A

Abiron

ABIRON corpus exiſtere iam in Inferno, probabile aliquibus eſt. ex.22. num.11.

Ablutio.

Ablutio defunctorum corporum in more fuit Gentilibus. ex.19.n.51.

Abraham.

Abraham immortalis cum Chriſto reſurrexit? ex.22. num.22. Beatorum ſedes vocatur nonnunquam ſinus Abrahæ. exerc.18. num.166.

Accidens

Accidens poteſt diuinitus conſeruari abſque omni ſubiecto. exerc.18. num.75. Accidentia omnia naturalem, aut eſſentialem oppoſitionem habentia non poſſunt comitari corpus bilocatum. exerc.18.n.96. Spiritualibus accidentibus partes non repugnant. ex.20.n.137. Accidentia Euchariſtica ſimul cum Chriſti corpore nunquam ad cœlum euehuntur. exerc.22.n.76. Accidens quo pacto operetur in conſortio ſubſtantiæ. exerc.16. num.47.

Actiones.

Actiones potentiæ nutritiuæ, & locomotiuæ ſi ab vnionibus diſtinguantur, multò magis vitales ſunt, quàm ipſæ vniones. ex.28.n.21. Actiones intentionales à motu cœlorum non pendent. ex.32.n.63. Actiones phyſicæ Empyreæ à cœli ſyderei motu non pendent. Ibidem. Immotis cœlis ignis per actionem phyſicam calorem produceret. Ibidem. Vna actio adæquata non exigit alterius cuiuſlibet non eſſe. ex.16.n.64. Decretum Dei ad probandam impoſſibilitatem duplicis adæquatæ actionis, confictum omninò eſt. Ibidem. Hoc decretum non probaret naturalem incompoſſibilitatem duarum actionum. Ibidem. Ex vnitate actionis non deſumitur vnitas termini. exerc.16. n. 65. Multiplex actio non obſtat vnitati effectus. Ibidem. Duplex actio vel eiuſdem, vel diuerſæ ſpeciei poteſt ad eundem effectum terminari? Ibidem. Eadem cauſa neceſſaria duplici actione non poteſt naturaliter effectum cauſare, ſecùs libera exerc.16 num.67. Ex multitudine actionum effectus perfectio non creſcit. exerc.16. num. 68. Producibilitas effectus per plures actiones non dicit maiorem effectus perfectionem. Ibidem. Ex duabus adæquatis actionibus nulla ſuperflueret reſpectu cauſarum. exercit.16. n. 69. Multiplex actio inſtar monſtroſæ operationis eſſet. Ibidem. Quomodo monſtroſæ operationes eueniant? Ibidem. Actio non præſtat eſſentialiter in actu ſecundo quod cauſa eſt apta in actu primo præſtare. exer.16.n.74. Duplex actio eundem effectum poteſt in diuerſis inſtantibus cauſare. Ibidem. Totalitas actionis non conſiſtit in eo, quòd communicet diſtinctas eſſentias. Quælibet illarum actio totum eſſe effectus poneret. Nulla actum ageret, ſed efficeret quod alia, quin per aliam effectum ſupponat. Ibidem. Poteſt effectus dependere ab actione, quam non ſolùm non exigat, ſed quam naturaliter reſpuat. exerc.16. n.79. Effectus abſolutus non pendet eſſentialiter ſe ipſo à cauſa, ſecùs actio. exerc.16.n.81. Vt duplex totalis actio detur, non eſt neceſſe quòd vna alteram contineat. exerc. 16. n.84. Num ſpiritualis actio ab igne procedat in cruciatum animarum, aut Angelorum? exerc.20.n.104. & ſequentibus.

Actus.

Actus potentiæ vnde materialis, aut ſpiritualis dicatur. exerc.18. num.61.

Adamus.

Adamus cum Chriſto reſurrexit. exerc.16.num.20. Adamus, & Eua in ſtatu innocentiæ veſtibus non ſunt vſi. exerc.27. num.8. Neque domibus vterentur, ſi in eo perſeuerarent. Ibidem. Fortè ornatus cauſa veſtibus aliquando vterentur, ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet. Ibidem. Adami phantaſia ſpecies intellectui poſſibili ab agente abſtractas miniſtrabat. exercit.34.num.3. Adami pulchritudo inferior pulchritudine Chriſti glorioſi. exerc.28.num.128. Adamus ſtatim ac conditus cœlum conſpexiſſe dicitur. exerc.28.n.182. Loquutus eſt Hebraïcè in ſtatu innocentiæ. exercit.29. num.34. Adamo imminutam potentiam viſiuam poſt peccatum qui aſſeruerint. exerc.28. num.221. Extra paradiſum fuit creatus Adamus. exerc.20.num.12. Eius corpus fuit ſepultum vbi Chriſtus crucifixus. ex.22.n.16. & ſequentibus Reſurgens cum Chriſto aſcendit in Empyreum corpore iam glorificato. Ibidem.

Aer.

Aëre elementari plenáne erunt interiora corporum glorificatorum intra Empyreum? ex.26. n.11.

Æneas.

In ſecundam partem Empyreologiæ,

Æneas.

Æneæ corporis ad cœlum raptus apud Ethnicos. ex.23.n.35.

Agilitas.

Agilitas ſeſſioni ex ſe non pugnat. ex.23. num.44. Agilitatis dos non eſt comprincipium viſionis corporeæ Beatorum. ex.32. numer.79. Non eſt qualitas poſitiua Beatis ſuperaddita.ex.33.n.91. ſi eſſet qualitas Beatis ſuperaddita ſubiectaretur immediatè in anima. ex.33. num.99. Agilitatis dos grauitationem beatorum corporum naturaliter impediet. ex.n.28.

Alexander.

Alexandri Magni cœlum habitantis figmentum apud Ethnicos. ex.23.num.30.Alexander ſuauiſſimum à corpore odorem emittebat. ex.30. num.3.Neceſſitas iacendi in lecto, ex inualentia proueniens, ſignum Alexandro fuit propinquæ mortis.ex.23.n.53.

Alleluia.

Alleluia crebrò audietur in Patria. exercit.29. num.33.

Anna.

Anna B.Virginis Mater an cum Chriſto reſurrexeri.?ex.22.n.42.

Anabaptiſtæ.

Anabaptiſtæ in cœlum ſe aſcenſuros cum corporibus iactabant.ex.23.n.39.

Ananias, Azarias, & Miſael.

Ananias, Azarias, & Miſael non ſurrexerunt cum Chriſto.ex.22.num.35. Eorum corpora Babylone Alexandriam tranſlata fuere. Ibidem. Horum reliquiæ in Ouentenſi Eccleſia coluntur. Ibidem.

Anaxagoras.

Anaxagoras, experiit Solem contingere. ex.32. num.14.

Angeli.

Angelos eſſe Empyrei incolas, authoritate probatur. ex.20. n.1. Cœlum Sydereum non eſt habitaculum Angelorum. ex.20.num.2. Exiſtentiam Angelorum in cœlo ipſi Ethnici cognouerunt.ex.20.num.3. Proportio inter cœlorum,& Angelorum naturam explicatur. ex.20. num.4. Nulli fuere in Empyreo creati. ex.20.num.5. Si Angeli ad ordinem ſupernaturalem non eleuarentur, decens habitaculum eis ſupercæleſtes aquæ præberent. ex.20. num.12. Angelis viatoribus diuerſus debet eſſe locus viæ, ac patriæ. ex.20.num.13. Dignitas Empyrei Angelorum peccatum abhorret.ex.20. num.14. Angelorum, & Adami in ſtatu innocentiæ gratia, & gloria fuit ex Chriſti præuiſis meritis impertita. ex.18.num.185. Non ideò præcisè Angelis non dilata viſio beata, quia ipſi non peccarunt; ſed quia aliorum peccatis obnoxij pœnæ non ſunt redditi. Ibidem. An Angeli plurimi ante diem Iudicij Empyreum non deſerent? ex.18. n.64. Ideò ſtatim in Empyreum introducti, quia hoc viſio beata eis communicata exigebat. ex.18. num.172.Ideò in Empyreum ſtatim introducti, quia Chriſti redemptionē non expectabant.ibid. Angeli nullam ex ſe emittunt lucem. ex.16.numer.42. Omnes Angeli deſcenderunt ex Empyreo, vt Chriſtum, ac Deiparam aſcendentes comitarentur, vti ferunt aliqui. Ibidem. Angeli non ſemper exiſtunt cum Vbi maximo. ex.16.num.59. Exiſtere poſſunt per Vbi diuiſibile. Ibidem. Angelus naturaliter poteſt dependere à duplici vbicatione ſufficiente. Ibidem. Poſſunt exiſtere in Vbi minimo. Ibidem. Exiſtunt in loco per vbicationem diſtinctam. Ibidem. Quo in ſenſu verum ſit, Angelum poſſe naturaliter, duplicem vbicationem adæquatam habere? ex.16. num.60. Terminum habent in extenſione ad locum. ex.16.num.68.Mali Angeli ſtatim poſt peccatum in Infernum detruſi. ex.20. num.28. An Angeli relinquent ſedes hominibus ſuperiorum meritorum,néc ne?ex.23. num.63.Cœlorum motores in Oriente cœli parte commorantur.ex.23.num.78. Pro inæqualitate meritorum inæquales ſtationes in cælo habebunt? ex.23.num.81. Non erunt in eadem cœli parte.Ibidem. Angelos immultiplicabiles indiuidualiter, vnde didicerit S.Thomas.ex.20. num.201. Angelorum multitudo ferè innumerabilis. ex.20.num.202. De eorum multitudine reuelatio B. Angelæ Fulginati. ex.20. num.203. Eorum numerus excedit numerum hominum ſimul exiſtentium. ex. 20. num.204. Perſonæ publicæ vltra priuatum Angelum habent etiam alium, à quo dirigantur in ordine ad bonum regimen. ex.20.num.205.Eccleſiis, & oratoriis Angeli ſunt deputati. Ibidem. Elementis, ſpeciebúſque rerum ſenſitiuarum, ac vegetabilium Angeli deſignati. Idem. Quotus Angelorum numerus ab aliquibus aſſignetur? ex.20. numer.211. Angelo cuilibet peculiaris locus eſt deputatus in Empyreo. ex.23.num.62. Angeli in cœlo, licèt phyſicè poſſent tamen non penetrabuntur inter ſe. ex. 23. num.82. Angelorum numerus quotus ſit? ex.23.num.83.Maximam cœli partem occupabunt. Ibidem.Spatium ab Angelo occupandum, dubium, quantum ſit. ex.23. num.85. Fortaſſe occupabunt quantum homo glorioſus. Ibidem. Quò perfectiores ſunt, eò ampliorem locum poſſunt occupare, non tamen occupabunt, quem poterunt. Ibid. Angelorum intuitiua potentia quanta ſit iuxta aliquos,exercit.28.num.224.Angeli in cœlo aliquando corpora aſſument ad hominum delectationem? exerc. 26. num.2. Hæc corporum aſſumptio magis Angelos conciliabit hominibus. Ibidem. In honorem Chriſti cedet. Ibidem. Sæpè in corpore hominibus apparuerunt. Ibidem. In ſpecie humana cum Adamo, & Eua in paradiſo conuerſati ſunt. ex. 26.n. 3. Nullæ erunt Angelorum cum hominibus choreæ niſi corpora aſſumant. ex.26.n. 4. In hac aſſumptione nulla fallacia erit. ex. 26.n. 5. Num gaudium homines beati ex Angelis percipient, niſi hi ſe corporibus induant?ex. 26.n.4.Hæc corpora ex materia Empyrea conficientur. ex. 26.n. 7. Ad breue tempus poterunt eſſe extra Empyreum cum corporibus ex Empyrea materia ex. 26.n. 8. Corpora aërea communiter deſcendentes induent,licet poſſint Empyrea ex.26. n. 10. Poſſunt ſe mouere diſcretè ex.33. n. 42. Angelos corporeos eſſe cenſuerunt aliqui Patres. ex. 28.n.31.Alij putarunt, Angelos compoſitos eſſe ex corpore, & ſpiritu ab illo inſeparabili. Ibidem,Angeli ſonum percipiunt, diuerſo tamen modo à perceptione auditus noſtri.ex. 28.n.51. Angelus habens diſtinctum intellectum poſſet cognoſci ab habente indiſtinctum.ex.28. n. 70. Angeli in aſſumptis corporibus miræ delectationis obiectum erunt beatis hominibus.ex. 28. n. 160. Angeli non deberent conſtitui in loco, qui ſupra Empyreum poſſet creari.ex.20. n. 26. Angelis non eſt dilatus aſcenſus in Empyreum

poſt

Digitized by Google

poſt acceptam ſupernaturalem beatitudinem ex. 20. n. 28. Mali Angeli peccarunt tempore propinquo creationi antecedenti mundi,& ſuccedenti hominis lapſui.ex. 20. n. 29. Empyreum luſtratione egeret , ſi Angeli in eo peccaſſent. ex. 20. n. 15. Reſpondetur aliquibus authoritatibus pro Angelorum in Empyreo creatione.ex. 20. n. 16. Angeli ſtare poſſunt in qualibet cæleſti Sphæra, etſi moueatur.ex.20.n.25.Non niſi eleuati ſupernaturaliter thronum Dei ſtipant. Ibidem. Sententia aſſerens , Angelos extra empyreum conditos, à cenſura liberatur.ex. 20.n. 27. Parum tutum eſt , aſſerere Angelos bonos non fuiſſe beatos ante Chriſti Incarnationem.ex.20. n.29.Angeli ante Chriſti Incarnationem ſemper in Scriptura inuocantur.ex.20.n.31.Angeli beati,& animæ non poſſunt ex lege Dei habitare extra omnem locum corporeum. ex. 20. n. 40. Authoritate hæc ſententia probatur.Ibidem.Angeli creati ſunt ſimul cum mundo corporeo. ex. 20.n. 43. Debent eſſe intimè Empyreo præſentes.ex. 20. n. 44. Præſident rebus corporalibus. ex. 20. n.45. Mens Platonis & Ariſtotelis circa Angelorum locum.ex.20.n.47.Nullibi non exiſtunt.ex. 20. n. 51. Non repugnat de potentia Dei abſoluta nullibi exiſtere.ex. 20. n. 56. Poſſunt exiſtere, quin gaudeant potentia proxima agendi tranſeunter circa ſubiectum extrinſecum vnum potiùs, quàm aliud. ex. 20.n. 57. Poſſunt in diſtans agere. Ibidem. Indigent vbicatione diſtincta. ex. 20. n. 58. Angeli ſine vbicatione eſſent Deo negatiuè præſentes.ex.20.n. 59. Pro priori ad vbicationem præciſè habent hanc præſentiam.Ibidem.Præſentia Angelorum reſpectu Dei non indiget vbicatione ab vtroque diſtincta.Ibidem. Hæc præſentia eſt Angelis neceſſaria,ſecùs præſentia ad aliquod ſpatium. Ibid. Angelorum duratio ab ipſis,& inſtanti eſt indiſtincta.ex.20. n. 60. Decretum producendi Angelum , ſicut & deſtruendi non terminatur ad durationem, ſed ad inſtantia. Ibidem. Quale ſit decretum deſtruendi Angelum?ex.20.n.63. Angeli abſque vbicatione negatiuè eſſent mundo præſentes.ex.20.n. 66. Non exiſtunt in loco per operationem.ex.20.numer. 73. & 91.Non poſſunt naturaliter ſe mouere de extremo ad extremum,niſi per medium.ex. 20. n. 74. Supra Empyrei conuexum poſſunt ſe naturaliter mouere. ex.20.numer.74.vt moueantur , non requiritur corpus,ad quod accedant. Ibidem. Non vbicantur per alligationem ad corpus.ex.20.numer.75. Non poſſunt naturaliter eſſe nullibi. ex. 20. n. 79.Non poſſunt diſtantes vnum cœlum mouere immoto medio.exercitat. 20.numer.81. Mali Angeli præſentes ſunt energumenis,vt ipſorum corpora moueant. Ibidem. Fixi ſunt motores Angeli ſphæris,quas mouent.ex.20.numer. 82. Corpus mouere valent per impulſum. ex. 20. numer. 83. Angeli cœlorum motores infra Empyreum degunt.ex.20.numer.82.Ex ſuis ſphæris Deum vident ex.20.n.84. Angeli , qui mittuntur ad terras,Deum intuitiuè vident.Ibidem. Ad terras miſſi non perſiſtunt ſimul in Empyreo. ex. 20 .numer. 86. Angelus cuſtos non eſt deſignatus Empyreo.ex. 20. numer. 88. Angeli cœlorum motores ab hoc munere poſt diem Iudicij deſiſtent. Ibidem. Angeli cœlorum cuſtodes ob motum eis ſunt aſſignari.ex.20. num. 89. Dæmonum aſcenſum ad Empyreum Deus ipſe prohibet, non Angeli. Ibidem. Angeli poſſunt ſuſpendere ſuam omnem operationem externam. ex. 20. num.94. Nihil erga Empyreum operantur.ex.20.num.95. Non poſſunt motum in Empyreo cauſare.Ibidem.Lucem cauſare non poſſunt.ex.20.num.95.Qualitas Angelica productiua lucis reiicitur.ex.20.num.99. Num ſpiritualis actio ab igne procedat in cruciatum Dæmonum,aut animarum.ex.20.num.104.Dolor prouenìens malis Angelis ex igne poteſt ab ipſo igne effici ex.20 n.105.Poteſt etiam ab apprehenſione ignis cauſante dolorem. Ibidem. Angeli nullam vim patiuntur ex exiſtentia in Empyreo.ex. 20. n.105. Poſſunt exiſtere in Vacuo,& ſupra Empyreum.ex.20. num. 106. Non ſunt in loco per operationem. ex. 20. num. 91. Quando mouentur non reſultat mutatio in corporibus penetratis,ſed in ſe ipſis.ex. 20.n.111. Ex motu aliqua mutatio intrinſeca ipſis prouenit. Ibidem.Eorum cognitiones, & ſpecies exiſtunt in loco abſque operatione.ex. 20. n. 112. Non habent applicatam ſuam virtutem actiuam erga Empyreum.ex.20.num.113. Erga Vacuum non poſſunt applicare hanc virtutem. Ibidem. Angeli per hanc applicationem non ſunt in loco.Ibidem. Hæc applicatio Angelorum ſupponeret vbicationem pro priori. ex.20. num. 114. Hæc applicatio Angelorum deberet eſſe aliquid diſtinctum à volitione Angeli, ac proinde identificatum cum vbicatione.ex.20.n.115. Non adiuuant Empyreum in ſuis operationibus.ex. 20. num. 117. Angelos iuuare Empyreum ad operandum , non eſſet formaliter eſſe vbicatos in Empyreo. ex. 20. num. 118.Non iuuant cælos niſi eos mouendo.Ibidem. Non mouent Empyreum.Ibidem.Non ſunt in loco per meram exornationem Empyrei. ex.20.n. 119. Hæc Angelorum exornatio pro priori ſuppponeret præſentiam localem. Ibidem. Eorum præſentia in Empyreo non eſt metaphorica.ex.20.n.121. Quare Angelorum præſentia dicatur æquiuoca reſpectiuè ad corpora.ex.20.n. 129. Exiſtunt Angeli in loco per formam diſtinctam realem abſolutam,quæ eſt vbicatio.ex.20.n. 130. Angelorum vbicatio non conſiſtit in vnione ad corpus extrinſecum.ex.20. n. 131. Eorum vbicatio eſt ſpiritualis. Ibidem.Hæc poteſt eſſe diuiſibilis, aut indiuiſibilis.ex.20.n. 132. Eorum cognitiones, volitiones , & ſpecies ſunt diuiſibiles. ex. 20. n. 134. Eorum vbicationes pro diuerſis locis adæquatis penetrati non poſſunt. ex.20. n.135. Poſſunt pro ſuo libito ad plura vel pauciora ſpatia ſe extendere.ex. 20. n. 136. In eis non datur voluptas ſimilis illi,quam anima percipit, dum corpus, quod informat,odoratur ſuauia. ex. 20. n. 157. Mali Angeli habent ſpeciem impreſſam caloris.ex.20.n.166.Boni Angeli luce delectantur tanquam ſigno diuinæ amicitiæ,luce producente in eis gaudium.ex.20.n.200. Verſentur ne aliqui Angeli in Paradiſo terreſtri?ex.18. n.143. An in eo ſint cum Adamo conuerſati?ex. 26. n. 3. Egerintné tripudia ad præſepe Chriſti nati? exercitat.26. numer. 4. Angeli ſupremi habent influentias ſuper medios , & infimos. exerc. 16. numer. 9. & 22. Vtrùm omnes Angeli deſcenderint de cœlo in Conceptione Chriſti , in nocte Natiuitatis,& hora Reſurrectionis? exerc. 16.num.42.

Anima.

Anima dolet per ſympathiam cum corpore. ex. 20. n. 159. Anima præter cognitionem doloris habet

Digitized by Google

habet apprehenſionem experimentalem ratione corporis, cum quo vnum totum componit. ibid. Ad hoc non indiget anima organis materialibus. ibid. Anima vnita corpori non recipit calorem. ex. 20. n. 161. Præciſè anima rationalis ſpiritualis eſt. ex. 20. n. 162. Animæ Purgatorij non ex alligatione ad ignem, ſed vſtione dolent. ex. 20. n. 169. Animæ puerorum in originali decedentium non cruciantur in Limbo ex alligatione ad locum, ſicut neque animæ SS. Patrum cruciabantur in ſinu Abrahæ. ex. 20. n. 171. Animæ Purgatorij aliter cruciantur, quàm ex conſideratione ignis. ex. 20. num. 173. Animæ ſeparatæ quomodo igne torqueantur? Vide *Dæmones.* Omnes potentiæ animæ ſunt indiſtinctæ ab ipſa anima. ex. 33. n. 99. Animæ rationalis ſpiritualitas ex independentia à materia, & quantitate ſtabilitur. ex. 28. n. 57. Anima rationalis habet potentiam receptiuam donorum ſpiritualium ſupernaturalium. ex. 28. n. 4. in tali præciſè receptione miraculum nullum euenit. ibid. Receptio donorum ſupernaturalium eſt ſupra vires actiuas naturæ. ibid. Vnio temporalis non obſtaret animæ ad perceptionem ſpiritualium pro primo inſtanti ſuæ creationis. ex. 28 n. 31. Anima rationalis phyſicè attingitur per vnionem diuiſibilem. ex. 28. n 41. Animarum ſeparatarum ſpatium in cœlo idem eſt, ac erit poſt reunionem cum corporibus. ex. 23. num. 86. Maius ſpatium occupare valent animæ ſeparatæ ac ſpatium corporis humani maximi. ibid. Poſſunt moueri diſcretè. ex. 33. n 42. Animæ SS. PP. ad Inferos deſcenderunt, exceptis Henoch, & Eliæ. ex. 18. n. 27. Eas Chriſtus iam glorioſus ab Inferis reuocauit. ibid. Nulla anima ad Empyreum ante Chriſti aſcenſionem aduolauit. ex. 18. n. 129. Huius moræ ratio redditur. ibid. Quantùm eſt ex meritis Chriſti ſtatim poſt Chriſti paſſionem aperiri potuiſſet cœlorum ianua. ibid. & in veteri Teſtamento ex præuiſis Chriſti meritis potuiſſet aperiri. ibid. Animæ VV. PP. non ſunt reunitæ corporibus ante Chriſti reſurrectionem. exerc. 18. n. 131. Animæ iuſtorum niſi fuerint priùs ſeparatæ à corporibus, & reuniantur, non obtinent vitam glorioſam corporum. ex. 18. n. 132. Ante reſurrectionem Chriſti nulla anima adepta eſt beatitudinem cœleſtem in corpore. ex. 18. n. 130. De aſcenſu animarum in cœlum plurimæ authoritates expenduntur. ex. 18. n. 155. Animarum præſentia in Empyreo non eſt metaphorica. ex. 20 n. 124. Sanctorum PP. animæ Deum non viderunt ante Chriſti mortem. ex. 18. n. 172. Ex præuiſis Chriſti meritis, & antecedēter applicatis Sanctę fuerūt, & à reatu pœnæ æternæ immunes. ex. 18. n 172. Poſt animarum ad corpora reunionem, congruum fuit, vt viſionem beatam non obtinerent niſi vſque ad mortem Chriſti. ibid. Etſi ſtatim poſt mortem eis viſio beata non fuerit conceſſa, hoc non præiudicat propenſioni diuinæ ad benefaciendum. ex. 18. n. 173. Animæ in ſinu Abrahæ propriam captiuitatem non fuerunt paſſæ. ex. 18. n. 182. A pœnarum dolore ſpe ſalutis ſubleuabantur. ex. 18. n. 183. A Dæmonibus non cruciantur animæ in Purgatorio. ex. 19. n. 69. Anima rationalis habet vbicationem ſpiritualem diſtinctam ab vbicatione corporis. ex. 20. n 140. Si Deus impediret ſenſionem materialem corporis non poſſet anima dolere materialiter ab igne. ex. 20. n. 158. Animæ ſeparatæ non ſunt in loco per paſſionem ab igne. ex. 20. n. 104. Animæ ſeparatæ non ſunt in loco per operationem. ex. 20. n. 100. Animæ ſeparatæ paſſio ab igne ſupernaturalis eſſet. ex. 20. n. 104. Anima rationalis realiter ſumpta vegetatiua, & ſenſitiua eſt. ex. 16. n. 36. Animæ omninò puræ ſtatim poſt ſeparationem aſcendunt nunc Empyreum. ex. 20. n. 28. animarum beatarum exiſtentia in Empyreo ante generalem reſurrectionem probatur multiplici authoritate. exerc. 21. n. 1. & ſequentibus. Reſpondetur teſtimoniis Scripturæ, quæ videntur huic exiſtentiæ obſtare. ex. 21. n. 13. Hanc exiſtentiam profeſſi ſunt Græcorum, & Latinorum oratores, qui conuenerunt in Concilio Lugdunenſi. ex. 21. num. 19. Animas omninò puras vt exiſtentes in Empyreo Eccleſia fidelibus proponit. ex. 21. n 26. Nullus locus, aptior eſt præfatis animabus, quam Empyreum. ex. 21. n. 30. Animæ rationales ſuperant perfectione omnia corpora Vniuerſi. ibid. Animæ rationales vi innata ſibi in Empyreum aſcendunt poſt Chriſti aſcenſionem, quin retardentur, ſi omninò puræ ſint. ibid. Hæc animarum exiſtentia in Empyreo probatur rationibus. ex. 21. n. 30. Martyrum animæ, & puerorum poſt Baptiſmum aſcendunt cœlum ſtatim poſt ſeparationem. ex. 21. n. 34. Animæ damnatorum ſtatim poſt ſeparationem detruduntur in Infernum. ex. 23. n. 37. Animæ puræ à reatu pœnæ, & culpæ, ſtatim ac ſeparantur cœlum aſcendunt. ex. 21. n. 46. Huic aſcenſioni animarum ſtatim, ac ſeparantur, non obſtat Chriſti deſcenſus ad Inferos. ibid. Animæ puræ omninò in ſtatu Innocentiæ ſimul cum corporibus ad cœlum eueherentur. ex. 21. n. 48. Quia corpus ad cœlum non aſcendit, non debet anima exulare ſtatim ac ſeparatur. ibid. Exiſtentia animarum in Empyreo illuſtratur prophana eruditione. ex. 21. n. 49. Plures Patres Eccleſiæ exiſtentiam in Empyreo animabus omninò puris non concedunt ante diem Iudicij, tamen viſionem Dei non denegant. ex. 21. n. 56. Plures alij viſionem, & exiſtentiam in Empyreo concedunt, tamen negant ſtatim poſt ſeparationem. ex. 21. n. 64. Alij indicant, animas tranſire per paradiſum terreſtrem. ex. 21. n. 71. Celeritas animarum in pergendo ad cœlum. ex. 21. n. 73. Animæ omninò puræ in ipſo inſtanti ſeparationis Deum intuitiuè vident. ex. 21. n. 74. Non differt Deus viſionem animabus vſque ad introitum in Empyreum. ex. 21. n. 75. Anima poteſt diuinitus moueri motu inſtantaneo, licèt naturaliter repugnet. ibid. Anima ad cœlum mouet ſeſe ea celeritate, qua nulla maior eſt naturaliter ei poſſibilis. ibid. Poſſunt iuuari animæ ad cœlum aſcendentes impulſu ab Angelis comitantibus. ibid. Extra Empyreum indulgetur viſio beata animabus ad Purgatorium non deſcendentibus. ibid. Plures Patres cenſuerunt ineuitabile eſſe Purgatorium animabus Sanctorum. ex. 21. n. 77. Hæc ſententia refellitur. ex. 21. n. 78. Qui Doctores cenſeant animas aliquorum iuſtorum detineri in quodam loco ſine paſſione ab igne? ex. 21. n. 80. Animæ omninò non puræ aliquando fuerunt detentæ in quodam loco vbi ab igne non paterentur, ſed à conſideratione dilatæ beatitudinis. ex. 21. n. 82. Error eſſet aſſerere, animas abſque vlla culpa luenda detineri, ne aſcendant Empyreum. ibid. Referuntur Patres, qui aſſerunt, animas iuſtorum non aſcenſuras in Empyreum vſque ad diem Iudicij, ſed interim in paradiſo detineri abſque viſione beata. ex. 21. n. 84. Plures

Patres

Patres indicant, detinendas in aliquo ſubcæleſti loco ſine Dei viſione.ex.21. num.98. Alij ſilent locum, in quo animæ degant; proferunt tamen non beati ante diem Iudicij. ex.21. num. 117. Recenſentur Hæretici, qui à Veritate Catholica de Dei viſione, & exiſtentia in Empyreo ante diem Iudicij,deuiarunt.ex.21. num 123. Ioannes XXII.tanquam priuatus Doctor dubitauit de beatitudine animarum ante generalem reſurrectionem.ex.21.num.124.& 128. Poſt Definitionem Benedicti Papæ XII.error eſt in fide,negare beatitudinem animarum ante generalem reſurrectionem. ex.21. num.127. Refertur mens Ioannis Papæ XXII.circa hanc quæſtionem. ex. 21.num.129. Extrema Ioannis verba circa hanc quæſtionem. ex.21. numer.131. Benedicti XII. mens,epiſtolæ, & verba circa hanc quæſtionem referuntur, & examinantur. ex.21. numer.132. Viſio beata,nec remittetur, nec intendetur poſt generale Iudicium.ex.21 num.133. Huius controuerſiæ proceſſus examinatur.ex.21.num.128. Anima peccatoris ſeparata à corpore non deducitur ad Empyreum iudicanda. exercitat.21. num.137. Neque animæ Iuſtorum deducuntur ad Empyreum,vt iudicentur. exer.21. num.138. In ipſo loco, in quo ſeparatur anima à corpore, ſententiam audit. exercit.21. n.139. Aliquarum animarum ſententia fortaſſe manſit aliquandiu ſuſpenſa poſt ſeparationem.Ibidem. Animarum beatarum numerus copioſiſſimus eſt, incognitus tamen nobis.ex.21. num.141. Plures animæ damnantur, quàm beantur, habito reſpectu ad vniuerſum orbem. ex.21. num.142. Animæ SS. Patrum exiſtentes in ſinu Abrahæ habuerintne aliqualem triſtitiam?ex.18.num.183. Viderintne Deum in inſtanti, quo Chriſtus obiit, an ferè immediatè poſt illud? ex.18.num.108.Tranſlatæne ſint in paradiſum terreſtrem, vſque dum Chriſtus cœlos penetraret?ex.18.n.112.& 118.

S. Anſelmus.

S.Anſelmus Cantuarienſis non eſt Author Elucidarij. exerc.21.num.69.

Antichriſtus.

An Antichriſtus occidetur à Chriſto veniente è cœlo. exerc.18. num.57. & 68. Quot dies erit ſuperſtes mundus poſt necem Antichriſti?ex.18. num. 68. Simulabit Antichriſtus aſcenſum ad cœlum. exerc.23.num 39.

Antipodes.

Antipodes ignorati à pluribus antiquis. exerc. 18. num.38.

Apollonius.

Apollonij Thyanæi in corpore cœlum incolentis fabula. exerc.23. num.36. Experiit Solis menſam conſpicere. exerc.32.num.14.

Appetitus.

Appetitus materialis aliquo modo fruetur Deo. exerc.34. num.2. Appetitu ſenſitiuo non carebunt Beati homines. exerc.34.num.5.Appetitus ſenſitiuus beatorum hominum aliquos actus eliciet. Ibidem. Loquutio ſenſibilis motio localis, & riſus moderatus beatorum hominum ſupponent imperium appetitus ſenſitiui. Ibidem. Nullus actus à beato homine elicietur cum alteratione corporis. Ibidem. Qui ſint appetitus ſenſitiui actus? exerc. 34. num.6. Beatus homo nullum exercebit actum dedecentem ipſius ſtatum. Ibidem. Abſque conſenſu voluntatis nullum exercebit actum appetitus ſenſitiuus.ex.34. num.7. Hæc ſubiectio appetitus ſenſitiui ad rationem vnde prouentura ſit? Ibidem. Naturalibus, & ſupernaturalibus habitibus ornabitur appetitus ſenſitiuus beatorum hominum.ex.34. num.8.

Approximatio.

Approximatio eſt conditio ad agendum naturaliter requiſita.exerc.20 num.103.

Aqua.

Aquæ ſupercœleſtes non mouentur. exer.20 n.25. Beatorum oculos magna afficient voluptate. exerc.18.num.179. Pulchris coloribus ab repercuſſu Empyreæ lucis variegabuntur. Ibidem. Poſt Iudicium ſuperfundent terram aquæ elementares. exerc.28. num.202.

Aquila.

Aquilæ magna pollent videndi perſpicacia. ex.28, num.223.

Aquileges.

Aquileges qui aquas inlatentes videant? exerc.28. num.229.

Arca.

Arca veteris Teſtamenti an manifeſtanda ſit in Iudicio Generali? exerc.24.n.20. An in Empyreo æternatura ſit? Ibidem.

Arca.

Arca reliquiarum Ouetenſium. exerc.22.num.35. & ſequentibus.

Ariſtoteles.

Ariſtoteles vt homo,errare aliquando potuit.ex.33. num. 77.

Aſſumptio.

Aſſumptio Deiparæ. Vide *Deipara.* Aſſumptionis vox ſemper fuit vſitata in Eccleſia.exer.19.n.27. Virginis aſſumptioni Toletana Eccleſia prima ex Hiſpaniarum ædibus dicata fuit Ibid. Aſſumptionis vox non dicit extrinſecam vim aſcendenti impreſſam, ſed indebitum aſcenſum perſonæ ex ſe. exerc.19. num.56. Ablutio corporis Virginei in Iordane ante aſſumptionem Poëticè conficta. exerc.19. num. 51. Aſſumptionis die damnati non ſubleuantur pœnis exerc.19.n.69. An fuerit ablutum B. Virginis corpus ante aſſumptionem. exerc.19.num.52.

Aſtra.

Aſtra in hæc inferiora influunt. exerc.16. n.33.

S. Athanaſius.

An ſint S. Athanaſij, Quæſtiones quæ ad Antiochum circumferuntur. exerc.21.n.91.

Auditiua potentia.

Auditiua potentia ex perceptione ſuauis ſoni pluſrimam voluptatem percipit. exerc.29. num.13. Eius munus quale ſit? ex.32. n.72. vide *ſenſus*, & *ſonus.*

Auicula.

Auiculæ in Empyreo non erunt ad recreandos beatos homines ſuo cantu. exerc.29. n.13.

Aureola.

Aureola corporis glorificati diſtinguitur à dote claritatis.exerc.19.num.76. Ex refractione in aëre condenſato diuerſos induet colores. Erit inſtar coronulæ. Ibid. & exerc.27.num.13.

Azarias vide *Ananias.*

B

Baptiſmus.

BAptiſmus aquæ eſt apertio ianuæ Regni cœleſtis. exerc.21. num.34. In Baptiſmo Chriſti apertio cœlorum quid indicauerit.exerc.21.n.12. Infantes ſine Baptiſmo decedentes non baptizabuntur in die Iudicij. exerc.24.n.204.

Digitized by Google

Beati.

Beati triſtitiam nequeunt habere connaturaliter, ſecùs diſplicentiam in aliquo obiecto. exerc.20. num.195. Beatorum ſedes quæ ſit.exer.18.n.14. Beatos homines pedibus Empyrei conuexum tangere non ſufficit, vt dicantur in Empyreo exiſtere.exerc.18.n.23.Si habitarent in conuexo Empyrei, nullis poſſent affluere corporalibus delitiis connaturaliter? exerc.18. n.26. Beatorum corpora non grauitant.Ibidem. Non indigent corpore, cui innitantur. Ibidem. In ſpatiis imaginariis motum localem poſſent exercere. exerc.18.n.28. Niſi intra Empyreum exiſterent, non componerent Vniuerſum vnum actu cum ſubcœleſtibus.exerc.18.num.29.Vbi beati benè merentur de Deo,congruum eſt glorificari?ex.18. num. 32. Fruſtrà tam nobilibus proprietatibus ornaretur Empyreum, ſi extra illum à Beatis Deus videretur ordinariè. Ibidem. Hominibus Beatis conuenit per gloriæ dotes quicquid ferè Angelis per naturam. exerc.18. num.40. Beati poterunt per ſpatia imaginaria diuagari adiuti gloriæ dotibus. Ibidem. An Beatorum corpora qualitatem ſupernaturalem habeant potentem eos in duplici loco conſtituere? exerc.18. n.99. Beati facies ſuas,& oculos naturaliter intuebuntur. exerc 28. num. 168. Beatorum tum hominum,tum Angelorum mutua intellectualis viſio accidentale beatitudinis complementum erit. exerc.28. num. 161. Eorum ſocietas plurimùm ad beatitudinem conducet. Ibidem. Beatorum hominum corpora habitura ſunt optimum temperamentum. exerc. 20. num. 170. Seruabunt lineamenta habita in vita mortali.Ibid. Vnus ab alio dignoſcetur ex faciei lineamentis. Ibidem. Beatorum corpora lucida,& tranſparentia erunt. exerc.28. num.172. Beati homines conſpicient Empyreum oculis corporeis.exerc.28 num.173. Intuebuntur aquas ſupercœleſtes luce plurima ornatas.exerc 28. num.179. Cœlum ſydereum eorum viſus obiectum erit. exerc.28. num.180. Damnatos viſione corporea num videbunt ex Empyreo? exerc.28.num.207. Spirituali viſione eos conſpicient. exerc.28. num.209. Poterunt ſupernaturaliter videre viſione materiali Inferni incolas. exerc.28.num.210. Si eos Chriſtus viſione materiali naturaliter videt,poterunt & ipſi Beati. exerc.28.n.211.Si ad Infernum deſcendat Beatus, videbit naturaliter damnatos. exerc.28. num. 212. Damnati verò beatos intuebuntur viſione ſpirituali ex Inferno.exerc.28.num.214. Haud quaquam tamen viſione corpora. ex.28. num.215. Beati naturaliter deſcendent ad ſpæras inferiores Empyreâ; imò & in Infernum. ex. 28. num.216. Beati ad Infernum deſcendentes nullo modo læderentur ab ipſius igne. ex.28. num.217.Si habeant ſpecies inditas à Deo,videbunt connaturaliter damnatos ex Empyreo.ex. 28.num.218. Beati limitatam videndi ſphæram habebunt,ſi ſpecies ex obiectis emendicent. ex. 28.num.219.Dubium eſt, an Damnati ſint intra ſphæram naturalem potentiæ viſiuæ corporæ beatorum?ex. 28.n.220.& 223. Beatis hominibus eædem potentiæ ſenſitiuæ,& organa, quæ in hac vita habuerunt, reſtituentur. ex.28. num.222 Perfectius temperamentum eis accreſcet. Ibidem. In videndi perſpicacitate vincent Lynces & Aquilas.ex.28.num.223. Interpoſito opaco corpore videbunt obiecta. ex.28.n.228. Alios beatos loquentes audient. ex.29. num.2. Probatur hoc aſſertum authoritate Patrum, ibidem. Vocaliter Deum orant,qui nunc ſunt in Empyreo cum corporibus.ex.29. numer.9. Externa Beatorum loquutio probatur rationibus. ex.29. num.10. Inter Beatos homines futura eſt politica ſocietas.Ibidem. Ipſi Ethnici agnouere Beatorum delectationem perceptam ex auditu. ex. 29.num.15.Habebunt donum omnium linguarum.ex.29.num.21. Vnâ tantùm loquentur linguâ ordinariè. ex.19. num.23. Loquentur aliquando natiuâ linguâ.exercitat.29. numero 27. Loquentur nouâ quadam linguâ perfectiori omnibus totius orbis. exercitat. 29. numero 28. Beati non erunt in perpetuo exercitio loquendi. ex.29. numer.35. Audient Muſicos concentus. ex.29.num. 37. Qualis erit Beatorum Muſica? Ibidem. Qualis erit finis, & vtilitas mutuæ loquutionis Beatorum. ex.29. num.45. Beatorum corpora odores ex ſe emittent. ex. 30. numer.2. Beati ſimul ac ſemper ſua obiecta non percipient.ex.32.num.19. Percipient ſimul plura obiecta, quam dum mortales erant. ex.32.num.18. Beatos non dedecet perfectiua paſſio, ſecùs corruptiua. ex.32.num.64.Beati poſſunt ſuſpendere operationes ſenſuum etiam quando hi ſunt expediti, & obiecta applicata. ex.32.num.80. Poſſunt ſe aliis occultare. Ibidem. Si aliquando ad Infernum deſcenderint,non percipient vllum inſuauem odorem.ex.32.num.81.Poſſunt applicari corpori ſolido, & cum illo non penetrari, quin operationem tactus exerceant.Ibidem. Poterunt non recipere in ſe ſpecies ab aliis obiectis diffuſas. Ibidem.Etſi diaphana habeant corpora, poterunt efficere, ne per ipſa transmittantur ad alium Beatum viſiuæ ſpecies. Ibidem. Poſſunt intra Empyreum ex vno loco ad alium progredi. ex.33.num.1.Deambulabunt per ampla Empyrei ſpatia.ex.33.num.4. Agent in Empyreo decentes choreas.ex.33.num.14.Beatorum choreæ authoritate ſacra, & prophana ſtabiliuntur. Ibidem. Rationibus probantur. ex.33. numer.21. Beati decentiſſimè ſubridebunt. ex.33. num.23.Satisfit authoritati Patrum contra Beatorum choreas. ex.33. numer.45.ſimplici motu poſſunt ferri in omnes Empyrei, & mundi partes.ex.33. num.50. Eorum motus poterit non eſſe progreſſiuus.ex.33.num.51. Poterunt ſe ſe mouere diſcretè. ex.33. num.52. Beati non poſſunt naturaliter de Empyreo ad terras moueri, quin pertranſeant ſphæras intermedias. ex.33. num.53.Non poſſunt diuinitus motu ſucceſſiuo partem loci poſt partem relinquendo tranſire ad locum contiguum,vel continuum, quin percurrant medium.ex.33.num.56. Poſſunt diuinitus, quin percurrant medium tranſire ad locum contiguum, vel continuum.ex.33.num.57.Poſſibilis eſt qualitas, qua Beati de extremo ad extremum connaturaliter moueantur, quin medium peruadant.ex.33. num.66. Quatenus ſint inæquales Beati in percurrendo de extremo ad extremum immediatè?ex.33. num.67. Omnes Beati poſſunt ad locum æquè diſtantem accedere non pertranſito medio ex.33.num.68.Æquales ſunt omnes Beati in gloriæ nonnullis dotibus. Ibidem.Non poſſunt Beati ita velociter moueri, vt nequeant velociùs.ex.33.num.80. Etſi mouerentur impulſu infinito, adhuc poſſent celeriùs moueri. ex.33. num.82. De Beatorum motu expeditur quæſtio orta ex quibuſdam S. Pauli verbis.ex.33.num.86.Quies cœlorum non cauſabit

quietem

Digitized by Google

quietem in Beatis. ex.33. num. 88. Poterunt Beati alia corpora etſi ingentis ponderis mouere. ex.33.num.89. Etſi nihil moueant, non ſunt ſpoliandi poteſtate ad mouendum. ex.33.n.93. Nequeunt mouere totam vniuerſam terram. ex.33.num.94. Poterunt immediatè abſque impulſu corpora extranea mouere. ex.33. num.95. Vt alia à ſe moueant, non eſt neceſſe, quòd cum eis penetrentur. Ibidem. Nullus Beatus poterit mouere alium inuitum. ex.33. numer.96. Si hoc tamen contingere poſſet, fortior debiliorem alium impelleret. Ibidem. Si Beatus non reluctetur, poterit ab alio moueri. Ibidem. Beatorum corpora etiamſi habeant grauitatem, non grauitabunt etiam naturaliter in Empyreo. ex.33. numer.98. Ob grauitatem Beatorum corpora non erunt violenter in Empyreo. Ibidem. Extra cæleſtes ſphæras grauitabunt, ſi fortè ex eis deſcendant. ex.33.num.99. Beatorum claritas à claritate Chriſti efficienter dimanat. ex.33. num.115. Vt intelligant beati homines aut per viſionem beatam, aut per ſcientiam infuſam non debent ſe conuertere ad phantaſmata. ex. 34. numer. 4. Beati dicentur Ieſuani, vel Ieſuitæ à Sanctiſſimo nomine IESV. e.18. in limine. Beati homines plures non erunt, quàm damnati. ex.21.num.142. Pluréſne erunt viri beati, quàm fœminæ? ex.21. n.145. Quotus erit numerus beatorum hominum? ex.21.n.141.

Benedictus Papa.

Benedictus Papa, qui definiuit Sanctorum animas omninò puras intueri extemplò Deum, dicendus eſt XXII. eius nominis. ex.21.n.24. Vide *Anima.*

Bernardus.

Bernardi Archiepiſcopi Toletani ſunt aliqua opera attributa S. Bernardo Abbati. ex.22. n.69.

S. Bernardinus.

S. Bernardini Tomus quartus operum nothus habetur à Luca Vuadingo ex. 18. n.17.

Bonus Latro.

Cum Chriſto non reſurrexit. ex. 22. n. 47. Non aſcendit Empyreum ſtatim poſt mortem, conſecutus tamen eſt claram Dei viſionem. ex. 18. n. 103. Ei viſio Dei, non Empyreum promiſſum eſt die Paſſionis reddendum. ex.18.n.109. Chriſtus terreſtrem paradiſum ei non promiſit. ex. 18. n. 111. An Occurrit Puero Ieſu, Mariæ, & Ioſepho Ægiptum pergentibus? e.28 n 126. B. Latronem tangebat Chriſti in cruce vmbra. exercitat. 23. num.76.

Breuitas.

Breuitas Scriptori officit aliquando. ex. 32. n. 61.

Brutum.

Bruti naturam euehi poſſe ad videndum Deum, an abſque abſurdo poſſit concedi, ſi ſermo ſit de natura bruti alicuius poſſibilis? ex.28.n.54. Hocne brutum poſſet eſſe liberum, peccare, & mereri? Excederet ne in aliquibus animam, & in aliquibus excederetur. ex.28.n.55.

C

Cælum

COelum ſydereum immotum ſtetit vſque ad quartam diem. ex.20.n. 25. Ideò mouetur, vt influentias ſuas terris impertiatur. Ibidem. Cœlum Triados pro quo vſurpetur? ex.19. n.75. Cælum Dei templum. ex.17.n. 4. Cæli mobiles cauſant ſublunaria. ex.16. n.33. Cœlum ſtellatum influit in diſpoſitiones neceſſarias ad receptionem cuiuſlibet animæ rationalis. ex. 16. n 36. Cæleſtéſne orbes ſuauem quandam edant harmoniam? ex.29. n. 40. Eorum aſpectus magnam Beatis conciliabit voluptatem. ex. 28 n. 128. Dei commendant virtutem. ex 28. n. 189. Nullum habebunt influxum poſt diem iudicij. ex. 16. n. 4. Eorum motu ceſſante non ideirco ceſſarent omnes actiones ſublunares. ex. 16. n. 16. Cæli & aſtra operantur non tantum per lucem, ſed per alias etiam occultas qualitates. ex. 16.n.20.

Cantabria

Cantabriæ Illuſtratæ opus compoſitum ab Authore, ſed nondum editum. ex.29.n. 26.

Carentia.

Carentiæ rerum ab omni ente reali, & rationis diſtinguuntur. ex.20.n.71. Explicatur vbicatio, & duratio carentiæ rei ſecũdùm ſe, ex 20.n.71. Carentia vbicationis alligata eſt loco ipſius vbicationis. In omni ſpatio datur carentia vbicationis rei non exiſtentis. Res vt nullibi vbicata dicit complexum carentiarum vbicationum ad omne ſpatium. Carentia vbicationis diſtinguitur à carentia rei ſecundùm ſe. Carentia rei ſecundùm ſe non vbicatur, ſecùs carentia rei vt vbicatæ. Carentia rei ſecundùm ſe non durat, ſecùs carentia rei vt durantis. Carentia per ſe ipſam vbicatur, & durat. Carentia durationis hodiernæ exiſtit ab æterno; eſt tamen negatio, non priuatio. Vt res hodie non duret, ſufficit carentia durationis hodiernæ, ſecùs verò vt non vbicetur. Ibidem.

Capilli

Capilli quàm longi erunt in hominibus rediuiuis glorificatis. ex.27.n.13.

Cathecumeni

Cathecumeni verſùs Occidentem conuerſi Sathanæ renuntiabant ex.23.n.74. Ad Orientem conuertebantur deinde, adoraturi Chriſtum, Ibid.

Cauſa.

Cauſarum multiplicitas ex abundanti firmatur pluribus exemplis. e.16.n.46. Duæ cauſæ adæquatæ in actu primo ſi conueniant, cauſalitatem in actu ſecundo adæquatam habent. ex 16. n. 55. Cùm vna cauſa alteri in producendo ſubordinatur, poteſt vnica tantum actio interuenire. ex. 16. n. 67. Cauſæ duæ adæquatæ in actu ſecundo poſſunt eundem effectum producere. ex. 16. num. 74. Duæ cauſæ adæquatæ haberent eiuſdem effectus phyſicum dominium. ex. 16. num.77. Non haberent poteſtatem deſtruendi effectum, ſed ceſſandi ab actione. Ibidem. Dominium nimis metaphoricè transfertur ad cauſas phyſicas neceſſarias. Ibidem In cauſis phyſicis neceſſariis dominium morale non reperitur. Ibidem. Quid, ſi daretur, & an quælibet peteret effectum ex iuſtitia. Ibidem. Minus æſtimabile eſt beneficium à duplici cauſa totali profectum. Ibidem. In cauſis materialibus eadem difficultas militat, ac in cauſis efficientibus adæquatis. Ibid. Effectus ortus à duplici cauſa totali, altera deficiente, dependeret æquè à priori ab alia. ex. 16. n.78 Dependentia ab vna cauſa eſt ex indigentia, non verò dependentia à duplici: quare neutram determinatè effectus exigeret. ex.16. n. 78. & 79. Cauſæ de facto exiſtentes eundem numero effectum continent ſua virtute. exercit. 16. num. 82. Vna cauſa poteſt conſeruare effectum ab alia productum. Ibidem. Implicat, cauſam

Digitized by Google

cauſam non exiſtentem operari. exercitat. 20. num.65.

Cauſalitas

Cauſalitas phyſica duplex adæquata in actu ſecundo non poteſt naturaliter oriri ab eodem agente ad productionem eiuſdem termini.ex.16.n. 55. Datur naturaliter duplex cauſalitas finalis adæquata in actu ſecundo.ex.16.num.56.Nulla cauſalitas reſpectu cauſarum ſuperflueret inter illas adæquatas Ibidem.Tam phyſica,quàm intentionalis cauſalitas eò tendunt, vt cauſas perficiant. Ibidem.Eadem cauſalitas nequit à duplici principio adæquato in actu ſecundo prouenire. ex. 16.n.58. Poſſunt dari infinitæ ſincategorematicè cauſalitates in actu ſecundo adæquatæ ad eundem terminum.ex. 16. n. 68. De cauſalitate mutua inter duas cauſas cenſura S. Gregorij Thaumaturgi.ex.16.n. 46.

Chorea

Choreas ducendi mos apud Hebræos.ex. 33. n.29. Bellum choreas adinuenit.ex.33.n.36.Ex choreis vera gaudia in animum proueniunt. ex. 33. n. 39.Choreæ,dum pudicæ ſunt, non improbantur ab Eccleſia.ex.33. n. 34. vide *Beati.*

Chriſtus

Chriſti in cœlum aſcenſio eſt de fide Catholica. ex. 18.n.1.Chriſtus intra Empyreum exiſtit ex. 20. n.67.Circa Chriſti aſcenſionem diuerſi errores referuntur.ex.18.n. 1. Supergreſſus eſt Chriſtus ſphæram Solis.Ibidem.De exiſtentia Chriſti ſuprà Empyreum quæ fuerit S.Thomæ mens? ex. 18. n. 14. Chriſtus non exiſtit ſuprà Empyrei conuexum. Ibidem. Chriſti infra Empyrei conuexum exiſtentia probatur authoritate multiplici.ex.18.n. 18. Non exiſteret propriè in Empyreo,ſed exiſteret in conuexo Empyrei. ex. 18. n.23. Chriſti thronus ſublimior debet eſſe Beatorum ſedibus.ex.18.n.33. Chriſtus degit ſupra omne cœlum mobile.ex.18.n.37. Non habitat in peculiari cœlo deputato ſibi ſoli. exercitat. 18. num.48.An Chriſti thronum ſimul cum mundo fabricatum mali Angeli inuiderint? exercit.18. num.52.Corporali throno Chriſtus in Empyreo inſidet. exercit.18.num.53. Nunquam deſeruit, neque deſeret Empyreum ante diem Iudicij. exercit.18.num.59.Authoritate, & ratione hæc ſententia probatur. Ibidem. Poteſt ad terram deſcendere, quin Empyreum deſerat.exercit.18. num.64. Non deſcendit in terram ad particulare iudicium vniuſcuiuſque animæ. exercit.18. num.65. Deſcendit ad morientem Matrem euehendam in Empyreum. exercit.18. numero 66. Sancto Paulo in terris apparuit, non tamen cœlum deſeruit.exercit.18.num.68.Non deſcendet ante diem Iudicij interfecturus Antichriſtum. exercit.18.num.68. Aliquod inſigne habebit in cœlo, quo Rex, & Redemptor agnoſcatur. ex.19.num.78. Chriſti in cœlo motus naturalis eſt etiam ex ſuppoſitione Euchariſticæ Vbicationis.ex.18. numer.91. Chriſtus in Empyreum duodecimo ætatis anno non aſcendit.exercit.18. num.101. Non aſcendit in Empyreum ſtatim poſt mortem cum Bono Latrone. exercitat. 18. num.103. Chriſtum ab Inferis reducem per terreſtrem paradiſum tranſiiſſe, ſacris Litteris non opponitur. exercit.18. num.112. Latronis Boni precibus Chriſtus ſatisfecit concedens ei claram Dei viſionem.exercitat.18. num.114. Chriſtus iam rediuiuus in Empyreum non aſcendit ante ſolemnem aſcenſionem. exercit.18. numer.117. Chriſtum B.Virgini poſt reſurrectionem apparuiſſe ſæpè reuelatum fuit S.Thereſiæ. exer.18. num.118.Probabile eſt,Chriſtum, Inferis iam relictis, habitaſſe in paradiſo terreſtri, dum hominibus non apparebat.exer.18. num.118. & 119. Chriſtus fuit primus homo Empyrei incola. exercit.18.num.120. Chriſtus ideò deſcendit ad Inferos,vt SS.PP. animas ſecum redux erueret. exercit.18.num.126. Nobis meruit cæleſte regnum.ex.18.num.145. Ante aſcenſionem Chriſti nullus homo adeptus eſt poſſeſſionem Empyrei. Ibidem. Quatenus eſt ex meritis Chriſti ſtatim poſt mortem ianua cœli aperiri potuiſſet antiquis Patribus. ex.18. num.129. Chriſto gloria accidentalis quædam quaſi decreuit ex Mariæ aſſumptione. ex.19. num.84. Chriſtus non ſolùm vt Deus, ſed etiam vt homo iudicat homines.ex.21.num.138. Ordinariè Chriſtus in Empyreo ſtabit.exercit.23.num.42. Genuflexit coram Matre in hac vita.ex.23.num.54.In Empyreo non genuflectet coram Matre. Ibidem. Chriſtus glorioſus exiſtit in parte Orientali reſpectu Hieroſolymorum.ex.23.n.72. Chriſtus ad Orientalem cœli partem aſcendit ex Oliueto,metu recto.ex.23.num.73.Chriſti vulnera in Empyreo æternùm durabunt. ex.24. numer.16.Chriſti paſſionis nullum inſtrumentum præter Crucem erit in Iudicio manifeſtandum.ex.25.n.11. Præter Crucem nullum inſtrumentum paſſionis Chriſti æternabit in Empyreo.ex.25.n.13.Chriſtus ad iudicium ex orientali cœli parte deſcendet.ex.23.num.75.Aſcendens in cœlum,deſcendens, & in Cruce pendens verſus Occidentem reſpicit.ex. 23. num.76. Dextrum latus Virgini in Empyreo tribuit, occupans ipſe medium locum. ex.23. num.79. Reſurgens veſtibus vſus fuit. exercit.27.numer.7.Temporis decurſu nouas adquirebat ſpecies rerum materialium in hac vita. exercit.34. num.3. Chriſtus nobiliſſimum obiectum erit glorificati viſus.ex.28. num.121. Eius pulchritudo quanta? Ibidem. Per totam æternitatem poſſet eius pulchritudo Beatos occupare delicioſiſſimè.ex.28.num.123. Eius pulchritudo non fœminea, ſed virilis, & plena maieſtatis erat. exer.28. num.128. Eam frequenter intuebuntur Beati.ex.28. num.133. Eam conſpicient Beati, etſi ſuas ſedes deſerant. Ibidem. An ſemper abſque interruptione conſpiciendus ſit Chriſtus à Beatis?Ibidem. Si Beatus præditus ſit ſpeciebus permanentibus nequibit moraliter ceſſare ab intuitione Chriſti.ex.28. numer.143. An phyſicè neceſſitetur Beatus ad viſionem materialem Chriſti? exercit.28. num.146. In hac vita nouas habebat Chriſtus experimentales cognitiones. exercit.34.num.3. Corporea voce loquetur in Iudicio generali.exercit.29.num.9. Loquutus eſt iam glorioſus Apoſtolis, & Paulo voce ſenſibili. Ibidem. Iam glorioſus Patrem vocaliter laudat.exercitat.29.numero 9. Chriſtus per ſcientiam beatam, & infuſam corrigebat externum ſenſum apprehendentem Obiectum aliter, ac in ſe erat.exercitat.32. num.31. Eius externum ſenſum ſemper vidiſſe res prout in ſe erant probabile eſt. exercitat. 32. numero 32. Nullum inſuauem odorem percepit poſt reſurrectionem.ex.32.n.81. Non deſcendit ad Infernum damnatorum. ex.33. n. 12. Quare Chriſtus iuxta aliquos in hac vita non riſerit? ex.33.n.26. De Empyreo ad altare nunc deſcendit,quin percurrat ſpatia media. ex.33. num.58.

Chriſti

Digitized by Google

Chriſti claritas in eius corpore exiſtens profluit abeius anima vel à viſione beata. ex. 33. n.106. Chriſti dotes glorioſæ vel ab eius anima, vel à viſione beata efficienter dimanant.ibid. Chriſtus duodennis non aſcendit clam in Empyreum. ex.18.n.100. & ſeqq. Neque id ſuſpicatum fuit à Virgine Matre.ibid. Reſurrectionis Chriſti anniuerſaria die non reuiuiſcunt aliqui Sancti, & aſcendunt ad cœlum. ex.22. n.61. Chriſti præputium non manet in terra inanime, & ſimul in cœlo animatum. ex.22.n.45. Chriſtus non liberauit infantes, qui deceſſerant cum peccato originali, quando deſcendit ad Inferos. exte.28. n. 204. Num miniſterio Angelorum ſublatus aſcenderit in cœlum Chriſtus? ex.19.n.56. An in corporibus aſſumptis comitati ſint Chriſtum aſcendentem? ex.22.n.50. An ſederit Chriſtus in Empyreo ſimul atque aſcendit in illud? ex. 23. n. 52. An rediens ex Iudicio vniuerſali genuflecteret in Empyreo? ex.23. n. 55. Dum inter homines manſit corpore glorificatus ſumpſit Euchariſtiam.ex.24.n.5.& 19. Non apparuit nudus poſt reſurrectionem.ex.27.n.2.& 9. Num Virginẽ Matrem amplexetur in patria? ex.32.n.3.& 4.

Chriſtiani.

Chriſtiani antiquitus ad Orientalem cœli plagam orabant.ex.23.n.74. Idem mos fuit Gentiliũ.ib.

Cibus.

Ciborum in cœlo non erit vſus. ex.31.n 4.& ſeqq.

Cicatrices.

Cicatrices vulnerum in Martyribus beatis ſplendorem emittent.ex.19.n.78.

Ciuitas.

Ciuitates commendantur ex multitudine proborum ciuium, lib.6. in limine.

Claudianus Mamercus.

Claudianus Mamercus Presbyter quis fuerit, & qualis. ex.21. n.95.

Clemens.

Cenſura de libris Recognitionum S. Clementis Papæ.ex.21. n.84.

Cognitio.

Cognitio matutina, & veſpertina quid ſignificet apud S.Auguſtinum.ex.20.n.31. Implicat cognitio naturalis intuitiua obiecti ſupernaturalis. ex.32.n.51. Cognitio non poteſt non repræſentare obiectum ſemel repræſentatum.ex.32.n.66. Cognitio clara creata omnium rerum poſſibilium non implicat. ex.28.n.49. Neque implicat cognitio, quæ ſe clarè repræſentet.ibid. Cognitio materialis indiuiſibilis integraliter eſt poſſibilis. ex.28. n. 64. Cognitio materialis integraliter diuiſibilis poteſt attingere obiectum ſpirituale indiuiſibile integraliter.ibid. Quælibet pars huius cognitionis materialis totum ſuum obiectum attingeret.ibid. Cognitio Dei in intellectu exiſtens non eſſet ænigmatica, etſi ad illam cognitio phantaſiæ præcederet. ex.28. n. 88. Cognitio non debet ſequi modum eſſendi obiecti. ex.28. n.67. & ſeqq.

Color.

Coloris ſuauitas erit in Beatis hominibus. ex. 28. num. 168.

Comprehenſio.

Comprehenſio obiecti requirit æqualitatem perfectionis inter obiectum & potentiam, inſuperque cognitionem omnium, quæ formaliter, & eminenter ſunt in obiecto. ex.28. n.68.

Conceptio.

Conceptio Deiparæ Virginis ſine labe peccati originalis, & eius ad cœlum aſſumptio non eadem certitudine priſcis ſæculis, ac præſentibus innotuit. ex.19.n.85. Vide *Deipara.*

Contritio.

Contritio non meretur remiſſionem totius pœnæ temporalis, ſic tamen illius partem.ex.19.n.46.

Conſtantinus.

Conſtantini Magni effigies. ex.18.n.11.

Corpus.

Corpus idem poteſt duplici vbicatione circumſcriptiua affici diuinitùs. ex.18. n.69. Idem corpus poteſt eſſe ſimul diuinitùs in pluribus locis definitiuè.ex.18.n.72. Poteſt ſpoliari omni vbicatione.ex.18.n.73. Duo corpora poſſunt circumſcribi eodem loco. ex.18.n.74. Idem corpus poteſt diuinitùs conſtitui vbique.ex.18.n.79. Huius corporis vbiquitas differret maximè ab immenſitate Dei. ibid. Corpus exiſtens in duplici loco non eſſet entitatiuè maius ſe ipſo exiſtente in vnico. ex.18.n.81. Pars corporis multiplicem vbicationem habens poſſet extrinſecè dici maior ſuo toto. ex.18.n.81. Corpus non poteſt ſimul duplici inſtanti coëxiſtere etiam diuinitùs.ex.18. n.82. Corpus in duplici loco exiſtens non debet habere æqualitatem cum loco, niſi ſecundùm extenſionem actualem. ex.18.n.84. Corpus poteſt claudi intra vnum locum, & ſimul vbicari in alio, à quo etiam claudatur.ex.18.n.89. Corpus cum duplici vbicatione exiſtens in aëre deſcenderet naturaliter ex vno loco, manens ſupernaturaliter in alio immotum, Deúſque determinaret locum, ex quo naturaliter deſcenderet. e.18. n.90. Corpus in duplici loco exiſtens nequit naturaliter eſſe calidum, & frigidum in ſummo. ex.18. n. 91. Accidentia abſoluta comitarentur corpus bilocatum.ex.18.n.92. Viſio ab obiecto extrinſeco dependens non poſſet corpus bilocatum comitari.ex.18.n.94. Corpus in duplici loco exiſtens non habet maiores vires, quàm ipſum cum vnica vbicatione.e.18.n.96. Viueret abſolutè, aut moreretur dumtaxat. ex.18. n.97. Gladio poſſet feriri cauſante ſeparationem partiũ. ex.18. n.97. Corpora Beatorum nonniſi intra Empyreum exiſtunt ordinariè. ex.20. n.46. Corporeæ ſubſtantiæ conceptus quiſnam ſit? e.28.n.97. Corpus poteſt diuinitùs moueri de extremo ad extremum diſtans impertranſito medio, non tamen naturaliter. ex.33.n.43.& ſeqq. Corpus Chriſti vide *Chriſtus*, & *Euchariſtia*.

Coſmas.

Coſmas Veſtitor quis fuerit? ex.19.n.52.

Creatio.

Creatio Angeli identificatur cum volitione diuina vt coëxiſtente tali, vel inſtanti. ex.16. n.55.

Crux.

Crux Chriſti æternabit in Empyreo. ex. 24. n. 16. Crucis Chriſti partium multiplicatio quomodò contingat.ex.18.n.69. Crux Chriſti manifeſtanda eſt in die Iudicij.ex.25.n.1. Authoritate hoc aſſertum confirmatur.ibid. Prouidentia Dei erga Crucem Chriſti. ex. 25. n.9. Qui Anthores ſibi perſuadeant Crucis effigiem imprimendam eſſe Empyreo, & Beatorum frontibus. ibid. Præter Crucem nullum Chriſti paſſionis inſtrumentum apparebit realiter in Iudicio. ex. 25. n.12. Fortè ex aëre formatum aliquod inſtrumentum præter crucem, aut omnia apparebunt.ex.25.n.13.

D

Damnati.

Damnati non cruciantur in Antipodibus, nec in ſpatiis imaginariis.e.18.n.38. Damnati ex viciſſitudine frigoris & caloris nullũ in pœnis ſentiũt leuamen.

Digitized by Google

leuamen. ex. 19. n. 69. Non ſubleuantur à pœnis die reſurrectionis Dominicæ, aut Aſſumptionis B. Virginis. ibid. Non eſt manifeſtus error in fide, eis pœnas mitigari aliquantiſper ex virorum ſuffragiis. ex. 19. n. 70. Pro hac ſententia lex Alphonſi Hiſpaniarum Regis. ibid. Hæc tamen ſententia auerſatur communi Catholicorum, & Eccleſiæ ſenſui. ibid. Pro damnatis Eccleſia non orat. ibid. Ex damnatorum præſentia quodammodo contaminatur Vniuerſum. ex. 20. n. 15. Duris & inſuauibus vocibus affligentur. ex. 31. n. 29. Felle, & abſynthio cruciabitur eorum guſtus. ex. 31. n. 15. Punientur etiam apparenti, & apprehenſa fame. ex. 31. n. 14. Eorum corpora anima rationali informata vaſtiſſimus hiatus deuorabit in valle Ioſaphat. ex. 28. n. 228. Dupliciter igni torquentur. ex. 20. n. 188. Mutuò ſe ſe ex faciei delineamentis dignoſcent. ex. 28. n. 171. Nouo & inexperto loquentur idiomate, aſperò & inſuaui. ex. 29. n. 28. Damnati congeſti erunt in Inferno. ex. 23. n. 99. Damnati homines plures erunt, quàm beati. ex. 21. n. 142. & ſeqq. Damnati homines proferent vocales blaſphemias in Deum. ex. 29. n. 14. Efflabunt fœtorem è corporibus. ex. 30. n. 7. Vide *Beati*.

Daniel.

Daniel non ſurrexit immortalis cum Chriſto. ex. 22. num. 34.

Dathan.

Dathan corpus in Inferno iam exiſtere, eſt probabile. ex. 22. n. 11.

Dauid.

Dauid reſurrexit immortalis cum Chriſto. ex. 22. num. 34.

Deipara.

Deipara poſt Chriſtum eſt nobilius obiectum glorificatorum oculorum. exerc. 28. num. 157. Eius pulchritudinem quantis laudibus extulerint Sancti PP. ibid. Quanta ſit Deiparæ gloria, & pulchritudo. ibid. Eius faciei iam immortalis mira ſpecies. exerc. 28. num. 151. S. Dionyſius Areopagita Deiparæ pulchritudinem tanquam diuinam veneraretur, niſi aliud doceret Fides: exer. 28. n 149. Ioannis Euangeliſtæ prolatum de eius pulchritudine mortali adhuc. exerc. 28. num. 150. Deipara adhuc mortalis in ſui conſpectum longè diſtantes gentes trahebat. ex. 28. num. 152. Nulli beatæ fœminæ in pulchritudine cedet. exerc. 28. num. 157. Exceſſit adhuc mortalis Euam, & ſpecioſiores omnes fœminas. exerc. 28. num. 158. Deiparam habuiſſe gloriam corporis in inſtanti Conceptionis qui tradiderint? exerc. 18. num. 148. Et qui, habuiſſe gloriam animæ? Ibidem. Deipara, ſi contraxiſſet peccatum originale, & ante ſuum Filium moreretur, ad ſinum Abrahæ deſcenderet. exerc. 18. num. 177. Idem accideret non contracto peccato originali, vti reapſe non contraxit. ex. 18. n. 178. Deberet filio in tali deſcenſu aſſimilari. ibidem. Non incurrit corporis corruptionem. exerc. 18. num. 179. Puriſſimam eius conceptionem Hiſpanos docuit Apoſtolus S. Iacobus. exerc. 18. num. 178. Pro eâdem, ſtrophe Vrbani VIII. ibid. Nulla ægritudine affecta diem obiit. exerc. 18. num 179. Deipara Chriſto præmortua non reſurgeret immortalis ante Chriſti reſurrectionem. exerc. 18. num. 180. Si præciſè fuiſſet à peccato originali mundata, mortem, & dilationem viſionis beatæ ſuſtineret per modum pœnæ peccati: Si ab eo præſeruata, per modum pœnalitatis communis naturæ humanæ. exerc. 18. num. 181. Etſi præſeruata eſſet, poſſet dici propriè pœna. ibid. Non incurrit debitum proximum peccati originalis, ibidem. Si in Limbum deſcenderet, Chriſto præmortua, non eſſet omninò ſub poteſtate Dæmonis. ibid. Nullum maius abſurdum eſſet, Deiparam ſubiici Dæmoni in Limbo, quàm in primo conceptionis inſtanti. ibid. Prouidit Deus, ne ante filium moreretur. ibid. Non pateretur in Limbo abſolutam captiuitatem. exerc. 18. num. 182. An Deus impediret eius triſtitiam ob dilatam viſionem beatam? exer. 18. num. 183. Probabilius eſt, aliqua triſtitia afficiendam pro communi conditione naturæ humanæ. ibid. Spes ſalutis breui obtinendæ eam ſolaretur, & ferè triſtitiam abſorberet. ibid. Cenſuit quis intuitam fuiſſe diuinam eſſentiam ſemel in die à Conceptionis inſtanti. ex. 18. n. 184. Deiparæ anima Empyreum incolit. exer. 19. n. 1. Eius anima poſt ſeparationem abſque notabili mora aſcendit in Empyreum. ex. 19. n. 5. Dubium eſt, an ad terras deſcenderit corpus aſſumptura? ex. 19. n. 6. Probabile eſt, eius animam alias ex Purgatorio ſpeciali priuilegio eductas comitatas eſſe ad Empyreum. ex. 19. n. 7. Quod Deipara inuiſerit Eliam in paradiſo, incredulitatis arguitur. ibid. Eius corpus iam beatum exiſtit in cœlo. exerc. 19. num. 8. Hæc exaltatio Deiparæ probatur ab authoritate. ibid. Reſurrectio corporis Deiparæ fuit communis ſenſus Eccleſiæ omnibus ſæculis. exerc. 19. num. 9. Reuelationes aliquæ incertæ circa diem, quo Deipara reſurrexit. exerc. 19. num. 17. Ex Deipara ad alios iuſtos nulla eſt paritas. exerc. 19. num. 46. Deipara aliquando poſt Chriſti aſcenſionem in Empyreum euecta eſt ad breue tempus corpore mortali. exerc. 22. num. 69. Deiparæ ingens gloria. ex. 19. num. 71. Occupat locum materialem ſublimiorem poſt Chriſtum. exerc. 19. num. 72. Deiparæ, & Chriſti indiuiſum imperium. exer. 19. num. 80. Eius intuitus beatos maximopere recreabit. ex. 19. num. 82. Diadema Deiparæ iam glorioſæ. ex. 19. n. 77. Quodnam latus tribuat ipſi Chriſtus in Empyreo, dextrúmne, an ſiniſtrum? ex. 23. n. 79. Deipara vocari conſueuit cœlum. ex. 19. in limine.

Deus.

Deus pronior eſt ad benefaciendum, quàm ad puniendum, exercitatio 18. nmu. 171. & 175. Deus præcipuus cœli incola. exexerc. 17. num. 1. Deus non tantum cœlo præſens. ex. 17. num. 5. Omnibus rebus adeſt. ex. 17. n. 6. ſpecialiter Empyreum incolit, quia ibi à Beatis clarè conſpicitur. exerc. 17. num. 7. Deus in iuſtis habitat ſpeciali titulo gratiæ. ex. 17. n. 15. Si Deus immenſus non eſſet, nullus daretur ſpecialis titulus pro ipſius præſentia in Empyreo. ex. 17. n. 16. Vbicumque Deus videtur, ibi eſt gloria. ibid. Deus poteſt naturaliter duabus volitionibus virtualiter diſtinctis velle exiſtentiã Angeli. ex. 16. n. 55.

Dextrum.

Dextrum latus honoratius non eſt, quando alter medium tenet. exerc. 23. num. 79. Siue dextrum ſiue ſiniſtrum latus, honoratius tunc eſt, quando ſublimius. ibid.

Diadema.

Diadema B. Virginis iam glorioſæ. ex. 19. n. 77.

Dilatio.

Dilatio viſionis beatæ fuit ex lege ordinaria conditio communis SS. Patribus ante Chriſti Reſurrectionem. exerc. 18. n. 181.

Digitized by Google

Diuerſitas.

Diuerſitas effectuum in diuerſis orbis regionibus vnde oriatur? exerc.16. num.39. Diuerſitas inclinationum hominum vnde proueniat? ibid.

Dæmones.

Dæmonibus non patuit aliquando aditus ad Empyreum. exerc.20. num 31. Hæc ſententia probatur auctoritate. ibid. Ex præciſa Dei voluntate hoc prouenit. exerc.20.num.37. Si per Deum liceret, poſſent aſcendere Empyreum. ibid. Quæ fuerit S. Ambroſij mens de aditu Dæmonum in Empyreum. exerc.20.num.38. Dæmonum localis præſentia non prouenit ex operatione erga ignem. exerc.20.num.118. Non prouenit eorum præſentia ex libera voluntate exiſtendi in Inferno. ibid. Neque ex applicatione virtutis actiuæ ad ignem. ibid. Dæmones phyſicè perficiunt infernum, moraliter tamen deturpant. ex.20.n.119. Eorum præſentia in Inferno non eſt metaphorica. exerc.20. num.126. Nequit eis conuenire dolor ex tactu. exerc.20. num.156. ex.18.n.77. Neque dolor appetitus ſenſitiui interni. ibid. Materialis dolor non poteſt ſubiectari in Dæmone. exerc.20.num.157. Et ſi ſubiectaretur, illum non denominaret ſentientem. ibid. Viſio materialis non denominaret eum videntem, etſi in illo reciperetur. ibid. Tam non diſconueniens eſt Dæmoni calor ex ſe quàm color. ex.20.n.158. Dæmon non poteſt viuificare corpus. ibidem. Nequit Deus ſupplere diſconuenientiam obiecti, quod verè diſconueniens Dæmoni non eſt. exerc.20. num.159. Per ſympathiam ad corpus non poteſt dolere Dæmon. ibid. Non habet organa requiſita ad ſenſionem, neque in ſe, neque in corpore, quod informaret. ibid. Non cruciatur ab igne, ſicut anima combuſtione corporis. exerc.20. num.160. Ignis non producit in Dæmone calorem. ex.20.n.161. Nequit calor eſſe ex ſe nociuus Dæmoni. ib. Non datur qualitas dolorifera reſpectu Dæmonis aſſignata ab aliquibus Doctoribus. exerc.20. num.164. Ignis ſpeciale inſtrumentum eſt cruciatus Dæmonis. ibid. Non diceretur vri Dæmon, ſi qualitas aliqua à calore & igne diſtincta eum cruciaret. exerc.20. num.164. Impugnatur hæc dolorifera qualitas. exerc.20.num.163. Macula peccati num ſit moleſta Dæmoni? exerc.20.num.165. Non torquetur per ſpeciem impreſſam caloris. exercitat.20. num. 166. In Dæmone naturalia integra manſerunt. ibid. Non torquetur in accipienda ſpecie ignis. exerc.20. num. 167. Eius intellectus eſt incapax læſionis per ſpeciem. exerc.20.num.168. Non cruciatur per alligationem ad ignem. ex.20. num. 169. Vni loco alligatus poteſt percipere ſolatia ſibi connaturaliter conuenientia, etſi valdè remota. ibid. Alligatio ad ignem non impediret oblectamentum perceptum ex ipſius ignis contemplatione. ibid. Dæmones exiſtens in aëre torquentur igni. exercit. 20. num.170. Non cruciantur ex apprehenſione æternæ alligationis ad ignem. ibid. Dæmon patitur verum malum, quod non ſolum ex apprehenſione debet eum cruciare. exercitat.20. num.171. Si ex alligatione ad ignem pateretur, inæqualis eſſet pœna dæmonis, & animæ reunitæ corpori. exercit. 20. num. 172. Si ex alligationi pateretur, non torqueretur igni. ibid. Eius dolor non prouenit ex ſpirituali Vbi, quo igni detinetur. ibid. Non dolet ex perpetua, & intenſa cogitatione ignis immediatè producta ab ipſo igne ſupernaturaliter eleuato. exercit.20. num.173. Hæc cogitatio Dæmonis non eſt vſtio. ibidem. Ex nulla ſpecie neceſſitatur naturaliter ad talem cogitationem. ibidem. Eum ignis non affligit, quatenùs apprehenditur vt diſconueniens. exercitat. 20. num.174. Non eſt naturaliter capax falſæ apprehenſionis. ibid. Non dolet ex ſimplici tantùm apprehenſione ignis vt diſconuenientis. exercitat.20. num.175. Non cruciatur ab igne, quatenùs is producit triſtitiam in Dæmone de amiſſa beatitudine. exerc.20. num.177. Amiſſa beatitudo ſupernaturalis nequit eſſe obiectum doloris pertinentis ad pœnam ſenſus. exercitat. 20. num.178. Triſtitia Dæmonum de amiſſa beatitudine ad pœnam damni ſpectat. ibid. Ex æquali priuatione Dei poteſt inæqualis triſtitia Dæmonibus prouenire. ibidem. Poſſunt Dæmones habere naturaliter aliquam complacentiam, non verò ſtrictum gaudium. exercitat. 20. num. 195. Ignis poteſt eos affligere tanquam ſignum iræ & inimicitiæ diuinæ, in quo meditari cogantur. exercitat. 20. numer. 181. Poſſet hæc cogitatio produci effectiuè mediatè, vel immmediatè ab igne. exercitat.20. num. 182. Poteſt ſpiritualis Dæmonum triſtitia fieri immediatè ab igne diuinitus eleuato. exercitat. 20. num.183. Poſſet ſpecies impreſſa ad cognitionem ignis ab ipſo moraliter tantùm effici. exerc. 20 num.184. In eo caſu Deus, non verò ſpecies ad triſtitiam neceſſitaret. ibid. Hæc triſtitia magis intenſa aut remiſſa eſt pro qualitate culpæ. exerc.20.n.185. Dæmones exiſtentes in Inferno penetrantur igni. exercit. 20. num. 186. Exiſtentes in aëre Deus ad perpetuam ignis conſiderationem adigit, & ſic ab eo cruciantur. ibid. Hic dolor Dæmonum ſimilis eſt dolori noſtro percepto ex vſtione. exercit. 20. num.189. An aquâ torqueantur vt ſigno diuinæ inimicitiæ? exercit.20. num.191. Eſto Dæmones ſciant, ſe eſſe Deo inimicos, multum tamen proderit ignis ad eorum tormentum, vt ſpeciale inſtrumentum iræ diuinæ. exercit.20. num.199. Abſque vlla mora in Infernum detruſi fuere poſt peccatum. exercit.21. num. 38. Plurimi nunquam ex Inferno egredientur, excepto die iudicij. ibid. Qui egrediuntur ad hominum perniciem, ſæpè ad Luciferum redeunt. ibid. Dæmones non tot, quot Angeli boni. exerc.23. num.99. In maiorem damnatorum hominum pœnam aſſument deformiſſima corpora. exerc.26. num.3.

Doctor.

Doctoris vnius ſententia poteſt præualere contra opinionem multorum. ex.20.n.27. Cùm diuerſæ ſententiæ proferuntur, vincit nonnunquam maior Doctorum numerus. Ibid. Multos Doctores nobis Deus prouidet, vt collatis eorum dictis, & ſcriptis inueniatur meliùs veritas. ex.20. n.144. Doctoris claritas iucunda eſt auditoribus. ex.20.n.67.

Dolor.

Dolor vehemens fundatur in iudicio de malo præſenti. exerc.20. num.175.

Domus.

Domus ne fierent, ſi innocentiæ ſtatus diutiùs duraſſet? exercit.27. num.8.

Dotes.

Dotes Beatorum non dimanant phyſicè à viſione beata. exer.18. n.152.

Dorothæus.

De Dorothæi Synopſi iudicium. exerc.18.n.143.

Digitized by Google

Duratio.

Duratio æterna à parte ante, & à parte poſt, poteſt Diuinitus communicari creaturæ. ex.18.n.79. Duratio à re durante non diſtinguitur. ex.20. n.63. Decretum deſtruendi, & producendi rem non terminatur ad durationem. ibid. Ex ſuppoſitione diei hodiernæ tam exiſtens creatura, quàm Deus illi coexiſtit abſque entitate diſtincta.ibid. Duratio eſt cōditio naturaliter requiſita ad agendum, non verò eſſentialiter. ex.20.n.64. Res ſine duratione exiſtens poteſt producere effectum durantem.ibid. Tunc Deus ſuppleret defectum durationis. ex.20.n.65. Cauſæ materiales & formales poſſunt abſque duratione influere, dummodò exiſtant. ibid.

E.

Eccleſia.

Eccleſia non orat pro damnatis. ex.19.n.70

Effectus.

Effectus poteſt à duplici cauſa adæquata pendere. ex.18.n.76. Dubium eſt, an dentur effectus exigentes influxum Empyrei, & an hoc habeat vires actiuas. ex.16.n.86.

Effigies.

Effigies pulcherrima Chriſti vbinam? exerc. 28. num.128

Elementa.

Elementa omnia ab omni ſorde purgabuntur poſt diem iudicij. exercit.28. num.194. Delectabunt oculos Beatorum, maioríque perfundentur ſplendore poſt diem iudicij. ex.28. n.190. & ſeqq.

Elias.

Elias, & Henoch non ſunt tranſlati in Empyreum. ex.18. n.136. Quid ſignificetur nomine Cœli, quò tranſlatus dicitur Elias. ex.18.n.138. Quid nomine Paradiſi, quo Henoc tranſlatus dicitur? ex.18.n.136. Elias, & Henoch non viderunt Deum intuitiuè permanenter ante mortem Chriſti. ex.18.n 145. Elias, & Henoch tranſlati ſunt in paradiſum terreſtrem. ex.18.n.137. Non acceperunt glorificationem corporis, quando tranſlati ſunt. ex.18. n.148. Deum intuitiuè non viderunt etiam poſt Chriſti mortem. ibid. De eorum raptu varij errores. ex.18.n.133. Fortè nunc in cœlo ſydereo aſſeruantur. exerc.18. n.142. Ante generalem reſurrectionem morituri ſunt, ante eamque reunientur eorum animæ corporibus glorificatis, & aſcendent in cœlum. ex.22.n.63. & ſequentibus. Elias ex Empyreo non deſcendit, cùm in transfiguratione apparuit. ex.18.n.141. & 142. Non fuit inuiſus à Deipara aſcendente ad cœlum. ex.19.n.7

Empyreum.

Empyreo nunquam diſcedet Chriſtus ante diem Iudicij vniuerſalis. ex 18.n.61. Empyrei ianuam cur Deus ex præuiſis Chriſti meritis aperiri noluerit ante ante mortem, & aſcenſionem eiuſdem Chriſti ſanctis Patribus. ex.18. n.129. Nullus hominum ingreſſus eſt Empyreum ante Chriſtum. ex.18. n.120. Huius ratio redditur. ex.18. n.129. Ex Chriſti aſcenſione ingens gloria accreuit Empyreo. ex 18. n.186. Empyrei gloria aucta eſt ex Deiparæ aſſumptione. ex.19. n.83. Eius querelæ pro Deiparæ dilata aſſumptione. ex.19.n.84. Empyreum, etſi ſit Dei regia, non exiſtit ab æterno. ex.17.n.14. Ex eo quòd Deus Empyreum ſpecialiter incolat, eius creatione non acquiſiuit nouam præſentiam. ibid. Empyreum non influere in alia corpora cœleſtia, & ſublunaria, qui aſſerant? ex.16.n.1. Pro hac ſententia, & contraria proponuntur rationes, & ſoluuntur. exerc.16. n.1. & ſeq. Vtraque opinio de Empyrei influxu probabilis cenſetur. ex.16.n.28. Si admittatur phyſicus Empyrei influxus, non ideò debet concedi, vt influat in proximam cœleſtem ſphæram tanquam illius locus extrinſecus. ex.16.n.30. Non habet vllum ſpecialem influxum in corpora glorificata. ex.16. n.31. Cauſat ſpecies intentionales. ibid. Non cauſat beatorum corporum incorruptionem. ibid. Circa Empyrei influxum diuerſæ ſententiæ impugnantur. ex.16. n.19. Empyreum non vt neceſſariò requiſitum concurreret, ſed poſſet, ſi influxum haberet, coadiuuare ex abundanti alios cœlos, & aſtra. ex.16. n.46. Exemplis firmatur hoc placitum. ibid. Si daretur Empyrei influxus, probaretur à priori, non verò à poſteriori, ex.16. n.45. Reſpondetur argumentis contra hunc modum explicandi influxum Empyrei. ex.16. n.49. Si influeret in effectus, poſſet dici cauſa principalis habito reſpectu ad cœlum ſydereum. ex.16.n.51. Empyrei velum non obſtaret tranſmiſſioni qualitatum, generationi, & corruptioni inferiorum corporum deſeruientium. ex.16. n.52. Si influeret in hæc inferiora poſſet ſortiri actionem adæquatam. ex.16.n.54. De facto tamen non niſi inadæquatam haberet. ibid. Non eſt conditum à Deo ratione ſtatus naturalis Vniuerſi, ſed ſupernaturalis, & beatifici. ex.20. n.26. Non eſt corruptibile, non mouetur, nullique periculo ſubeſt. ex.20. n.88. Empyreum mobile eſt quoad regionem mediam. ex.20.n.95. In ea parte media commouenda non occupantur Angeli. ibid. Habet lucem ſummè intenſam naturaliter. ex.20. n.98. Si ſupra empyreum locaretur Angelus, verè ab alio Angelo ibi etiam locato diſtaret. ex 20.n.107. Si moueretur Angelus, diuerſam vbicationem haberet, etſi Empyreum quieſceret. ibid. Empyreum deputatum eſt, vt Deus ibi ordinariè videatur, poteſt enim extra illud clarè conſpici. ex.21. n.75. Eſt locus præmij, non iudicij. ex.21.n.138. Poteſt videri oculis corporeis à mortalibus ſpeciali priuilegio eleuatis e.22.n 68. Empyrea materia aſſumenda aliquando ab Angelis non recipiet accidentia corruptioni ſubiecta. ex.26. n.9. Eius lucem Deus impediet aliquando iuxta Angelorum placitum. ex.26. n.8. Alterabitur penes vnionem partium. ex.26.n.9. Omnia mixta præter beatorum hominum corpora & Crucem exulabunt ab empyreo. ex.27.n.10.

Eſdras.

Eſdræ attributus quartus Liber quantæ authoritatis? ex.18.n.163. ex.21 n.18

Eua.

Eua cum Chriſto reſurrexit. ex.22.n.21. In Empyreum aſcendit corpore iam glorificato. ibid.

Euchariſtia.

Euchariſtia non eſt æternatura in Empyreo. ex.24. n.15. Probatur hæc ſententia authoritate. ex.24. n.7. Eſt myſterium fidei & ſpei. ex.24 n.10. Eius conſecrandæ poteſtatem nullam futuram eſſe poſt diem iudicij, cenſet Cardinal. de Lugo. ex.24. n.12. Manna figura Euchariſtiæ. ex.24. n.17. Durabit vſque ad diem iudicij Euchariſtia. ex.24. num.18. An Chriſtus poſt reſurrectionem Euchariſtiam ſuſceperit? exercitat.24 num.19.

Digitized by Google

num.19.Euchariſtiæ proceſſio vita eſt in cœlis à Marina de Eſcobar.ibidem.Qui innuere videantur euchariſtias ſpecies interdum ab Angelis in Empyreum deduci? exercit. 22. num.75.& ſequentibus Euchariſtiam dignè ſumentes habituri ſunt poſt reſurrectionem peculiarem ornatum in corporibus.ex.19.n.78.

Ecſthaſis.

Ecſthaſis imaginaria vel intellectualis ſæpiùs vſurpatur in Eccleſiaſticis hiſtoriis pro vero raptu ad Empyreum.ex.22.n.68.

Eulalia.

S.Eulaliæ Emeritēſis corpus vbinā exret? e.21.n97.

F

Fomes.

Fomes peccati erit omnino ligatus in beatis hominibus.ex.34.n.7.

Forma.

Forma cadauerica, & vitalis poſſunt diuinitùs in eodem ſubiecto coniungi.exercit.19. numer.97. Forma ignis poteſt exiſtere diuinitùs ſine materia, & proprietatibus ſuis. exercit.20. num.69. Forma exigens vnionem ad corpus quoad fieri, & conſeruari,eſt materialis. exercitat. 28. n.31.

Franciſcus.

Franciſci Ximenez Patriarchæ Hieroſolymitani libri M.SS.ex.33. n.14.

S.Fulgentius.

S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis originem ex Hiſpania trahebat, non tamen fuit ortu Toletanus ſed Telleptanus in Africa. ex.22. num.37. & ſequentibus.

G

Gehenna.

Gehennæ locus vbi à Patribus locetur? ex.18. num.38.

Gentilis.

Gentili nulli aſſignanda eſt ſtatio media inter cœlum, & infernum. exercit.23.numero 26. & 29. An ad tempus Gentiles in Purgatorio cruciabuntur?ex.23.n.27.

Gloria.

Gloriæ dotes non dimanant phyſicè à beatitudine animæ. exercit.33. num.102. Nec lumen gloriæ eas efficit. Ibidem. Sunt morales proprietates beatitudinis ſpiritualis. exercitat.33. n.104. Miraculum fuit non communicari permanenter Chriſto in hac vita. ex.33. num.104. Dotes gloriæ à Chriſto phyſicè dimanant in alios Beatos.ex.33. n.105. Glorificatio corporum ſemel eſt poſſeſſa,connaturaliter,perpetua.ex.18.n.148.

Grauitas.

Grauitas non auferetur à glorificatis corporibus. ex.33.n.87.

Grauitatio.

Grauitatio an detur ſuprà cœlum Lunæ? exercit.18. num.28.

S.Gregorius.

S.Gregorij Papæ an ſit oratio quædam de B. Virgine?ex.19.n.25.

Guſtus.

Guſtus exercitium in Beatis admittendum eſt. ex.31. n.3.Ciborum, & potus vſum non habebit Beatorum guſtus. exercitat. 31. numerò 4. Exercitium guſtus circa cibum, & potum, eis non repugnat,dummodò fiat abſque conuerſione in materiam aliti. exercitat.31. num.5. De facto tamen hoc exercitium non erit in cœlo.Ibidem. Qualiter beatorum guſtus exercendus ſit? exercitat.31. numer.7.Sentiet omnes, quos voluerit, ſapores. ex. 31.numer.9. Beatorum guſtus vere immutabitur per liquorem aliquem ſapidum. exercit. 32. numer.64. Hæc immutatio guſtus non eſt aliena à beatitudine. Ibidem. Guſtus non deſtinatur præciſè ad alimentum animalis. ex.31.num.11. Humor ſapidus beatorum prælibatus eſt à SS. Agnete, & Leocritia adhuc mortalibus. exercitat.31. n.12.

H

Hebræa Lingua

Hebræa lingua loquendum à Beatis qui affirmauerint? exercitat. 29. numero 20. De Hebræa lingua cenſuræ quorundam. exercit.29. num.34.

Henoch Vide *Elias.*

Hercules.

Herculem in corpore ad cœlum raptum fabulantur Ethnici.ex.23.n.35.

Hiſpania.

Ex Hiſpania peregrinationes ad Virginem, dum viueret.ex.28.n.152.

Hiſpania ſuam linguam aduentu Romanorum edidicit.ex.29.num.26. In Hiſpania ad fidem Chriſti qui conuertebantur prædicatione S.Iacobi Maioris, dicebantur Ieſei. exercitat. 16. in limine.

Homo.

Homines in ſtatu innocentiæ non morerentur' exercitat.21.num.48. Pueri omninò aſcenderent immediatè ad cœlum. Ibidem. Pauciores homines, quàm fœminæ beabuntur. exercitat. 21. n.145. Dubium, an in ſtatu innocentiæ peccarent homines? Ibidem. Homines poſt generalem reſurrectionem in corporibus glorificatis beabuntur. exercitat. 23. numer.1. Hominum iuſtorum habitatio in Empyreo probatur ex ſacris Litteris. exercitat.23. numer.1. Rationibus probatur.exercitat.23. numero 4. Errores aliqui notantur contra hanc habitationem. exercit.23. numero 11. Qui Patres hanc habitationem in Empyreo negantes conceſſerint in alio loco poſt generalem reſurrectionem? exercitat.23. numero.13.Referuntur aliqui aſſignantes locum diſtinctum à cœlo, & Inferno pro Ethnicis in lege naturali viuentibus. exercit.23. num.22. Ethnici an minus punientur in inferno, quàm Chriſtiani? ex. 23. numero 27. Hominum exiſtentia in cœlo ex prophanis litteris probatur. exercitat.23.num.33. Homines beati ordinariè ſtabunt.exercitat.23.num.41. Sedebunt aliquando.exercitat.23.num.45.Eos ad operandum ſeſſio non impediet: velociſſimè ſurgent: mouebuntur:currentque non ex indigentiâ,ſed ad declarationem ſuæ virtutis. Ibidem.Beati homines non iacebunt in Empyreo.ex.23.numer.53. Genuflectent coram Chriſto, & Beatâ virgine. ex.23. num.54. Non penetrabuntur continuò inter ſe ſe. exercitat. 23. numero 56. Ordinem locorum ſeruabunt. exercit.23 numero 56.Vni deambulanti nullus obſtare conabitur. Ibidem. An aliquando alter cum altero penetrabitur? Ibid.Damnatorum hominum corpora cum aliorum corporibus non penetrabuntur. Ibidem. Cuiuis homini beato ſpecialis locus reſpondet

Digitized by Google

in Empyreo pro meritis. ex.23.n.59. Locus beato deſtinatus non debet illum actu continere ſemper. Ibidem. Beatus homo ab eo diſcedere poteſt. Ibidem. Poterit ille locus in abſentia dignioris ab alio occupari. Ibidem. Occupans locum dignioris, huic redeunti cedet. Ibidem. Non minuetur beatitudo accidentalis ex beatorum receſſu à loco ſibi deſtinato ſi tamen Chriſtum videant. Ibidem. Homines beati æquales in meritis habebunt etiam in gyrum æquales ſedes. ex.23.n. 60. In die Iudicij non permiſcebuntur beati homines, neque penetrabuntur cum damnatis. Ibidem. Diſtantia inter beatum hominem, & Chriſtum, non obſtabit, quominus is ex propriâ vniuſcuiuſque ſtatione videatur. ex. 23. n. 61. Abſque miraculo Chriſtum diſtantem conſpicient beati homines. Ibidem. Locorum diſcretio pro hominibus, & Angelis authoritate probatur ex.23.n.65. Ratione probatur. ex. 23. n.68. Iuxta ſublimitatem meritorum ſublimior locus vnicuique deputabitur. Ibid. Beati homines, & Angeli mutuò ſe ſe alloquentur, & inuiſent. ex.23.n.71. Eo ordine loca habebunt, vnde abſque ſpeciali eleuatione oculorum Chriſtum, & Beatam Virginē conſpiciant. ex.23.n.78. Non diſpergentur per totum Empyreum. ex.23.n.81. Quanta ſit cæleſtis curiæ amplitudo ab hominibus incolenda? ex.23. n. 90. Beatorum hominum ſtationes non occupabunt totum Empyreum ; ſed partem illius vnde ſine miraculo Chriſtum conſpiciant. ex.23.n. 98. Beati homines fortaſſis habebunt viſiuam ſphæram naturalem maiorem, quàm modò. Ibidem. An veſtibus; & qualibus vtentur? non tamen vitandæ verecundiæ causâ. ex.27.n. 6. Hominum vitæ in ſtatu innocentiæ quot annorum foret iuxta aliquos? ex.23. n.95. Homini datum eſt os ſublime ad contemplandos ſydereos orbes. exercitat. 28.num.181.

Hymni. Vide *Muſica*.

I

Iacere

IAcere, ſitúſne ſit indecorus. ex.23.n.53.

Iacob.

Iacob Empyreum in corpore immortalis incolit. ex.22.n.22.

S.Iacobus Iuſtus

S.Iacobus Iuſtus ſimilis fuit Chriſto in vultu. ex. 28.n.158.

Iehoua

Iehoua vox perſonabit crebro in oribus beatorum hominum. ex.29.n.33.

Ieſuani, vel *Ieſuita*

Ieſuani, vel Ieſuitæ dicentur Beati in cœlo, ex. 16. in limine.

Ignis

Ignis ex ſua ſphæra in aërem non influit. ex. 16. n. 30. Ignis inferni non carebit luce. ex.28. n. 217. & 218.

S. Ildefonſus.

S. Ildefonſo allata cælitus caſula vbinam ſeruetur. ex.22.n.41.

Illiberritani Patres.

Illiberritani Patres defenſi. ex.21.num.112.

Impaſſibilitas.

Impaſſibilitatis dos non conſiſtit in qualitate. ex. 32.num. 84.

S.Ioachimus

S. Ioachimus Beatæ Virginis pater cum Chriſto glorioſus ſurrexit. ex.22.n.42.

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta cum Chriſto glorificatus non ſurrexit. ex. 22. n. 45. Empyreum non incolit. Ibidem. Eius caput in terrâ exiſtit. Ibidem. Eius caput in cœlo, & in terrâ ſimul circumſcriptiuè locatum non exiſtit. Ibidem. Primus poſt Deiparam cenſetur à multis in cœlo. Ibidem. n. 46.

Ioannes Euangeliſta

Ioannes Euangeliſta. Refertur quædam relatio de eius corpore in Empyreo exiſtente. ex. 22. n. 56. Cæleſtinus Papa mentionem facit de eius reliquiis. ex. 22.num.59. Eius reſurrectio ad immortalem vitam non probatur. ex. 22. n.60.

Ioannes XXII Pontifex ſummus,

Ioannes XXII. Pontifex ſummus, tanquam priuatus Doctor dubius fuit de Beatitudine animarum ante generalem reſurrectionem. ex. 21. num. 134.

Ioannes Ægidius Lamorenſis.

Ioannis Ægidij Lamorenſis liber. M. S. exerc. 22.num. 36.

Iob

Iob cum Chriſto in Empyreo degit. exercit. 22. num.26.

Ionas

Ionas incertum eſt, an cum Chriſto ſurrexerit. ex. 22.num.34.

S.Ioſephus

S.Ioſephus cum Chriſto glorioſus ſurrexit. ex. 22. num. 43. Mortuus eſt ante Chriſti paſſionem. Ibidem. Teſtimonium cælitùs datum de S. Ioſephi reſurrectione. Ibidem. De priuilegiis S. Ioſephi. Ibidem. Num aliquando conſpicere nequiuerit fixo oculorum obtutu B. Virginem grauidam ob huius in facie ſplendorem. exerc. 28.num.150.

Ioſeph Patriarcha,

Ioſeph Patriarcha, Iacobi filius, cum Chriſto aſcendit in Empyreum. ex. 22.n.22.

Impotentia

Impotentia ad agendum vitaliter non iuuatur, niſi per potentiam vitalem. ex.28.n. 3. Impotentia in vno genere non iuuatur per potentiam in alio diuerſo. Ibidem. Impotentia in genere cauſæ materialis poteſt ſuppleri per potentiam in genere cauſæ efficientis. ex.28. n. 5. Impotentia in genere cauſæ inferioris poteſt ſuppleri per potentiam in genere cauſæ ſuperioris. Ibidem. Impotentia ad influxum phyſicum vitalem ſuppleri non poteſt per auxilium Dei extrinſecum. ex.28.n.7. Impotentia ad agendum phyſicè non vitaliter ſuppleri poteſt à Deo per concurſum extrinſecum. ex.28. n. 8.

Incola

Incola vox, quid ſignificet? e. 17. in limine.

Incorruptio

Incorruptio non fuit eo connaturali iure Virgini debita, quo Chriſto. e.19. n. 39. Chriſto fuit debita ratione vnionis hypoſtaticæ. Ibid. Incorruptionem ſupernaturalia opera Iuſtorum non merentur. e.19. n. 46.

Indiuiſibile

Indiuiſibile lucis diuinitus poteſt ab oculo diuiſibili percipi. e. 28.n. 94. Capacitas componendi totum ſe habet per accidens reſpectu huius viſionis. e. 28. num.95.

Digitized by Google

Infernus.

Inferni amplitudo quanta ſit? ex.23.n.99.Infernus non eſt inſtar alicuius ædificij,ſed vaſtæ alicuius voraginis.ibid. In eo homines compreſſi erunt, & congeſti.ibid. In Inferno erit varietas,& confuſio linguarum.ex.29.n.25.Ad Infernum damnatorum deſcendit Chriſti anima iuxta aliquos. ex.33.n.11.& 12.

Intellectus.

Intellectus creatus eſt naturaliter impotens videre Deum, in genere cauſæ efficientis, non in genere vitalis. ex. 28. num. 9. Perfectè non poteſt Deum percipere naturaliter. ibid. Intellectus non eleuatur à lumine gloriæ, quâ ipſum eſt principium vitale, ſed quâ eſt efficiens. ibid. Intellectus creatus non eſt improportionatus ad cognoſcendam naturaliter vnionem hypoſtaticam, aut alia ſupernaturalia dona, cum probabiliter ſaltem ea aſſequatur. ex. 28. n. 13. Intellectus noſter eſt impotens ad videndum Deum per viſionem materialem. ex.28. num. 27. Non implicat intellectus ſpiritualiter perceptiuus rerum tantum materialium. ex.28.n.38. Poſſibilis eſt intellectus diuerſæ ſpeciei ab exiſtenti percipiens naturaliter abſtractiuè Deum, & ineleuabilis ad Deum videndum intuitiuè. exerc.28. n 49. Intellectus viſio nomine tenus cum viſione oculorum conuenit, re autem tam ab ea differt,quàm ab auditione. ex.28. n.51. Explicatur indigentia, quam intellectus habet ſpecierum ſpiritualium. ex.28.n.74.Intellectus nullam tribuit ſpiritualitatem obiecto. ex.28.n.85. Deum cognoſcens intuitiuè, omnia in ipſo eminenter intelligit. ibid.

Iſaac.

Iſaac reſurrexit glorioſus cum Chriſto. exercit. 22. num. 22.

Iudæi.

Iudæi exiſtentiam animarum in cœlo crediderunt. ex.21. n.55.

Iudicium.

Iudicium vniuerſale infra Empyreum fiet, ne damnati eò conſcendant.ex.18.n.62.Animæ in ipſomet inſtanti ſeparationis à corpore ſubeunt particulare iudicium. exercitation. 21. numer.74. & 139.

L

Latro.

Latro bonus, vide *Bonus*.

Lex.

Lex noua ſtatum medium obtinet inter veterem legem, & gloriam. ex.24. n.13.

Libera potentia.

Libera quælibet potentia duplici volitione in actu ſecundo adæquata poteſt ad eundem terminum moueri. ex.16. n.55.

Lingua.

Linguæ vnicæ vſus in Rebuſpublicis benè moderatis viguit. ex.29. n.26. Vide *Beati*.

Littera.

Litteræ humaniores aliquod ſcientiæ & honeſtatis conferunt ſolatium; hauriendæ quaſi furtim ex fontibus Antiquorum. ex.29.n.19.

Locus.

Locus extrinſecus, quâ talis, nullum habet influxum in rem locatam. ex.16.num.30. Locus ideò cauſare dicitur, quia rem locatam à contrariorum oppugnatione defendit. ibid.

Locabilitas.

Locabilitas ad maius ſpatium maiorem dicit perfectionem. ex.16. n.68.

Loquutio.

Loquutio externa eſt operatio humana valde perfecta.ex.29.n.10. Cœleſtes loquutiones à mortalibus ſæpiùs auditæ. ex.29. n.12.

Lumen.

Lumen gloriæ naturaliter recipitur in anima.exercit.28. num.4.

Luna.

Luna an poſt diem Iudicij illuſtratura ſit totum hemiſphærium. ex.18. n.188.

Lux.

Lux Empyrea vtpote naturalis à noſtris oculis percipietur. ex.28. n.12. Si ſupernaturalis eſſet,nec diuinitus poſſet percipi à beatorum hominum oculis.ibid.Poſſibilis eſt corporea lux entitatiuè ſupernaturalis. ex.28.n.97. Lux glorioſa indifferens eſt ad varias cauſas efficientes.ex.18.n.152. Lucis acceſſio quanta ſit futura formis cœleſtibus, & elementaribus poſt diem Iudicij? ex.16. n.34. Lux ab Empyreo extra ſe nunc non emittitur, neque poſt diem Iudicij emittetur. ibid. Nulla lux ab Angelis in Empyreum refunditur. ex.16.n.42. Lux ſupernaturalis non datur in patria.ex.32.n.48. Lux ſupernaturalis nullo modo videretur ab oculis Beatorum. ex.32.n. 48. Lux ſupernaturalis non videretur, etſi coniungeretur cum colore naturali.ibid. Lux media Empyrea coloribus non aſſociatur. ibid. Lux ſupernaturalis non videretur à viſu per actum confundentem eam cum luce naturali. ex.32.n.49. Lux glorioſa ſpecie non differt à ſubcœleſti. ex. 32. n.59. Lux glorioſa non dimanat phyſicè à beatitudine animæ. ex.32.num.60. Quanta ſit lux beatorum corporum? ex.28.num. 172. Luce reſplenduit ſinus Abrahæ ad præſentiam animæ Chriſti.ex.20.n.100. Ignis Tartareus non caret prorſus luce. ex.28. n.217.

Lynces.

Lynces quàm clarè cernant? ex.28. n.223.

Linceus.

Lyncei Argonautæ perſpicacia in videndo. ibid.

M

S. Mamercus.

Sanctus Mamercus Epiſcopus Viennenſis alius eſt à Claudiano Mamerco. exercitat. 21. num. 95.

Manna.

Manna cur cuſtoditum in Arca? ex.24.n.3.& 17. Figura erat liquoris ſapidi dandi Beatis ad omnes ſapores percipiendos. ex.31.n.8.& 9.

Mare.

Mare purum, lucidum, ſplendens, & ſerenum reddetur poſt diem Iudicij. ex.28. n.194.

MARIA.

MARIA. Vide *Deipara*.

Martyres.

Martyrum animæ rectà via ad cœlos pergunt.ex.21. n.34. & ſeqq.

Materia.

Materia poteſt diuinitus exiſtere ſine forma.ex.20. num.69.Poteſt exiſtere ſine quantitate. ex. 20. num. 89.

Maternitas.

Maternitas Deiparæ ſi formaliter ſanctificet, eodem modo opera ipſius dignificabit, ac gratia habitualis.

Digitized by Google

habitualis. exerc.19. num.44.

Melito.

S.Melito Epiſcopus Sardenſis an fuerit Author libri de Tranſitu B.Mariæ ? exerc.19. num.63.

Merita.

Meritis interuenientibus perfectius aliquid comparatur, quàm ſine illis. exerc.19.num.43. Meritum congruum in actu ſecundo fauorē includit. exerc. 19. num. 46. Vt actu obtineat, indiget diuina acceptatione. Ibidem.

Michael.

Michaël Archangelus cur dicatur Empyrei cuſtos? exercit.20.num.89. Portabit Crucem in iudicio. exerc.25. num.5.

Miſael vide *Ananias.*

Mixta.

Mixta nulla in aquis, & aëre poſt diem iudicij perſiſtent. exerc.28. n.203.

Mortui.

Mortui cur olim humarentur cum cantu? exerc.29. numero 19.

Motus.

Motus eſt eſſentialiter ſucceſſiuus. exerc.20.n.95. Nulla res poteſt iuxta communem opinionem in primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti cauſare localem motum. Ibidem. Motus localis Angelicus fit abſque operatione tranſeunte. exercitat. 20. num.110. Motus ſtrictus deſiderat ſucceſſionem locorum. Item motus continuus. exerc.33.n.50. Repugnat motus adeò velox, quò velocior alius poſſibilis non ſit. exerc.33. num.70. Repugnat motus adeò tardus, quo tardior repugnet. ex.33. num.73. Poſſibilis eſt Beatis motus adeò velox, quo non poſſit naturaliter velocior dari. ex.33. num. 74. Quid in ſententia Zenonis de compoſitione continui dicendum ſit? exerc.33.n.75. Vnde commenſurandus ſit motus poſt cœlorum quietem? exerc.33.num.77. Motus cœlorum non erit poſt diem Iudicij? exercitat.28. numero 40.

Moyſes.

Moyſes immortalis reuixit, & in Empyreum aſcendit cum Chriſto. exercit.22. num.29. & 32. Moyſes non conſcendit in Empyreum ante Chriſti aſcenſionem. exerc.18. num.150. Non habuit corpus glorificatum in Chriſti transfiguratione. exercit.18. num.152. Non ſurrexit ſtatim poſt mortem. exercit.18. num. 151. Deum intuitiuè non vidit in hac mortali vita. exerc.18. numero 145. Poſt mortem deſcendit in ſinum Abrahæ. exerc.18. num.153. Non aſcendit in cœlum ſydereum, neque in alio loco extra ſinum Abrahæ manſit ordinariè ante Chriſti glorioſam aſcenſionem. Ibidem. Circa reſurrectionem, & beatitudinem Moyſis impugnantur plures errores. exercitat. 18. num. 149.

Muſici.

Muſici concentus erunt in Empyreo. exercit. 29. num.38. Qualis erit cœleſtis Muſica? Ibidem. Muſica inſtrumenta fortaſſis erunt in Empyreo. exercitat.29. num.39. Qualia hæc futura ſint? Ibidem. Fortè ex colliſione vnius partis Empyreæ cum alia formabitur Muſica. Ibidem. Cœlorum motus edet concentum Muſicum in ſententia aliquorum. exercitat. 29. numero 40. Poſt diem Iudicij Cœli aliquando mouebuntur, aut ſoni ſpecies Beatis à Deo infundentur abſque vlla motione cœlorum vt eorum Muſicus concentus Beatos recreet. exercit.29. num.43. Muſicæ cantilenæ cœleſtes nihil non putum ſapient. exercitat. 29. numero 44. Cœleſtis Muſica Chriſti Domini, Virginis Beatæ, & Sanctorum triumphos, ac laudes celebrabit. ex.29. numero 46.

N.

Noë.

NOë reuixit in corpore glorioſo. exercitat.22. numero 22.

Nuditas.

Nuditas in ſtatu innocentiæ non fuit propudioſa Adamo, & Euæ, neque in cœlo erit beatis hominibus glorificatis. exercit.27. num.3. Incederent homines nudi, ſi perſeueraſſet ſtatus innocentiæ; ſed improbabile non eſt, aſſumpturos quandoque veſtes ornatus gratiâ. exerc.27.n.6. Vide *Veſtis.*

Nubes.

Nubes num erunt poſt extremam orbis conflagrationem? exerc.28.n.203.

O.

Obiecta.

OBiecta materialia limites habent in diffuſione ſpecierum. exercit.28. num.224.

Obſcuritas.

Obſcuritas argumentorum quibuſdam grata. ex.16. numero 84.

Oculus.

Oculus corporeus exiſtens nequit habere ab intrinſeco determinationem ad videndum Deum per viſionem materialem. exercitat.28. num.11. Reſpectu perceptionis Dei omninò eſt ſimilis oculus corporeus lapidi, aut alij potentiæ mortuæ. Ibidem. Oculus corporeus neque diuinitùs poteſt videre modum exiſtendi indiuiſibiliter lucis indiuiſibilis. exerc.28. num.17. Poteſt tamen videre diuinitus lucem indiuiſibilem; non tamen naturaliter. Ibidem. Hæc impotentia naturalis non prouenit ex defectu in ratione principij vitalis, ſed ex defectu extenſionis localis. Ibidem. Lux indiuiſibilis poſſet producere in oculo eleuato ſpecies requiſitas ad viſionem, vel Deus ſolus eas poſſet efficere. Ibidem. Deus poteſt immediatè gerere munus ſpecierum in oculo ad illam viſionem. Ibidem. Lux indiuiſibilis poteſt ab oculo videri, vt extenſa. ex.28. numero 18. Si oculus corporeus poſſet videre Deum per viſionem ſpiritualem, hæc ſæpè ſæpius produceretur in Beatis. exercitat. 28. numero 25. Implicat oculis corporeis viſio ſpiritualis Dei. Ibidem. Nequit Oculus percipere ſonum per ſenſionem ſpiritualem. exercitat. 28. numero 27. Si oculorum viſio aliquo modo ſupra ſe non reflectit, implicat viſio oculorum ſupra ſe reflectens; ſecùs ſi ſupra ſe corporea viſio reflectat. exercitat. 28. numero 19. Nequit ex parte modi percipere dependentiam albedinis à Deo. exercitat. 28. numero 20. An poſſibilis ſit oculus corporeus diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus potens Deum videre? non eſt quæſtio inutilis. exercitat. 28. numero 30. Iidem oculi exiſtentes reſtituendi ſunt in reſurrectione. exercitat. 28. numero 35. Poſſibilis eſt oculus corporeus diuerſæ ſpeciei ab exiſtentibus potens percipere obiectum ſpirituale. An etiam Deum ipſum? ex.28. numer 49. Reſpectu viſionis Dei nulla ſpecialis difficultas contra oculum corporeum pugnat, quæ auditum

Digitized by Google

tum, guſtum, &c. non impugnet, & è contrà. ex.28.num.51. Oculus exiſtens poteſt diuinitus obiectum præſens inextensè & diffinitiuè exiſtens percipere. ex. 28. num.52. Non repugnat oculus æquè benè percipiens magnæ, ac paruæ extenſionis obiecta. exercitat.28. numer. 65. Non repugnat oculus æquè benè percipiens obiectum proximum, ac remotum. Ibidem. Oculus perceptiuus Dei, num oculus potiùs, quàm auditus nuncupandus eſſet. exercit.28. num.89. Poſſibilis ne ſit oculus potens aliquo pacto percipere ſonum, & quo pacto? exercit.28.num.93. Deus non eſt videndus ab oculis exiſtentibus glorificatis, neque ab aliis poſſibilibus diuerſæ ſpeciei. exercitat.28. num.115. Oculo exiſtenti iam beato exercitium ſuæ potentiæ reſpondebit. exercit.28. num.118. Oculus beatus ſuſupra conuexum Empyrei exiſtens poterit diuinitus videre. Ibidem. Externis oculis ſe ſe Beati homines mutuò conſpicient. exercit.28. n.162. Oculis plena non erunt hominum beatorum corpora. ex.28.118.

Odor.

Odorem ſuauem quæ corpora humana mortalia ſpirarint? exercitat.30. numer.3. Odores omnia corpora, quæ in Empyreo erunt, emittent. exercit.30.num.5. Neceſſarium temperamentum odoris erit in corporibus Beatorum. Ibidem. Empyrei odores carebunt contrario, ideóque perpetui erunt. exercitat.30. numer.8. Odoribus recreabitur Beatus. Ibidem. Odorum diffuſio per Empyream auram abſque corporis euaparatione continget. Ibidem.

Olfactiua potentia.

Olfactiua vulturum potentia. exercitat.28. numer.224.

Olfactus.

Olfactus beatorum hominum ſuos actus exercebit. exercitat.30. num.1. Olfactus ad quid deſtinetur? exercit 32.num.71. An olfactus poſſit percipere Deum? exercitat.28. num.50. Damnatorum hominum olfactus cruciabitur tetris odoribus. exercitat.30.num.7. Odor ſuauis & exquiſitus cuius rei ſignum fuerit Ethnicis? exercit.30. num.4.

Opinatio.

Opinatiui actus qui Chriſtum, beatóſque dedeceant? ex.32.n.36.

Opinio.

Opinionum diuerſitas in ſtudiis Eccleſiaſticis deſeruit ad exercendum ingenium, & excitandam ſtudentium pigritiam. exercitat.20. numer.144. Immoderati in cenſurandis opinionibus aliorum taxantur. ex.20.n.120. ex.24.n.15.

Oriens.

Orientem versùs iubentur à S. Benedicto orare Monachi. exercitat. 23 num.74. Orientem versùs ſe ſuſpendi rogauit quidam iuuenis damnatus ad mortem. Ibidem. Defuncti locantur in ſepulchris versùs orientalem plagam exercit.23. numer.77. Orientalis pars apud nos cæteris præſtat. exercitat.23. numer.78. In Orientali parte cœli reſpectu Hieroſolymorum aſſiſtit Chriſtus. exercitat.23.num.72. Veniet ab illa Chriſtus ad Iudicium generale. ex.23. n.75. Verſi ad Orientem orabant Ethnici. ex.23. n.74.

Ouetenſes Reliquiæ.

Ouetenſibus Reliquiis quæ fides adhibenda ſit? ex.22.n.35.

Eas Ouetum attulit Vrbanus Præſul Toletanus. exerc.22.num.36. In Ouetenſi Eccleſia ſeruatur arca eas includens reliquias. exercitat.22. numer.37. Hanc arcam primùm in Africam adportatam ex Hieroſolymis, & inde in Hiſpaniam an S.Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis tranſtulerit? Ibidem. Verum Chriſti Sudarium ſeruatur Oueti. exercitat.22. num.39. Ouetenſis Sudarij longitudo, & latitudo. ex.22. num.40. Quo tempore fuerit in Hiſpaniam adductum? ex.22. num.41.

P

Paradiſi.

PAradiſi nomine quid ſignificetur in promiſſione facta bono Latroni? exercit.18.num.114. Quid in raptu Henoch, & Eliæ? exercitat.18. numer.137. Circa exiſtentiam actualem Paradiſi Adamici quid plures cenſeant? exercitat 18.numer.139. Deipara à mortuis redux non tranſiit per terreſtrem Paradiſum exercit.19.numer. 30. Paradiſus Adamicus in fine mundi abſumetur igne. exercit.23.num.15. Eius amplitudo quanta ſit iuxta aliquos? exercit. 23.num.95. Aliqui dixerunt, in eo omnes homines commoraturos fore vſquedum ſimul ad gloriam transferrentur. Ibidem. Improbabilia plura refutantur circa ſtationem hominum in Paradiſo. ex.23. numer.100. Paradiſus, ſi extat non erit immunis à finali conflagratione. exercit.28.num 200. Paradiſi Angeli quintam vocentur; exercit.20. numero 89. S. Michael cur ab Eccleſia appelletur Præpoſitus paradiſi Ibidem.

Patres.

Patres Eccleſiæ quomodò legendi? exercitat.21. num.56. Qui Patres ſenſerint exiſtere animas ſeparatas in Empyreo, quin Deum videant vſque ad reſurrectionem corporum? exercitat. 21. num.59. Plurimi dixere, ante Aſcenſionem ad Empyreum, & viſionem beatam commorati in aliis locis vſque ad diem Iudicij. exercitat.21. num.64.

S.Paulus.

S.Pauli anima in raptu non fuit ſeparata à corpore. exercitat.22.num.66. In corpore non glorificato fuit raptus in Empyreum ad breue tempus. exercitat 22.n.67.

Pelagius.

Pelagius Rex Hiſpanus monumenta ſacra in Aſturias deportat, cum Mauri inuadunt Hiſpanias. ex.22. n.36. Expoſitus eſt Tago flumini, dum puer eſſet. Ibidem.

Permanentia.

Permanentia rerum eſt connexa cauſarum, & effectuum ſeries. exercitat.16.n.33.

Phantaſia.

Phantaſia beatorum hominum Deum quodammodò percipiet. exercitat.34. num.2. Miniſtrabit ſpecies abſtractas per intellectum agentem. exerc.34.num.3. Phantaſiæ actus poterunt comitari actus prouenientes ab ſpeciebus per accidens intellectui infuſis. exercitat.34. numero 4. Actus autem prædicti intellectus non debent neceſſariò connecti cum actibus phantaſiæ. ibid. Abſque adiutorio phantaſiæ poterit intelllectus beatus elicere plures actus. ibid.

Digitized by Google

Phantaſmata.

Phantaſmata per accidens ſe habent ad ſcientiam beatam,& per ſe infuſam. ex.34. num. 4. Deſeruiunt ſcientiæ experimentali Beatorum. ibid. Quid dicendum ſit de phantaſmatibus reſpectu ſcientiæ per accidens infuſæ? ibid.

Philoſophi.

Philoſophi antiqui crediderunt animas proborum commorari in ſtellis. ex.21. n.49.

Philo.

Philonis opinio circa aſcenſum, & commorationem animarum in aſtris. ex.18. n.152.

Plato.

Plato timatus eſt exiſtentiam iuſtarum animarum in cœlo. ex.21. n.50.

Poëmata.

Poëmata cœleſtia. ex.29.n.47. Poëmatum laudes. ibid. Poëmata lepôrem verbis addunt. ibid.

Poëtæ.

Poëtæ ferè omnes antiqui exiſtentiam animarum in cœlo decantarunt. ex.21. n.54.

Potentia.

Potentia proxima agendi conſtituitur ex approximatione ad locum.ex.20.n.57. Potentia ſenſitiua non læditur ſpeciei obiecti, quod diſconueniat, receptione. ex.20. num.168. Præciſè læditur receptione qualitatis contrariæ naturali temperamento. ibid. Potentia receptiua ſupernaturalium poteſt dici ſupernaturalis, quia neque exigit formam receptam,neque ſupponit cauſam naturalem eius effectiuam. ex.28. n.4. Potentia loco motiua, & nutritiua poſſunt diuinitus efficere aliquid ſupernaturale vitale. ex. 28. n. 21. Nulla potentia materialis poteſt eleuari ad obiectum extra ſuam ſphæram conſtitutum percipiendum per actum ſpiritualem. ex.28.num.25. Potentia materialis externa non poteſt ſupernaturaliter in obiectum ferri modo conditionato obiectiuo. ex.28.n. 26. Neque poteſt attingere vnum propter aliud. ibid. Neque vnum obiectum abſtrahendo ab ipſius exiſtentia. ibid. Plurimi Doctores cenſuere potentias materiales hominis non futuras eaſdem in corpore glorificato, ac in mortali.ex.28.n.34. Poſſunt dari potentiæ materiales eiuſdem ſpeciei cum exiſtentibus, inæquales tamen in perfectione.ibid.Non oſtenditur repugnantia potentiæ materialis perceptiuæ obiecti materialis creati. ex.28. n.37. ex potentia materiali perceptiua obiecti ſpiritualis creati non ſequitur per locum ab intrinſeco potentia perceptiua obiecti ſpiritualis increati.ibid. Poſſibiliſne ſit potentia auditiua, olfactiua, &c. quæ poſſit Deum immediatè attingere? ex. 28. num.51. Senſatio facta ab his potentiis non diceretur reſpectu Dei auditio, olfactio, &c. ibid. Harum potentiarum ſenſationes dicuntur communiter perceptiones ſoni, & odoris. ibid. Actus harum potentiarum tendentes in Deum dependerent ab organis ſenſitiuis. ibid. Poſſibiliſne ſit potentia materialis, cui debeatur viſio intuitiua Dei? ex.28.n.56. Huius potentiæ materialitas deberet deſumi ex dependentia intrinſeca à materia.ex.28.num.58. Si naturalis eſſet, non poſſet naturaliter attingere immediatè Deum.ibid Hæc potentia materialis ſuperaretur in perfectione à noſtro intellectu.ibid.Poſſibilis eſt potentia materialis perceptiua dumtaxat ſex obiectorum ſpiritualium.ibid.Poſſet hæc potentia eſſe limitata ad aliquod obiectum ex materialibus. ibid. Ex eo quod Deum abſtractiuè vel intuitiuè perciperet, non ſequitur fore diſcurſiuam.ex.28.n.59. Poſſet dari potentia materialis diſcurſiua.ibid.An dicenda foret rationalis? quæſtio eſt de nomine. ibid. Ex potentia diſcurſiua non infertur neceſſariò libertas. ex.28. num.60. Poſſibilis eſt potentia materialis libera in appetendo. ibid. An hæc potentia materialis libera dicenda foret voluntas? eſt controuerſia de voce. ibid. Potentia hæc materialis non tenderet ad obiectum ſub ratione ſenſibilis. exercit. 28. num. 61. Poſſitne potentia materialis tendere ad Deum ſub ratione ſpiritualis, quin tendentia illa eſſet ſpiritualis? ibid. Ad hoc vt potentia ſit ſpiritualis non ſufficit attingere obiectum ſub ratione ſpiritualis.ibid. Potentia materialis non ex obiecto,ſed ex dependentia à materia in conſeruari,talis dicitur. ex.28. n.63. Modus cognoſcendi potentiæ qui debet ſequi modum eſſendi obiecti. ex.28. n. 67. Potentia cognoſcens non debet continere ſimpliciter obiectum. exerc.28. num.68. Potentiam materialem eſſe in inferiori ordine reſpectu obiecti ſpiritualis non obſtaret cognitioni. ex.28.n.71. Non debet potentia habere eadem prædicata, ac cognitio. ex.28. n.72. Explicatur ſubtilitas cognitionis reſpectu obiecti. ex.28. n.73. Poſſibilis haud eſt potentia materialis perceptiua obiecti materialis per actum ſpiritualem ex.28.n.77. Potentia materialis cognoſcens Deum poſſet dici omnia in ipſo eminenter percipere ex 28. num.85. Talis potentia non ſolum lucidum, & coloratum ſibi in obiectum determinaret. ex.28. n.86. Potentia, quæ Deo nutriretur, ex terminis implicat. ibid. Poſſibilis eſt tactus perfectior viſu, ſiue potentiâ viſiuâ exiſtenti. ex. 28. n. 88. Poſſibilis eſt potentia materialis, quæ ab obiectis, corporeo ſimul,& incorporeo ſpecificetur. ex.28. num.89. Quo pacto potentia materialis perceptiua Dei ab ipſo immutaretur. ex.28. n.90. Ipſum obiectum immediatè; vel ipſius ſpecies hanc potentiam immutaret. ibid. An huius potentiæ actus dicendus eſſet intellectio? ad voces ſpectat.exercit.28. n. 91. Abſolutè tamen non eſſet intellectio.e.28.n.92.Deus contineretur intra intentionalem ſphæram obedientialem huius potentiæ, licèt in eſſe entis infinitè ab ea diſtaret. ex. 28. n. 93. Diuiſibilitas potentiæ materialis huic cognitioni Dei non obſtaret.e.28.n.94.Poſſibilis eſt potentia materialis indiuiſibilis.ibid.Item potentia ſpiritualis diuiſibilis. ibid. Actus potentiæ materialis perceptiuæ obiecti ſpiritualis, etſi materialis ipſe ſit, exigeret determinatè oriri ab obiecto ſpirituali.ex.28.n.96. Poſſibilis eſt potentia corporea intenſibilis. ex.28. n.97. Potentia materialis, quæ ſupernaturaliter Deum intueretur, poſſet naturaliter percipere Deum abſtractiuè. exerc.28. num. 102. Talis potentia poſſet præſcindere ex parte modi,& ex parte obiecti,quin carentias vllo pacto perciperet.ex.28. num.103. & 104. Reſolutio Authoris circa poſſibilitatem potentiæ materialis viſiuæ Dei. exercit.28.num.114. Defenditur P. Valentia primus huius potentiæ aſſertor. ex. 28. n.114. Proponuntur, & expenduntur authoritates contra hanc ſententiam. exerc.28. num.105. Authoris ſententia circa potentiam materialem perceptiuam obiecti ſpiritualis creati. ex.28.n.117.

Præputium.

Præputium Chriſti non exiſtit circumſcriptiuè in cælo ſimul,& in terra.ex.22. n. 46.

Prærogatiua.

Digitized by Google

Prærogatiua.

Prærogatiuæ. B. Virgini conceſſæ titulo Maternitatis ab ea morali quodam decentiæ iure exigebantur.ex. 19. n. 40. Prærogatiuæ conceſſæ aliis Sanctis non ſunt denegatæ. B. Virgini.exer. 22. num. 69.

Præſentia.

Præſentia, & abſentia poſitiua non opponuntur contradictoriè formaliter.ex.20. n. 66. Res non poteſt eſſe ab alia diſtans,& non diſtans, poteſt tamen eſſe nec diſtans nec præſens poſitiuè.Ibidem.Præſentia corporum ad locum non eſt contactus quantitatiuus. ex. 20. num.92. Operatio eſt indicium præſentiæ ad locum,non verò præſentia ipſa. Ibidem. Deus eſt præſens Vniuerſo per immenſitatem, non per Omnipotentiam.ex. 20.n.93.Deus præſens eſt rebus per potentiam, quatenus omnia poteſt, & per intentionalem potentiam quatenus omnia videt. Ibidem. Explicatur triplex Angeli præſentia in rebus.Ibid.

Pſalmi.

Pſalmi Dauidici decantabuntur frequenter in Empyreo à beatis hominibus.ex. 29. n. 33.

Pueri.

Pueri in Originali decedentes nunquam Deum videbunt.ex.28. n. 204. Contraria ſententia eſt erronea. Ibidem. Vbinam commorabuntur poſt reſurrectionem? ex. 28. n. 198. Quanam Lingua loquentur? ex. 29. n. 28. Num afficientur triſtitia?ex.18.n.183.

Pulchritudo.

Pulchritudinis requiſita.ex.28.n. 167. De pulchritudine glorificatorum corporum. ex. 28. n.167. & ſeqq. Pulchritudo vultus ſuſpicitur, admirationi, venerationique eſt in hominibus. exerc. 28.num. 158.

Purgatorium.

Purgatorium deſiderij idem eſt cum communi animarum purgatorio.ex.21. num.83.è Purgatorio animæ num extractæ die Aſſumptionis B. Virginis.e.19.n. 7. An ſit ineuitabilis omnibus animabus tranſitus per purgatorij ignem?e. 21. n.77.& ſeqq. Sint ne in purgatorio aliquæ animæ,quin patiantur pœnam ignis?ex.21.n.80.& ſeqq.Aliquæ animæ,quæ iam exiſtunt in Purgatorio, an manebunt ibi vſque ad diem Iudicij generalis.ex.21.n.103. Purgatorium non durabit poſt illum diem.e.23.n. 17.

Q

Quantitas.

QVantitas non cõparatur ad locũ, ſicut natura ad ſpeciẽ.e. 18. n. 85. Poſſet duplex quantitas concedi corpori bilocato.ex.18.n.86. Quantitas corporis bilocati à ſe ipſa non diſcontinuaretur. e.18.num.99.Quantitas, quæ in homine,in materia adæquatè ſuſtentatur, in bruto in materia ſimul ac forma recipitur.e. 16.n.46.

R

Recurſus.

REcurſus ad cauſam primam vitandus Philoſopho. e.16.n. 48.

Regnum cælorum.

Regni cœlorum vox, num in veteri Teſtamento ex.18.n. 164.

Reliquia Ouetenſes. Vide *Ouetenſes*

Reſpiratio.

Reſpiratio admittenda eſt in Beatis.e.30.n. 8. Reſpirabunt Beati liquidam auram empyream. Ibidem.Non admittitur in Beatis vt calorem temperet. Ibid. Sed vt locutioni,& olfactioni inſeruiat, ibid.

Reſurrectio.

Reſurrectio anticipata non fuit Deiparæ debita eo connaturali iure,quo Chriſto.ex.19.n.39.Chriſto fuit debita ratione vnionis Hypoſtaticæ. ibidem. Virgini autem Beatæ ex quadam morali decentia.e. 19. n. 40. Actibus ſuis elicitis tam in ſtatu vnionis ad corpus, quam in ſtatu ſeparationis eam Deipara meruit.e. 19. n. 41. Eam tamen Deipara de condigno non meruit.e. 19. n.42.Meruit de congruo. e. 19. num. 43. Eam dum viatrix eſſet, precibus exorauit. Ibidem. Chriſtus anticipatam reſurrectionem de condigno meruit. Ibid. Sancti Patres cum Chriſto reſurgentes nec de congruo meruerunt anticipatam reſurrectionem ſuorum corporum.e. 19.n. 48.B. Virginis reſurrectio in ſepulchro contigit. e.19.n.67. Quis fuerit ſenſus P. Didaci de Baeza circa hanc quæſtionem?ex.19.n.66. Die reſurrectionis Dominicæ damnati non ſubleuantur pœnis.e.19.n.69. Eadem die nulli ex mortuis reſurgunt.e.22.num.62. Vide *Deipara.*

Reuelatio.

Circa Reuelationes aliquas prudens admonitio S.Gregorij Papæ.e.19.num.18.

Riſus.

Riſu non carebunt Beati.e.33.n.23.& ſeqq.Riſerit ne Chriſtus in hac vita? exercitat. 33. num.25. & 26.

Romulus.

Romulum in cœlos euectum, fabuloſa commenta eſt antiquitas.e.23.n.33.

S

Sacramentum.

SAcramentum nullum poſt diem iudicij de nouo conficietur.e.24.n. 12. Nullum in Patria manebit.e.24.n. 13.

Vide *Eucharistia.*

Salomon.

Salomon ſuauem è corpore exhalabat odorem. e.30. num.3.

Saltatio, vide *Chorea.*

Sancti patres.

Sancti Patres cum Chriſto reſurgentes non obierunt iterùm.e.22.num.10.& 47.Maius tormentum eſſet eis iterùm mori, quàm ſi non ſurrexiſſent.e.22.num.10.Vnà cum Chriſto aſcenderunt glorioſi ad Empyreum. e. 22. n. 11. & 50. Eorum glorificatis corporibus nullus eſſet connaturalis locus, niſi cæleſtis.e.22.num.11.Non habitant in terreſtri Paradiſo.e.22.num. 14. Diuina reuelatione, quinam eſſent innotuit mortalibus.e.22.num.21.Anticipata reſurrectio non fuit eis indulta propter ipſorum ſanctitatem, Sed ex ſingulari Dei priuilegio,& vt Chriſtum ab inferis reducem teſtarentur.e.22.n.46.

Sapor.

Sapores cæleſtes aliquando à mortalibus deguſtati.e.31. num. 12.

Vide *Guſtus.*

Scarioth.

Scarioth quidam an cum Chriſto reſurrexerit. ex. 22.num. 49.

Digitized by Google

Scriptura.

Scripturæ ſacræ generales locutiones limitandæ ſunt ad alios homines, quando deflecti poſſunt ad aliquid minus decens B.Virgini.ex.19.n.29. ex.22.n.71. Pium eſt præſumere aliqua de B.Virgine,quæ non leguntur in Scriptura ſacra. e.22. n.71.& 74

Senſibile.

Senſibile obiectum quid ſignificet. ex.28. n.62. Senſibilia nulla ſunt ſupernaturalia.ex.32.n.52.

Senſus.

Senſus quilibet Beatorum ſpeciali præmio gaudebit. ex.28.n.119. Senſus externi Beatorum poſſent diuinitus percipere obiecta non exiſtentia. ex.32.n.20.& n.37. Eorum operationes poſſunt diuinitus non pendere à ſuis obiectis in fieri,& conſeruari, ſecùs naturalitér. ex.32. n.23. Poſſunt percipere obiectum abſens vt exiſtens. ex.32. n.27. An hæc perfectio dicenda ſit abſtractiua, an intuitiua? ibidem. Lux non exiſtens poſſet percipi per ſpeciem lucis à ſenſu externo Beatorum. exerc.32. n.28. Non falleretur Beatus percipiente ſenſu obiectum non exiſtens.ex.32.n.30. Beatus corrigeretur per ſcientiam beatam, & infuſam, percipiente eius ſenſu obiectum non exiſtens. ex.32.n.31. Talis apprehenſio externi ſenſus non eſſet falſa. e.32.n.33. Si illa apprehenſio eſſet falſa, ad intellectum non tranſiret.ex.32.n.33. Beatorum externi ſenſus non percipiunt de facto obiecta non exiſtentia. ex.32. n.37. Externi Beatorum ſenſus non percipiunt voluptatem ex omnibus obiectis, ex quibus in ſtatu innocentiæ perciperent. ibid. Etſi externi Beatorum ſenſus perciperēt qualitates non exiſtentes,non elicerēt actus ſupernaturales intrinſecè, & quoad ſubſtantiam,ſed præcisè quoad modum. ex.32.n.41. Probabile eſt elicituros aliquando actus intrinſecè ſupernaturales. ex.32. n.42. Non ſemper eliciunt actus intrinſecè ſupernaturales.ex.32.n.43. Non percipiunt obiecta ſupernaturalia. ex.32. n.45. Nec ſupernaturaliter percipere poſſunt ſupernaturalia obiecta,quæ nequeant aliquatenus naturaliter.ibidem. Non valent confundere corpus cum ſpiritu, vel ſupernaturale cum naturali. ex.32. n.49. Beatorum ſenſus externi non percipiunt ſupernaturalem lucem. ex.32.n.53. Explicatur mens S.Thomæ circa hoc punctum. ex.32.n.56. Senſus externi Beatorum perficiuntur in ſuis operationibus per dotem impaſſibilitatis. e.32. n.73. Senſus interni Beatorum exercebunt ſuas operationes.ex.34.n.1. Suis actibus perficiuntur. ibidem. Conſeruabunt ſpiritus vitales,quos in primo reſurrectionis inſtanti acceperint. ibidem.Senſus externi Beatorum non conſeruabunt æternùm actus ſemel elicitos. ex32.n.16. Senſus omnis an debeat attingere obiectum ſub ratione ſenſibilis? ex.28 n.61.& ſeqq.

Vide *Potentia*,& in particulari *ſenſus*.

Seruus-Dei.

Seruo-Dei Antiſtiti Toletano adſcribitur præpoſterè quidam liber,de quo Gennadius & Honorius Auguſtodunenſis. ex.28.n.116

Seſſio.

Seſſio præter homines aliis animantibus non conuenit propriè. ex.23. n.49. Sedere coram Principe honor maximus. exerc.23.num.50. Sedere infirmi, imbecilliſque hominis eſt ordinariè. ex.23. n.43. Sedere num repugnet Beatorum hominum agilitati? exerc.23. num.44. & 45. Seſſionem probat P.Franciſcus de Mendoza eſſe ſitum magis connaturalem hominibus. ex. 23. n.46.& ſeqq.

Sexus.

Sexuum diuerſitas ſeruabitur in reſurrectione,& in Empyreo. ex.21.n.146

Simeon.

Simeon iuſtus an cum Chriſto reſurrexerit? ex.22. n.44. Sancti Simeonis Sali num iam in cœlo exiſtat rediuiuum corpus? ex.22. n.61. Eius reſurrectio non ſatis authoritate fundatur.ibid.

Simon.

Simon magus cœlum ſe aſcenſurum affirmauit. ex.23.n.39

Situs.

Situs Beatorum corporum qualis? ex.23.n.41.

Sol.

Solem pertingere expetiit Anaxagoras. exerc. 32. n.14. Num Sol geminus poſt diem iudicij?e.28. num.188

Socrates.

Socrates exoptabat videre apud inferos tres iudices fabulis inclytos.ex.28.n.166. Saltitabat crebrò. ex.33.n.46

Spatium.

Spatium imaginarium non eſt capax corporalis voluptatis. ex.18. n.26. Incommodum eſt Beatorum corporum actionibus.e.18.n.27

Species.

Species impreſſa Dei non repugnat. ex.28. num.5. Species impreſſa ſpiritualis phyſicè producitur à phantaſmate.ex.28.n.41. Species impreſſa intellectus ideò eſt ſpiritualis, quia non dependet à phantaſmate in conſeruari.ibid. Species materialis immediata Dei poſſibilis ne eſſet,ſi ſit poſſibilis ſpiritualis? ex.28. n.66. Species inditæ, & acquiſitæ eiuſdem obiecti benè componuntur.e.28.n.218. Species materiales ad quam diſtantiam extendantur? e.28. n.224. Species naturalis intuitiua obiecti ſupernaturalis repugnat. ex.32. n.51. Species naturalis implicat oriri ab obiecto ſupernaturali. e.32. n.50. Species quomodo pendeant ab obiectis?e.32.n.24. Poſſunt à Deo ſuppleri. ibid.

Sphæra.

Sphærarum cœleſtium pulchritudo.ex.28.n.173

Spina.

Spinis coronatum Chriſtum in die iudicij videndum ſignificare videtur S.Hippolytus exerc.25. num.10

Spina.

Spinæ ſeptem ex corona impoſita capiti Chriſti aſſeruantur in Camera ſancta Ouetenſi. ex.22. num.41.

Spiritus.

Spiritus habens partes extenſiuas non repugnat. ex.20.n.137. Spiritus, qui de facto dantur, eas non habent. ibidem. Spiritui repugnant partes quantitatiuæ. ibidem. De facto exiſtentes ſpiritus replicabiles ſunt. exercitat.20. num.137. Non repugnat ſpiritus impotens replicari. ibidem. Repugnat qualitas ſpiritualis eadem & materialis formaliter. ex.20.n.162

Stella.

Stellæ permanebunt poſt diem iudicij.ex.28.n.188. Vide *Aſtra*, & *ſydera*, ac *ſtellæ*.

Sto.

Sto verbum quid propriè ſignificet. exer.23.n.43. Stare firmi, perfectique hominis eſt.ibid. Erecto corpore ſtare homini tantùm conuenit,exerc.23. num,

Digitized by Google

num.49. Stare prçſtantior ſitus eſt quàm ſedere. ibid. Beati homines ſtabunt frequentiùs. Ibidem.

Stoici.

Stoïci credidere animas in cœlo exiſtere. exerc. 21. numero 52.

Strabo.

Strabo è quanta diſtantia viderit? exercitat. 28. num. 223.

Stulti.

Stulti, & infantes diſcurrunt aliquatenus circa phyſica, quin ſint liberi. exerc. 28. n. 60.

Subſiſtentia.

Subſiſtentia duplex poteſt eandem humanitatem terminare. ex. 18. n. 77.

Subſtantia.

Subſtantia partialiter concurrit cum accidenti in ſe exiſtenti ad productionem accidentis æquè nobilis in extraneo ſubiecto. exerc. 16. num. 47. Inadæquatum prçſtat influxum accidens ad productionem alterius ſubſtantiæ. ibid. Partialiter influit in præſentia alterius ſubſtantiæ proportionatæ. ibid. Poteſt ſubſtantia motrix mouere corpus diſtans, dum moueat aliquid in medio. exercit. 20. num. 103. Poteſt agere in diſtans, ſi aliquid operetur in medio. ibid. Poteſt agere in diſtans, quin operetur in medio, ſi inueniat effectum in medio productum. ibid. Subſtantia omnino otioſa repugnat iuxta aliquos. exerc. 16. num. 12. & ſeq. Reſpondetur argumentis pro repugnantia ſubſtantiæ omninò otioſæ. exer. 16. num. 25. Poſſibilis eſt ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiua. exerc. 28. num. 39. Non implicat ſubſtantia vitalis compoſita, cuius ſpiritualis anima nullum ſpirituale obiectum poſſit percipere. ibid. Implicat ſubſtantia, quæ ſit ſubiectum lucis & coloris, non verò quantitatis. exerc. 28. num. 49.

Subtilitas.

Subtilitatis dos in quo conſiſtat? exerc. 32. n. 75.

Sudaria.

Sudaria Chriſti quot colantur? exerc. 22. num. 22. Verum Chriſti ſudarium colitur Oueti. ibid.

Supernaturalia.

Supernaturalia entia poſſunt naturaliter probabiliter cognoſci. exerc. 28. num. 70. An ſupernaturales actus eliciendi ſint in Patria à ſenſibus externis? exerc. 32. num. 38. & ſequentibus. Vide *Senſus*.

Sydera.

Sydera poſt diem iudicij permanebunt quoad ſubſtantiam. exerc. 28. num. 188. Vide *Aſtra*, & *ſtella*.

Sydereum.

Sydereum cœlum contemplationi creaturarum deſeruit, præcipuè beatorum hominum. exerc. 18. numero 185. Vide *Cœlum*.

T.

Tactus.

TActus exercitium non deerit Beatis. exercitation. 32. numero 1. Ipſius Beati corpus erit obiectum immediatum tactus. exercitat. 32. numero 2. Amplexus mutuus Beatorum erit etiam obiectum tactus. exercitat. 32. num. 3. Chriſtus etiam tangetur à Beatis. Ibidem. Necnon Beata Virgo. exercitat. 32. numero 5. Ex tactu Empyreæ auræ voluptatem percipient Beati. exerc. 32. num. 7. Primæ qualitates non ſunt obiectum neceſſarium tactus. ex. 32. n. 10. Empyreus aër ſentiendus à Beatorum tactu, non tamen palpandus eſt. exercit. 32. num. 12. Ex tactu ingens oblectatio Beatis prouenier. exerc. 32. num. 14. Beatorum tactus vnde immutabitur? exerc. 32. num. 64. Tactus operatio non eſt in ipſis operatio corruptiua, ſed perfectiua. Ibidem. Tactus non ſolùm deſtinatur, vt fugiantur nociua, ſed etiam vt percipiatur honeſtas voluptas. exerc. 32. num. 71. Num tactu Deum percipi ſit impoſſibile? exerc. 28. num. 50. & ſeqq.

Telenſe Concilium.

Telenſe Concilium an Telæ in Hiſpania propè Palentiam ſit celebratum? exerc. 22. num. 38. An potiùs dicendum ſit Telepτenſe, & coactum apud Telepτem in Africa? Ibidem.

Templum.

Templum Dei vocari ſolet cœlum. ex. 17. n. 4.

Terra.

Terra in æternum durabit. exercit. 28. numer. 190. Pars aliqua terræ luce penetrabitur poſt diem Iudicij generalis. exercitat. 28. num. 192. Terra tunc plana reddetur. exercit. 28. numero 193. Ab omni ſorde purgabitur. exerc. 28. num. 194. Eius excrementa in barathrum deiicientur. ibid. Ad eam fortè Beati aliquando deſcendent. exercitat. 28. numero 195. In terra nulla mixta permanebunt poſt generale Iudicium. exerc. 28. numero 199. Probabile eſt, ornandam immarceſſibilibus floribus ad delectationem puerorum in originali obeuntium. exerc. 28. n. 202.

S. Thomas.

S. Thomæ Aquinatis non eſt opuſculum 58. ex. 24. num. 21. Commentarij in epiſtolas Canonicas eiuſne ſint? exerc. 33. num. 20. Quales debeant eſſe eius Interpretes? ex. 16. n. 15.

Tiberius.

Tiberij Imperatoris in cernendo vis. exercitat. 28. numero 217.

Toletana.

Toletana prima Eccleſia dedicata eſt Virginis Matris Aſſumptioni. exerc. 19. num. 27. Sunt qui tradant, S. Iacobum Apoſtolum erexiſſe Toleti Ædem ſacram Virgini Matri adhuc viuenti. Ibidem.

Toletum.

Toletum, vel Aſturia Ouetenſes ſunt delatę plurimę Sanctorum reliquiæ tempore irruptionis Maurorum in Hiſpaniam. exercitat. 22. numero 36. & ſeqq.

Traianus.

Traianus Imperator an in Inferno crucietur? ex. 27. numero 30.

Trinitas.

Trinitas diuinarum perſonarum obtineri poteſt cognitione naturali obſcura, & formidoloſa. ex. 28. n. 14.

Triſtitia.

Triſtitia vera de obiecto non exiſtenti, imò & impoſſibili datur. exercitat. 32. num. 33.

V

Vacuum.

VAcuum non poteſt iuxta quoſdam virtute Angelica naturali effici, & quare? exerc. 18. num. 29.

Vbi.

Vbi Angelorum eſſe poteſt indiuiſibile, vel diuiſibile. exerc. 20. num. 132.

Vbicatio.

Vbicationis primarius effectus formalis eſt rem conſtituere in loco. exerc.20.num.72. Alligatio rei ſpiritualis ad corpus non rectè dicitur vbicatio. exerc.20. num. 76 Duplicem vbicationem definitiuam corporis non repugnare eſt de fide. exerc.18.num. 70. Poſſibilis eſt duplex vbicatio circumſcriptiua corporis. ibid. Plus opponitur vbicatio circumſcriptiua definitiuæ, quàm duplex circumſcriptiua inter ſe. ibid. Duplex circumſcriptiua non opponitur ſicut aſſenſus, & diſſenſus. e.18.n.71. Vbicatio circumſcriptiua non dicit eſſentialiter carentiam alterius. ibid. Vbicatio circumſcriptiua adæquata dicitur, non quia debeat eſſe vnica, ſed quia ſit ſufficiens. e.18.n.90. Partes quantitatis abſque vbicatione eſſent negatiuè extenſæ. exercit. 20. num. 28. Pro priori ad vbicationem nullibi res exiſtit poſitiuè. ibid.

Verbum.

Verbum diuinum non eſt mutatum ex vnione hypoſtatica, ſecùs humanitas. ex.20. n.111.

Veritas.

Veritatis quærendæ quod ſit obſtaculum ex teſtimonio Tullij? ex 33.num.95. Veritates aliquas comperiunt Doctores poſteriores, quæ prioribus occultæ fuerunt, vel non omninò exploratæ. ex.21.num.136.

Vermes.

Num veri Vermes in Inferno? ex.28.n.203.

Veſontio.

Veſontioni quodnam ſudarium Chriſti colatur? exerc.22.n.35. & ſeqq.

Veſtes.

Veſtes beatorum hominum ex Empyrea materia erunt. exerc.27.num.11. Conficiendis veſtibus non ſufficit lux,ſed requiritur materia Empyrea. exerc.27.num.13.

Victorinus.

De Victorino Rhetore Maſſilienſi iudicium.ex.18. num.143.

Virgines.

Virgines à latere Chriſti non diſcedent in Empyreo. ex.33.num.10.

Viſio.

Viſio beata nomine Paradiſi apud SS. PP. aliquando ſignificatur.ex.18. num. 114. Probabile eſt, B. Virgini, & Moyſi fuiſſe conceſſam viſionem intuitiuam Dei ante Chriſti mortem,non tamen tanta probabilitate de Adamo exiſtimatur.ex.18. num. 145. Viſio beata exigit quaſi connaturali iure exiſtentiam perſonæ in Empyreo. ex.17.n.7. Viſio perfectior non debet reſpondere perfectioni entitatiuè naturæ Angelicæ. ex.20. n.16. Viſio intuitiua Dei non alienat beatum hominem ab operationibus ſenſuum. ex.32.num.62. Viſio intuitiua Dei, quâ homo adhuc mortalis cum videret, non alienaret hominem ab operationibus ſenſuum. Ibidem. Clara Dei viſio à phantaſmatibus non pendet. Ibidem.

Viſiua potentia.

Viſiua potentia materialis perceptiua ſubſtantiæ non implicat. exerc.28. num. 38. Viſiua potentia, quâ ſphæra gaudeat? exerc. 28. num. 224. Viſiua potentia naturalis eiuſdem ſpeciei cum exiſtentibus Deum percipere nequit per viſionem materialem. exercit. 28. num. 1. Viſus de facto exiſtens nullo modo Deum percipit.ex.28. num. 2. Adſtrictus eſt naturâ ſuâ ad videndum lucem,& colorem. ibid. Neque abſtractiuè valet Deum percipere. ibid.

Vita.

Vita in actu ſecundo definitur. ex.28.n.28.

Vitalis.

Vitalis quilibet actus exigit produci à principio vitali non ſolùm vt efficienti, ſed vt vitali. ex. 29. n.9. Vitale principium vt tale eſt efficiens. ibid. Vide *Potentia.*

Vnio.

Vnio humana eſt materialis. exerc.20.n.138. Vnio etiam hypoſtatica Verbi ad corpus eſt materialis. exerc.28.num.42.

Voluntas.

Voluntas nequit ſine cognitione amare. exerc.28. num. 27. Cognitio non eſt pura conditio reſpectu amoris, quo voluntas amat. ibid.

Vox.

Vox quid ſit, & quibus conueniat? exercit. 29. in limine.

Vrbanus VIII.

Vrbani VIII. Pontificis Maximi carmina de Conceptione puriſſima Deiparæ. exercitat. 18. num. 18.

Vultures.

Vultures quàm è longinquo olfaciant. exerc. 28. num.224.

Z

S. Zacharias.

SAnctus Zacharias Pater S. Ioannis Baptiſtæ non ſurrexit immortalis cum Chriſto. ex. 22. num.45. Eius caput Romæ colitur in Laterano, & reliquum corpus Venetiis. ibid.

F I N I S.